
3 1761 04780932 2




ΠΝΕΥΜΑΤΙ ΚΑΙ ΑΛΗΘΕΙΑ

IO. NICOLAI MADVIGII,

PROFESSORIS HAUNIENSIS,

OPUSCULA ACADEMICA.

AB IPSO

ITERUM

COLLECTA, EMENDATA, AUCTA.



HAUNIÆ.

SUMPTIBUS LIBRARIÆ GYLDENDALIANÆ (HEGELIORUM PATRIS ET FILII).

TYPIS EXCUDIT FR. BAGGE.

MDCCCLXXXVII.

Præfatio novæ editionis.

Quod antea sæpius et a redemptore rogatus et ab aliis admonitus facere recusaveram, ut opuscula academica, quæ iuvenis primum sparsim scripseram, deinde duobus voluminibus comprehensa edideram, exemplis omnibus ante annos haud paucos divenditis, iterum ederem, quod et in aliis operibus conficiendis animus et tempus occupabatur et retractandi molestiam fugiebam, id nunc mutato consilio exsequor. Nam et eorum desiderio satisfieri æquum videbatur, qui emendationum nostrarum sententiarumque de rebus ad Latinas litteras pertinentibus breviter a me ipso alibi et in aliorum libris indicatarum aut significatarum causas et rationes hic expositas cognoscere cuperent, et quædam etiam nunc in his libellis latere cognitione philologorum non indigna putabam et ipsam, qua usus essem, caute quærendi et iudicandi formam iunioribus utiliter commendari posse; quumque ætate ingravescente et oculis caligantibus animum magnam partem a philologia ad alias meditationes et cogitationes traduxissem, iucundum erat subinde vetera studia cum iuvenilium laborum memoria repetere. Retractandi autem operam intra eos fines continendam intelligebam, ut non quasi de integro eædem res quæstionesque ea via ac ratione explicarentur, quæ fortasse nunc commodior mihi videri posset, sed ut illius temporis, quo primum scrip-

sissem, eiusque philologiæ condicionis, quæ tum fuisset, imago ac forma retineretur ac tamen nihil intactum ac sine nota relinqueretur, quod non et nunc reapse probarem verumque iudicarem, atque in artissimum contracta eorum, quæ postea alii iisdem de rebus disputassent, significatione atque etiam interdum refutatione ea tantum adderentur, quæ ipse inter perpetuam veterum monumentorum tractationem ad confirmanda iudicia sententiasque annotassem, interdum etiam a studiorum sociis admonitus. Simplicitatem quandam ac libertatem severitatemque iudicandi pravaque reprehendendi, qua olim aliquoties usus eram, ne nunc quidem tollendam aut mollioribus verborum ambagibus obtegendam putavi, quod et nihil nisi considerate ac merito dictum esse mihi eram conscius iudiciaque mea posthac fere communi assensu tacite comprobata videbam, et hanc levitatis perversitatisque castigationem utilem iunioribus admonitionem habere iudicabam; nam eodem aut simili genere plurima nunc quoque peccantur nec difficile fuerit pro nominibus a me notatis alia substituere, de quibus eadem fabula narretur. Quod feceram iam in altero volumine prioris editionis, idem feci nunc etiam in hac altera editione, ut opusculorum corpori sub finem voluminis adiungerem miscellanea quædam critici generis, quæ qui hæc nostra curant non illibenter accepturos sperabam, quoniam alioquin, si inspicere vellent, cum molestia conquirenda essent.

Indices, qui in priore editione utrique volumini separatim subiecti erant, commodius visum est nunc conflari.

Vos igitur valete libelli ultimum ab auctore cum non ingrata memoria iuventutis severe ac fideliter in studiis philologicis actæ recogniti.

Scrib. Hauniæ mens. Novembr. anni MDCCCLXXXVI.

Præfatio

prioris voluminis a. MDCCCXXXIV editi.

Qui hoc volumine comprehenduntur libelli, ii, præter quintum et septimum, a qua occasione orti sint, titulus ipse libri ostendit. Programmatis enim academiæ Hauniensis horum quinque annorum inserti fuerunt. Duas illas disputationes propter argumenti similitudinem et cognationem adiunxi, nec ideo ab academicorum opusculorum nomine recedendum putavi. Hoc ego universo scribendi genere, quod totum non tam voluntate et studiorum rationibus regitur quam aliunde pendet, non possum me delectari dicere. Ac potius nunc etiam, hunc librum contemplans, angore quodam animi afficior, quum cogito, tam multa a me tam paucis annis carptim esse scripta de disiunctis argumentis et minutis rebus, quum interim nihil eorum perficere potuerim, quæ neque frustatim concidere neque Latina oratione induere neque chartis ad diversissimorum studiorum homines vagantibus mandare volebam. Sed quum mihi hanc scribendi formam muneris mei ratio et officii imponeret, dedi operam, ut, etiamsi tenuia essent, quæ programmatis includerentur, non essent tamen inania, sed aliquid haberent novi, quod philologis saltem, si in ea incidissent, utile esset. Nam et locos aliquot ex historico horum studiorum genere, qui

separatim explicari commode possent, explicati autem lucem aliquam rebus cognitu dignis allaturi essent, pertractandos sumpsi, et ex critico et grammatico genere, quæ ad scriptores veteres interpretandos et emendandos pertinerent, multa disputavi. Ad Latina autem potissimum argumenta deligenda deducebar. quod ea in docendo quotidie tractabam. Hi libelli, quum primum edebantur, ut fit, in paucorum manus ex iis venerunt, quorum studia attingebant, me ne eatenus quidem eorum propagationi prospiciente, ut titulos saltem indicibus nundinarum litterariarum semper inserendos curarem. Nunc hæc in unum colligi et pluribus ad legendum commendari placuit; sic enim melius coniuncta cognoscentur. In utroque disputandi genere eam sum secutus quærendi rationem, quæ certa via ad rem conficiendam progredi videretur, eaque, quæ eo pertinerent, diligenter omnia circumspiceret, exclusa omni et levitate et superstitione et perturbatione. De quo me paulo plura hoc loco dicere cupientem, quum præsertim multa in hoc studiorum genere in Germania, præcipua sine dubio eius sede, non prudentissime mihi agi videri significarim multosque fortasse offenderim, revocat libri exspectationem supergressa magnitudo eamque præscribit præfandi brevitatem, in qua, si illa attingam, facilius sit invidiam commovere quam quicquam explicare. Multis tamen singularum commentationum locis id ipsum egi, ut recta, quæ mihi videretur, rei aggrediendæ via demonstraretur, aberrandique quæ essent causæ aperiretur. De historiæ quidem Romanæ et antiquitatis pervestigatione quid sentiam, in disputatione de coloniis Romanis ostendi, cui eos velim obtingere lectores, qui pedetentim progredientem argumentationem subsequantur, Liviique et Dionysii cognitionem et artem scripta veterum interpretandi afferant, et qui in una re quærenda mentem æqualiter ad omnes partes perite dispositæ imaginis rei p. Romanæ sine confusione circumferant. Singulorum locorum et sententiarum caute interpretandarum leges

persecutus sum in iis, quæ de Iuvenalis locis exposita sunt. Critica quidem et grammatica disputatio, quam ad Ciceronis maxime orationes contuli, (præterquam quod ea causa, quam p. 439 significavi, minuta omitti vetabat,) ob hoc ipsum facta est copiosior et longior, quod tota ratione mea exposita et fundamenti critici constituendi (maxime in oratione Sestiana) et singularum rerum, etiam minorum, ponderandarum, quum evidentiam demonstrationis consequi volebam, exclusa incerta fluctuatione, tum in una aliqua parte emendanda simul ad rectam aliarum partium tractationem aliquid conferre, postremo efficere, ut postea alibi breviori esse liceret. Nam nec difficilius usquam expugnatur critica superstitio quam in Ciceronis scriptis, nec usquam latius vagatur inanis quædam velitatio hominum id, quod quæri debeat, neque videntium neque attingentium. In re grammatica quis præcipuus sit nostro tempore hominum satis sedulorum error, significavi breviter p. 382 et 522, in quo se et torquent et iactant. Sed ea res singularem requirit disputationem, quæ eorum etiam, qui universe de lingua et sermone se quærere profitentur, errores tollere debebit. Singularem denique et criticæ et interpretationis pravitatem reprehendi in disputatione Lucretiana, verborum inanem sonum pro oratione recte structa et sententia scriptoris aucupantem et cum singulari rerum, quæ a scriptore tractentur, ignorantia et incuria coniunctam.

Animus erat huic volumini subiicere pauca quædam, quæ a me de locis veterum scriptorum emendandis aut interpretandis scripta in ephemeridibus latent (velut Liviana in Seebodii tabulario philol. a. 1828 n. 34). Sed ea spatii angustiis nunc exclusa aliud exspectant tempus.

Scrib. Hauniæ feriis æstivis a. MDCCCXXXIV.

Præfatio

alterius voluminis a. MDCCCXLII editi.

Octo sunt anni, ex quo opusculorum academicorum volumen edidi, confectum ex iis libellis, quos ad id tempus in cœtibus sollemnibus festisque academiæ nostræ indicendis scripseram, duabusque disputationibus, quæ illis propter argumenti cognationem addi commode posse videbantur. Ei volumini hoc et nominis communione et reliquarum rerum similitudine adiungitur. Nam huius quoque longe maiorem partem explent programmata, quæ post illud tempus Latino sermone edidi; quod scribendi genus posthac raro attingam, quoniam ita nunc apud nos institutum est, ut et pauciora omnino programmata emittantur et ea fere ab omnibus professoribus per orbem scribantur; et si quando mihi extra ordinem id munus obveniet, sæpius patrio sermone utendum erit, quod iam bis feci. Programmatis addidi præfationes duas, in similium rerum quæstione et explicatione positas, et analecta quædam minora. Argumenta item, ut in superiore illo volumine, e Romanis rebus litterisque delecta sunt, Græcæ copiæ suavitatisque nihil admixtum habent, quod adhuc academiæ nostræ mos in illis solis scholas meas continuit, e quibus fere huiusmodi libelli nascuntur: posthac spero me non tacitis tantum studiis uberiorem antiquitatis partem culturum esse. Sed in ipsa Latina philologiæ parte ita cecidit, ut una tantum huius voluminis disputatio ex institutorum Romanorum explicatione desumeretur, reliquæ omnes aut in rebus grammaticis aut in veterum scriptorum libris emendandis difficiliumve ac dubiorum locorum enarratione versarentur; neque, quod animus tulerat, hoc tempore exsequi per alia negotia licuit, ut huic inæqualitati

accessione aliqua alterius generis mederer. Grammaticas quæstiones etsi sæpe multumque in aliis libris attigi, tamen ante eam commentationem, quæ in hoc volumine secunda est, nulla mea exstabat amplioris loci continua pertractatio, in qua plane perspici posset, quemadmodum, quod sæpius breviter significavi, universæ sermonis naturæ considerationem cum Græci Latinique sermonis proprietatis investigatione coniungi vellem et liberum antiquarum quoque linguarum motum historica fide, adhibita testimoniorum æstimatione, exquiri. Ea disputatio et simul altera, qua plures minoresque loci explicantur, si cum institutionibus linguæ Latinæ, quæ a me scholis scriptæ intra paucos menses in Germania edentur, comparatæ fuerint adhibitusque libellus, quem de compluribus rebus ad grammaticam Latinam pertinentibus arti illi (ut veteres loquebantur) comitem dabo, intelligetur, et quam totius disciplinæ tradendæ formam veram putem et quemadmodum late dispersas quæstiones in summas et capita cogendas et quemadmodum summas præparandas confirmandasque. Altius quorundam principia repetentur in iis commentationibus de omnis sermonis vi et natura atque motu, quarum patrio sermone scriptarum ante paucos menses particula aliqua festinantius, quam vellem, edenda fuit.[1]) In critico genere, quod cum grammatico coniunctissimum est, quam rationem probarem, quum in præfatione editionis librorum Ciceronis de finibus exposui, tum in ea, quæ hic octavo loco posita est. Pravitatem quorundam mixtam ex superstitione et inanibus enarrandi interpretandique artificiis, cum grammaticæ, rerum sententiarumque perturbatione, aperte ac sine ulla dissimulatione reprehendi, præsertim iactantem se insolentius in negotio, si quidem illo modo geritur, haud sane difficili et iam manantem latius. Nam Livium quoque nuper hæc ratio attigit, industriæque et studio instrumenti critici ex

---

[1]) [Vid. Kleine philologische Schriften p. 48 sqq.]

optimis fontibus augendi, corrigendi, disponendi et in usum vocandi summe laudabili comitem se adiunxit non laudabilem. Mihi hoc semper propositum fuit, ut artem efficere conarer ex testimoniis verum via ac ratione exquirendi atque etiam obscurata testimonia indiciaque libero ingenii motu, monstrata et definita regione, longius persequendi, tum inventa notis certis comprehendendi. Certa ab incertis quia etiam in iis, quæ coniecturæ appellantur, discerno, critici nomen mihi tueri videor; itaque simpliciter et sine ambagibus affirmo, quæ affirmanda sunt; quæ aut in probabili suspicione relinquere cogor aut tantum adumbrare primis lineis aut aliqua ex parte informare possum, cum illis non permisceo. Auctoritatis confirmatio interdum accedere postea potest; sed tamen is est vel præcipuus emendationis coniectura nascentis campus, ubi, optimis et antiquissimis codicibus plene et diligenter excussis, ut nihil in illo genere amplius exspectari possit, et mendum coarguitur et certa veri inveniendi indicia eruuntur. Lusus pueriles inanemque imperitorum et male sedulorum temeritatem eadem ars a philologia removebit, quæ de certis et necessariis emendationibus instabilem dubitationem excludet. Soleo enim indignari (quidni enim confitear?), non solum quum sana temere tentantur aut manifesto prava contorte defenduntur, sed etiam quum in eiusmodi locis, qualis est ille, ut hoc potissimum exemplo utar, in oratione pro Sestio c. 7, 15 (*Fuerat ille annus iam in re p., iudices, quum* cet.), vulnere nudato, demonstratis codicum vestigiis, emendandi via certis notis indicata, ipsa emendatione lenissime perfecta, tamen, quod percrebruit, corruptum locum esse, convolant undique et omnis illius demonstrationis obliti temere et sine discrimine nunc hoc, nunc illud arripiunt et in omnes partes iactant.

Quæ tertio loco posita est disputatio de Ciceronis libris de legibus emendandis, eam pæne lætor ante typis repetitam fuisse, quam Iani Bakii, V. Cl., editio illorum librorum in

manus meas veniret. Eæ enim sunt viri clarissimi eruditionis et elegantiæ laudes, eo me iudicii verborumque honore prosecutus est, eam mihi benevolentiam re et factis præstitit, ut contra eum sæpius disputaturus sine animi molestia non fuerim; ac tamen, ne diversæ viæ ac rationes confundantur, dissimulare non possum neque debeo, aliquanto alia, atque Bakius hic et in scholicis hypomnematis usus est, formula regendam mihi artem criticam videri quum in mendis coarguendis et correctionis necessitate demonstranda, tum in emendationis exquisitione intra certos fines codicum vestigiis terminatos cohibenda, postremo in veris firma ac certa nota comprehendendis. Non libenter hæc dico; sed criticæ non superstitiosæ causam mihi agendam sumpsi; nihil possum pati adiungi ei causæ, in quo libertas vel minimum ad licentiam inclinare videatur.

Scrib. Haun. prid. Cal. Nov. a MDCCCXLII.

I.

De L. Apuleii fragmentis de orthographia nuper inventis.[1])

Institutum est more maiorum et iam ipsa vetustate quasi sanctum, ut academiæ, quoties in publicæ lætitiæ societatem veniant festosque cœtus concelebrent, id quod nostra academia intra paucos dies summo et iure et voluntate faciet, studiosos litterarum homines ad eos conventus frequentandos editis commentationibus invitent. Quarum argumenta qui ad ipsas lætandi causas similitudine aliqua et opportunitate accommodant, faciunt sane eleganter, quod ad earum rerum tractationem animos vocant, ad quas ipsi proni sunt; sed tamen non tam mihi hoc necessarium videtur esse, ut aliter fieri nullo modo possit. Nam quum id mihi hic mos significare videatur, magnam et publicam lætitiam, in hominibus præsertim litteratis, non desidem et frivolam esse, sed in ipso labore et iis studiis, quæ quum gratissima sint, non lætitiæ causa ex animis tanquam graves curæ deponantur, alacritatem quandam animis afferre, ita ut fructus quoque studiorum libentius tum proferantur, eam significationem P. 1 ed. prioris.

[1]) Scripta disputatio a. MDCCCXXIX æstate, quum vota pro felici coniugio principum celsissimorum, Frederici Ferdinandi et Carolinæ, regis augustissimi filiæ, in cœtu academico concipienda erant, Birgero Thorlacio, qui programma scripturus erat, subita morbi vi afflicto.

2 tueri posse videtur vel aliunde sumptum argumentum; deinde, si quis munerum offerendorum similitudinem aliquam in hoc more inesse iudicat, voluntas quidem certe, quæ in munere maxime spectari solet, apparet, si, quum splendida et ad præsentem lætitiam aptissima non possimus, ea tamen præbemus, quæ nobismet ipsis grata ac iucunda sunt. Accendi autem ad gaudendum animi huiusmodi scriptis num possint, nescio; opus quidem hercle hoc tempore non est. Itaque sive hæc vera sunt, facilius non improbabitur, sive falsa quadam opinione id, quod efficere non possumus, non omnino necessarium esse nobis persuasimus, condonabitur, quod, quum gravi collegæ præstantissimi casu ad nos præter exspectationem hoc munus delatum esset, ut festo conventui, in quo pro nuptiis auspicatissimis celsissimorum principum academia nostra vota publice susceptura esset, proluderemus, in summis temporis angustiis tenuem nec tamen, ut opinamur, nostrarum litterarum studiosis inutilem nec, si grammatici nomen non pertimuerint, iniucundam materiam delegimus. Quum enim inter ea inventa, quibus nostro tempore antiquæ litteræ auctæ sunt, unum quoddam deprehendere mihi visus sim a ceteris valde abhorrens et perspicuis fraudis ante aliquot sæcula commissæ notis inustum, idque specie ipsa parvum, sed tamen, nisi quale sit declaretur, aliquando nociturum sit, eum errorem tollere decrevi. Sed quoniam hoc inventum ipsumque opusculum, de quo agetur, nondum admodum celebratum est, breviter antea narranda causa videtur.

Quum constaret, in bibliothecis quibusdam Apuleii, obscuri hominis, Latinos de orthographia libellos servari[1]), complures
3 quoque ex Cæcilii Minutiani Apuleii de orthographia opere locos, eruditionis non vulgaris opinionem excitantes, ante hæc tria sæcula Cælius Rhodiginus in antiquarum lectionum libris, unum Achilles Statius ad Catullum laudasset, nonnullos alii a Cælio sumptos in sua scripta transtulissent[2]), Angelus Maius, Vaticanæ bibliothecæ præfectus, de ea re diligentius quærere aggressus.

---

[1]) Vid. Fabr. Bib. Lat. ed. Ern. III p. 41.

[2]) Gyraldus, Ursinus, Erythræus, L. Carrio; vid. præfatt. Maii et Osanni mox commemorandæ, et de Statio Osann. p. 68. De Io. Tortellio dicetur postea.

in bibliotheca Richardiorum Florentiæ, mox in Vaticana libellos duos exiles Apuleii nomine inscriptos repperit, eosdem, quos pro uno Fabricius commemorarat, de nota aspirationis et de diphthongis, neque antiqui admodum scriptoris neque eorum quicquam continentes, quæ Cælius sub Apuleii nomine posuerat, nisi duos non magni momenti locos. Postea autem quum bibliothecæ Vallicellianæ apud S. Philippum in urbe Romana codices perlustraret, ipsius Achillis Statii, Lusitani, manu perscripta repperit L. Cæcilii Minutiani Apuleii de orthographia trium librorum fragmenta, ea ipsa, quibus Cælius usus erat, quanquam in imperfecto Statii codice non omnia, quæ ille protulerat, exstabant. Hæc Maius quum plena scriptorum veterum nominibus vidisset et eruditionis copia, hunc verum Apuleium ratus, alterum illum, cuius antea libros viderat, falsum, primum mentionem inventi a. 1820 in Ephemeridibus Arcadicis fecit, deinde a. 1823 ipsa fragmenta iuris anteiustinianei fragmentis aliisque scriptis adiuncta edidit.[1]) Perlata in Germaniam tribus annis post Fridericus Osannus, professor Gissensis, crebram maxime scriptorum antiquorum a ceteris 4
raro aut nunquam commemoratorum mentionem admiratus, typis repetenda curavit, copiosasque animadversiones addidit; alteros quoque illos libellos de nota aspirationis et de diphthongis, quorum scriptorem ex alterius opere suorum partem hausisse cum Maio[2]) iudicabat, e duobus bibliothecæ Guelferbytanæ codicibus edidit.[3]) Quis autem fuisset aut quando vixisset hic L. Cæcilius Apuleius, quem Osannus maiorem appellavit, ut ab altero minore distingueret, neque Maius neque Osannus constituere potuit. Hic tamen (nam Maii incredibilem errorem postea ab ipso magna ex parte abiectum[4]) omitto)

---

[1]) *Iuris civilis et Symmachi Partes. C. Iulii Victoris ars rhetorica. L. Cæcilii Minutiani Apuleii fragmenta de orthographia, cum appendicibus et tabulis æneis, curante Angelo Maio. Romæ MDCCCXXIII.* 8.

[2]) Vid. præf. Maii p. XXXIV Os.

[3]) *L. Cæcilii Minutiani Apuleii de orthographia fragmenta et Apuleii minoris de nota aspirationis et de diphthongis libri duo. Edidit et animadversionibus auxit Fridericus Osann, prof. Giss. Darmstadii 1826.* 8. mai. Huius editionis, in qua insunt integræ Maii animadversiones, paginæ a me citantur.

[4]) Præf. p. XXXI sqq. not. p. 36.

Apuleium, quum et Stephano Byzantino, qui exeunte sæculo quinto vixit, teste usus sit, neque ipse Cassiodoro, de orthographia scribenti, notus fuisse videatur, brevi post Cassiodorum extremo sæculo sexto vixisse putat.

Ipsa ea, quæ edita sunt, Osannus maioris operis reliquias esse statuit[1]), quod plenius habuerit Cælius Rhodiginus; Io. quoque Tortellium Arretinum[2]) in *commentariis de orthographia dictionum e Græco tractarum* eo opere usum esse putat, et ex eius libro copiose fragmenta suppleri posse, in quo insigniter virum doctum falli postea apparebit. Grotefendus autem, Osanni editionis censor[3]), excerpta hæc esse e maiore opere ab ipso Achille Statio credit; alia excerpta Cælium habuisse, cuius quod exemplar multa tamen habuisse dicit, quæ in editis non reperiantur, id si putavit ideo accidisse, quod Statius in excerpendo omiserit, oblitus est, codicem Statii imperfectum esse; omnino autem unde hoc de fragmentis a Statio *excerptis* sumpserit, ignoro; nam eius rei adeo nullum est vestigium, ut in toto libello non Statium, sed ipsum scriptorem loquentem satis plane audias; ipsumque fragmentorum, non excerptorum nomen præpositum codici ostendit, Statium mutilum et decurtatum codicem, qualem suum Cælius appellat[4]), habuisse et descripsisse; nam illud non ostendam, quoniam totum hoc concidere postea videbimus, Achillem Statium non has res neque hoc modo fuisse excerpturum. Ipsius operis Grotefendus tres putat fuisse libros, de nota aspirationis, de diphthongis, de geminatione litterarum, sed in libro de diphthongis alia quædam adiuncta fuisse præcepta; ex his ea, quæ supersunt, confusa esse; quæ sane tanta esset confusio, ut nesciam, qui in mentem venerit viro docto, Achilli Statio tam stultum et inconditum excerpendi ordinem tribuere. Alterum Apuleium ideo tantum hoc nomine appellatum credit, quod ex superioris et veri Apuleii libro sua corraserit. Alius editionis Osanni cen-

---

[1]) Præf. p. XIV.

[2]) Fuit hic bibliothecæ Nicolai Vti, pont. max., præfectus; mortuus est a. 1466. Plura de eo tradit Apost. Zeno Dissertatt. Vossian. T. I p. 146 sqq.

[3]) Ephemerid. litt. Hal. 1827 n. 275.

[4]) Antt. Lectt. XXXIV, 4 in Maii præf. p. XXXIX.

sor[1]) et libellos illos de nota aspirationis et de diphthongis et hæc fragmenta unius esse scriptoris putat, qui post a. 1327 vixerit; fragmenta autem excerpta esse ex antiquiorum grammaticorum libris aut interpretum, maxime Virgilianorum, com- 6
mentariis. Qui quemadmodum sibi persuaserit, illo tempore scriptos esse posse libellos illos, aut ab eodem homine de eodem argumento tam diversa ratione et copia et eruditione, aut in quibus grammaticorum et interpretum scriptis eas res, quæ in his fragmentis sunt, fuisse putaverit, nescio. Et tamen, quod post a. 1327 scripta fragmenta illa existimavit, in eo recte rationem habuit fragmenti a Cælio Rhodigino positi. Is enim (Antiqq. Lectt. XIX, 10) hæc scripsit: *Quanquam alii, quod Eustathius scribit, a Combe puella, Chalcidis cognomento, Asopi filia, duci vocabulum putant, cui æneæ armaturæ inventionem acceptam referunt. De qua intellexisse Ovidium arbitrantur Metamorphoseon septimo*

Adiacet his Pleuron, in qua trepidantibus alis
Ophias effugit natorum vulnera Combe.

Quam Iamben transtulit Planudes, uti meminit Cæcilius Minutianus Apuleius.[2]) Et exstat id nomen in Græca Maximi Planudis metamorphoseon interpretatione a Boissonadio Parisiis 1822 edita (lib. VII, 383). Maximus autem Planudes ineunte sæculo XIV vixit, et anno 1327 ad Venetianos legatus missus est.[3]) Ex quo facilis est de ætate scriptoris interpretationem eius commemorantis coniectura. Ac Maius quidem et Osannus falsam hanc Apuleii commemorationem putant; sed quum ipsa de Planude res verissime tradita sit, in auctore eo minus credibile est Cælium errasse, quod multa similia ad mythologiam 7
spectantia in editis fragmentis reperiuntur.[4]) Neque tamen

---

[1]) Schulzeitung, Literaturbl. II. N. 37. 1827. Novi tantum ex Bæhrii Hist. Lit. Rom. p. 544 (p. 735 ed. 2). Ipsas enim illas ephemerides frustra in nostra urbe quæsivi.

[2]) Integrum locum posui, ut appareret, non probandam esse Maii (præf. p. XXVIII not.) suspicionem de interpunctione mutanda. Manuelem Planudem bis appellat Bæhr (p. 119. 120; 173. 174 ed. 2) pro Maximo, errore, ne quis duos homines a nobis confundi putet.

[3]) Vid. quos laudat Saxe in Onomast. lit., qui hunc ipsum annum Planudis nomini præposuit.

[4]) Quum Maius dixisset, fortasse hoc Cælium ex alterius Apuleii libello sumpsisse, Osannus editos Apuleii minoris libellos eam suspicionem

minores erunt difficultates, si hoc tempore vixisse Apuleium illum posuerimus, ac potius, ut paulo post patebit, multo oborientur maiores. Est autem quæstio hæc non negligenda; quanquam enim fragmenta vix undecim paginas (tot enim sunt) implentia grammatici, ut omnes confitentur, Cassiodoro recentioris, de orthographia scribentis, vix magni momenti esse posse videntur, tamen huius opusculi singularis est ratio, primum, ne res mythologicas commemorem, quod insignis veterum scriptorum ab eo laudatorum copia per se ipsa ad historiam litterarum antiquioris ætatis augendam valere videtur (etsi sola fere hominum et librorum nomina lucramur); ex quo fit etiam, ut Apuleii huius nomen iam non infrequens sit in recentissimis scriptis ad hoc genus pertinentibus, ut in Bæhrii, aliorum; deinde etiam propter aliam quandam causam. In eorum enim temporum historia, quorum litteræ non propria quadam ubertate se sustentarint et floruerint, sed, languente iam ingeniorum vi, una conservatione et tractatione superioris ætatis ingenii monumentorum barbariem ingruentem aliquamdiu propulsarint, qualia constat fuisse extrema imperii Romani occidentalis tempora et quæ proxime eius eversionem secuta sunt, perutile est et necessarium non solum, quid ab ipsis eius ætatis hominibus effectum sit, quærere, sed illud quoque attendere, quibus quasi gradibus sensim primum rariora facta sint, deinde e manibus hominum erepta et in tenebricosos angulos contrusa, tum deleta prorsus et sublata illa veterum monumenta; in quo nunc alia est, typographica arte inventa, ratio, non ita evanescentibus statim et intereuntibus, quum legi desiti sunt, libris, ut olim solebant. Itaque ad hanc rem nescio num satis semper attenderint homines docti; sed tamen id omnes norunt, ex grammaticorum Latinorum et aliorum scriptorum libris apparere, iam sæculo quinto minui cœptam veterum librorum et copiam et usum, sæculo autem sexto sum-

---

tollere iudicavit. Quum tamen statim expositurus sim, libellum de diphthongis non plenum esse editum, ne quis putet ex ea parte, quæ edita non sit, id Cælium sumere potuisse, monendi, qui hæc legent, videntur, in libello de diphthongis nullum omnino Iambes commemorandæ locum fuisse; deinde nihil huiusmodi ab illo scriptore extra vocabulorum scripturam notari; denique illum certe Apuleium, ut mox dicam, Planude multo esse priorem.

mam esse factam in hoc genere in ipsa Italia eversionem veteris copiæ et eruditionis, id quod planissime Cassiodori scripta declarant. In hac autem tota disputatione quantam paucæ hæ Apuleii paginæ vim habituræ sint, non est difficile intelligere, quæ inferiore tempore non eorum modo veterum librorum, qui a doctissimis sæculi quarti grammaticis legebantur, sed aliorum rariorum et ne his quidem usurpatorum cognitionem et usum fuisse videantur ostendere. Quæ quum ita sint, videtur sane, quum ea sit, quam dixi, obscuritas in hoc opusculo, diligentius de eo quærendum. Verum ea quæstio hunc habebit eventum, ut intelligamus, lusos esse viros doctos ab improbo impostore et hæc fragmenta stulta atque aperta fraude recentissima ætate conficta esse et totam illam veterum scriptorum commemorationem mendacio conflatam. Quod ut plane et perspicue exponatur, de libellis de nota aspirationis et de diphthongis prius pauca dicenda sunt, quos pluribus post Priscianum et Cassiodorum sæculis scriptos esse satis constat tum ex exili rerum tractatu, tum ex scriptoribus laudatis, Isidoro et Gregorio, maxime vero ex iis, quæ de nominibus quibusdam nuper a barbaris et Transalpinis ad Italos importatis eorumque scribendorum ratione traduntur.[1]) Sed iidem loci ad infimam partem mediæ ætatis, cuius ne alia quidem ulla nota deprehenditur, hos libellos referre plane vetant. Argumentum autem, sumptum ex iis locis, quos scimus studiose tractatos ab orthographis illius ætatis esse, ordine ad litterarum seriem fere accommodato, de singulis vocabulis præcipiendo, sine ullo rerum alienarum ornatu, nulla affectata eruditionis specie, absolvitur; in quo tamen miror, Osannum

---

[1]) Cfr. Maii præf. p. XXXIII. Heinrici et Humberti nomina *moderno* a Transalpinis accepta dicit p. 112, Rainaldi, Aimonis, Volderici, Vazzonis, Vidonis p. 121, ubi *famosos sui temporis homines Guazzo et Guido scribere, plerosque autem duo uu, quod omnino ratione careat,* annotat. Difficile est, mihi præsertim, in re diplomatica Italiæ non versato, quando ita scribi cœptum sit, constituere, sed tamen videntur hæc ad decimum vel undecimum sæculum spectare; extrema medii ævi sæcula omnino excludunt. Est etiam aliqua temporis nota in iis, quæ p. 113 de *michi* et *nichil* scribit, quæ *moderno* usu recepta improbat. Est hæc scribendi ratio non ita recens; vid. Nouv. traité de diplomat. T. IV p. 507.

non animadvertisse, libellum de diphthongis non plenum a se editum esse; nam quum scriptor p. 122 proposuisset, se de *ae* primum, deinde de *oe* tractaturum esse, disputationemque de *ae* in tres partes distribuisset, eam partem, quam de diphthongo in principali dictionum syllaba esse posuit, perficit, duæ alteræ et de *oe* diphthongo præcepta desiderantur. Scriptor in codicibus simpliciter Apuleius nominatur. Auctoribus præter Varronem utitur Prisciano et Isidoro.

Fragmenta autem maioris illius Apuleii habent farraginem observationum de vocum quarundam scribendarum ratione, quæ quo ordine positæ sint, quo vel tenuissimo vinculo contineantur, nemo expedire potest; maxima tamen pars est nominum geographicorum, historicorum, mythologicorum, de quibus obscuras et abstrusas magna ex parte res narrat, magno auctorum undecunque numero laudato; quod ipsum primum tale est, ut ab omni more grammaticorum Latinorum orthographiam tractantium abhorreat; deinde quo quis talia consilio sive scripserit sive excerpserit, intelligi nullo modo potest, neque qui casus diversissimas has res in unum locum coniecerit. Nonnullæ vero observationes adeo sine sensu sunt, ut prorsus appareat, tantum scriptoris citandi causa positas esse, ut § 42 inter præcepta nominum scribendorum ponitur: *Au diphthongus. M. Fontanus in nympharum satyrorumque amoribus libro III*, belleque, *au* diphthongum esse, probatur uno poetæ loco, quum, si apud quem non reperiretur, miraculum esset. Omninoque perspicuum est, orthographica posita esse, ut alias res narrandi occasio esset. In ipsis autem, quæ ponuntur, nonnulla sunt cum iis, quæ in libellis illis alterius Apuleii traduntur, consentientia, quæ, quod hic doctior videbatur, ille ab hoc sumpsisse creditus est a Maio et Osanno; si quis autem paulo diligentius attenderit, ea omnia reperiet in illius Apuleii libellis ita posita, ut ceteris similia sint et apte cohæreant, in huius autem fragmentis aut tenuitate sua a ceteris discrepare, ut appareat tantum spatii explendi causa interiecta esse[1]), aut nominibus quibusdam scriptorum additis

---

[1]) Cfr. *hedera, æs, halo, ævum, hostium* in fragmentis p. 10, 11, apud alterum p. 94, 129, 89, 130, 108.

fucatum splendorem accipere.[1]) Magis etiam apertum est, Tortellium, quem Osannus putat ab Apuleio illo maiore multa sumpsisse, nullum nisi alterum illum habuisse; nam et semper Apuleium, nunquam Cæcilium Minutianum appellat, et eius 11
librorum locos permultos respicit[2]); contra in iis locis, qui cum fragmentis consentiunt, nullum grammatici nomen ponit, non profecto magis hic omissurus quam in illis, si ab hoc Cæcilio sumpsisset.[3]) Ac si qua superest dubitatio, plane eo tollitur, quod Tortellius, quum ipse quoque, ubi de personarum locorumque nominibus exponit, mythologica et historica et alia huiusmodi studiose admisceat, nusquam omnino Apuleianis illis fragmentis aut scriptorum rarorum magno numero hic citatorum testimoniis utitur, sed notis et communibus, ut statim in Busiride Cæcilius hic Charontem, Pherecydem, Homerum minorem, Nasonem, Calvum, Lucretium, Diodorum, Lucilium, Cornelium Rufum citat magno cum strepitu[4]), ut notissimam rem decem verbis comprehensam confirmet (etsi in nomine Epaphi filiæ, Busiridis matris, a vulgari fama discedit); Tortellius[5]) Ovidium, Virgilium, Servium, Isocratem, Herodotum, Diodorum Siculum laudat et ex iis fabulam enarrat. Similia in Pyrrho et aliis animadverti possunt. Itaque tantum abest, ut a fragmentorum auctore quicquam Tortellius sumpserit, ut, si quæ admodum similia sunt, ut de Menœtio,[6]) aliis, ea ille a Tortellio sumpta exornasse putandus sit.

Sed præcipua et clarissima argumenta nascuntur ex ea ipsa re, qua hæc fragmenta excellere putantur, ex scriptorum laudatorum multitudine; in qua re tam multa mirabilia et perversa sunt, ut, fraus quomodo latere potuerit, vix intelligas. 12
In libello orthographico undecim paginarum scriptores citantur fere centum et duodecim, citanturque non scribendi rationis testes, sed rerum mythologicarum et similium; congeruntur in unum Græci et Latini; insunt scriptorum nomina antea nunquam audita, Homeri minoris, Cornelii Rufi, T. Veracis, Me-

---

[1]) Cfr. *æternus* et *Æas* in fragm. p. 11, 13, apud alterum p. 130, 126.

[2]) Vid. quæ citat ipse Osannus p. 91, 131, 136, 137, 139, 140.

[3]) Vid. apud. Osannum p. 64, 65, 73, 76, 77.

[4]) P. 3.

[5]) In editione, qua utor, Venet. 1495, folia non numerantur.

[6]) § 32.

thymii, Herophili, Poligni, Herodii, Carmenidis; alii nomina tamen habent audita antea inter scriptores, ceterum qui sint. non magis intelligitur, Polycarpus, Maximus, Marcianus, Linus Aristophanis interpres, Heraclitus, Serapion Rhodius; alii, quorum memoria singulis vetustissimorum scriptorum locis continebatur, operum nomina non exstabant, quos nemo a Quintiliano, nedum a grammaticis recentioribus lectos putabat, hic tanquam choro facto aures librorum titulis circumsonant; notorum scriptorum nova opera citantur, ut Varronis Atacini bellum Punicum, Luciani philosophus barbatus; a Latino grammatico Græcorum poetarum, Aristophanis et Pindari, scholiastæ, cuius rei nullum antea exstabat exemplum, appellantur.[1]) Novitatis quidem hoc satis, ut, qui in libris Ciceronis de republica et aliis inventis parum multa nova esse questi sunt, hunc possint habere novorum fontem largissimum; neque dispersa hæc sunt, sed in una sæpe re plura quam in aliorum scriptorum integris libris nova aut pæne nova nomina, ut in Anii historia[2]) Polycarpi, Alcimi, Maximi, Proculi, Gracchi, Fontani, Melissi; interdum quidem accedit etiam in rei et scriptoris coniunctione novitas, velut quum Lucretius[3]) in primo
13 libro de Busiride scripsisse dicitur, in quo nihil huiusmodi est, aut quum de flumine Allia scriptor Ulixis testis laudatur.[4]) Hæc singula si excutiamus accuratius, inutilem operam sumamus; satis erit unam præcipuam partem fraudis diligenter coarguere, si antea aliam rem non minus miram attigerimus. Nam in hac tanta scriptorum laudatorum copia, qui omnes ita citantur, ut verba ipsa positurus scriptor videatur, quinque omnino nova fragmenta veterum scriptorum sunt, primum Heracliti, ignoti scriptoris, prosa oratione, secundum Titinii, et tertium Turpilii, comicorum, quartum Ennii, quintum Lævii sive Nævii, poetæ[5]); pro reliquis omnibus scriptorum locis vacua spatia in Statii codice erant. Id Maius[6]) accidisse putat

---

[1]) Paginas in his singulis laudare nolui, quæ in indice Osanni reperiri possunt.

[2]) P. 4.

[3]) P. 5.

[4]) P. 3.

[5]) P. 8, 5, 7.

[6]) Præf. p. XXX.

propter morem librariorum, ubi testimonia et auctoritates pro-
ferrentur, spatia relinquentium, ut postea coloratis ductibus
adscriberentur, quod sæpe neglectum sit; præterea morem
fuisse Latinorum librariorum Græca omittendi, ut ab homine
Græce perito supplerentur. In qua disputatione alterum ridi-
culum est de Græcis, quum de Latinis verbis omissis agatur,
alterum in grammaticorum quidem libris describendis, in
quibus omnia in testimoniis posita sunt, factum unquam esse,
neque exemplis ostendit neque potest ostendi, et, si posset, in
hac quæstione nullam vim haberet; unde enim tum quinque
illa fragmenta? Scilicet ei, qui hæc consarcinavit, scriptorum
nomina congerere aut fingere non difficile erat, fragmenta ipsa
componere, ut vel minimam speciem haberent, plus operæ
postulabat. Neque non in iis, quæ posita sunt, fraudis vestigia
patent. De Heracliteo postea dicetur; Titinii sensum non
habet; sed corruptum dici potest[1]); Turpilii autem quæ po- 11
nuntur verba, eorum prior pars, quæ apud Nonium exstat,
sensum et rectum et facilem habet; quæ adduntur, neque in
metrum cogi possunt, neque ullo modo sensu cum superioribus
cohærent; depravatus autem esse locus non potest: nam per
se verba aptissima sunt ad id, cuius causa proferuntur; Nævii
denique (nam in Enniano nihil offendit) versum posuit

Panditur interea domus altitonantis Olympi,

satis notum, ut quem iam Cælius Rhodiginus Antt. Lectt. XX.
13 protulerit, postea multi adhibuerint ad Virgilii Æneid. X. 1:

Panditur interea domus omnipotentis Olympi,

in quo versu quum offensioni esset *Olympus omnipotens*,
fuerunt, qui *Olympi* vetere genitivi forma pro *Olympii*, id est
Iovis, dictum contenderent, aut ipsum Iovem Olympum dici.
Ad hæc igitur confirmanda hic est confictus Nævii versus.
Confictus, inquam; primum enim, quum Nævium heroico versu
non usum constet, Osannus *Lævii* nomen substituere cogitur;
deinde iure Heynius miratur, cur Virgilius, quum alieno versu
uteretur, unum vocabulum idque non minus aptum mutaverit;
denique valde dubito, num quis unquam in adiectivo hac usus
sit forma genitivi; in Virgilii versu interpretando nihil profici
hoc artificio propter alterum locum XII, 791, in quo *rex omni-*

---

[1]) Corrigere voluit Grotefendus l. c. p. 527.

potentis Olympi dicitur, notum est. Præter hæc a Cælio X, 18 ex Apuleii libro profertur epigramma Nævii, quod exstat apud Gellium I, 24, et VII, 4 versus scholasticus de etymologia nominis Virgilii poetæ Calvi, quo nomine a grammaticis semper intelligitur C. Licinius Calvus orator et poeta Ciceronis fere
15 æqualis et Catulli amicus, ante Ciceronem mortuus[1]), qui de Virgilii fama ne somniavit quidem. Sed de scriptorum verbis ab horum fragmentorum auctore citatis satis dictum est; redeundum est ad ipsos scriptores, neque tamen omnes persequendi.

Satis constat, Augusto imperante, præter magnos illos et claros poesis Latinæ principes infinitam quandam, ut fit, turbam exstitisse eorum, qui eandem laudem assequi conarentur; qui, quum eorum opera aut apud æquales viguissent aut amicorum certe et eorum, qui severi esse nolebant, laudibus non caruissent, apud posteros tamen, si paucos exceperis, Pedonem, Domitium Marsum, similes, memoria non floruerunt. Itaque ex iis, quos Ovidius in epistolis ex Ponto et Tristium libris summis laudibus persequitur, nonnulli ne uno quidem alius scriptoris loco hactenus commemorabantur, alii uno et altero proximæ ætatis scriptorum. Horum scripta nemo a Quintiliano et eius æqualibus lecta et in studiis tractata existimare potest, ab inferioris ætatis grammaticis tantum abest, ut lecta sint, ut tum maximam partem ne superfuisse quidem probabile videatur; ac si superfuissent, in mentem tamen nemini venisset iis uti in scholis, in quæstionibus grammaticis, in poetarum nobiliorum enarratione. Versabantur enim in scholis et in manibus certi scriptores, qui magnam auctoritatem cito consecuti hunc locum antiqua possessione retinebant, pro quibus ignotos illos nemo revocaturus erat. Itaque ne in commentariis quidem grammaticorum in Virgilium, ut hoc attingam, ulla fuit unquam Tusci, Lupi, huiusmodi quisquiliarum mentio. Post Cassiodori vero ætatem si quis horum unius
16 locum non ab alio sumptum, sed in ipso libro lectum citaverit, mirum videri debet, si plurium scripta, suspectum.

Sed multo mirabilior res est in Apuleianis his fragmentis. Ovidius lib. IV ex Pont. ep. 16 septem et viginti poetas æquales suos enumerat, inter quos se quoque clarum fuisse minime

[1]) Cic. Brut. 81, 280.

morosus ingeniorum censor scribit; ex his, quorum haud pauci a nullo alio scriptore nominantur, non minus quam viginti tres Apuleius testes citat; in nonnullis quum apud Ovidium librorum tantummodo argumenta significentur, nominibus omissis, hic, additis nominibus, titulos ad eas significationes aptos deprehendimus. Tam mirabilem consensum si quis casu ortum putat, multum sane casui tribuit. Sed si in ipsis nominibus hominum liborumque multa confusa, perversa, falsa esse docuero, nemo erit, quin confiteatur, hominem non indoctum, renascentibus litteris, arreptis ex Ovidii epistola scriptorum nominibus, librorum nunquam a se visorum titulos aut aliunde addidisse aut confinxisse.

Primi apud Ovidium (v. 5, 6) Marsus, Rabirius, Macer, Pedo nominantur, quos omnes Apuleius laudat[1]); in Rabirio operis titulum, apud Ovidium non significatum, ne aliunde quidem pro certo notum, non posuit. Macri, quem Ovidius Iliacum appellat, bellum Troianum citat, parum ad usum illius ætatis accommodatum nomen, quum præsertim Macer Antehomerica et Posthomerica scripsisse videatur.[2]) Sequitur apud Ovidium (7):

Et qui Iunonem læsisset in Hercule, Carus,
Iunonis si non iam gener ille foret.

Hinc apud Apuleium p. 9 § 27 citatur *Carus in Hercule.* 17
Proximus est Ovidii versus:

Quique dedit Latio carmen regale Severus;

quem versum, comparatum cum initio epistolæ secundæ huius libri, multi, ut Heinsius, de tragœdia intelligunt, aliis dubitantibus[3]); ex quo in Scriverii indicem tragicorum relatus est Cornelius Severus, ad quem illa epistola scripta putatur. Apud Apuleium laudatur p. 9 § 28: *Cassius Severus in IV tragœdia*, inaudito tragœdiæ citandæ modo. Osannus tamen id refert ad Cassium Severum Parmensem, quem tragœdias scripsisse, solo scholiastarum ad Horat. Epp. I, 4, 3 testimonio

---

[1]) P. 7, 5, 8 (Macrum et Pedonem, ut apud Ovidium, coniunctos).

[2]) Cfr. Wernsd. Poet. Lat. Min. vol. IV p. 578 sq. Henrichsen de carmin. Cypr. p. 99, qui recte graves Osanni, duos Macros confundentis, errores notat.

[3]) V. c. Funcc. de virili ætat. L. L. I p. 287. Schœll. hist. abrégée de la litt. Rom. p. 250.

confirmatur. Sed quod hunc, qui bello civili periit, recentiores Severum appellant, error est, relictus ex eo, quod olim hunc cum Cassio Severo, nobilissimo Augusti et Tiberii ætate oratore[1]), confundebant; qui error quum sublatus pridem sit a Ruhnkenio[2]), male faciunt, qui, hunc in ceteris secuti, Cassio Parmensi Severi nomen, a nullo veterum ei tributum, relinquunt.[3]) Restat igitur alter ille Cassius Severus, quem poesin attigisse nemo veterum in frequentissima eius mentione tradidit. Apparet, opinor, scriptorem ex Ovidii loco male intellecto, quum pro Cornelio Severo Cassium significari putasset eumque vulgari errore cum Parmensi confudisset, hunc Cassium Severum tragicum effecisse. At § 30 Cornelius Severus bello Siculo apud Apuleium laudatur. Scilicet statim alio exemplo videbimus, hunc hominem ex uno Ovidii loco, cuius incerta esset sententia, duos effecisse scriptores. Sequitur apud Ovidium v. 10:

Et cum subtili Priscus uterque Numa.

Priscorum neuter in fragmentis commemoratur, nisi quod p. 7 § 16 pro *Crispus* Grotefendus *Priscus* corrigebat. Sed ex *subtili* Numa ortus est p. 9 § 26 *Numa in dogmatum philosophiæ libro tertio*, prorsus ridiculo poematis nomine. Proximis versibus 11 et 12 Montanus commemoratur, qui versus quum poematum nomina non significarent, apud Apuleium p. 8 § 19 *Montanus* nullo addito scripti nomine citatur. Deinceps apud Ovidium quattuor sunt de Sabino versus, quorum duo extremi:

Quique suam Trœzena imperfectumque dierum
Deseruit celeri morte Sabinus opus.

Itaque apud Apuleium eodem, quo Montanus, loco laudatur *Sabinus in Trisene*.[4]) Sequuntur apud Ovidium vv. 17, 18:

---

[1]) De eo vid. Schulz. ad Dialog. de causis corrupt. eloqu. p. XIX. Spalding ad Quint. VI, 1, 43.

[2]) Ad Vell. Paterc. II, 88, 1.

[3]) Id præter Osannum e recentioribus faciunt Passow, Grundzüge der gr. u. röm. Litteraturgesch. p. 71 ed. 1 (nam secundæ inspiciendæ nunc copia non est). Schœll. hist. de la litt. Rom. 1 p. 211 not., Bæhr Gesch. d. r. Litt. p. 87 ed. 2. Rectius Spalding, vir in primis diligens, ad Quintil. V, 11, 24 et Lange Vindic. Tragœd. Rom. p. 10.

[4]) Vix credibili errore Osannus cum Sabino poeta, Ovidii amico, quem Amor. quoque II, 18, 27 sqq. celebrat, cuiusque tres epistolæ Ovidianis

Ingeniique sui dictus cognomine Largus,
Gallica qui Phrygium duxit in arva senem,

quos interpretatus Apuleius eadem pagina § 18 citat *Valerium Largum in Antenoris erroribus*; eodem modo, quos proximos posuit Ovidius v. 19, 20, Camerino et Tusco p. 7 § 16 et 15 19
opera assignavit, huic quidem ridiculo titulo, *in Phyllidis suæ amore*, quod apud Ovidium erat *sua Phyllide*; videtur autem Ovidius Phyllidem Thraciam Tusci carminis argumentum significare, non, ut intellexit hic homo, puellam ab ipso Tusco amatam. Qui sequuntur versus 21 et 22, de P. Varronis Atacini Argonauticis intelligi solent, a Wernsdorfio[1]) de libris eius navalibus intelliguntur, quos Schneider M. Varronis fuisse iure videtur contendere.[2]) Sed Varro Atacinus, quem Velleius cum Lucretio coniungit, Horatius in satiris mortuum significat, Virgilius imitatus esse dicitur[3]), antiquior fuit, quam ut inter hos Ovidii æquales locum habeat.[4]) Id multo magis intelligitur ex Ovid. Am. I, 15, 21 et 22, ubi Varro Attio subiicitur, Lucretio præponitur. Itaque Cornelius Nepos in vit. Attici c. 12 *post Lucretium et Catulli mortem* scribit, eos appellans, qui nuper fuerant, Varrone, qui ætate remotior erat, prætermisso. Apuleius P. Terentium Varronem non nominato opere laudat p. 6 § 11, quod hinc an aliunde sumpserit, incertum. Sed apud Ovidium sequitur hic versus (23):

---

heroidum epistolis respondentes exstare putantur, antequam Ovidius epistolam illam ex Ponto scripsit, mortuo, confundit Masurium Sabinum, nobilissimum iurisconsultum, qui Tiberii et proximorum imperatorum temporibus floruit. Vid. quos de eo laudat Bæhr p. 554 not. 1.

1) Poet. Lat. Min. I p. 154 sqq. V, 3 p. 1387 sqq. [De eodem intelligendos esse versus, *dubio carere* putat A. Weichert, de Hostio Poeta p. 11 not. in Poett. Latt. Vit. et Carm. reliq., prorsus, quod obstat, non animadvertens nec quidquam habens, cur tam affirmanter loquatur. 1834.]

2) In Comment. de vita M. Terentii Varronis Reatini &c. Scriptt. Rei Rust. V. I P. II.

3) Vid. testimonia apud Wernsd. V, 3 p. 1398 sqq. et 1410.

4) At, si Varro non intelligatur, Wernsdorfius obiicit, mirum esse, intercidisse omnino tam eximie laudati poetæ nomen. Quid Tusco, quid Mario factum esset, si Ovidius eorum nomina pressisset et eos significasset tantum? Quis nomina divinaret?

Quique acies Libycas Romanaque prœlia dixit;

20 ex quo, quum perverse idem, qui superioribus versibus, significari putaretur, admodum suspicor exortum esse, quod p. 3 § 1 in fragmentis legitur: *Terentius Varro in Punico bello ita cecinit de Carthaginis ætate*[1], quod Varronis opus aliunde ignotum erat; etsi alia quoque male fingendi causa esse potuit ab Ovidio remota. Nam in loco Prisciani p. 877 Putsch. in antiquissimis editionibus et sine dubio in quibusdam codicibus legebatur: *Varro belli punici sequanici libro secundo*, ex quo loco ductum est etiam, quod in catalogo scriptorum M. Varronis in biblioth. Lat. Fabricii *bellum Punicum secundum* commemoratur. Ex proximo versu:

Et Marius, scripti dexter in omne genus,

effectum est p. 5 § 9: *C. Marius in variis carminibus.* Sed nusquam apertior, quanquam ubique aperta, fraus quam in iis, quæ effinxit ex versibus 25 et 26:

Trinacriusque suæ Perseidos auctor, et auctor
Tantalidæ reducis Tyndaridosque Lupus.

Nam quum hic alii unum scriptorem, Siculum, significari putarent, alii duos, cautus homo utrumque, quemadmodum supra in Severo fecit, sequi voluit. Primum quasi unus citatur p. 13 § 61: *Lupus Siculus in Menelao tragœdia*; deinde ex uno duo fiunt, primum p. 13 § 62: *Quintus Trinacrius usurpat, ut in Perseo*, tum eadem pagina § 64: *Sic illam de se et sorore ultionem scripsit Lupus Anilius. Idem scribit in Helene tragœdia.* Proximo Ovidii versu dicitur aliquis Mæoniam Phæacida vertisse, quem Tuticanum esse, ex epist. huius libri 12, 27 intelligitur. Fieri tamen potest, ut hinc natus sit inauditus ille
21 T. Verax; interpretem videtur hunc homo significare p. 5 § 6: *T. Verax in suo sive Homerico Ulixe.*[2]) Sed sequitur apud Ovidium:

et una
Pindaricæ fidicen tu quoque, Rufe, lyræ;

ex quo in fragmentis est p. 4 § 2: *Cornelius Rufus in lyricis ita subscribit* . . . . . *Idem Rufus in Pindarica æmulatione*, et iterum § 5: *Cornelius Rufus in Pindarica æmulatione*, adeo

---

[1]) Cfr. p. 7 § 14.

[2]) Cfr. p. 13 § 60: *T. Verax in Odyssea.*

inepto scripti nomine, ut nihil fingi perversius possit. Quis sit autem Rufus ille Ovidianus, ignoratur; Osannus tamen quod Cornelii nomen apud Apuleium ideo vitiosum putat, quod Iulius Antonius Rufus appelletur hic poeta, triumviri Antonii filius, hunc Iulium Antonium Rufum, ut Grotefendus animadvertit, ipse videtur confudisse ex triumviri filio et ex Antonio Rufo, quem grammaticum citant Quintilianus et Velius Longus, prætextatas et togatas scripsisse scholiastes Cruquianus ad Horat. A. P. 288 auctor est. Hunc Homerum et Pindarum vertisse Glandorpius Acronis testimonio tradidit; sed Acronis locum neque Wernsdorfius invenit neque ego invenire potui; recteque suspicatur Wernsdorfius, Glandorpium memoriæ errore id, quod ex his Ovidii versibus, quibus non vidisset duos significari, sumpsisset, ad Acronem rettulisse.[1]) Sequuntur apud Ovidium Turranius Melissus, Varus s. Varius, Gracchus, omnes in fragmentis citati.[2]) Proximus est versus 32:

Callimachi Proculus molle teneret iter,

unde p. 4 § 4 est: *C. Proculus in sua Lyde,* p. autem 11 § 43: 22
sed et C. Proculus Antimachum secutus in opere, quod de Lyde et ipse habet centum et quadraginta elegorum libris; unde latus Callimachus C. Melisso in libris iocorum dicitur, in quibus scriptor propter molle illud Callimachi iter argumentum elegiæ Græcum Proculo dedit, sed ab Antimacho, non a Callimacho sumptum, quod Osannus quum animadvertisset et docte arguisset, corrigendo subvenire conatus est. Omissis deinde duobus apud Ovidium versibus, ex versu 35:

Naidas a Satyris caneret Fontanus amatas,

apud Apuleium scriptum est p. 4 § 4: *Sed et M. Fontanus in nympharum et satyrorum amoribus* et p. 10 § 42: *M. Fontanus in nympharum satyrorumque amoribus libro III.* Capella, qui deinceps est apud Ovidium, omittitur; quem autem ultimum vehementer laudat, Cotta apud Apuleium p. 4 § 3 citatur: *Cotta in Pharsalico bello.*

---

[1]) Wernsd. Poet. Lat. Min. III p. XXX coll. IV, 585 sqq. Glandorpium, ut opinor, secutus idem tradidit Spalding ad Quint. I, 5, 43. De P. Rutilii Rufi historia Græce scripta, de qua Osannus p. 20 dubitat, dubitationem excludit Athenæus lib. IV p. 168 E.

[2]) Vid. ind. Osann.

Satis puto ex hac Ovidianæ epistolæ comparatione apertum esse, neque collecta hæc esse neque excerpta, sed, quod dixi, ficta; itaque reliquos scriptores ab hoc homine laudatos persequendos non puto.[1]) Restabat, ut in rebus ab eo traditis similia esse fraudis vestigia ostenderem, nisi id vix necessarium nunc videretur; et omnino raro res attingit, in nominibus ludens; sed tamen mirifica satis sunt, quæ de *lemulcatu* (sive *lemulcato* dici vult), sexta gladiatoris palma, tradit p. 5 § 10 et de Cadmo, qui Pyrrhi cineres dissipaverit, p. 7 § 16, et
23 ipsum, quod Pyrrhi exitum, ne quid dicam de fictis Græcorum scriptorum nominibus, a Sallustio et Lucceio narratum tradit. Nec omittendum, quod p. 6 § 12 Staphylus scriptor, qui de vini temperatione inventa aliquid tradiderat (vid. Athen. II, 6 p. 45 D), transformatur fitque ipse inventor rei. Aperta quoque fraudis vestigia sunt in iis, quæ p. 8 § 19 de Phaone tanquam a nescio quo Heraclito sumpta narrantur: „Phaon fuit amator Veneris, quem cum Mars zelotypus trucidare vellet, in blitis Venus occultavit, unguentoque plenum alabastrum illi dedit, quo hominum pulcherrimus appareret, et deus, uter vellet, videretur, Bacchus sive Apollo.“ Nam quæ de Phaone a Venere adamato et occultato, de alabastro quoque et unguento dicit, ea apud Græcos tradita fuisse constat (ex Athen. II p. 69 D, Ælian. Var. Hist. XII, 18, Serv. ad Æneid. III, 379)[2]); ultima illa de Baccho et Apolline ipse effinxit ex Ovidii Epist. Sapphus ad Phaonem v. 23, 24:

Sume fidem et pharetram: fies manifestus Apollo;
Accedant capiti cornua: Bacchus eris,

quorum versuum et illius narrationis similitudinem Osannus iure mirabatur.

Poterant et alia minora fraudis vestigia exponi, quæ, ubi semel in ea incidimus, facile est persequi, velut quod hic tam doctus grammaticus scripturam quandam se *in monumentis*

---

[1]) Quum Ovidius Trist. IV, 10, 47 Ponticum et Bassum *dulcia convictus membra* fuisse *sui* scripsisset, in aliquot autem codd. corrupte legeretur *Battus*, hinc exortus est (p. 10 § 43) *Battus iambicus poeta Ovidii contubernalis,* et ab Osanno exornatus, qui Græcum id esse nomen, non Latinum, oblitus est.

[2]) [Horum locorum indicium Osanno debetur; vid. infra. 1834.]

vetustisque lapidibus Romanorum invenisse scribit[1]), quo genere
testimonii ex inscriptionibus lapidum ducti philologi iam quinto
decimo sæculo utebantur, non veteres grammatici.[2]) Sed in
re aperta nolo longus esse. Ut enim complectar omnia, homo 24
non indoctus (talem enim ipsa fraudis ratio arguit lectique
sane Græci poetæ), quum sive animi causa (nam quædam
eiusmodi sunt, velut illud de Phaone, ut lusisse videatur),
sive quacunque alia de causa magnæ doctrinæ et, quod rena-
scentibus litteris in Italia frequens genus vanitatis erat, cogni-
tionis eorum scriptorum, qui vulgo ignorarentur et amissi
putarentur, speciem sibi induere voluisset, id ita fecit, ut,
arrepto loco de orthographia, scriptorum librorumque nomina
corraderet, multa fingeret, vera falsis misceret, nimis sane
aperte et incaute; et quum quædam orthographica ex exilibus
illis, sed non mendacibus Apuleii libellis sumpsisset[3]), nomen
quoque sibi idem fecit, sed ornatius et sonantius, L. Cæcilium
Minutianum Apuleium se appellans. Est autem tota hæc fraus
non ab illo tempore aliena. Qua enim ætate litteræ in Italia
in lucem vitamque revocatæ sunt, quis nescit, et errores multos,
quod fieri necesse erat, provenisse, et, in summo studio novo-
rum inventorum, multos abusos esse hominum credulitate
suaque commenta pro veterum operibus protulisse? Quis
ignorat, poetis Latinis subiecta carmina, Ciceroni et aliis libros
prosæ orationis ineptissimos? sub Messalæ Corvini aliorumque
nominibus editos esse de historia libros nugacissimos?[4]) Denique
vixit illa ætate Annius Viterbiensis (ab a. 1432 ad 1502). 25
Atque in hoc ipsum tempus incidit horum fragmentorum con-
fictio. Nam et doctrina fere maior quam pro priore parte

---

[1]) P. 8 § 17.

[2]) Nunc id quoque intelligitur, quomodo personæ susceptæ oblitus Planudem memoraverit. Vel potius non voluit tam antiquus videri, quam, cuiuscunque ætatis esset, illos tam multos tamque raros libros veterum scriptorum habuisse.

[3]) Apparet nunc, quale sit illud, quod Osannus præf. p. XX memorabile putat. Nam apud Apuleium de not. aspir. p. 109 scriptum est: *Ita enim effigiatur nota aspirationis.* In fragmentis p. 11 § 50 de eadem re *formari* dicitur. Scilicet grammaticus suæ ætatis more locutus est; alter, cuius tempore elegantius loquebantur, barbarum vocabulum non tulit.

[4]) Cfr. Niebuhr Hist. Rom. I p. 88 not. ed. 2.

sæculi quinti decimi et Tortellii libri, ut videtur, usus, ut post huius tempus hunc hominem vixisse putemus, facit; primus autem his fragmentis usus est Cælius Rhodiginus, cuius antiquæ lectiones a. 1516 primum editæ sunt. Ex quo fraudis commissæ tempus cognoscitur. Illud, antequam disputationem finiamus, non omittendum est, et Lilium Gyraldum, quum de his fragmentis aliquid accepisset, dubitanter de iis locutum esse[1]), et apud Maium nescio quid suspicionis simile ortum esse.[2])

Quod si quis brevius hanc a nobis causam peragi potuisse crediderit, meminerit, huiusmodi errores funditus esse tollendos, ne ad illam hominum nihil firmiter tenentium vagam opinionem delabamur, esse quidem multa in aliqua re et suspecta et falsa, sed tamen non esse veri dissimile, fieri posse, ut multa antiqua et vera lateant; deinde cogitet, si quid temporis hæc lectio abstulerit, multo plus perdendum fuisse in iis disputationibus legendis, quæ ad has nugas explicandas et cum iis, quæ vere iisdem de rebus tradita sunt, conciliandas aliquando susciperentur.

---

26 ## Additamentum.[3])

Ægre tulit Fridericus Osannus, qui Apuleianum libellum tanquam egregium ἕρμαιον ad Germanorum notitiam protraxerat, nebulam se pro Iunone amplexum videri. Itaque Apuleium suum tueri conatus est in Iahnii Annal. Philol. Vol. XIII, 3 p. 307 sqq., ita ut pleraque in misellis his fragmentis mirabilia esse confiteretur, mea autem argumenta aut non intelligeret aut alio detorqueret aut plane, si nimis ardua res esset, taceret; velut (p. 329) plane nullius momenti esse putat,

---

[1]) Locus descriptus est apud Osann. in not. ad Maii præf. p. XXIV.

[2]) In nota ultima p. 81: „de quorum tamen (fragmentorum) sinceritate idcirco vix dubito, quia Cælius Statio antiquior ad ea toties provocat."

[3]) Hæc ex libello academ. a. 1831 edito huc translata sunt.

quæ de Turranio, Melisso, Varo, Gracccho, Fontano, Cotta dixerim, quasi ego quicquam dixerim, nisi hoc ipsum esse fraudis vestigium, quod hi Ovidii amici a grammatico citarentur, nisi quod addidi, Fontani libri III nympharum satyrorumque amorum auctoritatem perlepide advocari, ut ostendatur, *au* diphthongum esse. Sed huic ego desparatæ causæ defensioni responderem aliquid, si aut plus temporis impendendum putarem impostori illi („der schnöde Betrüger Apuleius de orthographia“ iam appellatur a Bernhardyo meam sententiam secuto, Grundriss der römisch. Litt. p. 329) aut rem dubiam videri posse semel admonitis.[1]) Id tamen ferendum non est, quod me *mala fide* omisisse questus est (p. 314) de Cælio Rhodigino, quæ ipse *meis verbis* commemorata protulit (p. 309), et me doli insimulavit (p. 319), quasi negassem, *ullum* e scriptoribus ab Ovidio in Ep. ex Pont. IV, 16 nominatis apud grammaticos citari. Nam cetera non intercedo quo minus præclare disputata putet, velut quod (319) Apuleii et Prisciani veteres scriptores citandi rationem similem putat, aut quod, 27
ubi ego, *exceptis* (nam sic scripsi) *Pedone, Marso similibusque*, negavi *Tuscum, Lupum similesque quisquilias* a grammatico Latino inferioris ætatis auctores citari potuisse, opponit *Rabirium, Æmilium Macrum, Pedonem* (p. 320), aut quod me, pusillorum illorum poetarum, quos Ovidius cum paucis clarioribus in illa epistola amicitiæ causa, ut fit, laudat, opera et famam ad posteritatem pervenisse non credentem, ad Attium, Afranium, Attam, C. Fannium, Catonem, Ennium, Lucilium vocat (p. 320), *primos homines signiferosque*, ut ait ille ipse Lucilius, aut quod narrat, *fieri tamen potuisse*, ut tres essent poetæ, Q. Trinacrius, Lupus Siculus, Lupus Anilius, ut non fraudi debeantur mira hæc ex Ovidii vv. 25 et 26 quasi pullulantia nomina (p. 326), aut quod *dogmata philosophiæ* non putat ridiculam esse poematis plurium librorum inscriptionem (nam epigrammatis Gœthiani esset non inepta) (p. 324), aut quod ineptissimum poematis nomen, *Pindaricam æmulationem*, ita defendit, ut (pæne dixerim, impudenter) neget, Apuleium, qui bis sic scribat, *Rufus in Pindarica æmulatione*, titulum operis citare, aut quod hominem istum, quem Apuleium vocat,

---

[1]) A. Weichertus tamen postea aliquoties nihil suspicans citavit.

ex Ovidio poetarum nomina non corrasisse, ex eo patere putat, quod Rabirio prænomen dederit et quod, quem ego dixi non indoctum, Montanum ex Seneca norit Iulium fuisse (p. 325), aut quod me, quod *inauditum poetam* T. Veracem dixi, Veracis nomen esse Latinum negasse credit aut credi vult. Sed tædet in his morari, quum ne id quidem intellexerit, quid esset, quod dixissem, minime omnium in grammaticorum veterum libris describendis omitti potuisse exempla scriptorum, sine quibus nullum usum essent habituri (p. 321), neque verba Latina non sane obscura interpretari potuerit (p. 309). Non narrasse eum,
28 quos ego ipsius graves errores in historia litterarum Romanarum notassem, non miror; sed tamen in uno speciem se tuentis sumit et quærit, unde constet, P. Rutilium Rufum Græce scripsisse historiam (p. 329). Itaque in hac editione adscripsi Athenæi auctoritatem. Unum est in tota illa disputatione recte positum, et se et me de Phaone a Venere amato Græcorum narrationem præterisse; quem locum nunc correxi. Hæc ita dixi, ut merita levis vanitas esse videbatur, famam erroribus, tanquam nova inventa essent, aucupans, quum ante errorem sine ulla reprehensione sustulissem. [Non commemoravi, quod Osannus Fulgentii libellum de prisco sermone mihi opposuit, scriptorum aliunde non notorum nominibus refertum, cuius tamen codicem noni aut certe decimi sæculi Parisiis viderit. Putaram Osannum, quid interesset inter Apuleianam citandi rationem et Fulgentii, animadvertere posse; deinde credideram, non ignotum illi esse, antiquiorem esse impostorem Fulgentium, sed impostorem tamen, quod ne quis, quum alii dixerint (nuper aperte Bernhardyus loco supra citato), me tamen ante hoc tempus non dixisse putet, velim inspiciat, quæ scripsi in commentatione de Asconio Pediano p. 64 not. 2. 1834.]

II.

De locis aliquot Iuvenalis interpretandis disputatio.[1]

Quum in argumentis scriptionum academicarum eligendis 29
alia sequi possint, qui semel aut raro ad huiusmodi scribendi munus vocantur, alia necessario sequatur, cui sæpius obeundum est, videor mihi non inepte facturus, si, quoniam mihi hæ partes cœtus academicos indicendi demandatæ sunt, materiam subinde ex iis rebus sumpsero, ad quas in scholis academicis tractandas delatus fuero, ut, si qua ibi inciderint, de quibus accuratius et plenius disputare operæ pretium videatur, ex iis nonnulla per hanc scribendi opportunitatem exponantur. Huius consilii exsequendi hoc ipsum initium libet facere. Versor enim quum maxime in Iuvenalis satiris enarrandis, in quibus quum non solum uno et altero loco ab aliis enarratoribus necessario mihi discedendum sit, sed reprehendenda interdum universa, qua utuntur, enarrandi ratio, decrevi de locis aliquot Iuvenalis ita disserere, ut et sententia mea, quam de nonnullis iam breviter in scholis proposui, uberius declaretur, et, in quibus rebus positæ sint errorum causæ, ostendatur. Atque
neminem esse arbitror ex iis, qui in scriptoribus Latinis le- 30
gendis versati sunt, qui ignoret, quantum restet operæ in

---

[1]) Edita mense Ianuario 1830, redeunte die natali regis augustissimi, ad cœtum academicum indicendum.

Iuvenalis satiris ponendæ, quum propter ipsarum difficultatem, tum quod ad eas enarrandas nec multi accesserunt nec satis plerique instructi ad eam rem agendam. Quum enim plerisque, quod in vetustissimis illis, Calderino, Britannico quique circa eam ætatem fuerunt, ferendum est, subtilior sermonis Latini cognitio deesset, sine qua nemo potest omnia vestigia verborum persequi et ex iis ita sententiam eruere, ut non solum, quid verba significent, videat, sed, quid significare non possint, perspiciat, neglecta fere est in locis difficilibus grammatica hæc subtilitas et accurata verborum interpretatio, quæ illius tanquam radicibus niteretur, sententiæque sæpe coniectando magis quam interpretando effectæ. Quo quum accessisset, ut opinarentur, in poeta satirico ante omnia videndum esse, quid oblique et obscure tetigisset (allusiones vocant), isque sibi ingeniosissimus videretur, qui aliquam huiusmodi significationem repperisset, id quod facillimum est, si orationis vinclis te exsolvas et rerum leves similitudines secteris, neglectis dissimilitudinibus, permagna orta est errorum et vanissimarum suspicionum multitudo, quum, nondum perspecto, quid poeta dixisset et quæ posset in verbis sententia inesse, quæreretur, quid significasset, significationes autem non ex notis iis, quas poeta posuisset, eruerentur, sed aliunde sumptæ inferrentur, et ad eas verba accommodarentur. Huic denique perversitati quum adiungeretur parum cauta earum rerum, quæ ex historiæ et antiquitatis cognitione ad enarrationem adhibebantur, tractatio[1]), absoluta est pravissima enarrationis

---

[1]) Exemplo esse possunt (nam superiorum, quibus ignosci debet, errores interdum a recentioribus repetitos omitto) pleraque, quæ Henninius de suo annotavit, velut quæ de mensis Romanorum Rupertio docte exposuisse videtur ad I, 137, cuius loci propter hanc ipsam vanam et confusam doctrinam sententia intellecta non est. Neque enim luxuriosos, qui una mensa vel lance patrimonia tota absumant, poeta notat, sed luxuriosos avaros, qui, quum multos et eximios orbes mensarum habeant, non plures mensas ponant, quæ ponendæ essent convivis adhibitis, sed unam, sibi sufficientem; soli enim sumptuosis epulis indulgent, eodem rei familiaris damno. Erat omnino Henninius Almeloveni amici sui similis, cuius *doctrinam et lectionem variam et in diversis collectaneis ad rem omnem literariam conficiendis laborem* laudat P. Burmannus Secundus ep. dedicat. ante Anthol. Lat. I p. XLIV, iudicii subtilitate et *accurata* eruditione destitutus. Sed similia alii

forma, quum nihil, quod sequeretur, haberet, huc illuc vagantis 31
et tanquam in tenebris palpantis quodque obiectum esset, arripientis et propter hanc ipsam causam perpetuo dubitantis, quam qui secuti sunt, quanquam laborem studiumque et doctrinæ quoque quandam copiam attulerunt, officio tamen boni enarratoris non satisfecerunt, reliqueruntque non contemnendi laboris materiam ei, qui hanc enarrandi rationem ad grammaticam et historicam severitatem revocaturus est. Quod qui post Heineckium (nam Heinrichii, viri clarissimi, opera in paucis locis substitit) facere conatus est, Weber, in iis locis, quos in animadversionibus editioni suæ subiectis tractavit, voluisse mihi magis videtur quam potuisse.[1])

---

committunt; velut quis ferat etiamnunc in commentariis Rupertii (ad VI, 469) circumferri scholiastæ in re notissima errorem de Poppæa in exsilium missa?

[1]) Inique dictum hoc videri potest, certe non opus fuisse dici. Sed in fœdis illis laudationum per ephemerides Germanicas sordibus et levitate et in hac scribendi et veterum opera edendi sedulitate rectum mihi videtur interdum severe et aperte, non contumeliose, loqui. Neque enim, quanquam quædam non contemnenda dixit, ad Iuvenalem enarrandum aut iustam sermonis peritiam attulisse videri debet, qui (ad sat. XV, 35 p. 377) Iuvenalem dicentem facit: *odium ardet* (urit) *Ombos et Tentyra*, et ad hunc solœcismum tuendum advocat Virg. Georg. IV, 425 (*Iam rapidus torrens sitientes Sirius Indos Ardebat*); aut subtilitatem grammaticam, qui in his verbis (VII, 129 p. 274) *sic Pedo conturbat, Matho deficit, exitus hic est Tongili*, non videt et *conturbat* et *deficit* eodem modo ad particulam *sic* referri et similes exitus Pedonis et Mathonis ex eadem causa significari, sed *Pedonem alios quidem conturbare* (in quo *alios* illos et locutionis *conturbare aliquem* significationem ipse finxit), *sed Mathonem deficere* interpretatur; aut in argumentando cautionem, qui ex eo, quod hoc loco Matho deficere dicitur, exhaustus ostentationis sumptibus, p. 136 efficit, macrum fuisse, nec obesitatem inflati corporis in eo alibi a poeta notari potuisse; aut rerum antiquarum cognitionem, qui post Schurtzfleischii et Crameri admonitionem, ne Zieglerum commemorem (de mim. Roman. p. 72) aut Langium (Vind. Tragœd. Rom. p. 12) et alios, pro Catullo mimographo ex Domitiani ætate non solum Q. Lutatium Catulum obtrudit (ad VIII, 186 p. 295), sed, confuso utriusque nomine, Q. Lutatium Catullum (qui error nescio unde ortus et a multis propagatus repetitur etiam apud Bæhrium in hist. litt. Rom. p. 117 ed. 2, qui Zieglerum auctorem laudat, longe alia tradentem) et (p. 208) sales apocolocyntoseos Senecæ laudat, in qua Claudius inter cucurbitas referatur (quod alii quoque, qui libellum non legerunt, in eo narrari putant);

32 Ex hac igitur tam ampla disputandi materia nonnulla
33 decerpturi initium capiemus ab eiusmodi loco, in cuius vulgari enarratione magna pars eorum, quæ reprehendimus, inesse videatur. Satiræ enim primæ v. 58 sqq. hæc leguntur:

Quum fas esse putet curam sperare cohortis,
Qui bona donavit præsepibus et caret omni
Maiorum censu, dum pervolat axe citato
Flaminiam puer Automedon: nam lora tenebat
Ipse, (*vulg.* tenebat, Ipse) lacernatæ quum se iactaret amicæ,
Nonne libet medio ceras implere capaces
Quadrivio? &c.

Ita enim, etsi id ad nostram disputationem non pertinet, interpungenda extrema sunt, quemadmodum Rupertius fecit, ut versus 63 superioribus adiungatur; alioquin enim particula *quum* in v. 55 et 58 non habet, quo referatur; ad illa enim *Sed quid magis* &c. referri non potest, quum ea per se dicantur et cum interrogatione illa *Hæc ego non agitem* coniuncta sint. Optime autem et graviter in v. 64, ubi Rupertius non recte orationem abruptam dicit, interrogationi novum fœditatis exemplum annectitur. Hunc igitur locum, quo notatur insanum nobilium aurigandi studium, sordidum et sumptuosum, interpretes iam inde a scholiasta (ad v. 59)[1]) ad Neronem referunt

---

aut cogitandi laborem, qui ad VI, 190 sqq. (p. 229) Achaintrium laudat, quod in v. 195 *interrogandi signum post ψυχή, quo oratio turbetur, sustulerit*, et in eodem loco enarrando proxima pagina, *v. 195 interrogatione*, inquit, *instituta facete præparantur sequentia*; aut diligentiam, qui p. 296 (ad VIII, 187), quum apud Rupertium hæc legisset: *Laureolus mimus vel eiusdem Catulli — vel potius Nævii aut Laberii. v. Macrob. II, 7. Gell. III, 3. VIII, 13. 14. XVII, 14*, simpliciter narrat, et Laberium et Nævium mimos illo nomine scripsisse, deinde quinque illos locos pro testimonio, Rupertio non nominato, transcribit, quum ab ipso Rupertio discere potuisset, Nævii Laureoli mentionem niti corruptela pridem sublata loci Gelliani, inspectis autem locis intelligere, Laberii Laureolum nusquam nominari, Gellii librum octavum non superesse, sed capitum eius indicem, in capp. 13 et 14 nihil de Laberio dictum fuisse, sed c. 15 aliquid, nihil tamen de Laureolo. Neque tamen hæc ita intelligi velim, quasi non multos libellos philologicos deteriores valde laudatos legerim.

[1]) Quum scholiastam dico, unum ex iis intelligo, quorum annotationes, ætate et bonitate diversissimæ, corrasæ sunt et in unum corpus conflatæ; non est autem recens hoc significationum captandarum studium.

et ita enarrant, ut notari hominem dicant, qui, consumptis,
dum Neroni aurigandi officium præstet, bonis, audeat sive
tribunatum militarem sive (ut plerique accipiunt) prætorii 34
præfecturam sperare. Nec certis hominum nominibus absti-
nent; Cornelium enim Fuscum aut potius Sophonium Tigel-
linum intelligunt. Addunt, Neroni aurigam fuisse, quum is se
Sporo iactaret; hunc enim spadonem, quem Nero usque eo
amavit, ut sceleratis nuptiis uxoris loco duceret, lacernatam
amicam esse. Quæ quam sint aliena a poetæ mente et quam
non scite composita, facile patebit. Primum Iuvenalis in tota
hac satira, in qua, quid ad satiras scribendas impulerit, ex-
ponitur, ut par erat, ea scelera tractavit, inter quorum exempla
ipse versabatur, eaque aut universe notavit aut suæ ætatis
hominem aliquem, qui pro exemplo totius generis esse posset,
arripuit. Quomodo igitur subito ad Neronis pravitatem trans-
silit, unius hominis, longe ab illis temporibus remoti? quomodo
fingit se huius occursu ita exacerbari, ut se a satira scribenda
continere nequeat? Sed, quod caput est et quod ante omnia
quæri debet, qua nota Nero et res ad eum pertinens significata
est? Nulla profecto, ne minima quidem. Ac tamen nulla maior
est perversitas, quam ea subiicere scriptori, quæ non ipse,
quamvis tecte dixerit, ita insignierit, ut confidere potuisse
videatur, eos lectores, quos sibi proposuisset (neque enim
enarratores nostræ ætatis animo sibi fingebat), a re significata
non aberraturos. *Ipse* (v. 62), inquiunt, Nero est; sic enim
appellatur honoris et præstantiæ causa imperator, isque est
usus huius pronominis. Miram vero interpretationem, quia
αὐτός et *ipse* (addo nostrum pronomen eiusdem significationis),
ubi ex contrarie relatis et ex persona loquentis et ex ipsa re
clarum sit, quis intelligatur, de eo dicatur, qui præcipuus et
quasi dominus sit (velut Pythagoreus, quum de dogmatis suis
loquitur, *αὐτὸν φάναι* dicit, Pythagoram significans), ideo *ipsum*
hic imperatorem esse, deinde Neronem! Ut longe aliter pro- 35
nomen intelligatur, orationis cohærentiam postulare, statim
apparebit. At res ipsa, aurigandi studium, ad Neronem nos
vocat. Si quidem ad imperatorem. Ipsum enim studium
postea quoque Iuvenalis tempore in nobilibus nebulonibus
fuisse et a Iuvenale notatum esse, satis constat ex notis versi-
bus satiræ octavæ (146 sqq.), neque sane statim post Neronem

frugi facti sunt Romani nepotes, nec Nero primus nobilis ei studio operam dedit; notus est C. Antonius quadrigarius (ex Asconio ad fragm. Cic. orat. in toga cand. p. 114 Hot.; cfr. append. disput. nostræ de Asconio p. 56). Quanquam si maxime concedamus, ex Neronis temporibus ductam hanc imaginem, non protinus sequatur, ipsum Neronem hoc loco commemoratum esse. Restat Neronis significati index lacernata amica, quæ qualis sit, paulo post videbimus. Sporus quidem illatus est, postquam interpretes Neronem manu se tenere putarunt; apud scholiastam nondum est. Sed ipsam, quam fingunt, historiam paulo accuratius adspiciamus et simul singula poetæ verba persequamur. Bona dicunt consumpsisse hominem, dum Neroni auriget. Aut coactus fecit, et miseratione dignus est nec ut impudens exagitandus, quod munus militare petat, aut Neroni gratus, fœditatis minister; at is certe hoc obsequio patrimonio non se exuit, nec ad sustentandas res suas stipendium militare ambire coactus est.[1]) Deinde in
36 proximis (in quibus v. 61 Heinecke recte interpunxit) mirus est error eoque tota continetur hæc interpretatio. Lora enim homo ille tenuisse dicitur, quum ipse, hoc est, ut dicunt, Nero, amicæ se iactaret; apparet interpretes, tota illa res, quam notatam putant, qualis esset, non cogitasse. Quid enim? hocine traditum est, Neronem nobilibus aurigis usum? hocine in eo certatim exagitant scriptores? Immo id nemo dixit, neque quicquam a studio illo Neronis alienius. Ipse in circo aurigavit, ipse equorum agitator fuit. Sed nondum satis erroris. Iactasse se dicitur amicæ; qua re? quid est enim aliud *iactare se alicui* quam se suasque artes et bona ostentare? Amatorias delicias agere, ut interpretantur, neque est, neque eæ aptæ admodum ad axem citatum. Quid igitur iactatur in hac curruum agitatione? Quæ una poterat quamque isti homines in

[1]) Vidit hoc Heinecke; itaque *dum* et sententiam huic particulæ subiectam (v. 60) iungebat versui 58, contra omnem sermonis usum et ita, ut oblivisceretur verborum *bona donavit præsepibus*, eumque sequitur Weber. Notissimus est usus particulæ *dum* ita cum præsenti tempore positæ, quo plerumque significatur actio non solum tempore coniuncta, sed occasionem rei in primaria sententia, cui altera proxime semper annectitur, dictæ præbens, ut hoc loco *caret* (id est, perdidit), *dum pervolat* &c.

summa laude ponebant, aurigandi ars; eam autem ostentabat, qui lora tenebat, Automedon. Perspicuum iam est, hunc esse *ipsum* illum, unumque hominem notari, et sic esse interpungendum:

nam lora tenebat
Ipse, lacernatæ &c.

Eiicitur igitur ex hoc loco Nero cum suo comitatu. Nam amicam lacernatam quod Sporum faciunt, quis non videt, Sporum, quem mulierem efficere Nero studebat, muliebria vestimenta sumpsisse (cfr. Suet. Ner. 28), tantumque abesse, ut is virilis habitus mentione significetur, ut contra muliebris significandus fuerit? Verbis nihil continetur nisi imago mulieris non pudicissimæ, viriles vestes imitantis. Complectar igitur omnia. Iuvenalis inter cetera scelerum et flagitiorum exempla describit hominem insano aurigandi studio ex divitiis ad inopiam redactum et munus militare impudenter petentem, inopiæ ex publico levamen; eius incitato cursu Flaminiam spectante 37
amica pervolantis imago proponitur. Nondum dixi de illa ipsa *cura cohortis*, nisi quod causam eius petendæ significavi; et quæstus causa ac stipendii illis temporibus Romanos militasse et munera militaria vitæ sustentandæ aut pecuniæ comparandæ causa petita esse, satis notum est tetigitque eam rem Iuvenalis XIV, 193 sqq. Iam primum concertationes illæ, Tigellinusne intelligendus sit an alius, et omnino de certo homine intelligendo, sublatæ sunt, Nerone hinc expulso. Videndum tamen exempli et admonitionis causa, quam non recte rem suam agant. Unde enim præfectura illa prætorii? Ea adeo non significatur curæ cohortis appellatione, ut nihil certius sit, quam, quum ita simpliciter cohors dicatur singulari numero nullo addito vocabulo, non intelligi posse non modo præfecturam cohortium prætoriarum, sed nullum summi gradus munus militare. Et tamen Weber, tanquam in certissimo fundamento insistat, Tigellinum hic aperte se tenere putat; neque eo movetur, quod obscuro eum loco ortum et pauperibus parentibus accepimus; potius hinc novam exsculpsit verborum interpretationem, ut *carere omni maiorum censu* dicatur, non qui rem paternam dilapidarit, sed omnino qui egeat nec patrimonium a maioribus traditum acceperit. Adeo non animadvertit (præterquam quod belle hæc coniunguntur: bona donavit præse-

pibus et nihil a maioribus habuit), perverti vim totius loci, nisi nobilis homo et ista arte indignus ex divitiis avitis ad inopiam redactus intelligatur. Sed redeamus ad poetæ verba, quibus munus unius alicuius cohortis regendæ significatur. Tribunatum militarem Lipsius (de milit. Rom. II, 9) post scholiastam intellexit; et satis lautum fuisse illo tempore tribunorum stipendium patet ex Iuven. sat. III, 132 et Plin. Hist. Nat. XXXIV, 3 (11); sed tamen, quod Lipsius suspicatur, tribunos
38 cohortium singularum regendarum munus habuisse, auctoque eorum numero singulis legionis cohortibus singulos præfuisse, incertum est (aliud est enim, cohortibus a corpore legionum separatis præfuisse tribunos), etsi confirmare eam sententiam Morus ad Cæs. B. Civ. II, 20 Vegetii auctoritate conatur, non satis firma in huius ætatis rebus.[1]) Relinquuntur cohortes prætoriæ, quarum singulis suos tribunos fuisse præfectos constat (vid. Sueton. Claud. 56: *tribunus cohortis prætoriæ* et Ner. 47, Tac. Hist. II, 92: *præposuerat prætorianis P. Sabinum, a præfectura cohortis*), et cohortes sociorum, quas maxime huc pertinere dubitare non poterit, qui instituta militaria eius temporis et graduum ordinem in militia consideraverit. Harum enim cohortium præfecturas inter militias equestres numerat Sueton. Claud. 25, et, quod peraptum est ad Iuvenalis locum, hunc primum ponit eiusmodi militiæ gradum.[2]) Itaque apud Plinium ep. X, 19 (56 Gier.) Traiano ita commendatur iuvenis Nymphidius Lupus, ut prima sui experimenta dedisse dicatur, quum *præfectus cohortis* esset. Et iam ante Velleius Paterculus, qui *militiam equestrem* commemorat II c. 111, c. 112, observato graduum ordine, descendens tribunos militum, præfectum castrorum, *præfectos cohortium*, centuriones nominat. Sed maxime ad nostram rem facit Statii locus in Silv. V, 1, 94 sqq. de Abascantio homines equestris ordinis ad munera militaria obeunda curiose describente:

Pandere, quis centum valeat frenare maniplos
Intermissus *eques*, quis *præcepisse cohorti*,

---

[1]) In altero Vegetii loco ab Oberlino citato non id est, quod is esse dicit.

[2]) *Equestres militias ita ordinavit, ut post cohortem alam, post alam tribunatum legionis daret.*

Quem deceat clari præstantior ordo tribuni. 39
Quisnam frenigeræ signum dare dignior alæ.

Ascendit Statius a centuriatu, quem tum equestrem gradum fuisse patet, per præfecturam cohortis ad tribunatum et præfecturam alæ equitum: quanquam v. 95 corruptus est.[1]) In inscriptione denique quadam (Orell. Inscriptt. Lat. n. 125) hic est ordo munerum militarium *[Præ]ef. Fabr. Præf. Cohort. German. [Præ]ef. Equit. Trib. Mil. Legionis V*, id est, Suetonianus. Iam patet, opinor, id a Iuvenale dici munus, quod nebulo aliquis senatoris filius (nam horum quoque *equestres* erant militiæ), dilapidato patrimonio, petere potuerit, ut victum haberet, sive etiamtum, ut a Claudio, is primus gradus dari solitus sit, sive hoc quoque ad impudentiam notandam pertineat, quod non centuriatum, qui a Statio primus ponitur, sed statim curam cohortis petere dicatur. Sed vel hoc munus ea, quam dixi, causa peti potuisse, satis ostendit, quod in sat. XIV pater avarus filio suadet, ut centuriatum petat et ad primipilare munus enitatur.[2])

Paulo pluribus verbis ab hoc loco obliquæ significationis suspicionem ab interpretibus contra mentem poetæ illatam removi, quod unus locus plurium errandi generum exempla 40 habere videbatur. Idem multo facilius et brevius fieri potest in aliquot locis, quos ideo pono, ne sine causa hoc genus accusasse videar. Velut quod Weber Iuvenalem I, 66 sqq. tecte in M. Regulum, notum ex Plinii epistolis et aliunde,

---

[1]) Iniuria, ut ex reliquorum scriptorum locis nunc patet. Gronovius superiores interpretes reprehendit, centuriatum intelligi putantes, quos verum vidisse vel manipuli vox ostendit, nec ipse animadvertit, quo spectet equitis nomen (*Romani ad milites regendos et ad equestrem aliquam militiam mittendi*), cum Salmasio equites legionarios nescio quos ab ala diversos inferens et totum ordinem pervertens. Sed *centum maniplos* aperte mendosum est; legi debet lenissima mutatione *maniplo*, ut sit, *quis maniplo intermissus, centum regere possit*; ludit versificator in etymologia nominis centuriæ et, obscuritatem vitans, manipli nomen admiscet, ex equitis etiam et manipli compositione leporem venans.

[2]) [Quæ hic de muneribus militaribus disputaveram, confirmata et uberius explicata limataque sunt in commentatione a. 1864 edita et repetita in libro, qui inscribitur *Kleine philologische Schriften*. Vid. ibi p. 539 sqq.].

invehi putat, quid est in verbis, ex quo magis Regulus intelligatur quam quivis alius ex fœda illorum temporum turba falsariorum?[1]) aut quod I v. 69 matronam potentem Agrippinam, matrem Neronis, esse volunt, quid perversius quam, quum poeta veneficia matronarum illo ipso tempore frequentissima fuisse alibi dicat (VI, 655, 656), propter solam potentiæ appellationem, quasi nullæ Romæ præter imperatorum uxores potentes matronæ fuerint, Agrippinam ex Neronis tempore huc advocare, in quam ne cadit quidem veneficii genus a poeta positum. Illius enim boletus notissimus est, quo Claudium sustulit, hic rubeta nominatur, genus veneni tum, ut videtur, rumoribus iactatum (cfr. III, 44. VI, 659). Quam violenter autem verba ad huiusmodi res significandas detorqueantur, exemplo esse potest, quod I, 78, ubi in libidinis flagitiis notandis *sponsæ turpes et prætextatus adulter* a poeta ponuntur, sponsas illas viros nubentes intelligunt, quod genus fœditatis in satira
41 secunda exagitat, quasi iis verbis, quæ hic posita sunt, aliud significetur quam sponsæ non castæ nec libidinis saltem ante nuptias expertes, aut quasi quicquam huic loco aptius sit quam huius libidinis notatio, quum in altera parte sit adolescentulus iam in prætexta adulter. Quid dicam de Pegaso, iurisconsulto, præfecto urbis, egregie a Iuvenale laudato IV, 78, quem ut Stoici speciem affectantem rideri Henninius et Rupertius putant, suspiciunculam Ferrarii secuti, quod Roma ad Domitianum in arcem Albanam festinaturus abollam sumere dicitur (v. 76); id enim esse vestimentum philosophorum idque intelligi ex III, 115. Ergo quod Egnatii Celeris, Stoici, qui Baream Soranum detulit, scelus *facinus maioris abollæ* appellatur, de cuius locutionis significatione ipsi dubitant, inde con-

---

[1]) In eodem loco Weber v. 67 difficultatem sibi sustulisse videtur, quod admonuit *signator falso* dici intellecto *in*, ut sæpissime apud Iuvenalem. Vellem posuisset locum, ubi reperisset dictum *signator in falso*, *in tabulis*, *in testamento* similiave, vel certe, ubi *signare in tabulis*, *in testamento*. Aut recte interpunxit Rupertius, ut primum universe *falso* dicatur, deinde singulatim, et ita ut facilitas rei significetur, *exiguis tabulis et gemma uda* (quod tamen nec per se bonum est et nimis nude sic dicitur *signator*), aut scripsisse Iuvenalis videtur *Signato falso*, ut *signator* scriptum sit ab aliquo, qui subiectum præcedentis sententiæ substantivo expressum desideraverit.

ficitur, abollam philosophorum propriam fuisse, quum in Varronis fragmento apud Nonium vestis militaris sit, apud Suetonium (Calig. 35) purpurea regis, apud Martialem (VIII, 48) hominis delicati et elegantis[1]), ut satis appareat, non proprium certi hominum generis vestimentum fuisse, sed commune, crassius (Serv. ad Virg. Æn. V, 421), quod togæ reliquoque habitui superiniici soleret, ut hoc loco a Pegaso, iter hieme stridente (vid. v. 58) ingressuro. Sed nulla fere pravior, et quæ magis et res diversissimas confundat et poetæ sententiam pervertat, ex hoc genere suspicio est, quam qua ad sat. III, 79, 80
utuntur. Græcorum nationem ad quamcunque artem aptam, 42
nihil non tentantem et audentem quum descripsisset, postremo omnia complectens, id facinus, in quo quasi summa audaciæ et impudentiæ humanæ constitisset, non ab alius alicuius gentis homine, sed a Græco tentatum esse dixit; Atheniensem fuisse, qui alas sumpsisset. Quis non videt, ad hanc sententiam implendam nihil aliud pertinere præter Dædalum, nihil aliud verbis contineri, quicquid denique addatur, perire omnia et everti? Et tamen quum apud Suetonium (Ner. 12) scriptum esset, quum Nero inter alia pyrricharum argumenta Icari volantis spectaculum ederet, Icarum primo statim conatu iuxta cubiculum imperatoris decidisse ipsumque cruore respersisse, hoc a Iuvenale significatum interpretes putaverunt, quasi aut res perpusilla, quo tempore Iuvenalis satiras edidit, nota vulgo fuerit aut significatione digna, aut in misello homine, a sævo tyranno periculum vitæ adire coacto, quem ne Græcum quidem fuisse constat, quicquam aut audaciæ aut ridiculi et eorum, quæ hic tractantur, simile fuerit. Sed non minus improbandum, quod IV, 106, ubi Rubrius quidam senator *improbior satiram scribente cinædo* dicitur, hunc cinædum Neronem esse et alii putarunt et nuper, quum Manso negasset, Weber magno opere

[1]) In loco illo tertiæ satiræ verum videtur, quod in scholio primo loco ponitur (deinde enim altera illa de pallio philosophorum additur interpretatio), proverbio quodam dici de maioris hominis et potentioris scelere; aperte enim Egnatius seiungitur a turba Græculorum in gymnasiis strepentium et eorum factis levioribus. Nam *transi gymnasia* quin sit *omitte, præteri gymn.*, non *transi ad gymnasia*, non debebat dubium esse Latine scientibus, etiamsi Iuvenalis VII, 190 non scripsisset: ***Exempla novorum fatorum transi.***

pugnavit. Primum in verbis nihil inest, quo Nero notetur (nam quod Nero cinædus fuerit, ideo concludi, ex cinædi nomine Iuvenalis lectores in tam pervulgata morum labe intelligere potuisse, significari imperatorem pridem mortuum, quis non miretur?). Satira autem clarum Neronem fuisse, nemo tradidit, nedum ita clarum, ut ad eum significandum satiræ mentio sufficeret, etsi carmina probrosa in Afranium quendam et Clodium scripsisse Tacitus et Suetonius narrant; longe aliud enim
43 apud antiquos carmen probrosum, aliud satira. Deinde nihil hac significatione videtur alienius a sententia loci reperiri posse. Quid enim? quum poeta improbissimum hominem Rubrium notare vellet, quo potuit elegantius modo quam ita, ut non certi hominis exemplum poneret, sed nequitiæ fœdissimæ formam universe absolveret, cinædum, flagitiosissimum hominem, alienas libidines reprehendentem ponens? Iam pro his finge, Nerone improbiorem dici; periit vis sententiæ.[1])

Sed satis exemplorum posuisse videor, de quibus ideo plura dixi, quod non solum in singulis locis errari animadverti, sed totum genus parum caute tractari; in quo ad multa simul attendendum est, ad poetæ consilium, ad loci totius cohærentiam, ad verborum aliasque notas ex veterum usu sensuque æstimandas, ad rerum, quæ significatæ putantur, naturam et rationem, animusque referendus ad primos lectores, ut, quæ res illis tanquam præsentes obversatæ fuerint, ut leviter notatæ non laterent, intelligatur. Sed quoniam huiusmodi significationum suspicionem a pluribus locis removimus, rursus in alio loco rem satis, ut nobis videtur, perspicuis notis significatam, sine qua sententia intelligi et lepos sentiri nequeat, eruamus.

---

[1]) Ad fidem rei improbabili conciliandam Weber argumento utitur non magis probabili, hanc Neronis significationem Romanos lectores intelligere potuisse, patere ex eo, quod Persius I v. 128 Neronis carmen, quod *Luscio* inscribebatur, his verbis tetigerit: *et lusco qui possit dicere: lusce.* Ea vero Casauboni suspicio ex nulla alia re ducta est, quam ex lusci vocabulo et simili nomine carminis. Describit Persius ineptos homines et in puerilibus dicteriis sibi placentes tanquam acutis et salsis; huiusmodi facillimi, non dicti, sed convicii exemplum ponit et de ipso homine hæc adiungit: *sese aliquem credens, Italo quod honore supinus Fregerit heminas Areti ædilis iniquas.* Quid hæc ad Neronem et ad eius carmen?

Is locus est in satira decima, ubi in descriptione cladis Seiani 44
hæc posita sunt (v. 81 sqq.):

> Perituros audio multos.
> Nil dubium, magna est fornacula: pallidulus mi
> Brutidius meus ad Martis fuit obvius aram.
> Quam timeo, victus ne pœnas exigat Aiax,
> Ut male defensus. Curramus præcipites et,
> Dum iacet in ripa, calcemus Cæsaris hostem.

Quam vim v. 84 et 85 habeant, et quo spectet Aiacis commemoratio, non apparet. Vulgatam sententiam eorum, qui Brutidium et alios cum Seiano in exitium tractos cum Aiace comparari putabant, Rupertius recte reiecit. Sed quod ipse Tiberium Aiacem facit, non expediuntur difficultates. Nulla est enim similitudo Aiacis *victi* et Tiberii, quos oderat, opprimentis; deinde non sane male defensus erat Tiberius, senatu celeriter Seianum et eius amicos ad mortem rapiente; tum Aiax ipse se defendit et suam causam egit, Tiberius irascitur ut ab aliis male defensus. Itaque hæc enarratio exitum non habet. Præterea nimis breviter et sine ullo, ut videtur, lepore Brutidius interponitur, deinde oratio ad alia convertitur. Sed ad hunc ipsum pertinent illa de Aiace, et in iis inest id, quod quærimus. Brutidius enim Niger eloquentia et declamando inclaruit imperante Tiberio (Tac. Ann. III, 66. Senec. Suasor. 7 [6 Kiessl.], cfr. A. Schott. de claris apud Senecam declamatoribus); iudicium autem armorum inter Aiacem et Ulyssem sæpe materiam declamantibus præbuit: exstant Antisthenis declamationes Græcæ; apud Latinos Porcium Latronem hanc causam tractasse constat (Senec. controv. II, 10), a quo Ovidius, qui ipse eam, ut ita dicam, versibus declamavit in libro XIII Metamorphoseon, multa sumpsit (Senec. l. c.). Nec
aliunde petita est ridicula iudicii descriptio VII, 115: *Consedere* 45
duces. Surgis tu pallidus Aiax. Eandem patet Brutidium Nigrum declamasse, certe pro Aiace dixisse. Is igitur, qui a Iuvenale loquens inducitur, quum Brutidium sibi pallidum et anxium (non quum ad mortem duceretur, sed quum ruinam ad se perventuram prævideret) occurrisse dixisset, ridicule admodum de homine inimico, quem antea cum irrisione Brutidium suum appellaverat, quasi miserans, quam timeo, inquit, ne

Aiax pœnas exigat; mortem Brutidio impendere significat, pœnam frigidæ declamatiunculæ immissam ab Aiace inepte defenso.

Ab iis, quæ poeta tecte aut significavit aut significasse creditus est, ad duos locos disputationem transferam, in quibus commemorantur aperte res illo tempore vulgo notæ, sed ita, ut obscurum esse propter historiæ ignorationem videatur, quales fuerint. In quorum altero reprehendenda est in enarratoribus, non ut antea, suspicionis audacia, sed, quod præterea vitium initio notavi, nimis anxia dubitatio, non firmiter ea vestigia, quæ a poeta posita sunt, tenentium. In tertiæ enim satiræ v. 117 et 118 poeta, postquam Egnatium Celerem Baream Soranum amicum delatione sua evertisse dixit, quo loco Egnatius nutritus esset, per has ambages circumlocutus est:

ripa nutritus in illa,
Ad quam Gorgonei delapsa est pinna caballi;

quibus verbis quæ regio significetur, adeo dissentiunt, ut alii Tarsum, alii Cretam, alii Thebas, alii Hippocrenen, alii Corinthum intelligant, Rupertius etiam plurium locorum optionem det. In quo mirandum est, aut poetam tam ambigue et vitiose locutum esse, aut, si is delapsæ Pegasi pinnæ mentione satis locum declaravit, adeo obscuratam esse nunc illam fabulam,
46 ut tanta dubitatio esse possit. Verum nulla poetæ culpa est nec res incerta. Nam neque in Creta neque in ceteris, quæ commemorant, locis præter Tarsum huius fabulæ vestigium apud quemquam veterum deprehendimus (diversum est enim, Pegasum devolasse in aliquem locum aut alicubi inventum); certam sedem ea habebat in nobili Tarsensium urbe ad *ripam* Cydni posita, cuius nomen plerumque originem habere ferebatur a ταρσῷ Pegasi delapso, quem alii pinnam, alii ungulam interpretabantur, quanquam variabat fama, pro Bellerophonte aliis Perseum et pro ταρσῷ Pegasi talaria Persei commemorantibus (vid. Dionys. Perieg. v. Ταρσός et ibi Eustath. Avien. 1033 sqq. Steph. Byzant. p. 638 ed. Pin. et quos Cramer ad schol. Iuven. citavit). Ea igitur urbs quin recte a scholiasta et post eum aliis hoc loco intellecta sit, dubitari nequit. Obstare videtur Dionis Cassii testimonium, qui (LXII, 26) Egnatium Beryti in Syria natum tradit, et obstaret, si Iuvenalis, quod vulgo putant,

patriam et natale solum indicasset; sed is Tarsi nutritum, id est, educatum et eruditum dicit, non natum. Scimus enim, Tarsi omnium liberalium disciplinarum, grammaticæ, rhetoricæ, philosophiæ, studia et scholas illis temporibus tantopere floruisse, ut ea laude Athenas fere et Alexandriam superaret; cuius rei testis est Strabo loco memorabili p. 673 sqq., cuius extrema de hac re verba (p. 676) huc transcripsisse non alienum erit: *Μάλιστα δὲ ἡ Ῥώμη δύναται διδάσκειν τὸ πλῆθος τῶν ἐκ τῆσδε τῆς πόλεως φιλολόγων.* Ex his igitur, qui Tarsi eruditi Romam confluebant, Græcis doctis unum tenemus Egnatium Celerem, ex patria propinqua eo missum.

Maiorem longe dubitationem alter locus habet, in quo dissentiendum mihi est ab homine clarissimo, Heinrichio. Neque enim, quæ ab eo de satiræ primæ v. 36 excogitata et ingeniose 47
exornata postea Rupertius probavit, vera esse puto. Proponit Iuvenalis imaginem sævissimi delatoris, cuius artes vel ipsi reliqui delatores timeant. Hoc ita extulit (v. 35, 36):

> quem Massa timet, quem munere palpat
> Carus et a trepido Thymele summissa Latino.

Ex quibus verbis efficitur, ut Latinus mimus, qui Domitiano imperante floruit, inter delatores ponatur, et Thymele mima (quam scholium cod. Barthiani nullius auctoritatis uxorem Latini facit) ab eo ad mitigandum potentiorem illum delatorem summissa dicatur. Id quum A. Turnebus parum probabile putaret, Thymelen et Latinum comparationis causa inductos credidit, ut simile petitum esset a mimo tum noto, in quo Latinus et Thymele partes egissent, et hic sensus esset, similiter Carum delatorem illum palpare, quemadmodum in mimo illo Thymele a Latino summissa maritum suum palparet. Qua enarratione probata Heinrichius, id quod tum necessario faciendum erat, *et* in *ut* mutari iussit; deinde mimi illius argumentum ex hoc loco et sat. VI, 41 sqq. atque VIII, 197 componere studuit. In qua re parum tutum mihi videtur, quum tres omnino huiusmodi loci apud Iuvenalem legantur, qui ad actionem Latini et Thymeles referri possint, omnes ad eundem mimum referre. In ipso autem argumento sane non placet, quod ab adultero deprehenso, cuius partes Latinus sustinuerit, ipsa uxor adultera ad maritum mitigandum sum-

missa fingitur. Sed hæc ipsam rem non valde attingunt, quoniam aliter fingi possunt. Verum ipsa comparatio Cari et Thymeles summissæ non apta videtur, hominis delatorem munere palpantis et mœchæ subdolis blanditiis stolidum maritum delenientis. Itaque mihi redeundum esse ad veterem
48 enarrationem videbatur (in qua patet ad nomen Thymeles assumendum tantum esse *palpat*, non *munere palpat*; est enim fere idem, ac si dixisset *et quem Latinus palpat Th. summissa*), etsi, quæ talis fuisset horum hominum coniunctio, ut Latinus Thymelen pro se summitteret, ignorabam. Confirmavit hanc sententiam memorabile scholion ad sat. IV, 53, unum ex iis, in quibus res historicæ recte et sine ulla perturbatione traduntur, et, quod in his scholiis rarissimum est, laudato bono auctore. Scriptum est enim præter alia: *cum fuissent inter delatores potentes apud Domitianum et hi, Armillatus, Demosthenes et Latinus archimimus, sicut Marius Maximus scripsit.* Commode Maximus in vita Traiani (nam Traiani et proximorum imperatorum ad Eliogabalum vitas scripsit) sævitiam temporum Domitiani et delatores commemorare potuit. Carum Domitiano Latinum fuisse, constat ex Sueton. Domit. 15 et Martial. IX, 29 (28 Schneid.), 7 et 8.[1])

49 His locis visum est subiicere faciliorem, in quo non animadversa verborum vi de re ex antiquitate repetita intellecta sunt, quæ a Iuvenale pro sententia communi posita erant. In

---

[1]) De Thymele locus est in sat. VI, 55, 66, ubi, ne multa dicam de rebus parum honestis, male coniungitur *subitum et miserabile, longum*; nam neque copulæ ita positæ et omissæ exempla prolata sunt aut unquam proferentur, et inaudita prorsus significatio verbis affingitur, vocabulo *longum* vel ridicula; quod enim hoc genus saltationis est, quod *longum* exprimat, aut quis hic affectus? Nec sane hæc exprimebantur, sed mollia et lasciva, quæ quomodo spectentur a feminis, poeta describit. Interpungendum est:

Appula gannit,
Sicut in amplexu, subitum et miserabile: longum
Attendit Thymele, *Thymele* tunc rustica discit.

Adiectiva pro adverbiis sunt; longum attendit, cuius animus plane defixus est in contemplatione nec inde abstrahi potest. Minime autem Thymeles nomine rusticam et rudem puellam appellavit. Tanta libidinis movendæ arte Bathyllum saltare dicit, ut vel Thymele rustica et artis imperita videatur et discat.

satira enim tertia, postquam dixit, quantopere pauperes Romæ premerentur et contemnerentur, hæc addit (v. 162. 163):

Agmine facto
Debuerant olim tenues migrasse Quirites;

quæ vulgo de secessione plebis in montem sacrum accipiunt; tum pauperes homines non solum secedere, sed plane in alia loca migrare nec redire debuisse. Verum nec sententia apta est, quum de suorum et proximorum temporum iniquitate queratur, nec ea omnia in uno *migrandi* verbo insunt, quod præterea alio tum loco collocatum esset, ut in quo uno tota esset sententiæ vis; illa autem *agmine facto* vitiose redundarent; agmine enim facto sane illi veteres secesserunt. Error est in particula *olim*, quæ ex huius ætatis loquendi usu posita est fere pro eo, quod est *iamdudum* (vid. præter lexica Spaldingius ad Quintil. IX, 3. 87. Iuven. IV, 96. Plin. Ep. I, 11. Tac. Ann. XII, 66). Hoc igitur tantum poeta dixit, iamdudum pauperes in tantis malis, quæ Romæ eos premerent, omnes coniuncto consilio discedere debuisse.

Ut in hoc loco unius vocabuli vis non satis animadversa errorem peperit, sic, ut iam res historicas mittamus et de grammaticis quæramus, neglecta structuræ grammaticæ ratio multo maiores turbas dedit in alio eiusdem satiræ loco. Umbricius enim, commemorata Græculorum adulandi et simulandi arte, hæc subiicit (v. 92 sqq.):

Hæc eadem licet et nobis laudare, sed illis
Creditur. An melior, quum Thaida sustinet, aut quum
Uxorem comœdus agit vel Dorida nullo
Cultam palliolo? Mulier nempe ipsa videtur,
Non persona, loqui: vacua et plana omnia dicas
Infra ventriculum et tenui distantia rima.
Nec tamen Antiochus nec erit mirabilis illic
Aut Stratocles aut cum molli Demetrius Hæmo.
Natio comœda est.

Quorum versuum quum umbra quædam sensus facile appareat, ipsum tamen sensum nemo ita expedivit, ut aut recta esset sententiarum consecutio aut interpretatio grammatice ex verbis efficeretur. Primum interrogationi hanc vim subiiciunt, ut nemo Græculo isto melius comœdiam agere dicatur; Græculos non solum adulatores esse, sed histriones. In quo primum qui

pronomen *quisquam* (exponunt enim: *an quisquam melior Græculo comœdus, quum* cet.?) id est, id vocabulum, sine quo sententia nulla est, a se sumunt, non a poeta, vehementer errant. Quis enim unquam, quum interrogando negaret, omisit pronomen, ex quo solo perspiceretur negandi vim in interrogatione inesse? Deinde hoc efficiunt, ut Iuvenalis dicat, omnes Græculos veros esse histriones et in scena partes agere uxoris, Thaidos, Doridos, quo quid potest esse aut per se ineptius aut a Iuvenalis consilio alienius? Sed quum ita hæc enarrent, sequitur, ut proxima illa *Mulier nempe* cet. de eadem omnium Græculorum arte dicantur. Itaque in iis, quæ deinceps subiiciuntur, plane se hærere sentiunt; pravissima est enim hæc sententiarum consecutio: omnes Græci optime comœdiam agunt; neque *tamen* summi histriones Græci mirabiles erunt et excellent; tota enim natio comœda est. Itaque qui hoc sensit, Schraderus, *tamen* mutari volebat in *tantum*, Heineckius pro *tandem* dictum esse. Augetur etiam perversitas sententiæ, quod recentiores, Achaintrio duce, *illic* accipiunt *in ea arte, id*
51 *est fallendi*, quasi aut ea ars nominata sit aut ita poni adverbium ullo modo possit. Harum difficultatum unam et alteram evitant, qui, ut nonnullos fecisse opinor, interrogationi initio positæ hanc tantum vim subiiciunt, ut Græcia optimos habere comœdos dicatur. Sed neque hæc ex verbis efficiuntur, neque ad ea, quæ dicta superius a poeta hic confirmantur, de omnium Græculorum arte, apta sunt, neque ad extrema illa: *Natio comœda est.* Componentur hæc invento, quod sane difficillimum non est, primæ sententiæ subiecto.[1]) Id in his verbis: *An melior, quum Thaida sustinet aut quum uxorem comœdus agit* cet., quoniam ex superioribus non intelligitur (poterat enim per se *an melior* dici hoc sensu: an potius melior is, de quo loquimur, est tum, quum cet.), commune est utriusque sententiæ, positum in altera, *comœdus*, ut v. 40, 41: *Quales ex humili magna ad fastigia rerum Extollit, quoties voluit fortuna iocari*, et IV, 70: *Nihil est, quod credere de se non possit, quum laudatur Dis æqua potestas.* Erunt, quibus verba *comœdus, fortuna, Dis æqua potestas* interpunctione a

---

[1]) Unus de hac re Schrader cogitasse videtur, sed coniectura quærebat, quod adest.

proximis disiungenda videantur; sed hoc est signis ludere. quibus antiqui non utebantur. [Hor. Ep. II, 1, 168 sqq.: *Creditur, ex medio quia res arcessit, habere Sudoris minimum, sed habet comœdia tanto Plus oneris, quanto veniæ minus,* ubi nonnulla Schmidius adscripsit.] Hoc intellecto aperta et apta omnia erunt facileque decurrent sententiæ: Tanta est Græculorum adulandi et simulandi ars, ut eam non superent histriones difficillimas partes in scena tuentes et viri mulieres agentes. Concedo, ita has partes ab iis peragi, ut veræ mulieres videantur (acerbe in laudando fœditatem scenæ et nimis diligenter expressas huiusmodi res notat); et tamen in hac tanta histrionum arte vel nobilissimi histriones inter Græcos (*illic*) mirabiles non erunt; tota enim natio natura et in vita quoti- 52
diana comœda est, ut ipsi artifices huius generis non admodum excellere videantur. Restat in v. 94 res minuta, expedienda tamen vel ideo, ut novo exemplo ostendatur, quam nihil prosit in scriptoribus enarrandis confusa quædam rerum non accurate intellectarum coacervatio. *Dorida* enim *nullo cultam palliolo* intelligunt aut Doricam mulierem aut scortum Doricæ mulieris more nudum. quia Lacænæ φαινομηρίδες fuerint. Verum aliud φαινομηρίδα esse nec tunica (χιτῶνι) uti gentis more. aliud nudam. Sed sit hoc a poeta tractum ab illis, qui illum morem calumniabantur; iidem ipsi interpretes (adeo sunt inconstantes) *palliolum*. Ferrarium et Salmasium sequentes, capitis tegumentum esse narrant, quo sane Lacænas magis quam alias caruisse traditum non est. Itaque nuditatis et inde scorti significatio in solo Doridis nomine remanet. et in ea, quæ nuda. certe non caste vestita fuerit, narratur tanquam præcipuum, caput tegumento caruisse. Porro palliolo meretrices solitas fuisse caput obnubere dicunt. Itaque hoc loco meretrix significatur ex eo, quod *non* ita vestita fuerit, quemadmodum meretrices solerent. Immo, inquiunt, impudens Græcus notatur. in scena facie aperta sine palliolo agens. Quæ quæso impudentia histrionis faciem non occultantis? etsi occultabat persona, ut palliolo opus non esset. Et quis hic locus histrionis notandi, qui habitum ad partes, quas agebat, accommodabat, quum habitus descriptione poeta, quæ persona intelligenda sit, significet? Deinde palliolum capiti ægros et molles imposuisse novimus (vide, si tanti est, Heins. ad Ovid. Art. Am. I, 734;

de meretricibus prorsus incerta res); faciem eo occultatam adeo nemo dixit, ut palliolatum Claudium ludis præsedisse legamus
53 (Sueton. Claud. 2), palliolatos dixisse homines molles (Quintil. XI, 3, 144). Sed mittamus hæc tam perturbata, quæ non exagitarem, nisi late fusum et alibi et per commentarios ad Iuvenalem hoc genus esset, tollendum aliquando et eiiciendum. Partes mulierum Iuvenalis triplicis generis posuit; primæ sunt meretricis (Thaidis), secundæ uxoris; iam patet, tertias neque meretricis esse neque certæ nationis mulieris (quid enim hoc nationum discrimen ad illam partium distributionem?), sed, quæ relinquitur, ancillæ. Ea Doridis nomine significatur, Græco et sæpe servili (cfr. Petron. Satiric. 126; Doris libertina est in inscriptionibus apud Grut. 878, 3. 612, 10) et habitu. Palliolum enim non capitis tegumentum intelligendum, quod nunquam ornatus causa sumebatur, ut *culta* illo dici posset, sed vestimentum superius muliebre, quo significatu præter Cicer. de Divin. II, 69 Ovidius sæpius *pallium* dixit. inferioris tamen ordinis mulierum, ut coniicio ex Martial. IX, 33 [32], 1. Nam ibi quoque de vestimento intelligo; certe ita intelligendum est apud eundem XI, 28 [27], 8, ubi qui capitis tegumentum esse putant, grave sane onus capiti feminæ imponunt, quinque vellera. Significatur igitur ancilla sedula, leviter vestita, sola tunica, sine palliolo, quemadmodum viri tenuiores tunica sine toga utebantur. Sed satis dictum de re neque per se gravi neque magni ad universi loci sententiam momenti.

Alius eiusdem satiræ loci sententiam non tam grammatica quam rhetorica orationis forma non satis perspecta obscuravit, peperitque in verborum vi constituenda singularem licentiam. Ubi poeta Umbricium ædificiorum urbis fragilitatem et perpetuos inde ruinarum metus commemorantem inducit, hæc scripta sunt (v. 193 sqq.):

Nos urbem colimus tenui tibicine fultam
Magna parte sui. Nam sic labentibus obstat
54 Villicus et, veteris rimæ contexit hiatum,
Securos pendente iubet dormire ruina;

in quibus, ut de hoc primum dicam, versus tertius duram habet orationem et, ut opinor, non Latinam, quam recte Rupertius, alios secutus, emendavit, restituta paucorum codicum

lectione *quum texit* pro *contexit*. Frustra enim Weber post Wunderlichium ad omissam particulam *si* confugit, quæ in hac orationis structura audiri nullo modo potest. Duplex est enim eius omittendæ apud Latinos ratio, primo in initio periodi, ubi, in concitata et brevi oratione, id, quod condicionis locum tenet, fingitur esse; sic enim huiusmodi loci accipiendi potius sunt quam per interrogationem; itaque re vera non omittitur, sed eius ponendæ causa tollitur, alia instituta orationis forma, qualis est in hac ipsa satira v. 100: *Rides: maiore cachinno Concutitur; flet, si lacrimas conspexit amici* (cfr. XIII, 215 et 227 et, ne longus sim, quos laudavit auctores Stallbaumius ad Ruddim. Institutt. II p. 356, Beier ad fragm. Cic. oratt. p. 46 sqq., Bernhardyus Synt. Græc. p. 385). Deinde multo rarius vere omittitur in media oratione in eadem concitatione, ubi condicio brevissime uno duobusve verbis comprehensa, sententiæ primariæ interposita, ipsa verbi forma indicium sui facit, quemadmodum dixit Virgilius Æn. VI, 30: *Tu quoque magnam Partem opere in tanto, sineret dolor, Icare haberes*, et Iuvenalis supra v. 78: *Græculus esuriens in cælum, iusseris, ibit*, et Senec. consol. ad Marc. 6: *par ad honesta, libeat, facultas*, et quæ sunt horum similia.[1]) Hic quidem, in media periodo, præcedente *et*, sequente perfecto indicativi tempore, non con- 55
citata oratione, non brevi, omitti nullo modo potuit. Sed de sententia videamus. Vulgo enim hoc dici putant, adeo male curari vitia ædificiorum ab eo, qui ei rei præfectus sit, villico: hunc autem nonnulli ædium dominum intelligunt, plerique autem magistratum aliquem, ex his rursus alii ædilem, alii præfectum urbis. Et de hoc Weber asseverat. Ubi autem eo ventum est, ut demonstretur, quomodo ad hunc hominem significandum *villici* nomen aptum sit, respondent, villicum appellari quemvis procuratorem ac dispensatorem; sic *villicum alimentorum, villicum a plumbo* dici. Ut accipiam testimonii loco illas appellationes hominum infimi ordinis ex inscriptionibus posterioris ætatis, neque reiiciam, quem ex epigrammate in Priapum, quod falso Tibullo tribuitur, afferunt, *villicum*

---

[1]) Longe diversa, quam Weber et Ramshorn comparant, Germanici sermonis ratio, nostri quoque. [Totam rem breviter comprehendi gramm. Lat. § 442 a not. 2 ed. tert.]

ærarii. illud certe concedent, addendum esse, cuius quis rei villicus sit. Verum omnino Iuvenalis tempore hoc nomen pertinebat ad servum villæ et servis rusticis præpositum. At sat. IV. 77 Pegasus, præfectus urbis, *attonitæ positus modo villicus urbi* dicitur. Itaque additur primum *urbi*; deinde quid magis ei sententiæ, pro qua hoc afferunt, contrarium quam ipse ille locus? Ibi enim Pegasus, ut urbs servire intelligatur, ridicule urbis appellatur, tanquam servis præpositus, additurque: *anne aliud tunc præfecti?* Isto modo ex Cic. in Verr. III, 50 confici possit, etiam proprætores Romanorum simpliciter villicos appellari potuisse. Vellem præterea, qui ædilem præfectumve urbis intelligunt, dixissent, putarentne hos privatorum ædificiorum reficiendorum curam habuisse, rimas contexisse, tum securos dormire inquilinos iussisse. Intelligamus igitur apud Iuvenalem, qui nominatus est, servum villæ curatorem. Comparatione utitur ad fragilitatem illam ædificiorum ostendendam,
56 sed eam invertit. Quum enim dicendum esset, urbem non aliter ædificatam esse, quam quomodo villæ rimas villicus incuriosus tegat, non reficiat, hoc dixit: Nam sic (isto modo, quo in urbe firmitati domuum hominumque saluti prospicitur) villicus negligens villæ consulere solet.[1]) Eodem modo dicitur *Non sic* XII, 78.[2])

Quoniam varia errandi genera positis exemplis notavimus, non omittemus non infrequens erroris genus, positum in verbis minus recte nec tamen contra leges grammaticas coniungendis et separandis. Huius rei primum leve sit exemplum, sumptum non ex late propagato errore, sed ex unius sententia nuper proposita. In sat. enim I v. 28 hæc de Crispino posita sunt:

---

[1]) Error est alioquin non recentissimus; in scholio enim ad IV, 77 de villico urbano, id est, ut videtur, de præfecto, intelligitur hic locus: sed ea scholii pars non est in cod. Sangall. De Heineckii et Weberi errore, illud *sic*, *οὕτως*, quod cum contemptu de re levi et sine cura acta dicitur, huc vocantium, nihil dicam. Huiusmodi orationis *ἦθος* ab hoc loco alienissimum est, ubi *nam sic* refertur ad superiora et causam reddit. Nec *sic* per se est *leviter, negligenter*, ut *sic obstat* sit *negligenter obstat*.

[2]) [Quoniam villicus dicitur etiam servus prædii urbani curator (Suet. Claud. 38), simplicius hoc modo enarrabimus: Nam sic (ut tenui tibicine fultæ stent multæ domus) villici prædiorum rimarum hiatus tegunt, ruinæ periculum relinquunt.]

Ventilet æstivum digitis sudantibus aurum;

in quo versu Pinzger (Ephemerid. Ien. 1822 Apr. n. 80), im-
probata vulgari enarratione de anulis levioribus per æstatem
sumptis, quod nullis veterum testimoniis eum morem fuisse
demonstretur, *æstivum* pro adverbio esse vult, coniungique
æstivum sudantibus. Quod commentum una versus ratio ever-
tit; quum enim in eadem sententia in fine prioris hemistichii
adiectivum, in posterioris substantivum positum sit, eorumque
ea sit grammatica ratio, ut inter se coniungi possint, interiecto
eiusmodi verborum complexu, qui per se plenus esse possit
(*digitis sudantibus*), necessario, qui Latinos versus Latine leget,
adiectivum et substantivum coniunget.[1]) Ut enim liberior est 57
in veterum sermone a grammaticæ vinclis verborum ordo
quam in nostro magisque ad dicentis arbitrium fingitur, ita
rursus orationis cursus intervallis distinctus magis in eo eminere
et facilius sentiri videtur; quo quum accederet verborum per
varias formæ mutationes declinatorum aut similtudo ad ea
coniungenda impellens aut dissimilitudo ad distrahenda, non
carebant antiqui, qui paucis aut nullis orationis interpungendæ
signis utebantur, nec, si usi essent, ut a librariis recte semper
ponerentur, efficere potuissent, naturali quodam adiumento ad
ea, quæ scripta erant, facile et recte legenda, quod nobis
quoque adhibendum est in verborum iunctura in locis dubiis
constituenda. Deinde autem in iis, quæ aut numerorum ora-
toriorum aut versuum arte adstricta sunt, cavendum est, ne
verborum interpretatio ab artificiosa illa orationis forma dis-
crepet. Velut quod Weber in sat. VIII, 202 scripsit: *damnat
enim tales, habitus et damnat et odit*, id non solum propter
sententiam perineptam reprehendendum est (neque enim Grac-
chus illos gladiatores damnabat, sed nolebat eorum armis et

---

[1]) Ipsum Pinzgeri argumentum, etsi Weber eo ita commotus est, ut mal-
let de gemma alius coloris per æstatem sumpta intelligere, quasi de
eo more magis constaret, levissimum est. Neque mos hic fuit, sed
omnium commenta superans Crispini mollities. Et de leviore anulo
agi docent primum ipsa verba *digitis sudantibus*, quibus vel hoc onus
delicatulis digitis grave esse significatur, deinde proximus versus, cuius
plane sunt obliti, *nec sufferre queat maioris pondera gemmæ*. Quibus
verbis dici apertius potuit, fuga oneris magnarum gemmarum leviorem
per æstatem anulum sumptum?

habitu pugnare, quum retiarius esse mallet; nec, si homines damnasset, erat, cur gravius de habitu (*et damnat et odit*)
58 diceretur), sed propter male factam verborum separationem. Etsi enim ad versus legem apte oratio insistit post *tales* in cæsura tertii pedis, naturali tamen ratione omnes ad accusativum pluralis numeri adiectivi (*tales*) cum subiecto accusativo substantivi eiusdem numeri coniungendum ferebantur, ut in cæsura quarti pedis insisteretur. Itaque recte *et* pro *sed* restitutum est, sed comma post *habitus* ponendum est (ut fecit Pinzger de verss. spuriis et male suspectis in Iuven. sat. p. 18). Nec melius idem Weber in eadem satira v. 28 et 29 edidit:

rarus
Civis et egregius patriæ contingis, ovanti
Exclamare libet, populus quod clamat, Osiri
Invento.

Neque enim ullo modo participii dativus (*ovanti*) extremo versus loco positus a substantivi dativo divelli potest in eodem hemistichio post graviorem cæsuram posito; quum enim *patriæ* a *contingis* distrahi nequeat, post *egregius* insistitur.[1]) Sententia tantum abest ut melior facta sit, ut mihi minus bona videatur. In vulgata interpunctione (*contingis ovanti*;) exprimitur patria sibi de bono cive gratulans. In altero versu non opus erat dici, qui sacrum illud εὕρηκα exclamaret, ovantem id facere. Nec satis, opinor, ad naturalem verborum iuncturam et versus formam interpretes attenderunt in sat. V v. 121 et 122 (*Structorem interea, ne qua indignatio desit, Saltantem spectes et chironomonta volanti Cultello*); intellexissent enim, coniungenda esse *saltantem* et *chironomunta* (sic enim scribendum est ex
59 optimo Schurtzfleischii cod. et edd. vett.; etsi malim Græce exprimi χειρονομοῦντα), non *structorem* et *chironomunta*, neque ex participio substantivum inauditum (pro eo, quod est χειρονόμος) finxissent. Non chironomus aliquis præter structorem adhibebatur (quale enim eius esset in hac re munus?), sed structor in cibo carpendo ἐχειρονόμει. [Cfr. de saltatione et χειρονομίας

[1]) Contra in sat. XIV v. 16, 17 *nostra* recte refertur ad *materia*; nam post illa *animas servorum* exspectabatur solum *et corpora*, tum naturaliter insistebatur.

Schneider. ad Xenoph. Conviv. II, 19.] Nam VI, 263 neque ad versum neque ad grammaticam et vim verborum attenderunt, qui in his verbis:

quanta
poplitibus sedeat, quam denso fascia libro,

aut non viderunt, ad vocem *fascia* verbum non omissum esse posse, quod in prioribus membris exprimatur (ut Weber, qui languidissimum *illi adsit* nobis obtrudit), sed repetendum *sedeat*, aut, hoc intellecto, non senserunt, non posse diversa esse huius verbi subiecta, sed unum (fasciam), nec verbum priore loco aliter poni, deinde alio sensu repeti. Itaque recte Manso in loco aperto hoc dici vidit: *quanta, quam denso libro, fascia sedeat poplitibus*, ut illud *quanta* deinde amplificetur; quem contra ita Rupertius et Weber pugnant, ut non solum de verborum iunctura nihil dicant, sed ne id quidem doceant, ubi *poplitibus sedere* sit *poplitibus se excipere* (etsi Weber, quid verba significent, ignorans, videtur accipere pro eo, quod est *stare proiecto pede*), nec cogitent, qui hoc statu utantur, contrahere se ac minores facere, non (ut illi narrant et narrare coguntur propter vocem *quanta*) extendi. Gravissimi ex mala verborum coniunctione errores orti sunt in septimæ satiræ v. 175 sqq., ubi ita scriptum est:

Tenta,
Chrysogonus quanti doceat, vel Pollio quanti
Lautorum pueros, artem scindens Theodori.

Poeta rhetorem alloquitur, quem schola vix alat[1]), eumque 60
iubet, mutata arte, tentare (non quærendo, ut Rupertius expo-

---

[1]) Vulgo versus superiores inde ab 166 intelligunt de rhetore, qui scholam reliquerit et causidicus factus sit. Verum nihil dicitur, cur in hoc novo vitæ genere non maneat. Itaque hærent aut hærere debent, ne alia commemorem, in particula *Ergo* v. 171, de qua Rupertius: „*ergo* has ob causas, nisi potius dictum pro *enimvero* aut *profecto*". Hoc est verba interpretari! Iuvenalis rhetorem describit, non scholæ valedicentem, sed, ut mercedem debitam a patre discipuli extorqueat, actionem in eum instituere coactum. Quod quia necesse sit ipsaque merces, quæ tanta molestia constet, exigua, poeta suadet, ut artem mittat. Apparet, omnia de rhetore scholastico dici, non causidico, etsi suam ipse litem persequitur.

nit, sed experimento capto). quanti pueros doceant fidium et cantus, vilium artium (Iuvenalis et severiorum iudicio), magistri, Chrysogonus et Pollio. Iam hi quomodo artem Theodori scindere dicantur (Theodorus enim Gadareus clarissimus fuit rhetor; vid. Spald. ad Quintil. III, 1, 17), adeo obscurum est, ut fuerint, qui Chrysogonum et Pollionem in rhetores converterent, contra cohærentiam loci et ipsius Iuvenalis testimonium (VI, 74 et 387), ac ne sic quidem exitum reperirent; nam scindere rhetoricam volunt esse omnia minima mansa tradere, cuius significationis nullum exemplum habent. Plerique tamen, nihil in hominibus novantes, *scindere* interpretantur *irridere*, contra usum loquendi, sententia languida. Cantor enim non magis rhetoricam curabat et irridebat quam alias artes. Weber autem *scindere* esse vult *dilacerare, opprimere*, eodem sententiæ incommodo, et, quod evitandum putabat, non minus discedens ab usu sermonis. Hæc omnis difficultas tollitur, si, oratione in cæsura post *pueros* insistente, participium
61 non cum proximis, sed cum eo subiecto, quod in *tenta* inest, coniunxerimus. Iam lepide rhetor iubetur libellum rhetoricum, quo usus antea erat in arte tradenda, scindere et cantor fieri. Hæc est enim ars Theodori, non rhetorica universa (quæ non scinditur nisi ab iis, qui imperite tractando divellunt). Hoc nomine (Græci *τέχνας* dicunt) compendia, systemata, aut quæ sunt alia nostra nomina, rhetoricæ, postea grammaticæ quoque, inscribi solebant. Vid. lexic. (etsi minus plene de ea significatione traditum est in Germanica Forcelliniani lexici editione) et Spald. ad Quint. I, 1, 26. II, 15, 4. V, 13, 59. X, 1, 15. Atque hoc quidem loco versus ratio tantum monstrat, posse hæc coniungi, non iungenda esse. Et tamen post illud *tenta* desiderabatur aliquid; itaque lectores antiqui, ubi ad tertium versum ventum erat, eo minus dubitabant *scindens* eo referre, quod de Pollione nihil addendum erat singulatim magis quam de Chrysogono. Itaque Iuvenalis non magis ambigue scripsit quam, ut Græco utar exemplo, Euripides, apud quem Helena in tragœdia cognomini v. 415 dicit, ut quidem nunc interpungitur,

ὄχλον γὰρ εἰσπεσεῖν ᾐσχυνόμην,
ὥσθ' ἱστορῆσαι τὰς ἐμὰς δυσχλαινίας,

idque sic intelligitur: verebar turbæ me immittere, ne videret malas vestes meas. Verum tum non ὥσθ᾽ ἱστορῆσαι, sed μὴ ἱστοροίη dicendum erat, nec ἱστορεῖν pro ὁρᾶν Euripides posuit. Insistendum est enim in cæsura et interpungendum:

ὄχλον γὰρ εἰσπεσεῖν ᾐσχυνόμην,
ὥσθ᾽ ἱστορῆσαι, τὰς ἐμὰς δυσχλαινίας,

id est, pudore enim propter vestes malas retinebar, quo minus turbæ me sciscitandi causa immitterem. Ἠισχυνόμην τὰς δυσχλαινίας εἰσπεσεῖν dictum usitata structura, eo, quod facere pudet. 62
per infinitivum elato, eo, propter quod pudet, per accusativum. Xenoph. Anab. II, 3, 22: ᾐσχύνθημεν καὶ θεοὺς καὶ ἀνθρώπους προδοῦναι αὐτόν.

Alterius generis, divulsorum, quæ vel sola orationis forma coniungi iubeat, verborum, cuius ex Iuvenale exempla supra posui, duo ex aliis poetis subiungam. Apud Persium sat. I versum 92 sic interpungunt: *Sed numeris decor est, et iunctura addita crudis*, et interpretando distrahunt; sed, ut nihil dicam de *crudis* illis, quæ per se dici volunt, Latinus homo neque *crudis* ab *numeris* neque *est* ab *addita* seiunxisset, neque *est* primum intellexisset ita, ut esset *numeri decorem habent*, deinde ex eo *est* copulæ loco ad *addita* repetisset. (Multo minus probanda erant, quæ Meister commentus est, homo iurisconsulti acumine in rebus philologicis, quarum imperitus erat, abutens, multum ille a Cramero et eius similibus diversus.) In Catulli carm. 64 v. 103 editur: *Non ingrata, tamen frustra, munuscula divis Promittens,* ut sit sensus, munera non ingrata quidem obtulisse, sed tamen frustra. Nec tamen quisquam, quum legisset *Non ingrata*, ab his disiuncturus erat *tamen*, ut subsequenti vocabulo adhæreret, sed uno tenore continuaturus: *Non ingrata tamen frustra.* Et postulat idem sententia; alioquin enim hic versus cum superioribus omnino non coniungitur. Nec sane frustra munera obtulit; vovebat enim pro victoria Thesei, et vicit; nihil ad hanc rem pertinet insecuta Ariadnes calamitas. Nec grata sunt dis munera, quæ respuunt nec obsequuntur. Copiosius igitur, ut solet, Catullus eandem rem et adiectivo et adverbio expressit: Non ingrata tamen munuscula fuerunt et frustra oblata.

Non singulorum denique verborum, sed totius sententiæ
63 male disiunctæ exemplum est apud Iuvenalem in sat. VI v. 535 sqq. Versum enim 538 (*Et movisse caput visa est argentea serpens*) superioribus adiungendum esse, ut eo contineatur portenti expiandi descriptio, non, ut vulgo intelligunt, dei placati signum, patet quum ex particula *et*, tum ex verbi tempore (*visa est*), tum ex eo, quod post illa (v. 535) *Ille petit veniam* altera quoque sententia, qua precum deos flectentium vis significatur, ab eodem pronomine incipere debet (v. 539: *Illius lacrimæ meditataque murmura* cet.). Sed prope devenimus iam ad ea, quæ criticæ propria haberi solent in veterum scriptis tractandis, quum ab initio in enarrandi opera, quæ multo magis in his satiris exercenda est, nos versaturos dixerimus. Nec, quod efficere volebamus, plane prætermissum ullum videtur præcipuum eorum errorum genus, quos in verbis sententiisque poetæ enarrandis committi solere animadvertimus.

Epimetrum

de Horatii satiræ secundæ libri primi versu 25.[1])

Quum ad ea, quæ de Iuvenalis aliquot locis scripseram, novæ editionis causa relegenda aggrederer, recens a publica Horatii satirarum enarratione, occurrebat, ad ea, quæ de pra-
64 vitate quadam obliquas significationes contra scriptoris mentem e verbis exprimendi dixeram maxime ad Iuven. sat. I v. 51 sqq., simili exemplo declaranda nihil aptius esse posse, quam si accurate explanaretur Horatii locus, qui est in satiræ secundæ v. 25, in quo in eodem prorsus genere a multis erraretur inde ab scholiastis. Eam disputationem eo magis ex scholarum commentariis excerptam hic inserere visum est, et quod magnopere illam pravitatem expellendam arbitror, a qua multi vix audent discedere, ne minus quam ceteri sapere videantur et

[1]) Non antea editum.

ob eam rem male audiant, et quod exstat de illo pro contraria sententia prodita nuper disputatio A. Weicherti (in dissertat. de Iarbita Timagenis æmulatore inde a p. 429 ad pag. 458 ed. Lips.). Locus hic est:

Dum vitant stulti vitia, in contraria currunt,
Malchinus tunicis demissis ambulat; est qui
Inguen ad obscenum subductis usque facetus.

In longe plurimis codicibus *Malchinus* scribitur, *Malthinus*, quod in edito scholiastarum textu est, in paucissimis (unus nominatim citatur, Bentleii), *Maltinus* in paucis. Sed sub hoc nomine Acron tradit *Mæcenatem tangi*; idem Porphyrius plenius ita scribit, ut intelligas, nonnullorum eam fuisse suspicionem, non a veteribus, qui de personis Horatianis scripsissent, neque constanter traditam sententiam[1]); quanquam in huiusmodi re, ubi non de persona aliqua aut historia ex antiquitate eruenda agatur, sed de notissimi hominis tecta significatione, nihil ex illo fonte derivari potuisse, per se patet, neque quicquam ullam valere auctoritatem. Scholiastas sequuntur, ut præcipuos no- 65
minem, Torrentius, Heindorfius, Buttmannus (Ueber das Geschichtliche und die Anspielungen im Horaz), quemque iam nominavi, Weichertus; dissenserunt Lambinus, Wielandius, F. A. Wolfius (in Analect. litter. I p. 267). Mæcenas si excluditur, Horatius generalem sententiam exemplo habitus et vestis e vita quotidiana, ut solet, sumpto et ob oculos posito ita declarat, ut ex turba homuncionem singulariter in vulgari aliqua pravitate excellentem et ob id tum notum, sed de quo nihil ad posteros perlatum esse minime mirum sit, in transcursu perstringat, quemadmodum facit statim proximo versu in Rufillo et Gargonio, quemadmodum initio satiræ Fufidium, alibi Nomentanum, Mænium, complures alios corripit. Nec dici quicquam possit, cur ea sententia non optima sit, quidve desideretur amplius. Malchini autem nomen, quod alibi non legi Weichertus mirum putat, si veri hominis sit, iam Bentleius

[1]) *Sub Malthini nomine quidam Mæcenatem suspicantur significari; ab re tamen finxit; μαλθακός enim quasi μαλακός dicitur. Porro autem tunicis demissis ambulare eorum est, qui se molles ac delicatos haberi volunt.* Eadem fere habet scholiastes Cruquianus.

eadem analogia. qua Paulini, Rufini, Balbini, similia, deduci ostendit ab usitato Malchi cognomine, quod in inscriptionibus est, et ex quo deducitur altera quoque forma *Malchio*, quemadmodum ex eo, quod est *Rufus*, et *Rufinus* fit et *Rufio*, etiam *Rufillus*. Uno autem hoc loco id legi, non debebat mirari, qui in proximo versu Rufilli nomen miratus non est, non magis alibi positum, nec in hac ipsa satira Fufidii et Cupiennii aut in IV, 112 Scetani, ne alia corradam. Est hoc igitur ex iis, quæ mirari tum demum subit, quum suspiciones quærimus. Videndum est igitur, ecquid sit, cur ab hac interpretatione discedatur. Mæcenatem tangi dicunt. Id, si quidem esse hoc aliquid debet, non ita intelligi oportet, ut, quod in certo homine Horatius reprehenderit, id ad Mæcenatem quoque, ut ad multos alios, trahi potuisse aut etiam Mæcenatis cogitationem Horatio
66 scribenti obversatam esse dicamus, sed ut Horatium, nullo alio homine notato, lectores suos de Mæcenate cogitare voluisse idque significatione aliqua ad eam rem accommodata consecutum esse iudicemus. Primum igitur iam dixi, nihil esse in universa sententiarum cohærentia, ex quo per se huiusmodi suspicio nascatur, nec id quisquam dixit; quo magis est eorum omittenda opinio, qui, quum Mæcenatem a poeta vix significatum esse posse intelligerent, ob eam solam causam, ne simpliciter eum locum interpretarentur, in quo scholiastæ obliquam significationem deprehendissent, alios quosdam homines advocarunt ex illorum temporum historia, prorsus nihil curantes. qua eos nota insignitos ab Horatio putarent, velut Demetrium, Cn. Pompeii libertum superbum, aut Pompeium Menam. Sed ad Mæcenatis significationem redeamus. Eum mollissimum hominem ac delicatissimum fuisse et habitus externi negligentem constat, ut etiam, quod probrosum habebatur et dissoluti hominis, discinctus tunicis solutis in publico conspiceretur.[1]) Hunc itaque aiunt esse, qui *demissis tunicis ambulet*. Miram argumentationem. Non iam id valde urgebo, quod Wolfius dixit, non idem esse, discinctum esse et demissis tunicis uti;

---

[1]) Testimonia de solutis tunicis sunt apud Vell. Paterc. II, 88, Senec. epist. 114, 4 et 6, auctor. Eleg. de obitu Mæcen. v. 21 sqq., de mollitie et deliciis universis plura apud Tacitum, Senecam, Plinium, collecta a Weicherto et iis, qui de Mæcenate scripserunt.

in quo tamen est aliquid veri, quod Weichertus non vidit;
nam ut tunicæ altius aut inferius cingendo longiores et bre-
viores fiebant (conf. Quintil. XI, 3, 138), ita aliæ erant *demis-
siciœ tunicœ* (Plaut. Pœn. V, 5, 24), *longœ* (ibid. 19), *demissœ*
(Propert. IV (V), 2, 38: *Ibo Mundus demissis institor in tu-
nicis*) per se, quibus homines molles ad crura a frigore de- 67
fendenda utebantur contra veterem Romanorum morem; nisi
quis putat, Catilinæ elegantem iuventutem, quam Cicero (Catil.
II, 10) *manicatis et talaribus tunicis* uti dicit, discinctam, id
est, negligenter vestitam fuisse. Itaque incommode sane, qui
discinctum significaret, demissis tunicis esse diceret, quod latius
patet. Sed hoc mittam dicamque, quod gravius est. Quum
multi sine dubio molles ac delicati essent Romæ, quorum no-
mina memoriæ iidem scriptores non prodiderunt, qui in claris-
simo homine et potentissimo id notarunt, non, quicunque
Mæcenate vivo aliquem tunicis demissis ambulare dicebat, quod
de universa mollium et delicatorum cohorte dici poterat, Mæ-
cenatem ideo significabat, si alium nominabat. Itaque aliis
argumentis demonstrandum est, Malthinum non vero nomine
Malthinum esse, sed Mæcenatem. „At eiusmodi est nomen,
ut, non mutata syllabarum quantitate, *Mœcenas* substitui queat.“
Scilicet sexcenta sunt nomina, in quæ id cadat. Verum non
argumenti solum in eo nihil est, sed omnino ne id quidem ista
observatio efficit, ut liceat Malthinum pro Mæcenate poni po-
tuisse putare. Nam in amatoriis hoc carminibus factum esse,
traditum est, a Romanis poetis, ut pro vero nomine aliud, non
fictum subtiliter ad personam per etymologiam significandam
(quod illi in Malthini nomine factum putant, obliti, unde pro-
fecti sint), sed peregrinum plerumque, usitatum tamen aut ali-
quando celebratum, perpetuo ponerent, ut ab iis, qui secreti
conscii essent, verum subiici posset.[1]) A satira Romana eiusque
universa ratione hoc adeo est alienum, ut vel ob hanc unam
causam omnis ista suspicio reiici debeat. Nihil in ea fictis 68
agitur nominibus, sed veris notisque personis, ut, si hoc uno
loco huiusmodi fictum nomen Horatius posuisset, quum præ-

---

[1]) Longe tamen absum ab eorum sententia, qui quasi tabulas consignatas ad veras semper personas, res, tempora pertinentes, non carmina, se legere putant, quum elegiacos legunt.

sertim Rufillum et Gargonium subiiceret, nemo, quo spectaret, intellecturus fuerit, sed potius omnes opinaturi, verum esse hominem, sed sibi ignotum. Verum de ipso nomine videndum est, in quo id latere suspicantur indicium, quod hactenus frustra quæsivimus. Id et alii ante et copiosa disputatione Weichertus a Græca radice ductum, quæ tamen etiam alias in antiquum sermonem Latinum propagines egerit (ut *malacus* est apud Ennium et Plautum), mollitiei significationem habere docent. In quo duo non vident. Primum accidit id, in quo alibi quoque labuntur interpretes, sæpius tamen ii, in quibus ferri magis potest huiusmodi ex etymologia vocum singularum significationes reperiendi studium, vetustiores, ut, obliti Græcam Latinamque linguam aliquando non aliter ac nostras viguisse, eo modo veteres Græcorum et Latinorum scriptorum lectores ea tractasse putent et sensum docte eruisse, quo nunc id philologi faciant, et philologi suspicaciores quam subtiliores. Nam fuerit sane eius originis id nomen, ut est; tamen, quum id esset vulgo receptum et Latinam formam nactum et in aliam deflexum, nemo in eo magis originem respiciebat, quum audiebat, quam quum *Rufus* infinitaque alia cognomina aures circumsonabant; in nova et auribus insueta compositione Varro ita ludere fortasse posset, non Horatius; multoque minus id fieri poterat posita ea forma, quæ longissime ab origine et a Græca similitudine discederet, *Malthinus.*[1]) Deinde miror tanto
69 opere viros doctos id disputare, quod totum contra ipsos sit. Si enim *Malthinus* est *mollis*, non ad Mæcenatem mens lectoris convertitur, sed prorsus et ab eo et ab aliis omnibus certis hominibus abducitur, relinquiturque abstracta, ut vocant, notio in personam conversa, nomine imposito apertæ significationis, quo nihil esse ineptius et a loco poetæ antiquorumque more

---

[1]) *Malchionem* apud Martialem III, 82, 32 Zoilum appellari putant tanquam mollem hominem; sed quum de Zoilo illo prorsus nihil constet, quæ sit alterius illius nominis ratio, incertum est; multo minus quicquam ex Petronii Trimalchione efficitur, quod nomen et ipsum incertæ significationis est et, si illius est, quam volunt, aliam etiam rationem habet; nam aliter fingitur non abhorrens nomen personæ, in cuius ingenio describendo tota fabula versatur, aliter id comparatum esse debet, quod semel positum et aliis intermixtum intelligi quis velit.

alienius illi ipsi, qui imprudentes disputando eo pervenerunt, confitebuntur. Nullum est igitur omnino Mæcenatis significati indicium. Estne etiam, cur significatus omnino putari nequeat? Est vero. Primum enim prorsus loci compositio Horatiana perturbatur, ad hunc pusillorum hominum cœtum et exemplorum e turba arreptorum Mæcenate aggregato, homine tantæ dignitatis; quem quidem Horatius si, ut Weichertus putat, nondum amicus, sed ex civilis belli et proscriptionis memoria infestus, tanto opere gestisset tangere, ut vel mutato, quod nusquam alias faceret, nomine aggrederetur, aliter et gravius aggressus esset; demissas tunicas licebat impune commemorare aperte. Verum est aliud præterea, quod totam rem evertat. Quum enim multi sensissent, scurrilem et ab Horatii Mæcenatisque coniunctione alienissimam esse illam sub ficto nomine Mæcenatis irrisionem, Weichertus, ut dixi, hanc satiram ante scriptam esse vult, quam Horatius Mæcenati commendaretur. In quo miror, virum doctum non cogitasse, scurrilitatem istam nihilo minus manere, quoniam quidem Horatius postea hanc satiram non mutatam ad ipsum Mæcenatem cum ceteris miserit eique inscripserit.[1]) Ergo hanc totam Mæcenatis significationem

---

[1]) Satiras Horatii, excepta prima, eodem ordine scriptas esse, quo nunc legantur, multa sunt indicio; sed si quis ex singulis eruere temporis indicia voluerit, valde cautus esse debet; Weicherto accidit, ut (p. 454) satiram tertiam effecisse scriberet, ut Horatius, Virgilio Varioque intercedentibus, in Mæcenatis convictum et familiaritatem adscriberetur. Atqui iam in ipsa satira tertia summa familiaritas perspicitur (v. 63 et 64). P. 453 Horatium scribit in satira quarta (quam non multo post secundam scriptam esse patet; cur proxime post eam, nulla interiecta, scripta putetur, prorsus nihil est) non magis quam antea in secunda viris apud Octavianum gratiosis pepercisse; p. autem 427 et 428 versum illum *Pastillos Rufillus olet, Gargonius hircum* ex secunda satira in quarta repetitum esse, ut poeta se excusaret, quod homines Octaviano familiares irrisisset; itaque, ut fit, quum in singulis aliquid affingitur, sibi contradicit. Sed bella est ipsa excusatio poetæ indignantis, se reprehendi, irrisionemque acerbius repetentis:

quod ineptus
Pastillos Rufillus olet, Gargonius hircum.

Sunt alia eiusdemmodi operose excogitata et composita, quæ vel leviter tacta corruunt. Sed hæc sine ulla in Weichertum contumelia dicta sunto, qua profecto indigna est eius eruditio et sedulitas quærendi.

scholiastis reddamus, qui, ubi iis, quæ a superioribus acceperant, ipsi libere uti volebant, fere ruebant; ex quibus Acro, quum Mæcenas iam esset deprehensus, in altero orationis membro (*est qui Inguen ad obscenum subductis usque facetus*) Agrippam significatum videre visus est. Iisdemque suam relinquemus sententiam in tertiæ satiræ loco, qui est inde a v. 29 ad 34, ubi Virgilium significatum putant[1]), ne Heindorfio quidem improbante, nec ullo indicio utentes et contra loci totius sententiam. Nam universe et generatim plura enumerantur, quæ offendere in aliquo possint, tum, quibus huiusmodi
71 incommoda bonis et virtutibus obscurari debeant, dicitur. Quæ si omnia, non dico ad certum hominem, sed ad unum rettulerimus, tota disputatio Horatii pervertetur. Nec erat, cur ex suis aliquem maximeque Virgilium deligeret et importuna sedulitate et officio ferendum esse doceret. Nam quod *pulsari*, id est, in malam partem tangi, Acro dicit, prorsus toti loco repugnat. Ex iis, quæ dixi de nominum fictorum usu, iam apertum est, quid sentiam de Weicherti opinione, in secundæ satiræ v. 67 post Acronem et scholiastam Cruquianum Longarenum Milonem esse putantis, quem proceræ staturæ fuisse (quod per se sane non magis nego quam affirmo), mirifice concludit ex eo, quod Cicero ad Attic. lib. VI ep. 4 et 5 eum tecto nomine τὸν Κροτωνιάτην appellat, quasi id non ad nomen celebris athletæ et ad perpetua Milonis certamina fortitudinemque spectet. (Qui ludere velit, quærere ex Weicherto possit, unde sciat, ipsum illum Crotoniatam proceræ staturæ fuisse; nam multi brevi corpore robustissimi sunt.) Sed quamvis Milo longus fuerit, qui Horatio in mentem venit, quum longum dicere vellet, id est, Milonem, fingere vocem inauditam, et quam nemo intelligeret? Nam quod Weichertus nomen ridicule effictum dicit, quid habent ridiculi litteræ syllabæque nullius significationis? Itaque Longarenus nomen est hominis proprium. Qui autem scholia ad hunc locum inspexerit, is videbit, ea, quæ in libris de personis Horatianis legerentur, mire ab inferioris ætatis grammaticis confusa et perturbata

---

[1]) „*Hic dicitur pulsare Virgilium, qui indecori et corporis et habitus fuit.*" Acro; cfr. schol. Cruqu.

esse, qui quum Milonem, Faustæ maritum, nominatum ibi repperissent, eum in Horatii quoque verba inferre studuerint, ubi soli mœchi sunt. Itaque sub Acronis nomine alia est annotatio *Villium* cum Annio (id est, Annio Milone) confundens.[1])

---

[1]) [Non sum nescius, et in hoc Horatii loco et in pluribus Iuvenalis obliquas eas significationes, quas prave fictas dixi, a nonnullis aut simpliciter defensas aut nonnihil declinatas et exornatas esse. Sed hæ defensiones quam sint inanes, quam a poetarum verbis sententiisque et consiliis alienæ, persequi longum est et meo iudicio supervacaneum, et in aliis rebus nunc animum occupatum habeo. Fruantur his significationibus, qui alia non habent, in quibus ingeniosi videri possint.]

III.

De loco Ciceronis in libro IV de Re Publica ad ordinis equestris instituta spectanti disputatio.[1])

72 Quod in iis litteris, quæ monumentorum fide et vetustatis memoria nituntur, studiose semper faciendum est, ut, accessione aliqua materiæ facta, primum exploretur, quid insit in iis, quæ reperta sint, quod ad quamque disciplinæ partem pertineat, deinde autem quæratur, quomodo recens inventa olim notis vulgoque traditis adiungantur, confirmentne ea et augeant an commutent leviter aliqua ex parte an plane aliquid convellant, in qua quæstione utrumque cavendum est, ne novitatis species aut nimis animum alliciat aut quodam modo deterreat, id longe acerrime in iis disciplinæ partibus agendum esse patet, in quibus et multæ magnæque dubitationes sint propter eorum, quæ in monumentis tradita sint, paucitatem, et ipsa tamen rei propositæ natura dignitasque ad omnia diligenter anquirenda exhortari videatur. Huiusmodi est in antiquitatum Romanarum disciplina locus de ordine equestri, in quo de hominum discrimine quæritur et de parte illa populi, quæ inter eos, qui summæ rei publicæ præpositi sunt, et confusam plebis
73 turbam interiecta rei publicæ firmamenta magnam partem in se continet; in institutis autem ipsis permulta sunt nondum

[1]) Scripta a. 1830 ad indicendam magistratus academici mutationem.

satis exposita, quædam, ad quæ exponenda tenue subsidium
esse videatur in veterum monumentis, sive in initiis huius or-
dinis a plebe secernendi sive in ea, quæ postea rei publicæ
liberæ primorumque imperatorum temporibus fuit, forma. Quod
si obscurum esse putarem, multis exemplis et rerum falso
traditarum et non quæsitarum, quum vel maxime quærendæ
essent, confirmare possem.[1]) Quo magis, si quod ad ea, quæ
iam ante exstabant, novum de his institutis accessit testimo-
nium, diligenter id considerandum est, quæque in huiusmodi
disputatione una vera ratio est, videndum, quum quid a teste
dicatur, tum quatenus ei credendum sit, et quomodo id, quod
dicat, cum iis, quæ ab aliis dicta tenemus, coniungendum. Est
autem instituti ad ordinem equestrem spectantis, cuius in ce-
teris monumentis antiquitatis tenuia quædam vestigia invenie- 74
bantur, minime totam rem declarantia, significatio multo aper-
tior, et quæ de ipsa re dubitationem tollat, in fragmento
Ciceronis libri IV de Re Publica, neglecta tamen et nescio quo
casu ab iis, qui hos libros nuperrime ediderunt, et a Niebuhrio,
V. Cl., obscurata. De ea re nonnulla disserere placuit, ne
error recenti invento illatus inveterascat et alios, quemadmodum
iam cœpisse videbimus, gignat. Intelligo autem, ea, quæ dis-
putaturus sum, et evidentiora futura fuisse, et, quam vim
haberent ad alias huius de equestri ordine quæstionis partes,

---

[1]) Ut unum exemplum ponam, is, qui nuperrime instituta ordinis equestris ætatis non antiquissimæ aliqua ex parte attigit, quum de notis censorum Romanorum ageret, Iarcke (Das censorische Strafrecht der Römer p. 65) eius ordinis hanc posuit descriptionem: *Einen besondern Stand bildeten nämlich die Geldreichen, deren Reichthum nicht in liegenden Gründen, sondern in grossen Geldbeständen beruhte, und die ihren Erwerb in merkantilischen Geschäften fanden*; in quo discrimen divitiarum constituit in hac re inauditum Romanis, apud quos census equester ex omnibus æqualiter conficiebatur, quæ censui censendo erant, exclusitque genus divitiarum apud illos honestissimum, in prædiis rusticis positum, relictisque in equestri ordine solis negotiatoribus et publicanis, omnes et in otio sine eiusmodi quæstu et in aliis negotiis viventes sustulit, ut nec iam Mæcenas nec Atticus eques maneat. Hoc fundamento posito, quum accesserit talis verborum interpretatio, ut, quod apud Livium scriptum est, *stipendia equis privatis facere* sit *stipendia equis ademptis, h. e. sine equis, inter pedites facere* (vid. ibid. p. 70), non potest non tota res perturbari.

melius perspici potuisse, si cum universa institutorum equestrium loci expositione coniuncta essent; sed neque tantam rem hic aggredi possum neque aliorum disputationibus, quæ incertæ mihi videntur, uti; neque enim dissimulo, ut eum nominem, cuius præcipue in mentem venire hoc loco debet, ea, quæ Niebuhrius de centuriis equitum antiquitus descriptis exposuit Hist. Rom. vol. I. p. 449 sqq. ed. 2, non satis mihi probari. Sed de his, si quando perficere, quæ institui, potuero, dicam. Hic ex iis, quæ rei, de qua agitur, adiuncta erunt, tantum assumam, quantum necesse erit, quantumque confirmari breviter poterit.

Ciceronis libri de Re Publica quarti fragmentum [c. II, 2 Halm.] in codice Vaticano ita incipit: *** *gratiam. Quam commode ordines descripti, ætates, classes, equitatus, in quo suffragia sunt etiam senatus: nimis multis iam stulte hanc utilitatem tolli cupientibus, qui novam largitionem quærunt aliquo plebei scito reddendorum equorum.* Hinc in indicem historicum editionis Maii a Niebuhrio relatum recte est: „Senatus suffragia in equitum centuriis erant.“ Ceterum nihil quisquam, quod sciam, ad rem declarandam attulit, nec, largitio equorum reddendorum qualis esset, Maius satis expedivit. Interiecto deinde
75 tempore, quum Heinrichius hæc fragmenta Bonnæ ederet, hoc ita expressum est: *in quo suffragia sunt, etiam senatus*, qua interpunctione, nescio casune an Heinrichio iubente, sublata est eius rei, quam dixi, significatio. Quod Niebuhrius secutus (in *Duplik gegen Hrn. Steinacker* p. 10) significari hic celebrata illa VI suffragia iudicavit idque Heinrichium intellexisse, etsi numerum non addidisset. Ea auctoritas Moserum et Orellium movit, ut illam interpunctionem retinerent, probabiliterque Niebuhrium scribendum suspicari iudicarent: *in quo sex suffragia sunt.* Et erat sane necessaria mutatio: *in equitatu* enim *esse suffragia*, ridicule dicitur. Mirum tamen, hæc turbari in loco hactenus quidem aperto, ut de verbis iungendis ne minima quidem dubitandi causa sit. Patet, commodam populi civilem descriptionem laudari; eo enim spectant ordines, ætates, classes (cfr. de Legg. III, 19, 44 de comitiis centuriatis: *Descriptus populus censu, ordinibus, ætatibus*, et de eadem re III, 3, 7: *Exin* (censores) *pecunias, ævitates, ordines partiunto, equitum peditumque prolem describunto*); in hac autem re nulla usquam

est mentio, nullus locus senatus, consilii publici. Quo igitur
illa *etiam senatus* per se posita spectant? deinde quo illud ip-
sum *etiam*? Ita tanquam cauda adhærent verba *etiam senatus*,
quasi mirandum sit, vel eum bene esse descriptum. Deinde,
ut addatur numerus senarius, quid opus erat dici, in equitatu
esse sex suffragia, quæ vulgo ne nomine quidem a reliquis
centuriis equitum discernebantur? Maxime autem editores hæ-
sissent, si de iis, quæ sequuntur, cogitassent; quæ enim illa
utilitas, quam tolli multos cupere Scipio dicit, redditis equis?
Profecto non tota illa descriptio, quæ non tollebatur. Equita-
tusne igitur descriptio? Nominaverat tantum equitatum, nullam
utilitatem significarat, quæ isto modo tolleretur, ne quid nunc 76
dicam de ipsa re, equis publicis ab equitibus redditis. Præ-
terea hæc ad equitatum pertinere non possunt, interiectis illis
etiam senatus. Satis, opinor, apparet, prorsus necessariam esse
eam verborum coniunctionem, quæ ante Heinrichium exprime-
batur (nec sane hæc aliter legi a veteribus ipse ordo ver-
borum sinebat), nec quicquam hic de sex suffragiis dictum.
Hoc igitur iam constat, P. Africani minoris ætate et superiore
senatores suffragia tulisse in equitum centuriis, ad eosdemque
pertinere, quæ proxime dicuntur, fuisse tum, qui, neglecta
utili hac senatorum cum equitum centuriis coniunctione, eius-
modi largitionem cuperent, ut equos plebiscito aliquo redderent.
Ex quo primum id intelligitur, quod ad ceteram quæstionem
de ordine equestri non exigui est momenti, in centuriis equi-
tum, quæ sane initio non aliæ erant quam turmæ militares
equitum, neminem fuisse, nisi qui equum publicum haberet.
Neque enim aliter, reddentibus equos senatoribus, sublata
esset illa, quam dicit, utilitas. Atque hoc a me animadverti,
mirabuntur, qui e vulgaribus antiquitatum libris didicerunt,
equitem Romanum fuisse, cui equus publicus a censore tributus
esset; sed multi non solum equestri censu fuerunt, sed equites
appellati, qui equum publicum non habuerunt. Deinde iam
concidunt, quæ Niebuhrius Hist. Rom. I p. 456 de hoc loco
disputavit, non, quod est, ad senatores, sed ad omnes equites
hanc equorum reddendorum mentionem spectare ratus; quo
loco præterea damnum illatum iis, qui equos reddere cogeren-
tur, intelligit, quod nec rem permittere nec verba Ciceronis,
dicam paulo post. Sed unum egregie animadvertit, ita hæc

sub persona Africani proferri, ut res, quæ hic a nonnullis tentari dicatur, paulo post facta esse putari debeat, id est, paulo
77 post C. Sempronium et M'. Aquillium coss. (a. u. c. 625 Varr.), et eius mutationis instantis sensum et reprehensionem a Cicerone Africano tributam esse.

Sed iam, quod a Cicerone dici vidimus, id quale sit, consideremus. Ac primum supererant antea, ut supra significavi, vestigia quædam huius instituti; commemorantur enim apud Livium pauci quidam senatorii ordinis homines equum publicum habentes, M. Livius Salinator et C. Claudius Nero, censores, alter ab altero equum vendere iussi (a. u. c. 550), et L. Scipio Asiaticus, cui post consulatum equus a M. Catone et L. Flacco censoribus ademptus est (a. 570); ex quibus exemplis, quum singularia essent, homines docti se non expediebant; Manutius tamen, Grucchius, Dukerus suspicione partem aliquam veritatis attigerunt.[1]) Neque multum absum, quin ipsum Livium parum ad veterem morem attendisse putem, quod ambos *forte* censores equum publicum habuisse scribit; nihil tamen affirmo. Valerius quidem Maximus, qui censores *propter ætatis robur* equum habuisse narrat, rei parum intellectæ, quam a Livio sumpsit, causam excogitavit, falsam certe, si Livium Salinatorem quindecim post primum consulatum (a. 535) annis stipendia equestria factitasse putavit. De C. Gracchi et Cn. Pompeii exemplo postea dicam.[2])

Ipsum autem institutum quam rationem habuerit, videndum est. Quum enim censu ad militiæ genera cives describerentur, et ad hæc suffragia comitiorum accomodarentur, ita ut, qui ex summo censu ad militiam equestrem delecti et scripti
78 essent[3]), sua haberent suffragia optima condicione, primum,

---

[1]) Liv. XXIX, 37 (coll. Val. Max. II, 9, 6) et XXXIX, 44, et ad priorem locum Duker et quos is laudat.

[2]) [Senatorum antiquam cum ordine equestri coniunctionem significari etiam vestis communione, quæ in tumultu et luctu publico apparebat, admonere debebam adscriptis Dionis Cassii testimoniis XXXVIII, 14 et XL, 46, quibus quædam Fabricius addit.]

[3]) Scio Niebuhrium, in primis equitibus ex plebe scribendis census rationem habitam esse concedentem, horum posteros primis temporibus hereditario iure eum locum tenuisse ita contendere, ut aliam rationem cogitatione comprehendi posse neget. Sed hoc mihi (etsi difficile est

etsi de censu senatorio antiquissimi temporis nihil traditur, commemoranturque exempla pauperum senatorum (Liv. II, 16, 33), dubitari tamen non potest, quin aut ab initio aut admodum mature census equestri maior senatori præstitutus fuerit, 79
frustraque sit, ut in simili declamatione alii multi, Plinius Maior (in præf. lib. XIV), qui, veterum temporum simplicitatem admirans, postea senatorem equitemque censu fieri cœptum narrat. Nullum enim potest esse consilium hominum *ad vitæ finem rei publicæ præpositorum, stipendium non accipientium, a quæstu remotorum* (antiquissimæ sunt enim leges, quæ senatorem publicum redimere vetant, nec novum inventum Q. Claudii senatores a mercatura arcentis, Liv. XXI, 63), nullum, inquam, tale consilium, ab Atheniensium aliorumque senatu

---

de hac re a reliquis institutis seiuncta disputare) plane sumpsisse, non probasse, et ita sumpsisse, ut a veri similitudine multum discedat, videtur. Nam neque causam in re positam ostendit neque testimonia neque ullum vestigium eius rei postea mutatæ. Mihi quidem et a toto consilio descriptionis illius militaris abhorrere hoc videtur, militiæ locum et civilem ad facultates singulorum accommodantis, et a rei publicæ Romanæ ingenio, in qua ordinis et dignitatis iure coniunctæ hereditaria propagatio nulla unquam fuit. Patriciorum enim genus erat, ut plebeiorum, non ordo; nobilitas inferioris ætatis iure civili a ceteris non discreta. Illud quoque animadverto, non intelligi, qui potuerit in tali re publica, qualem sub regibus fuisse ipse vir celeberrimus putat, non describi populus, sed pars aliqua seligi et ad perpetuam dignitatis possessionem vocari. Ipse sane de patriciorum origine fabulas eiusmodi pridem expulit. Quod autem Polybii loco utitur VI, 20, non potest iis verbis (*πλουτίνδην αὐτῶν γεγενημένης ὑπὸ τοῦ τιμητοῦ τῆς ἐκλογῆς*) significari, *instituto, ut descriptio a censore censu fiat*, sed tantum, *facta a censore descriptione.* Perfectum scriptor posuit, ut non repetitam et ad singulos delectus accommodatam descriptionem equitum significaret, sed perpetuum quasi *κατάλογον*, ex quo ad singulas expeditiones equites deligerentur (*γεγένηται δὲ ἤδη πλουτίνδην ἡ ἐκλογή*). Nec Polybius, si diversam deligendi normam significasset, priorem omisisset, quum superioris ætatis diversum delectus ordinem notaret. Eorum, qui censum haberent, in equo tribuendo dignitatis delectum habitum, plane consentio, propagatumque ad filium ex eo, quod pater equo publico meruisset, splendoris aliquid, certum est. De universo patriciorum numero equestri ordini annumerato et in sex suffragiis comprehenso similia dici possunt. Nam et nimis magnus equitum fit numerus (loquor de patriciis Serviani temporis) et nimis exigua vis patriciorum in *comitiatu maximo* populi Romani.

longe diversum, esse potest, nisi ex civibus summo censu. Neque ullum puto reperiri in historia Romanæ rei publicæ inferioris temporis ante Augustum novum institutum, quod ad timocratiam spectet, ut vel propter hanc causam originem certi census senatori præstituti antiquissimam iudicem, nec opus esse contra eos, qui infimi temporis hoc esse putant, eo argumento, quod iam a. u. c. 540, quum ex censu servi ad militiam navalem darentur, plures senatoribus imperatos legimus, quam ceterorum ulli (Liv. XXIV, 11). Itaque censu quidem eo senatores a primis temporibus erant, ex quo equites scribebantur, ut hactenus mirum videri non debeat, hoc datum summo ordini, ut omnes equum publicum haberent et in equitum centuriis essent, quum ex ceteris hominibus equestri censu deligerentur, quibus equus attribueretur. Notissimum est enim vel ex Liv. V, 7, non omnibus assignatum fuisse; nec sane poterat; quum enim ex publico pecunia daretur, certus numerus equorum esse debuit.[1]) Oritur autem alia quæstio. Militares enim
80 erant equi. Quousque autem antiquissimis temporibus equiti militandum fuerit, de eo nihil puto traditum; nec tamen veri ullo modo est simile, diutius militasse quemquam inter equites legionibus additos quam pedites legionum, quæ educebantur, id est, ad annum quadragesimum sextum (sive cœptum sive plenum; vid. Nieb. H. R. I p. 460). Intra hoc spatium postea decem stipendia exigi poterant (Polyb. VI, 19, 2. Plut. C. Gracch. 2. Liv. XXVII, 11: *ne præterita stipendia procederent iis, quæ equo publico emeruerant, sed dena stipendia equis privatis facerent*). Quærendum igitur videtur, ii, qui legitima stipendia equo publico confecissent, si senatores non essent, reti-

---

[1]) Hæc sunt illa *æra equestria* (*portiones* nos diceremus), quæ ut plura fierent, M. Cato suasit, id est, quemadmodum recte I. F. Gronovius interpretatur, ut pluribus ad equos publicos alendos pecunia assignaretur (non ut amplior ea pecunia esset); vid. Prisc. 750 P (I, 317 Kr.); cfr. Gronov. de Pec. Vet. III, 2, p. 125 ed. Lugd. et de appellatione æris equestris Gai. Institt. IV § 27. Ceteri igitur aut inter pedites militabant aut equis privatis merebant; hoc primum a. 351 in obsidione Veiorum factum, Livius narrat (V, 7), posteaque usitatum videtur. Sed hoc quale sit et quam vim habuerit ad formam ordinis equestris, quæ postea fuit, quum in eo omnes erant ingenui, qui censum equestrem habebant, non est huius loci persequi.

nuerintne equum et in centuriis equitum consenuerint, an equo reddito in iis esse desierint, quemadmodum pedites anno quadragesimo sexto in centurias seniorum transcribebantur. Mihi reddidisse veri simile videtur quum ex rei natura (inutiliter enim equus aleretur apud eum, qui stipendia non faceret, et contra totius instituti consilium, eratque potius transferendum ad alium id æs equestre), tum propter locum Q. Ciceronis in comment. de petit. cons. c. 8 extr., ubi aperte in centuriis equitum (quibus ordinem equestrem totum sua ætate non comprehendi satis declarat) adolescentes tantum ponuntur.[1]) Ut
autem illo tempore, mutata iam universa ratione militiæ, etiam 81
equestris, totus ille equos publicos assignandi mos tantum vetustatis causa retinebatur, ita antiqua quoque forma retenta videtur. Augustus tamen in transvectione equitum post longam intercapedinem revocata (ea est autem eorum, qui equum publicum habent), *senio* vel aliqua corporis labe insignibus permisisse aliquid dicitur (Sueton. Octav. 38). Sed huius testimonii, præsertim de re post longam perturbationem reducta, minor vis esse videtur; [et *senium* præmaturum in iis significatur, qui, si soli anni numerarentur, nondum iuventutem egressi erant; alioquin enim non in uno et altero hoc notabile fuisset]. Unum, quod video dici posse, non omittam, fieri posse, ut id plebiscitum, quod in fragmento libri quarti de Re Publica significatur, reddendorum equorum veniam paulo latius dederit, non solum senatoribus, sed qui confectis stipendiis essent, ita ut ex Q. Ciceronis loco concludi non possit, antea hos non retinuisse equos. Nec omnino verba hoc excludunt, etsi Scipio de senatoribus loquitur. Non reddidisse autem equos, qui stipendiis exactis essent et ultra militarem ætatem provecti, de antiquissimo tempore contendent, qui hereditariæ dignitatis inesse in hac re aliquid volunt, quibus me non

[1]) Admonet me hic locus, ut occurram, si quis in tota hac disputatione neglectam obiecerit commutationem comitiorum centuriatorum incertum quo tempore factam. Sed equites equo publico postea quoque sua seorsum suffragia in suis centuriis tulisse, nostræ disputationi sufficit. Id autem constat, tum ex ipso loco de re publica (antiquior est enim illa comitiorum mutatio), quum ex hoc Q. Ciceronis; cfr. Cic. pro Mur. 26, 54 et 35, 73 et ad Fam. XI, 16. Descriptas aliter fortasse et numeratas et ceteris adiunctas fuisse has centurias, non nego.

assentiri ante dixi.[1]) Sed ad eam rem, a qua primum nostra profecta disputatio est, hæc quæstio ita pertinet. Si enim antiquitus equites, confectis stipendiis, in centuriis nihilo minus
82 erant, facile intelligitur, quomodo in iis esse senatores potuerint non magis militantes, quorum præsertim maior pars sine dubio stipendia equo publico confecissent, antequam in senatum legerentur, quo tempore observabatur, ne quis magistratum caperet, nisi qui decem stipendia fecisset (Polyb. VI, 19, 4). Vel sic tamen aliquos in senatum venisse, credibile est, qui vel equo privato vel pedites meruissent. Quod autem dico, senatores non militasse, hoc ipsum intelligo, stipendiis confectis plerumque senatores factos, non vacationem singularem datam. Postea quidem, quum ex iis fere solis, qui magistratus ceperant, senatus supplebatur, senatorem militasse non lego nisi aut exercitum ducentem aut legatum aut tribunum militarem (consulares tribunos militum plures collegit Duk. ad Liv. XXXVI, 17, 1), aut voluntarium (Liv. XXII, 49). Sin autem ceteri tamdiu in iis centuriis erant, quoad stipendia confecerant, deinde in alias transcribebantur, singulare sane, senatores equum publicum retinuisse, sive hoc ab ipsis initiis descriptionis Servii Tullii repetendum est sive postea ortum.

Sed revertendum est ad Ciceronis locum, unde hoc ita fuisse constat, ut de iis verbis, quibus mutatio veteris instituti significatur, pauca dicamus. In iis enim et Maius et Niebuhrius (H. R. I p. 456) largitionem illam equorum reddendorum aliter, ac fieri debet, intelligunt. Putant enim, equos redditos cum detrimento reddentium (unde Niebuhrius de damno compensato cogitavit), ut, quæ inde redacta in publicum pecunia esset, per largitionem effunderetur. Primum ipsa verba *nimis multis stulte* cet. et deinde *largitionem quærunt* ostendunt, non de populari tribuno largiendi materiam quærente Scipionem loqui (eum enim aliter reprehendisset), sed de iis, qui largitionis spe ducti maius commodum tolli non intelligerent, senatus in
83 equitatu suffragia. Tum *largitio reddendorum equorum* non est pecuniæ in ærarium redactio ex ea re, multo minus huius

[1]) Vix dici opus est, nihil hic confici appellationibus illis *iuventutis*, *floris iuventutis Rom.*, similibusque; eæ ad eos, qui militabant, spectant; quæritur, num in centuriis manserint, qui non militarent.

pecuniæ largitio, sed ea ipsa, quæ in equis reddendis est, cuiusque participes fiunt ii, qui, quum equum habuerint, cum commodo reddunt. Scipio itaque (id est, Cicero, et Gracchanarum legum et largitionum in libris provecta ætate scriptis perpetuus reprehensor et coniunctionis senatus et ordinis equestris, quam ipse se consulem stabilivisse putabat, vehemens admirator) senatores largitionibus tribuniciis faventes significat, qui onere equi publici liberari vellent, reddendi potestate plebiscito facta. Oneri enim fuisse equum publicum, quamvis honori esset (qui tamen honor a senatore non desiderabatur), eiusque ademptio ignominiosa, non ex hoc solum loco, qui ad id demonstrandum sufficit, quum aperta sit verborum sententia, sed aliunde quoque certum est. De antiquissimo quidem tempore negat Niebuhrius, et ex hoc vel maxime[1]) efficit, equites non ex maximo censu scriptos esse, quod ridiculum et insanum fuisset, si divites fuissent omnes equites, pecuniam ad equos emendos et alendos attribuere. Verum illud certe multo insanius fuisset, in tali descriptione militiæ ab universo populo ex censu rei publicæ præstandæ uni alicui generi commodam militiam et lucrosam constituere. Itaque omnes consentire debent, illam pecuniam talem fuisse, ut non locupletaret equi- 84
tes, sed sumptus faciendos levaret; idque ipse vir celeberrimus sequitur, quum quærit, qui tanta summa opus esse potuerit, in quo quod eius coniecturis addam, non habeo. Ne id quidem consentaneum est, nullum hos pro portione onus militiæ sustinuisse una cum ceteris civibus. Itaque illa pecunia non aliam vim habuit, quam ut id compensaret, quod *plus quam pro portione census* equiti necessario insumendum esset. Quid igitur prohibet, quin equitem de suo aut æque multum aut plus quam primæ classis peditem insumpsisse in militiam putemus?

---

[1]) Vel potius ex hoc solo. Nam Livii verba I, 43: *Hæc omnia in dites a pauperibus inclinata onera* eam vim, quam iis tribuit (H. R. I p. 454), non sane habent. Neque enim onera sola dicit equi emendi et alendi, neque a pauperibus equitibus. Ipsum additum *omnia* ostendit, eum, exposita descriptione populi ad militiam, de superioribus universe hæc addere. Omnia belli militiæque onera sumptusque graviores a pauperibus in dites inclinatos dicit. Itaque statim subiungit non minus generaliter: *Deinde est honos additus*, eaque addit, quæ non minus ad peditum quam ad equitum centurias pertineant.

Nihil igitur est, cur negemus, quum in Servii Tullii descriptione peditum militia ad censum accommodata esset præcipuumque armatura et loco genus militum ex prima classe esset, eandem rationem in eo militiæ genere, quod antiquitus honestissimum præstantissimumque putabatur, obtinuisse, id quod et veteres tradunt non ex incerta fama nec rhetorice exornantes et posterioris ætatis instituta illinc orta et aliorum populorum comparatio confirmant. Sed hæc ad antiquissima tempora spectant. Postea autem quæ fuerit ratio equi dandi pecuniæque ad alendum assignandæ ratio, ignoramus; aliam fuisse atque olim, satis est certum; oneri autem, ut dixi, fuisse equum, constat quum ex eo, quod Æbutio sacrorum Bacchanalium indici præmii loco datum est inter alia, *ne invitus militaret, neve censor ei equum publicum assignaret* (Liv. XXIX, 19, 4), tum ex eo, quod Augustus, reducto vetere transvectionis more, nonnullis beneficii loco reddendi equi veniam dedit (Sueton. Octav. 38).[1]) Reddendi quæ fuerit ratio, nescio. Unum addo, ne quem forte
85 prætermissum turbet, mirantem, voluisse quemquam reddendo equo ex centuria equitum in aliam transire. Antiquitus quatenus suffragii condicione equites primæ classis centuriis præstiterint, in tanta huius rei obscuritate non constat; in recentiore autem comitiorum centuriatorum forma, ad popularem rationem magis accommodata[2]), vix magni hoc momenti fuit.

Dixi initio, Niebuhrium secutus, hanc mutationem, quam Scipio multos cupere ait, postea factam. Eius rei videor mihi satis apertum testimonium repperisse, locum illum Q. Ciceronis, quem supra posui, ex quo sane tum in centuriis equitum senatores non fuisse perspicuum est; nec ita in epistola ad D. Brutum (ad Fam. XI, 16) eas M. Cicero commemorasset, ut fecit, si aliter fuisset. Sed duo clarorum hominum exempla opponi huic sententiæ videntur posse. C. Gracchum, quum ex Sardinia, in qua pro quæstore fuerat, redisset, apud censores accusatum esse Plutarchus dicit et se oratione defendisse.[3]) Id fieri vix potuit nisi in equitum recognitione et transvectione,

---

[1]) Hæc composuerunt iam, quos laudat Duker ad Liv. l. c.

[2]) *Μεταβέβληται εἰς τὸ δημοτικώτερον.* Dion. Halic. IV, 21.

[3]) Plut. Gracch. 2. Huius orationis, quæ a Cicerone (Orat. 70, 233) et a Charisio *apud censores* appellatur, eadem verba, quæ Plutarchus

in qua notissimus est hic accusandi mos. Gracchus itaque,
quum a. 628 quæstor factus in senatum venisset, a. 630 equum
publicum habuit. Vix opus est propter hanc causam post
hunc annum factum putare, quod quinque ante annis Scipio
Ciceronianus parari significat. Veri enim simile videtur, sena-
torem factum apud eos censores, qui primi deinceps crearentur,
transvectum esse et equum reddidisse aut saltem ad id tem-
pus equum retinere potuisse. Similis fere res est in Cn.
Pompeio, quem, quum primum consul esset, equum ad censores 86
adduxisse, Plutarchus narrat (Pomp. 22). Sed hunc primum
magistratum is cepit et tum in senatum venit. Itaque apud
censores, qui tum erant, equum reddidit. Et ad redditum
equum spectare videntur ipsa Plutarchi verba, qui ad censores
accessisse dicit παραιτούμενον τὴν στρατείαν.[1]) Neque aliud ullum
reperiri puto vestigium senatorum in equitum centuriis sive
turmis numeratorum post tempus illud, quo eam, de qua dixi-
mus, mutationem factam esse expositum est.

Satis dictum videtur, ut intelligatur, quale sit id, quod ex Ciceronis loco ad cognitionem institutorum rei publicæ Romanæ efficitur.

Græce, Gellius XV, 2 Latine posuit, pluribus adiectis. Ibi *ad populum in contione* habita dicitur. Censores contionem advocabant et dare poterant.

[1]) Miro enim errore vir eruditissimus, Schæfer, τὴν στρατηγίαν παραιτούμενος edidit ex uno cod. Nihil ad censores pertinet renuntiatio digni tatis imperatoriæ, nec ulla talis renuntiatio fuit, nec Pompeius tum imperator. Plutarchus quid scripserit, satis ostendunt proxima.

IV.

De L. Attii Didascalicis commentatio.[1])

87 Qui artium et litterarum in diversis populis origines et
progressus ita inter se componunt, ut non in altera parte lau-
danda, altera reprehendenda consistant, in quo plerumque
iniquitas non mediocris est, sed naturales et necessarios modos
cognoscere studeant, quibus populorum ingenia excolantur, iis,
quum a Græcorum litteris ad Latinas transierunt, singularis
videri debet celeritas quædam cursus et, ut ita dicam, ante
tempus, non perfecta, sed alio quodam modo adulta forma.
Quum enim Romani, nondum quicquam habentes, quod pere-
grinorum litteris æquarent aut saltem cum iis compararent,
non incitamentum aliquod aliunde ad ea, quæ propria, sed
rudia essent, expolienda accepissent, sed incidissent in Græcorum
artes maturas iam et prope senescentes easque transferre ad
se studerent, ita tamen ut ceteroquin in Græcorum ingenii
vitæque rationem non transirent, primos illos nisus et conatus,
primam denique illarum litterarum formam, quas ex sui populi
ingenio nascentes sensimque læte et cum luxuria quadam in
altius crescentes primitivas appellaverim, quodam modo trans-
silierunt. Quod enim antiquissimam aliquam fuisse Romanorum
poesin eamque ab Ennio aliisque obrutam esse putavit vir
88 egregius, qui nuper e terris discessit, Niebuhrius, neque apertis

[1]) Programma in festo natalicio regis a. 1831.

testimoniis illam opinionem neque vestigiis manifestis confirmavit; nec, si illa poesis fuisset, cessisset subito rudi Græcæ artis imitationi, quæ ne postea quidem satis ubique populum tenere radicesque agere potuit, ut in scenica poesi apparet. Itaque mihi, ut eadem imagine utar, qua olim utebantur in historia litterarum Latinarum ad temporum rationem distribuenda, nulla videtur esse harum litterarum adolescentia, etsi aliqua fuit rudis ætas; hæc enim in eo elaborabat, ut peregrinam litterarum excultarum formam nondum præparata ad eam rem materia et elementis ad se transferret; adolescentia autem ea videtur appellanda, quum ingenium alacre et vegetum a primis conatibus progressum vires exercet opesque promit et formas, quibus eæ contineantur, ipsum sibi fingit, non sine legibus (nam tum quoque leges sequitur, quas ipsa natura præscribit, easque sensim non verbis, sed ipsis operibus exprimit et proponit), sed legum tamen nondum gnarum, et ita ut operis sui rationem sibi non reddat. Latinis quum hæc suæ formæ fingendæ sive necessitas sive occasio legumque non cognoscendarum, sed reperiendarum erepta esset, celerius eo pervenerunt, ut in litteris de sua opera eiusque ratione, forma, legibus, aliquo modo cogitarent; neque enim eadem est meditationis vis, quum sensim rebus, quas ipsi tractamus, cogentibus nostra sponte ad eam deducimur, et quum ea non solum impellitur aliunde, sed, quibus aliquatenus sibi satisfaciat, parata ab aliis accipit. Sed hinc alia sequuntur. Primum iam non mirum videtur, quod ipse populus minus quam Græcorum aliquot gentes litterarum particeps est factus, etsi eius rei etiam aliæ fuerunt causæ; in quo interdum, qui iudicant, iniuriam faciunt populi ingenio; interdum non potuisse placere populo Romano peregrinæ originis litteras dicunt, quod verum 89
est, si ita intelligitur, non ideo placere non potuisse, quod earum tota forma a proprietate populi prorsus abhorruerit, sed quod nemo quicquam plane intra se recipiat ac suæ naturæ adiungat, quod tum ei detur, quum nondum præparatus sit, etsi idem alio tempore accepturus facile esset, quum aliquid ipse afferret, cui id adhærescere posset. Tum vero ex singulari hac litterarum antiquissimarum apud Romanos ratione factum est, ut apud eos maturius ea studiorum genera nascerentur, quæ apud Græcos litteras adultas et vetustate corroboratas

comitata sunt, de litteris earumque quum natura generibusque et formis tum monumentis et historia simulque de sermone disputatio et erudita quæstio, quæque erant cetera apud veteres criticorum et grammaticorum propria; ad quorum ipsam artem disputandique genus non mediocrem apud Latinos vim habuisse videtur, quod non multiplicem usum liberrimosque ingeniorum conatus, ne amplam quidem monumentorum materiam hæc studia subsecuta sunt; eodemque pertinet, quod apud Romanos, si a litterarum initiis tempus numeramus, maturius multo quam apud Græcos ipsi rerum gestarum narrationi adiunctum est peculiare antiquorum institutorum rituumque cognoscendorum et describendorum studium. Nunc quidem temporum iniuria magis etiam patere videtur hæc Græcarum Latinarumque litterarum diversitas, quod, amissis superioris ætatis monumentis, si a Catonis de agricultura libello discedimus, eorum, quorum opera prosa oratione scripta exstant, antiquissimus Varro est, grammatici operis auctor. Augent autem rei admirationem, qui litterarum, quæ ante Ciceronis ætatem fuerunt, historiæ imaginem, ut fit fere in iis temporibus contemplandis, quorum rara monumenta exstant, nimis contrahunt nec animadvertunt,
90 plures illo temporum spatio inde a Livio Andronico contineri quasi ætatum successiones, quibus admodum diversa fuerit litterarum forma. Sed maturi huius eruditionis studii exemplum nescio an nullum sit notabilius quodque magis ea, quæ dixi, declaret, quam, de quo hoc loco paucis disserere constitui, quod id insigni errore nonnulli tollere student, L. Attii, poetæ tragici, sine dubio inter antiquos ponendi, cuius tempore nondum poesis Latinæ forma constituta erat, in multis generibus tenuia tantum initia facta.[1]) Is enim *didascalicon* libros

---

[1]) De rebus Attii nihil est, quod dicam; neque enim refellenda est opinio primum a Baylio (Dict. critique s. v. *Accius*) iacta, quam ab ipso pæne eversam alii quidam recoxerunt, nuperi quoque lexici Forcelliniani editores Germani ab Italo petendam putarunt, de duobus Attiis poetis pro eo, quem veteres semper simpliciter L. Attium poetam appellant, in quem omnia optime conveniunt. Natus erat, teste Hieronymo, a. u. c. 584 (a. Ch. 170 Mancino et Serrano coss.); vitam, ut ex Valer. Max. III, 7, 11 intelligitur, eo usque produxit, ut Iulium Cæsarem viderit, non, ut imperite post alios putat Bothius (Fragm. Tragic. Lat. in vol. V Poet. Scen. Lat. p. 157), dictatorem, sed C. Iulium Cæsarem Stra-

scripsisse traditur, in quibus nomen ipsum et fragmenta, quæ paulo post proferentur, de poesi scenica eiusque historia erudite disputatum esse ostendunt, mirum, ut videtur, scribendi genus illa ætate apud Romanos, nondum admodum remotis scenæ initiis, et in illo homine, quod apud Græcos a nullo poetarum scenicorum tractatum est, a grammaticis Alexandrinis poetisque, qui poesin cum grammaticis studiis coniungebant, diligenter excultum. Id unde originem et nomen habuerit et
quale fuerit, post Casaubonum (ad Athen. VI p. 235 E) ex- 91
posuit A. Bœckhius (in Corp. Inscriptt. Græc. I p. 350 sqq.), auctores autem enumeravit A. Meinekius (Quæst. Scenic. spec. III p. 1—7). Ex veteribus enim monumentis, quibus notata erant scenica certamina et quæ ad ea pertinebant, quæ ipsa διδασκαλίαι appellata videntur, Aristoteles librum effecerat inscripseratque διδασκαλίας, in quo nihil aliud quam illa monumenta collegisse disposuisseque videtur, ut efficeretur index, ex quo perspici posset, quæ fabulæ quorum poetarum quibus temporibus per quos quo eventu actæ essent, quæque essent horum similia, eodemque modo alia διδασκαλιῶν corpora ab aliis confecta fuisse videntur. His fontibus Alexandrini grammatici aliique utebantur scenæque historiam scriptis complectebantur, qui tamen non διδασκαλίας libros inscripserunt; sed Callimachi erat πίναξ τῶν κατὰ χρόνους καὶ ἀπ' ἀρχῆς γενομένων διδασκαλιῶν, Carystii Pergameni liber περὶ διδασκαλιῶν.

Horum igitur exemplum secutus Attius didascalicon[1]) libros inscripserat, quibus simile argumentum paulo amplioribus finibus comprehenderat. Nam primum Græcos et Latinos poetas persecutus erat, quanquam diutius in horum operibus moratum puto, deinde præter scenicum genus nonnulla ad alias historiæ

---

bonem Vopiscum, oratorem et poetam tragicum, qui a. u. c. 667 (87) ædilicius periit. Convenit, quod Cicero se adolescentem cum eo sæpius collocutum significat (Brut. 28, 107), ut, si a Cicerone viginti annos nato auditus est, plus quam octoginta annos vixerit.

[1]) Hanc esse veram formam, quæ est in duobus Prisciani, uno Charisii, uno item Nonii loco, non *didascalicos* libros (quod item dici posse Mercerus putabat ad Non. p. 134, quod extrita extrema littera *in didascalico libro I* et similia legebantur), vidit Osann. Anal. crit. p. 62. Sed *didascalicorum* Latina forma a grammaticis appellari non potuisse, nihil est, quod credere cogat. Cfr. Weichertus loco infra citando.

poesis partes pertinentia videtur adiecisse, quanquam falso ex eo, quod de Homero et Hesiodo aliquid initio operis disseruit
93 et quod alicubi diversa esse poematum genera dixit, omnia poesis genera omnesque ætates eum complexum esse concluditur. Iudicia quoque de ipsis poetis poematisque interposuisse, ex fragmentis patet. Prosa oratione scriptos fuisse libros, ut Mercerus recte iudicaverit, frustra fuisse, qui fragmenta in versus digerere studuissent, quum ipsa argumenti exemplorumque Græcorum ratio tum ea evincunt, quæ apud veteres scriptores inde citantur, apertissime Gellii loci et fragmentum libri noni (ultra quem nullus citatur) apud Nonium.[1] Sed, ut ante in unum collecta sint, quæ ad eos libros cognoscendos pertineant, quam ad dubitationem de iis motam accedamus, afferendum esse videtur, quicquid ex iis libris superest reliquiarum. Locos scriptorum iam alii indicarunt, emendandorum fragmentorum perbrevium exigua est copia.

Ex libro primo duos locos Nonius citat, alterum pag. 341 Merc. (de var. signif. serm. v. *mactare*): *Accius didascalicon* (vulg. *didascalico*) *libro I: Sapientiæque invictæ gratia atque honoris patera Nestorem mactavit aurea* (qui, ut Mercerus intellexit, ad Iliad. XXIII v. 615 sqq. spectare videtur); alterum p. 514 (de indiscr. adverb. v. *inimiciter*): *Accius didascalicorum libro I: Placare hostem ferocem inimiciterque accensum.* Priscianus p. 709 P. hæc ponit: *Attius in primo didascalicon: Falsidica, audax, gnati mater pessimi, odibilis, natura impos, excors et fera.* Gellius lib. III c. 11 ita scribit: *Accius autem* (supra *L. Accium poetam* nominat) *in primo didascalicon* (v. *didascalico*) *levibus admodum argumentis utitur, per quæ ostendit, Hesiodum natu priorem. Quod Homerus, inquit, cum in principio carminis Achillem esse filium Pelei diceret, quis esset Peleus, non addidit; quam rem procul, inquit, dubio dixisset, nisi ab*

[1] [Versibus scriptos fuisse didascalicon libros recte G. Hermannus disputavit, quam sententiam et similitudo aliorum eiusdem aut propinquæ ætatis operum, de quibus infra dixi, et fragmentorum vestigia confirmant, neque probabile est Attium a ceterorum poetarum antiquorum exemplo desciscentem prosa etiam oratione aliquid composuisse, aut inferioris ætatis grammaticos ex prosæ orationis libris nobilis poetæ testimonia arcessivisse. Utrum trochaicis versibus an, ut alii putarunt, Sotadeis Attius usus sit, non quæro.]

Hesiodo iam dictum videretur. De Cyclope itidem, inquit, vel 93
maxime quod unoculus fuit, rem tam insignem non præterisset, nisi æque prioris Hesiodi carminibus vulgatum esset.

Secundum librum bis citat Nonius. P. 165 (de honest. et nov. vet. dict. v. *redhostit*), posito verbi *redhostire* exemplo ex Attii Amphitruone, addit: *Idem didascalicon* (v. *didascalico*) *lib. II: Ut dum velint brevitatem consequi verborum, aliter ac sit relatum redhostire sponsum.* In extremis Mercerus tentat: *elatum, redhostit responsum*; ex quibus *responsum* verum videtur, *elatum* incertum, *redhostit* falsum. P. 178 (de hon. et no. vet. dict. v. *temerius*) hæc affert: *Acc. didascalicon* (*didascalico*) *lib. II: Sed Euripides, qui choros temerius in fabulis.* Idem Nonius librum octavum citat p. 194 (de indiscr. gener. v. *balteus*): *Accius didascalicon libro VIII: Auctoribus manuleos, baltea, machæras.* Pro *auctoribus* in margine exemplaris bibliothecæ universitatis Haun., quod G. I. Vossii, Marqu. Gudii, Io. Alb. Fabricii fuit, adscriptum est: *f. ductoribus*; deinde *manuleas* scribendum est, ut Scheller in lexico monuit.

Noni libri tria fragmenta sunt, primum apud Charisium lib. I p. 114 P.: *Accius quoque didascalicorum nono: Nam quam varia sint genera poematorum, Bæbi, quamque longe distincta ab aliis, nosce*; ubi scribendum est: *distincta alia ab aliis*; alterum apud eundem est lib. II p. 195: *Statim. Accius in didascalicon IX: Vectigalia legerant vestra et servantur statim; pro statute et ordinate.* Vox *legerant* corrupta est.[1]) Priscianus denique p. 603 P. hæc habet: *Accius in IX διδασκαλικῶν: et magnificissime excellissimeque honore*; pro quibus Krehl e codd. paulo melius edidit: *magnificissimi excelsissimi honore*, recte altero adiectivo mutato. Sed præter hæc, quæ
nominatim e didascalicon libris citantur, eodem pertinere recte 94
iudicantur ii veterum scriptorum loci, ubi L. Attii testimonio, non nominato libro, tanquam in re non ignota, in rebus, quæ ad scenæ historiam spectant, utuntur. Itaque recte Vossius in libro de poetis Latinis, a quo non dissensisset Baylius, si satis rationes suas Vossius exposuisset, ad hos libros rettulit, quæ a Cicerone in Bruto de miro errore Attii in tempore primæ

---

[1]) [Scribendum: *lege erant vestra et servabantur.* Hanc coniecturam num quis præceperit, quærere nunc non vacat.]

actionis scenicæ constituendo scripta sunt c. 18, 72: *Attius autem a Q. Maximo quintum consule captum Tarento scripsit Livium, annis XXX post, quam eum fabulam docuisse et Atticus scribit et nos in antiquis commentariis invenimus; docuisse autem fabulam annis post XI C. Cornelio, Q. Minucio consulibus ludis Iuventatis, quos Salinator Senensi prœlio voverat. In quo tantus error Attii fuit, ut his consulibus XL annos natus Ennius fuerit; cui quum æqualis fuerit Livius, minor fuit aliquanto is, qui primus fabulam dedit, quam ii, qui multas docuerant ante hos consules, et Plautus et Nævius.* Eiusdem libri alter est locus eodem referendus, ut Langius vidit (Vind. Trag. Rom. p. 3 not.), c. 64, 229: *Attius iisdem ædilibus ait se et Pacuvium docuisse fabulam, quum ille octoginta, ipse triginta annos natus esset.* Ex didascalicis item repetita sunt, quæ Gellius ex Varronis libro affert III, 3: *Marcus autem Varro in libro de comœdiis Plautinis primo Accii verba hæc ponit: Nam nec Gemini nec Leones nec Condalium nec Anus Plauti nec Bis Compressa nec Bœotia unquam fuit, neque adeo* Ἄγροικος *neque Commorientes, sed M. Aquilii*; quo loco admodum dubium est Aquilii nomen, cuius poetæ comici nulla mentio est, nisi quod apud Gellium eodem capite paulo superius scribitur, *Bœotiam* comœdiam Aquilii esse dici; nam in Varronis de eadem comœdia
95 loco, de L. L. V p. 75 B. (VI p. 266 Sp.), in codicibus pro nomine est *alii*; in Gellii autem priore loco varietas lectionis annotata non est, inferiore in codd. est *M. Hatrutici* et *M. Accii Titi* et fortasse alia, ut non improbabilis sit sententia Popmæ *Atilium* substituentis.[1]) Eiusdem capitis initio Gellius. qui Plauti fabulas curiose lectitarint, dicit nec indicibus Ælii nec Sedigiti nec Claudii nec Aurelii nec *Accii* nec Manilii super his fabulis, quæ dicantur ambiguæ, credituros; quo loco Attius propter eosdem didascalicon libros nominatus videtur.

Atque hæc fragmenta et vestigia totam operis illius formam non satis declarant; verum, ut ab initio dixi, memorabile maxime id est, fuisse omnino huiusmodi Attii libros. Sed hoc ipsum ortus est qui negaret et omnia alia doceret, Fridericus

---

[1]) In Varronis loco Spengelius aliorum coniecturam *M. Accii* (Plauti) probavit; nec certum est, utram famam ibi Varro significare voluerit; sed Varro Plautum, non M. Accium citare solet.

Osannus, cuius ego disputationem ante aliquot annos proditam,
non paucis oblivionis et inconsiderantiæ erroribus implicatam,
ut solet huic viro in novis inventis, quorum cum credulitate
quadam paulo est cupidior, accidere, non putarem accurate
refellendam, nisi et Langius in Vindiciis Tragœdiæ Romanæ
eam improbare ausus non esset et plane pluribusque verbis
probasset præter Bothium, qui in toto hoc genere leviter ad-
modum est versatus (Fragm. Tragic. Lat. p. 1), et Bæhrium
(Hist. Litt. Rom. p. 45) [p. 80 ed. 2] Augustus Weichertus
(in comment. de Lævio poet. p. 46 ed. Lips. 1830), ut iam
latius serpere error videatur. Osannus enim, quum in Ana-
lectis Criticis (poesis Rom. scenicæ reliqu. illustrantibus. Bero-
lin. 1816) p. 39 sqq. de anno, quo acta esset prima apud
Romanos fabula, quæreret utereturque loco supra a me comme- 96
morato Ciceronis ex Brut. c. 18, efficere studuit, non L. Attium
illo loco a Cicerone nominatum esse, neque eius fuisse dida-
scalicon libros, sed Attii cuiusdam Prætextati Philologi, gramma-
tici apud Suetonium (de illustr. gramm. 10) commemorati,
Sallustii et Asinii Pollionis cultoris. In quo eatenus præierat,
quod Osannus non dicit, Gronovius ad Gell. III, 3, ut L. Attii
poetæ didascalicon libros fuisse negaret. Rationibus autem
Osannus utitur (p. 61 sqq.), primum quod incredibile sit, At-
tium errorem quadraginta fere annorum in anno primæ Livii
Andronici fabulæ constituendo committere potuisse, deinde quod
tam vastæ et latæ eruditionis opus Romæ a Romano homine
illo tempore confici non potuerit, tum quod Attii fama, si tale
eius opus exstitisset, non ita obscurata esset, ut in Attio nihil
præter eius poeticam virtutem cum laude prædicaretur; postremo
quod non sit veri simile, Attium, qui apud Gellium III, 3 inter
grammaticæ Latinæ auctores, qui omnes post Attium tragicum
vixerint, nominetur, eundem esse atque hunc. Itaque primum
omnibus illis locis, in quibus Attii didascalica nominatim me-
morantur, uno Gellii, duobus Charisii, quattuor Nonii, duobus
Prisciani, pro Attii nomine sine ulla inconstantia perscripto
(nam *Accius, Actius, Attius* apud librarios eiusdem sunt nominis
formæ), Ateii sufficit, cuius nusquam vestigium in hac re est:
deinde quod apud Gellium III, 11 scriptum est *L. Accius poeta*,
extremum vocabulum abiicit; Nonii autem quinto loco (p. 165)
quod nec *Idem* in *Ateius* facile mutari poterat nec Ateio

tragœdia Amphitruo simul tribui, a librario pro Ateio Attium illatum, deinde, eodem nomine præcedente, *idem* scriptum iudicat. Tum vero, quod nihil valitura erant ea argumenta,
97 quibus ad hæc mutanda impellebatur, nisi omnem rei scenicæ historicam commemorationem ab Attio amolitus esset, apud Gellium III, 3 bis Ateii nomen reponit, ante omnia vero in Ciceronis Bruto l. c. Alterius autem Bruti loci (cap. 64) plane est oblitus, qui, quod nullis machinis effici potest, quin ibi L. Attium poetam de scena fabularumque actione scripto tradidisse videamus, totam illam disputationem evertit. Sed quum Varro (de L. L. V p. 100 Sp., IV p. 28 Bip.) Attium ita commemoret, ut tragœdiam respicere non videatur, ibi quoque Ateius subiicitur. Sed nominantur apud Nonium (p. 61 de prop. sermon. s. v. *porcæ*) Attii Parergon libri, apud Gellium (XX, 3) et Nonium (p. 150 de hon. et no. vet. dict. s. v. *perperos* et p. 156 de hon. et no. vet. dict. s. v. *ponderitatem*) Pragmaticon, et ex his quidem afferuntur, quæ ad scenam pertinere videantur. Præterea eundem horum esse et didascalicon scriptorem Gellius in præfatione significat, qui, de nominibus, quibus auctores librorum ad eruditionem spectantium usi essent, loquens, *est*, inquit, *qui πραγματικά et πάρεργα et διδασκαλικά* (*inscripserit*). Itaque etiam hi Ateio dantur, bis, quod dicere oblitus est, apud Gellium *poetæ* appellatione eiecta. In quo paulo post apparebit, quum grammaticum prosæ orationis scriptis ditare vellet, poetam simul effecisse. Satis hoc est sane critici moliminis. Mirum est tamen, non venisse in mentem quærere, quid esset causæ, cur in his libris tam pertinaciter librarii Ateii nomen in Attii mutassent, quum, ubi ceteroquin Ateii nomen citaretur, Attium non substituissent. Sed de hoc ipso Ateio primum videamus; qui ob solam nominis similitudinem electus est, ut Attio succederet; neque enim extra hanc controversiam ullum est vestigium, quod eum similia argumenta attigisse ostendat. Is grammaticus libertinus non
98 admodum celeber raro ab aliis scriptoribus et ab iis grammaticis, quorum nos libros habemus, citatur, nec, ut videtur, nisi addito propter eam causam *Philologi* cognomine; sic enim citatur a Plinio in indice auctorum libri quarti, a Festo s. v. *Naucum, Ocrem* (e libro glossematorum), *Orchitis, Stroppus, Tudites, Vacerra,* a Charisio I p. 102 et p. 108 P., a Servio

ad Æneid. I v. 601 (605), denique, ut ipse Osannus coniecit, a Prisciano VIII p. 792 P. (ubi vulgo est *Alpheus Philologus*); nam quod a Servio ad Æneid. I, 273 et V, 45 Ateius nominatur simpliciter, is Capito videtur esse, longe illustrior, a cuius coniectaneorum argumento non abhorrent, quæ ibi traduntur. Unus superest Plinii Maioris locus in indice auctorum libri XXXII, ubi *L. Ateii* nomine hunc Philologum significasse videri potest. Eius ne libros quidem multos superfuisse, ex ipsius Suetonii verbis intelligi potest (*ex commentariis eius, quanquam paucissimi exstent*). Nec sane, quæ apud grammaticos exstant didascalicon fragmenta, ex grammatici eiusmodi scripto citata esse possunt. Afferuntur enim verborum priscorum et poetice fictorum (*redhostire, inimiciter, temerius, perperus, perperitudo, ponderitas, statim* pro *ordinate*) auctoritates, quas non ex illius generis libris posteriores repetebant.[1]) Nec quisquam, qui non hebes sit, in illis *Falsidica, audax* cet. grammaticum Ciceroniani temporis, sed tragici veteris scribendi genus agnoscet. Pragmaticorum quoque locum Gellius XX, 3 plane ita citat tanquam veteris poetæ, quem explicet, non grammatici, ex quo rem discat. Sed de Cicerone et Varrone res etiam apertior. Censet 99
Osannus, Ateii florem incidisse in priorem vitæ Ciceronis partem, ioculari prorsus argumento, quod Asinius apud Suetonium Ateium *primum* inter Romanos Philologi cognomen adscivisse tradat (quod ne tradit quidem, sed tantum eum adscivisse; etsi illud verum est), Cicero autem Ep. ad Att. XIII, 12 eo nomine ut pervulgato iam utatur. Sane Cicero *hæc* φιλολογώτερα dicit; itaque Osannus, si considerate scripsisset, vocabulum φιλόλογος ab Ateio inventum videretur credere. Erat Ateius Antonii Gniphonis discipulus. Gniphonis autem ætas cum priore Ciceronis vitæ parte fere congruit, qui quum Cicerone prætore, id est, 40 annos nato, etiamtum vixerit, nec omnino quinquagesimum ætatis annum excesserit (Suet. de ill. gramm. 7. cfr. Schütz. Prolegg. ad libr. ad Herennium), decem summum annis Cicerone maior esse potuit; discipulus autem minor ali-

---

[1]) Raro in singulari aliqua forma vocabuli testimonio utebantur vetustiorum grammaticorum, qui eam dedita opera et re quæsita posuisse viderentur, in quo genere ipse Ateius Philologus apud Charisium p. 102 citatur.

quanto fuisse Cicerone videtur; nec id abhorret ab eo, quod Sallustium et post eum Asinium Pollionem coluit. Sed utut hæc sunt, nec Cicero huiusmodi grammaticum libertinum obscurum ita simpliciter in Bruto nominasset, eiusque rationes cum Attici amici comparasset et refellisset, nec Varro huiusmodi hominis se etiam ætate inferioris verba tanquam singularis auctoritatis in ea re, in qua ipse princeps habebatur, in veteris scenæ historia, in suum librum transtulisset (Gell. III, 3), multo vero minus, quum de voce aliqua recondita disputaret (de L. L. l. c.), admonuisset, hanc esse, quæ apud Ateium legeretur. Sed ita cupidus est Osannus Ateii illius ubique inculcandi itaque ruit, ut etiam, quod Sallustium historiam componere aggressum *breviario rerum omnium Romanarum, ex quibus, quas vellet, eligeret, instruxit* (Suet. de ill. gramm. 10), propter hunc privati usus commentarium inter historicos vetu-
100 stos Latinos, quorum Cicero initio libri primi de legibus censuram agit (qui sermo habitus eo tempore fingitur, quo nondum Sallustius ad historiam aggressus erat), ponendum putet, legendumque I, 2, 7, ubi Sigonius ex codd. bonorum omnium vestigiis (*Acrum*) *Macrum* restituit, *Ateium*. Ex quo iam, qui cum Asinio Pollione vixit, Ateius efficitur L. Sisennæ amicus et eiusdem ætatis, id est (nam Sisenna Hortensio a. 640 s. 114 nato maior erat, Cic. Brut. 64, 228), fortasse magistro suo maior[1]; et, qui ipse se in Græcis litteris magnum processum

---

[1]) De Sisennæ ætate quæstionem instituit A. Weichertus in commentatione de C. Licinio Calvo Poeta § 4 p. 99 ed. Lips., qui dum premit Velleii temporum notationem parum accuratam (in unum enim locum coniecit homines aliquantum disiunctos, ut oratores Africanum, Lælium et L. Crassum, M. Antonium), Ciceronis locum, quem posui, enarrando pervertit, in quo nihil putat de tempore dici, sed de Sisennæ oratoria facultate ita iudicari, ut medius ei inter Sulpicium et Hortensium assignetur locus. Vim facit verbis (*interiectus inter duas ætates*, tum *maiorem, minorem*); et præcesserat: *Inferioris* [quam Sulpicius ceterique] *ætatis erat proximus L. Sisenna*; ætate medius inter utrumque, facultate utroque inferior satis aperte dicitur, in quo nihil est absurdi; nec aliter Vossius intellexit. Contra Weicherti enarratio plane est absurda, in qua hoc dicitur, Sisennam inter duas ætatis interiectum *maiorem* consequi non potuisse, quæ tamen *maior non fuerit*, quoniam Sisennæ ætatem hoc loco non significari et præterea eum Sulpicio priorem fuisse statuit. Sisennam (nec dubito, quin sit historicus, quum

habere, in Latinis nonnullum, scripsit (vid. Sueton. l. c.), a 101
Cicerone Latinis litteris instructus, non Græcis significatur.[1])

Satis est ex hac causa sublatus Ateius iste et ornamentis ficticiis privatus, patefactumque simul, quanta testimoniorum consensio sit, Attio poetæ didascalicon libros vindicantium, ut iam videndum sit, qualia sint, quæ his auctoritatibus opponuntur, argumenta. Ex quibus illud vix attingendum est, quod nisi honorifice et adiecto poetæ titulo Cicero hominem, quem tanti fecerit, illo Bruti loco non commemoraturus fuisse dicitur et errorem castigaturus. Nam neque, cur poetæ appellatio in notissimo homine unoque eius nominis scriptore necessaria fuerit, video (nec est in cap. 64), neque, cur non licuerit simpliciter sine ullo verborum honore aut contumelia gravem errorem refellere. Ipse autem error (nam id altero loco ponitur) etsi mirus est profecto in re et testata nec vetere admodum et cum reliqua scenæ historia coniuncta, tamen nulla est causa, cur ab Attio eum committi potuisse negemus, ab alio autem docto homine, qui in eiusmodi rebus quærendis et scribendis singulare studium posuisset, non longe ab eodem tempore commissum dicamus. Neque enim tempus interiectum inter Attium, qui Ciceronis ætatem senex attigit, et alterum illum, qui ali- 102
quanto ante Ciceronis Brutum Varronisque librum de comœdiis Plautinis editum scripsisse putabitur, tantam rei ignorationem afferre potuit. Rem conficit, quod non a solo Attio, sed ab

---

nihil addatur, ut de homine notissimo) cum Hortensio floruisse patet etiam ex Senec. præf. lib. I Controv. p. 66 Bip. [§ 19 Kiessl., et apertissime testatur Plut. Lucull. 1]. Præturam Sisennam gessisse a. 676 s. 78 Æmilio Lepido, Lutatio Catulo coss. et utramque iurisdictionem, urbanam et inter peregrinos, coniunxisse constat ex SC. de Asclepiade Clazomenio (C. I. L. I, 110 n. 203); urbana Sisennæ iurisdictio significatur in Ciceronis fragmento ex orat. I pro Cornel. (vol. IV p. 2 p. 450 Orell.), nec videtur dubitandum, quin idem recte intelligatur apud Cic. Verr. II, 45 et IV, 15.

[1]) Quoniam errores in hoc homine commissos notare incepi, addo O. M. Muelleri et Bæhrii (hist. litt. Lat. p. 278, p. 376 ed. 2), Sallustium extremam vitæ partem *in consuetudine elegantis philosophi, Ateii Prætextati* transegisse, et Vossii et Bæhrii (p. 285, p. 388 ed. 2), Asinium Pollionem breviario rerum Romanarum ab Ateio instructum narrantium, ex male intellecto Suetonii loco, ubi apertum est, id ad Sallustium pertinere.

alio scriptore eiusdem fere ætatis in ea re erratum ostendere possum. Sed notandus est antea alius Osanni error, qui ipse in hac quæstione de prima fabula apud Romanos acta non semel labitur. Alia post videbimus; nunc hoc. Quærit, quibus ludis illa fabula acta sit, rem vix quærendam; sed tamen Ateium, in tempore falsum, nescio cur ludorum nomen recte edidisse iudicet; actam igitur fabulam ludis Iuventatis, qui anniversarii fuerint. Verum nulli unquam ludi anniversarii Iuventatis fuerunt; alia sunt enim *sacra* Iuventatis, quæ ex Ciceronis ad Att. I ep. 18 huc transfert, ludique Iuvenales a Nerone imperatore instituti; satisque aperte ille, quem Ateium pro Attio appellat, *votivos* ludos propter victoriam factos dixit, ut, si in aliud tempus res reiiceretur, etiam ludi alii quærendi essent. Ne voti quidem, opinor, ulli antea Iuventati ludi, cui simul ex eodem illo voto ædes dedicata cultusque constitutus est. Testis est rei Livius lib. XXXVI, 36 § 5, 6. Sed a Livio ludi illi ex Salinatoris voto non, ut ab Attio, C. Cornelio, Q. Minucio coss. a. 557 s. 197 facti narrantur, sed P. Cornelio Scipione Nasica, M'. Acilio Glabrione coss. a. 563 s. 191. Eodem autem anno ludos ob dedicationem ædis Matris Magnæ Idææ factos refert, *quos,* inquit, *primos scenicos fuisse, Antias Valerius est auctor, Megalesia appellatos*, quæ verba aliam sententiam non habent, nisi hos ludos primos omnino scenicos fuisse, appellatos autem Megalesia, ut maior etiam sex annis sit Valerii error quam Attii; nec licet cum Dukero (ad Liv. XXXIV, 54, 3) eam tantum rem a Valerio traditam illis verbis
103 putare, quam tribus annis ante Livius notat P. Africano II, T. Sempronio Longo coss. a. 560 s. 194, Megalesia ludos scenicos tum primum ædiles fecisse, ut et Megalenses ludi antea fuerint, sed non scenici, et scenici, sed non in Megalesiis. Omnino ex eo, quod id, quod de uno quodam genere ludorum erat dicendum, ad ludos omnes translatum ab aliquo est, ipsaque ludorum nomina (Megalesia, Romani) et genera (scenici cet.) inter se permutata, isque error negligentia ad plures manavit, confusio quædam in tota hac re talis effecta est, ut errorum seriem vix persequi possimus; ad nostram rem satis est, potuisse illud tam negligenter scribi ab Attio, etsi facile errorem animadversurus erat, si attendisset.[1])

---

[1]) Qui hæc paulo accuratius attigerunt, laudat Duker ad Liv. l. l. et ad XXXIV, 44, 5. Negligentia, non rei ignoratione, lapsum esse Valerium

Negat deinde Osannus illo tempore eiusmodi opus ab eo homine confici potuisse; quod is primum sine causa, ut supra dixi, omnia poesis genera complexum statuit; deinde quod 104

---

apparet ex eo, quod, ut ex Asconio ad Cic. Cornel. p. 100 Hot. patet (coll. disput. nost. de Ascon. p. 72 not.), sedes ordinum in theatro secretas a. 560 s. 194 narraverat. Ut tota res perspiciatur, componam, quæ tradita sunt, verique similem, si non veram, dissensus originem monstrabo. A. 550 s. 204 Cethego et Tuditano coss. primum Megalesia facta sunt, accito ex Phrygia Matris Idææ cultu, sine scenico apparatu (Liv. XXIX, 14). Fieri potest, ut aliquis, quod postea scenici erant, statim fuisse putarit, ut accidit Dacerio ad Festum v. *Salutaris*. Osanno nescio quid acciderit, qui Megalenses *iam antiquissimo regum tempore institutos* narrat (p. 58). Sed scenicos primi fecerunt ædiles curules anni 560 s. 194 P. Africano II, Ti. Sempronio Longo coss. (Liv. XXXIV, 54, 3). Hoc ita acceptum ab aliquo est, ut primi omnino ludi scenici in eum annum coniicerentur. Sed eodem anno facta erat, quam fama celebravit, sedium senatorum et plebis in theatro discretio. Ea a Valerio Antiate (vid. Ascon. l. nuper c.) et Livio (XXXIV, 44, 5 et 54, 4) recte in ludis Romanis facta tradi videtur, sed propter celebritatem Megalensium huius anni ad eos translata res est fortasse ab aliis, certe a Cicerone in orat. de harusp. resp. (in ea, quæ nunc exstat, c. 12) et Val. Max. II, 4, 3; fuerunt etiam, ut is, cuius nomen apud Asconium illo loco excidit (vid. comm. de Ascon. l. c.), qui ludos votivos ipsorum consulum commemorarent. Id alii consulum auctoritate institutum narrabant, ut Cicero in orat. de harusp. resp. et alii apud Liv. XXXIV, 54, 8, verius, ut videtur, alii censorum Sex. Ælii Pæti et *C. Cornelii Cethegi* (Liv. XXXIV, 44 et Valerius Antias). Iam qui hoc anno primos ludos scenicos actos errore, ut dixi, credebant, eam rem coniungebant cum Cethegi nomine. Hinc factum, ut in ipsius C. Cornelii Cethegi et Q. Minucii Rufi consulatum a. 557 s. 197 transferretur scenæ origo, ut ab Attio factum videmus, quum præsertim eo anno ludi Romani *magnificentius quam alias facti et lætius spectati totique ter instaurati* essent (Liv. XXXIII, 25). Denique a. 563 s. 191, quum templum Matris Idææ dedicaretur, magnificentius sine dubio eius ludi facti sunt; itaque fuerunt, qui hoc demum anno scenicam actionem additam traderent, deinde eo, quo ostendi, errore, omnino hoc anno primos ludos scenicos actos, ut Antias (Liv. XXXVI, 36). Sed eodem anno Iuventatis ludi facti erant; itaque ad hos idem translatum; hoc errore cum altero, quem exposui paulo ante, coniuncto oritur tota Attii ratio. Non dico hunc errorum ordinem certum esse, quum ne Livium quidem omnia sine confusione tradidisse præstare possim; sed patet causa errandi. Recentiorum perturbationes huius rei omitto. Osannus, quum tamen data opera dissensum illum Attii et Ciceronis tractaret, totum hoc de ludis ignoravisse videtur; Dukerum miror Ciceroniani loci rationem non habuisse.

vastæ et latæ eruditionis opus appellat, recte sentire videtur, si, primum illis finibus argumenti positis, quid aut nos aut fortasse Alexandrinus aliquis criticus postulaturus fuerit, quærimus: Latinorum illorum didascalicon scriptor quam late evagatus sit, quam operose in singula inquisiverit, nescimus. Nam quod *summæ pro illa ætate doctrinæ* librum fuisse dicit, et de chori negligentiore iam apud Euripidem usu *fusius* expositum fuisse quam pro Attii ætatis eruditione, quam late
105 fusa fuerit illa disputatio, non constat; doctrinæ laudem non detraho libris pæne ignotis, sed tamen ea ex eo non confirmatur, quod Cicero gravem errorem notat, Varro de Plauti comœdia dissentit, Gellius scriptorem frigidis argumentis usum iudicat; et sunt sane frigida. Græcarum quidem litterarum ea cognitio, ut aliquid de tragicis dicere posset, non dubitandum est, quin in Attio fuerit, qui multas fabulas a Græcis ad Romanos transtulit. Sed ipsa est diligentius consideranda dubitatio, quod cum iis, quæ initio huius commentationis diximus, coniuncta est, cadatne genus totum scribendi in Attium eamque ætatem. In quo cavendum est, ne, quod superius attigi, nihil interesse credamus inter tempora valde diversa, constituendumque accuratius, inter quos homines, qua litterarum ætate Attius vixerit. Nam si Livii Andronici aut Nævii aut Ennii etiam tale scriptum ferretur, iure dubitaretur. Esset enim non minus fere mirum, quam quod vulgo de L. Cincio Alimento traditur, quem eo tempore, quo primus annales rerum Romanarum Latinos Fabius edidit scribendæque historiæ tenue initium factum est, de verbis priscis, de fastis, de re militari, de consulum potestate similiaque scripsisse narrant; qui error, in quo etiam Niebuhrius fundamentum disputationis aliquod ponit (Hist. Rom. II p. 10 ed. 2), olim a Longolio animadversus est, nuper a Zumptio (in Iahrbüch. f. wissensch. Critik. 1829. II N. 12) sublatus. Verum Attius, inter quem et superiores illos interiectus erat Pacuvius, dimidio sæculo maior, vixit cum C. Lucilio, qui etsi natu minor fuit, tamen ante Attium est mortuus; grandior eius ætas in id tempus incidit, quo grammaticorum studia Romæ fervebant (vid. Sueton. de illust. gramm. c. 3), habuitque pæne æqualem, paulo ætate inferiorem, L. Ælium Stilonem Præconinum, huius studii pæne principem inter
106 Romanos, Varronis magistrum, qui a. 654 s. 100 Metellum Numi-

dicum in exsilium secutus est, quemque Cicero, qui cum Attio exactæ ætatis sene collocutus est, adolescens seniorem audivit (Brut. 56, 207). Sævius quoque Nicanor (Sueton. de ill. gramm. 5) et Aurelius Opilius, qui a. 662 s. 92 P. Rutilium Rufum in Asiam est secutus, quum antea Romæ philosophiam, deinde rhetoricam, ad extremum grammaticam docuisset (Suet. ibd. 6), Attio senescente floruerunt. Atque hoc tempore quanto opere huiusmodi studia apud Romanos viguerint, patet vel ex Lucilii exemplo, qui libro nono satirarum orthographica ita tractavit, ut de singulis litteris præcepta deinceps poneret, et in his rebus auctor a posterioribus citatus est (vid. fragm., maxime Quint. I, 6, 8; I, 7, 15; 1, 7, 19; Vel. Long. de orthogr. p. 2214 et 2220 P., Scaur. de orthogr. p. 2255). Erant docti homines et litteris instructi, carminum existimatores, ut Persius ille, cuius Lucilius se iudicium reformidare significabat. Exercebatur ab ipso Lucilio versibus critica quædam poematum censura (Gell. XVII, 21: *clariorque tunc in poematis eorum obtrectandis Lucilius fuit*; cfr. Horat. sat. I, 10, 53 sqq., ad quem locum Porphyrius scribit, Lucilium in tertio maxime et nono et decimo libro Attium et alios reprehendisse).[1]) Patet iam, notabile videri in Attio illud scribendi genus, non mira- 107
bile; idque magis etiam apparebit, si addidero, circa illud ipsum tempus similiter de poesis historia versibus alium poetam scripsisse, minus nunc notum. Is Porcius est Licinius [sive potius *Licinus*],

---

[1]) Miror nunc vulgo extremum versum ita interpungi et explicari, quasi Lucilius, quum de se loqueretur, aliis omnibus a se reprensis se præferre solitus sit. Nihil magis ab Horatii consilio alienum quam stultissimæ huius arrogantiæ criminatio; utitur enim hac ratione, ut libertatem illam vel in optimo poemate partes quasdam reprehendendi iam ipsum Lucilium secutum ostendat eiusque, quem ipse reprehenderit, exemplo se tueatur doceatque, omnino errare eos, qui huiusmodi iudicia semper e superbia nasci credant. Itaque necessario hoc dicit: tamen Lucilius ita loquitur, quasi illis maior sit; nec ego tam sum arrogans, ut, quod inculta et negligentiora quædam in Lucilii satiris dico, me illi præferam. Nec aliter verba intelligi grammatica ratio sinit; ut enim demus, in duas sententias versum distrahi et suppleri posse *loquitur*, certe omitti non poterat præpositio ante vocem *maiore*. Verum viderant superiores interpretes, a quibus quum esset sine causa discessum, nemo ad veritatem redire ausus est, nisi quod Wielandus eam secutus est.

cuius de initiis poesis Romanæ versus duos trochaicos tetrametros catalecticos Gellius citat lib. XVII, 21, qui ex eodem opere sumpti esse videntur, ex quo versus complures eiusdem generis de P. Terentio poeta afferuntur in Suetonii vita Terentii. Is Licinius, quem Bæhrius, alios, ut fit, incaute secutus (p. 241, p. 321 ed. 2), eundem fortasse esse putat ac Porcium Licinum, cons. a. 570 s. 184 (quo anno Plautus mortuus est), a Gellio, qui eius epigramma lib. XIX, 9 affert, Q. Lutatio (cos. 652 s. 102) præponitur. Scripsisse eum illa de Terentio aliquanto post eius mortem, patet ex eo modo, quo Africanum, Lælium, Furium commemoravit (*Tres per id tempus qui agitabant nobiles facillume*).[1]) Libri nomen ignoratur. Nam quod Weichertus *de poetis* appellatum scribit, testem non habet; videtur de similis argumenti libro Vulcatii Sedigiti cogitasse, hominis, ut Plinius appellat (Hist. Nat. XI, 99), illustris in poetica; is enim ita inscribebatur.[2])

108 Demonstratum est, nihil esse, cur propter ætatis illius litterarum condicionem de Attii eruditionis studiis librisque eo pertinentibus dubitetur. Obscurata autem hæc laus, quæ quanta fuerit, non constat, non est nisi ab ipso Osanno. Iam ne illud quidem mirum est, didascalicon scriptorem inter eos commemorari, quorum de veris et subditiciis Plautinis fabulis exstarent iudicia; nec, qui apud Gellium ei adiunguntur, multum ab eius tempore afuisse videntur.[3]) Atque ad eorum ætatem propius accedet illud Attii opus, si, ut mihi quidem

---

[1]) Weichertus (de Licinio Calvo p. 138) iuniorem Terentii æqualem fuisse suspicatur. Non est huius loci quærere, sitne hic intelligendus apud Cic. de Fin. I c. 2, quod probabile sane est; e Plinii libro citatur a Charisio I p. 103, idemque videtur esse Porcius a Varrone citatus de L. L. VI p. 100 B. (VII p. 380 Sp.)

[2]) Profert aliquot Vulcatii versus Gellius XV, 24, alios Suetonius in vita Terentii. Sed quando vixerit, incertum est; quanquam ne eum quidem longe ab hac Attii ætate remotum fuisse putarim. Suetonius iudicia de Terentio hoc ordine ponit, Afranii, Vulcatii, Ciceronis, C. Cæsaris.

[3]) De Ælio Stilone dictum est supra et proxime de Sedigito; Claudius, Aurelius, Manilius a Varrone citantur tanquam priores. Claudius nescio an sit Servius Clodius, Ælii gener (vid. Sueton. de illust. gramm. 2, 3); Aurelius est Opilius, quem supra attigi, qui a Symmacho Epp. 1, 14 Rutilii magister dicitur.

probabile esse videtur, a seniore post fabulas scriptum statuimus. De quo opere præter ea, quæ exposita sunt, nihil habeo, quod dicam. Illud ex iis, quæ Gellius III, 11 citat, apparet, frigidis argutiis grammaticorum, quas quis a poeta de poetæ opere scribente vix exspectaret, non caruisse. Ex quibus tamen minus de ipso Attii ingenio poetico coniecturam faciemus, si meminerimus, in erudita illa quæstione eum sine dubio, suo sensu excluso, ad illorum Græculorum rationem se composuisse, qui carmina vetusta tanquam formulas rabulæ alicuius anxio artificio compositas tractare solebant.[1]) Post Attium
similia, sed alio modo et, ut videtur, tantum Latina, Varro 109
exposuit libris de poetis, de scenicis originibus, de actionibus scenicis, quæstionum Plautinarum.

Pragmaticon libri Attii, ut omnia, quæ in hoc genere scripsit, comprehendam, quales fuerint, constitui nequit, nisi quod, ut iam supra dixi, eatenus similitudinem aliquam argumenti cum didascalicis habuisse patet, ut in iis de scena et rebus scenicis scriptum esset. Versibus compositos fuisse.

[1]) Antequam a didascalicis discedo, addendum aliquid de anno videtur, in quo Attius erravit. Osannus enim, postquam disputatione non necessaria Attii rationem, quam supra ostendi tantum negligentiæ deberi, refellit, quod ita factum erat a Cicerone, accedente Varronis auctoritate et omnium ceterarum rerum ordine, ut novis argumentis opus non esset, saltem non iis, quæ ex ipsius Ciceronis testimoniis in Catone ducerentur, ad extremum quærere instituit, fabula, quam actam Claudio et Sempronio coss. iam constat, annone 514 an 513 acta sit, eoque deducitur, ut, quoniam Ennius natus fuerit a. 514 Mamilio et Valerio coss., is autem natus tradatur anno post primam fabulam, eam a. 513 actam statuat, numerumque in Bruto Ciceronis et alium in Catone mutet; eique, quæ mihi causa monendi fuit, assentiuntur Langius Vind. Trag. Rom. p. 4 not. 5 et Weichertus de Lævio pag. 48. Ignoravit igitur, qui de chronologia disputare voluit, nihil inter hæc interesse; ex Varroniana ratione, quam Atticus et Cicero sequebantur, a. 514 illos consules fuisse, ex illa, ad quam Wetzelius Ennii annos et alios numeravit, a. 513, quumque de consulibus constet, non quæri de annorum discrimine. Commentarii, quorum testimonio Cicero utitur, vix, ut Osannus putat, pontificii fuerunt, quos tam indefinite (*ex antiquis comm.*) significare non solet, sed potius magistratuum, qui ludos edebant. Ex huiusmodi commentariis ductas opinor didascalias Terentianas.

cuius formæ in simili argumento exempla iam vidimus, ostendit fragmentum apud Non. p. 150, quod duobus versibus tetrametris trochaicis catalecticis constat:

Et eo plectuntur poetæ quam suo vitio sæpius,
Ductabilitate nimia vestra aut perperitudine;

(nam *suo* pro una syllaba est; tertia vocis *ductabilitate* syllaba ictu producitur).[1]) Nec obscura sunt eius metri vestigia in altero fragmento, quod eodem loco affertur (libri numerus nec in hoc nec in priore notatur):

110 Describere in theatro perperos
Popularis.

Nam quod ex primo libro citatur p. 156, corruptum est, ita tamen, ut extrema facile emendentur, pro *hominis*, quod vulgo legitur, substituto *nominis*:

Et cuncta fieri cetera
Imbecilla † non quod ponderitatem gravitatemque nominis.

Fortasse legendum est: *Imbecilla ob ponderitatem.* (In margine exempl. bibl. univ. pro *quod* adscriptum est *ob.*) Apud Gellium (XX, 3) *sicinnistas* (quorum erat genus quoddam saltationis scenicæ) Attius commemorasse narratur dixisseque appellatos

nebuloso nomine.

De Parergis multo minus constat, quorum unum fragmentum corruptissimum superest (Non. p. 61). Quo iure Harduinus (in ind. auct. a. Plinio laudat.) ad L. Attium poetam rettulerit, quod legitur in Plinii ind. auct. lib. XVIII: *Accio, qui Praxidica*, et in ipso libro XVIII, 55: *Adiecit iis Accius in Praxidico, ut sereretur, cum Luna esset in Ariete, Geminis, Leone, Libra, Aquario*, et hoc opus idem esse ac pragmatica dixerit, nescio.

Illud extremum sit, ne *Annales* quidem L. Attii, quorum fragmenta post Stephanum indicavit I. G. Vossius (de hist.

---

[1]) [Melius *aut* ante *ductabilitate* addendum esse coniecit, si recte memini, Ritschelius.]

Lat. I c. 7 p. 10, in Oper. Vol. IV), ab hoc erudito ac pæne grammatico genere abhorruisse videri, eamque fortasse causam esse, cur tam raro a grammaticis citentur. Quod unum est fragmentum plurium versuum, in eo Saturnaliorum Romanorum origo a Græcorum die festo derivatur. Apud Festum, qui s. v. *Metelli* horum annalium librum XXVII laudat, error sine dubio permagnus est in numero.

V.

Præfatio editioni orationum selectarum Ciceronis Hauniæ a. 1830 vulgatæ præposita.

---

111 Aut nullam aut perbrevem præfationem postulare videtur
Ciceronis orationum aliquot editio scholasticæ institutionis causa
suscepta, qua ipsa oratoris verba sine ulla commentariorum
accessione continentur, et in qua ne delectus quidem orationum
novus factus est. Nam ex earum orationum numero, quæ
hunc in scholis nostris locum iam diuturna possessione tenent,
iis detractis, quæ vere Ciceronis sint necne, dubitatum a multis
est itaque disputatum, ut certe non optimas esse omnes fate-
antur, adiectaque Philippicæ secundæ, quæ in hunc selectarum
orationum numerum recepta iam erat, Philippica prima, sine
qua illa recte legi posse non videtur, nihil præterea in hac re
visum est mutandum. Sed tamen ut paulo pluribus verbis
hoc loco utendum sit, facit, quod in hoc volumine plus in
aliquo genere novi inest, quam in huiusmodi editionibus inesse
solet. Suscepta enim huius editionis cura id me suscepisse
statuebam, ut, quoniam in criticis quæstionibus maximeque in
Ciceronis librorum vera forma investiganda studii aliquantum
et operæ posuissem, hæ orationes emendatiores describerentur
non solum, quam in vulgaribus exemplis circumferrentur, ve-
112 rum etiam quam in iis, quæ optima haberentur; nam in his
quoque multa improbanda esse et in melius mutari posse,
noram. Nec satis erat, unum et alterum, quod maioris mo-

menti videretur, mutari; sed, quum mutandi emendandique
initium factum esset, id omne efficiendum erat, quod quidem
ego in his orationibus emendandis, iis, quæ parata erant, sub-
sidiis instructus, efficere nunc poteram. Tantum in vocum
scribendarum ratione, et si quæ similis generis sunt, nihil in
huiusmodi editione novandum videbatur. Ita factum est, ut
ab Orelliana Ciceronis operum editione, quam corrigebam,
quamque in minoribus illis hæc sequitur, plus quam sexcentis
locis in his XII orationibus discederetur, quum veriora minus
veris, auctoritatibus confirmata incertis substituerentur, mani-
festo vitiosa, quorum emendatio non suppeteret, notarentur, ea
autem, quæ ita dubitationem habere viderentur, ut tamen aut
falsa esse affirmari non posset, aut, ubi situm esset mendum,
constitui, intacta relinquerentur. Verum huius curæ criticæ fruc-
tum, si quis est, hæc editio continet; disputationem rationum-
que expositionem non admittebat consilium. Itaque iis, qui
hæc curant (nam discipuli non desiderabunt), ne plane dees-
sem, et ut possent scire, quid quantumque mutatum esset, et
ex parte etiam, qua auctoritate, discrepantes scripturas edi-
tionis Orellianæ in ima pagina ita adscripsi, ut, ubi ex Orellii
editione universe intelligi posset, qualis scripturæ a me receptæ
fons esset, nihil adderem, ubi mea scriptura ab Orellio comme-
morata non esset, esset tamen deprompta ex apparatu critico
ab aliis collecto, significarem, codicibusne aliisve auctoritatibus
an coniecturæ deberetur, idemque facerem, ubi commemorata
quidem apud Orellium scriptura esset, sed cum singulari ali-
quo errore, nonnullarum scripturarum nunc primum prolatarum
fontes ostenderem, quicquid denique mea coniectura ductus
mutassem, indicarem. Codicem Erfurtensem, ex quo, quod 113
et optimus est et fere solus accurate collatus, in aliquot ora-
tionibus multa sumenda erant, nominatim plerumque appellavi,
ceteros raro, interdum ne eorum auctoritas falso obtenderetur
scripturis a me reiectis. Verum hæc tam brevis annotatio ut
fidem facere potest, nihil casu variatum, ita, quam ubique
emendandi rationem et viam secutus sim, ex ea non intel-
ligitur, idque difficilius perspectum iri video propter apparatus
critici, quo in his orationibus utimur, genus. Et ceteris quidem
sufficiet fortasse fidei et cautionis professio; apud eos autem,
qui iudicare ipsi de hoc genere volunt, inter quos erunt fortasse

et illi, qui in docendo hoc libro utentur, et illi, qui extra scholas, temeritatis et libidinis suspicionem et crimen habere totum negotium poterit, nisi, quum et permulta mutarim et a recentiorum editorum iudiciis frequenter discesserim, aliquid saltem de causis huius rei dixero. Sed difficile est disputationis criticæ late dispersæ materiam in paucarum paginarum spatium contrahere. Itaque quum neque singula persequi possim neque ad certa genera huiusmodi quæstiones facile revocare, pauca dicam de universa re exemplorumque tantum addam, ut admonere peritos possint, ut in ceteris quoque me aut auctoritatem aut rationem probabilem secutum esse putent.

Primum igitur, quoniam hoc est fundamentum omnis emendationis, adhibito, quicquid apparatus critici collectum est, omnia retttuli ad investigandam scripturæ auctoritatem, de qua re multi non recte iudicant, quod has orationes multo severius ad codices exactas putant, quam factum est. Inspecti enim permulti codices sunt, collati perpauci ita, ut, quid ubique habeant, constet. Ex quo fit, ut, quæ scriptura propter edi-
114 torum silentium magnam codicum multorum auctoritatem habere credatur, sæpe nullam aut perexiguam habeat; nec id semper in minutis rebus accidit; neque tantum de Gruteri superiorumque codicibus hoc tenendum est, sed in plerisque orationibus de Grævii libris, tum magna ex parte de Oxoniensibus, in quibus conferendis quum permulta alia omissa esse apertissimum est, tum ne semel quidem mutatus verborum ordo annotatus est, quæ res magni sæpe momenti etiam ad alia diiudicanda est. Oxoniensium tamen editorum silentio pro testimonio et alii et Garatonius per totum commentarium utitur, nec satis errorem Orellius vitavit. Atque hoc incommodum in aliis orationibus minus fit propter alios codices diligentius a recentioribus collatos, in aliis est gravissimum. Itaque vel propter hanc causam codex bibliothecæ regiæ Hauniensis chartaceus, recens, Italicus (emptus est Venetiis 1699), ex genere codicum non integerrimorum nec tamen pessimus, aliquam utilitatem attulit in iis locis, ubi, quid codices haberent, obscurum erat, tum in iis orationibus, ubi meliores codices non ita præstabant, ut non aliquando vincerentur a deterioribus, ut in Deiotariana; interdum cum optimo aliquo conspirans, quum de ceteris

taceretur, consensum omnium, certe plurimorum, patefecit; velut in orat. de imp. Pomp. 13, 39 quum *pervenerint* scriptum sit in cod. Erfurtensi, Hauniensi editionibusque veteribus, certum fere est, *pervenerunt*, errore in editionem aliquam illatum et ad alias propagatum, in nullo aut certe in perpaucis codicibus esse. Continet codex orationes pro lege Man., p. Milone, p. Planc., p. Sulla, p. Arch., ad Quir. et in sen. p. red., pro Marcello, p. Ligar., p. Deiot. Significatur littera H. Similis usus fuit editionis Adami de Ambergau a. 1472 et Venet. 1480, quæ et alibi et maxime in Catilinariis interpolationes
Naugerianas aliorumque minores quasdam erroresque diu propa- 115
gatos patefecerunt. Has intelligi volo, ubi editiones veteres appello. Integrior est prior. Verum non solum parum plene, sed persæpe falso de codicum scripturis refertur. Id quale sit, satis constat ex iis, quæ de Grævii usu codicis Erfurtensis Wunder, de regii Verrinarum ego (in epistola critica ad Orellium) dixi. Nam qualis hic Grævius est iique, quorum opera usus est, talis etiam alibi. Velut in orationibus pro Ligario et pro Deiotaro habuit præter Erfurtensem codices Coloniensem, Dresdensem, Pithœanum; sed ita erratum in Erfurtensi videmus, ita ceterorum codicum nomina perturbantur, ita aliter de scriptura in annotationibus, aliter in variis lectionibus traditur, ita, quod in textu est, pro varia lectione ponitur, ut multis locis illorum codicum, qui inter præstantissimos sunt, scripturis uti plane non possimus. Nec desunt Gruteri aliorumque errores, in Gulielmi quoque codicum scripturis, quas ille non omnes ipse excerpserat, sed ab aliis acceperat (vid. Grut. ad IV in Cat. 8), Gruterus ex eius schedis edidit. Nam errores ab iis commissi, qui codicum scripturas non ipsi ediderunt, sed editas ab aliis collegerunt, digesserunt, excerpserunt, quales multi sunt Beckii, quem Orellius in prioribus orationibus fere sequitur, nonnulli ipsius Orellii, paulo interdum festinantioris, molesti sunt, sed corrigi possunt, adhibitis primis auctoribus; quod tamen hoc pauci facere possunt, petendum a ceteris est, ut, si quid a me aliter de codicibus editionibusve traditum quam ab aliis recentioribus reppererint, diligenter hæc a me
scripta credant.[1]) Nam illud vix rogandi sunt, ne omnino de 116

[1]) Uno exemplo defungar. In Philippicis aliquoties Vaticanum nominatim appellavi, ubi Orellius, qui accurate in his orationibus versari studuit

auctoritate scripturarum testimoniorumque numero ex *selecta* scripturæ varietate apud Orellium posita tuto se iudicare posse putent.

Primum igitur veram codicum auctoritatem sequi studui, deinde, quantum ratio permittebat, optimorum codicum; qui quinam essent in iis ex his XII orationibus, in quibus codicum genera admodum discreta apparent, intellectum iam a superioribus nonnullis erat, Garatonio, Orellio. Res tamen magis perspicua erat auctoritasque optimorum codicum in aliquot orationibus magis nota post codicem Erfurtensem a Wundero collatum. In uno genere, in quo vel optimos codices admodum discrepare scio, ex uno Erfurt. scripturam receptam mutare nolui, quum certæ, quam sequerer, rationis nihil haberem, in particulis *et*, *ac*, *atque*. In aliis orationibus etsi non tam insignis aliquot codicum præstantia erat (ut in Deiotariana illi ipsi, qui integri esse solent, Erf., Colon., Pithœan., Dresd., depravati et interpolati multis locis sunt), aut nulla distincta codicum genera, ut in Catilinariis, seiungendi tamen a reliquis erant non solum ficti, ut Iannoctianus et plerumque Ursiniani, sed ii, qui omnium recentissimi coniecturis levissimis menda occultant, ut in plerisque Franciani, Barberini, alii. Sed cum hac tota auctoritatis investigatione rationis exquisitionem con-
117 iunxi, quum et librariorum errandi modos et genera considerarem, et coniunctim et æqualiter, quid res, quid scriptoris consilium, quid orationis usus et communis et ad artificii leges accommodatus postularet, ita ut meminissem, non modo recta et elegantia, sed vera et certis notis impressa quærenda esse. Sed quæ sint et quo modo adhibenda in hoc quæstionis genere

---

infinitosque Wernsdorfii errores sustulit, contraria de eo scripsit. In his omnibus locis aperta testimonia Faerni, Mureti, Garatonii secutus sum. Velut I, 12, 29 quod Orellius tanquam e Vaticano edidit, *fama meritorum*, Faernus in suo quodam codice repperit, in Vaticano, ut in ceteris, *fama* abesse ipse testatus est. In Philippicæ secundæ c. 18, 45 inde a Grutero editur: *tantum enim se pro te intercessisse*, omisso, quod addebatur, *dicebat*, auctoritate, ut creditur, trium codicum Ferrarii. Sed Ferrarius, quum editum esset *enim pro te intercessisse*, in illis legi *enim se pro te intercessisse* dixit confirmavitque locutionem exemplo; de verbo *dicebat* nihil omnino annotavit. Itaque, etsi potest abesse, nulla tamen nec auctoritate nec causa omissum est.

argumenta, non est huius loci exponere. In uno quidem emendandi genere, quo etiam hic sæpe utendum fuit, in additamentis tollendis, quæ mihi veri inveniendi ratio videatur, declaratum est quum in epistola critica ad Orellium (p. 22 sqq.), tum in appendice commentationis de Asconio (p. 45 sqq.). Ubi autem codices sequi non poteram, vestigia secutus sum vel optimorum, vel quos omnino noramus. Atque hinc profectas coniecturas aliquot ita omnes veritatis notas continere iudicavi, ut in ipsam orationem recipere non dubitarem. Aliæ quædam suspiciones de locis aperte corruptis, quos nota addita insignivi, non improbabiles visæ sunt, nec tamen ita aut ad codices accedere aut adiunctis confirmari, ut cum illis comparandæ essent. Nonnullæ universæ satis certæ videbantur, sed, quod in aliqua parte dubiæ esse poterant aut nimium a codicibus recedebant, in margine ponendæ. Illis litteram *F.* (*Fortasse*), his voc. *Leg.* (*Legendum*) præposui. Plures autem huiusmodi locos notavi, qui pro integris edebantur, quum codicum omnium aut optimorum a vulgata scriptura discrepantia, e qua tamen veram lectionem non eruerem, tum rerum sermonisque indiciis adductus. Nec id ab editione discipulis destinata alienum videbatur, confiteri, aliquot locis, quid orator dixisset, aut certum non esse aut plane ignorari.

Disputationes aliorum meæ sententiæ contrarias de multis 118
locis non ignoravi, sed improbavi; nonnullorum, ut Wernsdorfii, Mœbii, contempsisse me fateor.

Superest, ut exempla quædam mutationum ex omni genere, partim maiorum, partim leviorum, ex primis orationibus ponam, explicatisque in iis iudicii mei causis, similia me in ceteris, quæ sequerer, habuisse credi iubeam, eaque exquirenda iis relinquam, qui operæ pretium in ea re se facturos putarint.

Orationis pro Sex. Roscio codices omnes recentes sunt, ex uno non bono derivati, eorundem mendorum, interpolationum, lacunarum participes; accurate collati nulli, ceteris accuratius Oxonienses. Patet, non multum valere ne consentientem quidem codicum auctoritatem, coniecturæque locum amplum fuisse; sed ea aliquoties apertis vestigiis, nonnullis in locis probabilibus niti poterat; in aliis nimis erant obscura, velut 5, 11, ubi edebatur: *te prætore de manifestis maleficiis quotidianoque sanguine haud remissius sperant futuram*; verum

præpositio et in Gruteri et in Oxoniensibus codicibus abest et in edd. vett., ut in nullis fuisse certissimum sit; sed in iisdem omnibus abest *haud*; tum *remissius* in nullo est codice, sed *demissius*, *dimissius*, similia; apparet interpolatio nescio cuius editoris, quam ceteri elegantiorem reddere student; quid autem subsit, nescio.[1]) Gellius, ut hoc addam, hunc locum non citat. Probabile deinde est, multis locis ita scripturam veterem occultatam esse, ut id nunc vix sentiri, argui certe non possit. Tum glossemata non pauca oratio habet, quædam tamen illo codice, qui ceterorum fons fuit, recentiora nec per omnes, qui supersunt, pervagata. Itaque scripturæ coniectura emendatæ et additamentorum expulsorum ex hac oratione exemplum unum et alterum sumamus.

119 C. 3, 8, ubi edebatur: *verum etiam ut spoliis Sexti Roscii hoc iudicio ornati auctique discedant,* Ernestius *ex* ante *hoc* addi volebat; et est hoc rectius, coniungi hæc cum verbo *discedant*, quam utrumque ablativum incommode cum participiis iungi. Verum in Palatinis codicibus et S. Victoris *Roscii* non est. Iam quum hæc sit codicum scriptura (nam alios illis consentire non est dubium, quum in omissionibus vocabulorum notandis summa fuerit negligentia superiorum) *spoliis Sex. hoc*, apparet, non nomen addendum, sed unam litteram, male repetitam, detrahendam, ut sit *spoliis ex hoc*; aptius est etiam propter contrarie relata hoc generatim dici (*non modo ut supplicia vitent*, — *verum etiam ut spoliis ornati auctique discedant*).

C. 7, 20. *Ne diutius vos teneam.* Pronomen codd. Pall. et S. Victoris omittunt; idem quinque Oxonienses (septem omnino sunt) excludere annotatur, ut fortasse in nullo sit. Et eodem modo locutus est Cicero lib. I in Verr. 13, 34. In simili locutione *Non obtundam diutius* in Verr. IV, 49, 109 non *vos*, sed *aures vestras* addiderunt. (Epist. crit. ad Orell. de oratt. Verr. p. 32.)

C. 11, 32. Edebatur: *etiamne ad subsellia cum ferro atque telis venistis, ut hic aut iuguletis aut condemnetis Sex. Roscium?* Nomen proprium sustuli, ut Lambinus facere voluisse

---

[1]) [Quam in tertia editione emendationem tentaverim, extremo hoc volumine dicetur.]

videtur. Ineptissime enim additur, quum non ex oratoris persona, sed ex ipsius Roscii hæc dicantur.[1]) Additum est, quum deesse accusativus videretur, qui ex superioribus intelligendus est. Fraudem vel locus arguit; Cicero non extremo loco post verba posuisset. Eodem modo nomen proprium expellendum erat, ut viderat iam Hotomanus, 39, 115 in verbis *publice Roscio mandatus est*; turbat membra opposita; nam ad *Sex Roscius mandavit* refertur *a decurionibus publice mandatus est*, nec hæc divelli possunt; refertur utraque pars senten- 120
tiæ ad pronomen commune initio positum: *Nunc non hanc ei rem*; alioquin saltem ipsum nomen initio ponendum fuisset, deinde pronomen; recte in novæ sententiæ exordio subiicitur *et ex eo T. Roscius*, addito prænomine, quod altero loco deesse Schuetzius sensit. Postremo pro *Roscio* ed. 1472 habet *Roscius*, glossematis certum indicium.

C. 14, 40. *Patri, inquit, non placebat. Quam ob causam?* Repetebantur ante *quam* verba: *Patri non placebat?* Ea delevi, secutus cod. Oxon. ψ et edit. 1472 et rationem certissimam. Cicero enim quum ex adversariorum persona aliquid dicit aut eorum sententiam tanquam veram ponit, ut statim vehementer redarguat, nunquam illa verba repetit per interrogationem, ut huic cum admiratione prolatæ argumenta subiungat contrariæ sententiæ, ut nos fere in nostro sermone facimus, sed statim confutationem subiicit, sive per interrogationem sive per particulam *at* sive alio modo. Atque huius generis exempla ubique sunt, contrarii nulla, nisi in hac oratione unum præterea, etiam apertius falsum et a me sublatum. Nam 19, 54, ubi Cicero cum Erucio se sermocinari fingit, sic scribebatur: *Exheredare filium voluit. — Quam ob causam? — Nescio. — Exheredavitne? — Non. — Quis prohibuit? — Cogitabat. — Cogitabat? cui dixit? — Nemini.* Repetitur *cogitabat* eo modo, quo dixi, ad quam rationem ante scribendum erat: *Exheredare filium voluit. — Exheredare voluit? Qu. o. c.?* Sed attendenti patet, artificiose structam orationem tres quasi ordines habere æquales, simili modo atque in loco Scaurianæ, de quo dixi Epist. ad Orellium p. 94. In primo ponitur adversarii asse-

---

[1]) [Extrema interrogatio: *Etiamne* cet. nullo pacto a superioribus divelli potest.]

veratio, urget interrogatione Cicero, non expedit se accusator;
121 in altero quærit Cicero, respondet coactus accusator, concludit Cicero (non voluisse exheredare, quoniam, nullo prohibente, non fecerit); tertius primo est similis; sed perturbat rationem et pro tribus quattuor membra facit repetitum illud *cogitabat*. Atque hoc omittit codex T Oxoniensis et editio 1472. Membrorum orationis artificiose compositorum perturbatione, ut hic, sic infra glossema arguitur 50, 145, ubi Cicero, ut crudelitatem Chrysogoni, mortem Roscii quærentis, declaret, enumeratis causis, quæ sceleratum hominem ad id impellere posse videantur, unam esse ostendit, quod vivi bona cum periculo se tenere putet: *Si spoliorum causa vis hominem occidere, spoliasti. Quid quæris amplius? Si inimicitiarum, quæ sunt tibi inimicitiæ cum eo, cuius ante prædia possedisti, quam ipsum cognosti? Sin metuis, ab eone aliquid metuis, quem vides ipsum ab sese tam atrocem iniuriam propulsare non posse?* cet. Singulas causas, per eandem formam orationis propositas, interrogando removet; in primo tantum membro pro interrogatione affirmatio est, *spoliasti*. Sed huic superadditur interrogatio plane supervacanea: *Quid quæris amplius?* Patet, hac contineri primæ causæ remotionem, illud *spoliasti* additum esse, quum parum intelligeretur illorum verborum vis, quæ hæc est: Quid spoliorum restare putas præter ea, quæ iam habes? Iam *spoliasti* quattuor codices Oxonienses (et, ut opinor, alii multi) omittunt, ut confecta res sit. Sed in eodem loco eadem membrorum ratio ostendebat, ut *si spoliorum causa*, deinde *si inimicitiarum* scriptum esset, sic pro *sin metuis* scribendum esse *sin metus* (fortasse *si metus*). Mendum ortum ex eo, quod verbum in eodem versu sequitur.

C. 27, 73. *Et sic tecum agam, ut meo loco vel respondendi*
122 *vel interpellandi tibi potestatem faciam vel etiam, si quid voles, interrogandi.* Scriptum erat *in eo*, quod intelligi recte non potest. Ut esset enim, quomodo quidam interpretantur, *in eo loco, ubi sedes, ut ne consurgendum quidem tibi sit*, dicendum erat: *ex isto loco*; *eo* ita dici nequit. Nec magnum incommodum erat consurgendi et procedendi aut magnum beneficium eam rem remittentis. Multo autem minus est: *in ea re, in ea quæstione*; nec sic dicitur *locus* et *in loco* de parte causæ, quam quum maxime orator tractet, vel potius de una interrogatione,

et debebat esse *in hoc*, et evertit plane hanc interpretationem locus geminus in orat. pro Cluent. 24, 65, ubi Cicero adversarios alloquitur: *Audete negare, ab Oppianico Staieno iudici pecuniam datam; negate, inquam, in eo loco.* Atque ibi Lambinus *in isto* corrigebat. Apparet, idem utroque loco adversariis ab oratore concedi. Id non erat, ne consurgerent, sed ut possent omnino interpellare et eo tempore, quod ei datum erat, aliquid dicere, non exspectato alio dicendi loco, id est. tempore; sic enim vocabulum in hac re dicitur (*posteriore, priore loco dicere* pro Quint. 9, 33; 22, 71). Scripsit igitur *meo loco*, id est, nunc, etsi meus est dicendi locus, quo modo frequenter Græci oratores: λέγε ἐν τῷ ἐμῷ ὕδατι, [interdum ἐν τῷ ἐμῷ λόγῳ: cfr. Meyeri et Schœmanni Attischer Process p. 717 n. 44].[1])

C. 32, 90. *Non necesse est omnes commemorare, Curtios,* 123
Marios, denique † Mammeos, quos iam ætas a prœliis avocabat, postremo Priamum ipsum [senem] Antistium cet. Nulla commemoratur codicum in vocabulo *senem* discrepantia; nec tamen ullum fere apertius additamentum est. Quum superiores senes significasset illis verbis *quos iam ætas a prœliis avocabat*, Antistium, ut longe annis antecedentem significaret, quum usus esset versu ad Troianas res spectante, Priamum inter ceteros senes Troianos fecit. Iam huius comparationis vis et lepos plane evertitur, quum proprio vocabulo senex appellatur; tum hoc ipsum vocabulum tenue est in homine summæ ætatis a ceteris distinguendo, nec recte vox *senex* Antistii nomini præponitur; si autem *Priamum ipsum senem* coniungimus, quæ hæc est ratio dicendi, quasi non intelligatur, qui *Priamus ipse*

---

[1]) [Hæc emendatio celeriter optima auctoritate confirmata est. Nam Ioannes Classenius, qui orationem pro Cluentio adhibitis optimis codicibus edidit, in illo loco non solum in multis aliis codicibus, sed in duobus omnium fide dignissimis illud *meo* invenit, sed, quo spectaret, non intellexit. Idem Classenius Cluentianæ locos, qui sunt c. 22, 59, c. 26, 72, c. 27, 73, c. 32, 87, c. 34, 92, c. 65, 183, omnes eodem modo in optimis codicibus scriptos repperit, quemadmodum ego antea (c. 34, 92 in Seebodii tabulario philol., ceteros in appendice disputationis de Asconio) scribendos dixeram; quod non commemorarem, nisi viderem. quam imperite nonnulli certissimis rationibus in huiusmodi rebus repugnarent. Ex progr. a. 1831.]

dicatur, *senem* dici? Quod eodem loco vulgo editur *Mamercos*, recentissima est coniectura eaque pessima; prænomen enim id est, non nomen (vid. Drakenb. ad Liv. V, 1, 2). Codd. omnes (nam Iannoctianam coniecturarum levium farraginem nihil moror) aut *Mammeos* aut *Mameos*. Memmii, quos Ursinus substituebat, nobiles erant, ab hoc grege alieni.

C. 36, 102. Hoc loco plane aliud dicitur, ut nunc verba sunt, quam quod consilium oratoris dici postulat. Indignatur enim alterum T. Roscium testimonium in Sex. Roscium dicere audere, id est, in sua causa, quod sit iniquissimum. Scribitur autem ita: *Quasi vero id nunc agatur, utrum, is quod dixerit, credendum, an, quod fecerit, vindicandum sit.* Hac forma orationis qui utitur, negat id agi, in quo, si ageretur, locum aliqua res (testimonium T. Roscii) haberet; et hoc ita negat, ut id,
124 quid esset, antea commemoratum significet; verum nec antea res ulla significata est, in qua admitti testimonium illud posset, et hoc dicit orator, eam rem *agi* et propositam esse, in qua testis esse *non* possit. Deinde in vulgata scriptura negat agi quærive nunc, utrum credendum sit, quod T. Roscius dixerit (Sex. Roscium patrem suum occidisse), an, (si id non credatur, suspicio cædis transferenda sit in ipsum T. Roscium, et) quod fecerit, vindicandum. Primum si id non agitur, non est hæc T. Roscii causa, nihil ad eum pertinet, optimus est testis; quo igitur ea pertinent, quæ disputantur, ut eum a testimonio in sua causa dicendo excludendum esse appareat? cur autem hoc ipsum non agi omnino dicitur? Deinde perversissimum est, quod eius testimonio tum locum futurum fuisse significat, si id ageretur; nam tum vel maxime repudiaretur. Sed omnino id agi vehementer Cicero contendit et eo totam orationem convertit, ut ostendat, omnem maleficii suspicionem in T. Roscio hærere, ut id ipsum in iudicio versetur, sitne ea eius testimonio in innocentem Sextum transferenda an potius ipsius Titi scelus puniendum; ita T. Roscii ipsius agi causam, quum, absoluto Sexto, præiudicium pæne de eo factum sit; itaque eum testem in hac causa esse non posse. Atque hæc certissima sunt; nolui tamen negationem contra libros addere (*non id nunc*): quanquam ne putem, scriptum esse potuisse: *Quasi vero id non agatur*, obstat verborum in ea scriptura inversus ordo; nam *non id* dici debebat.

C. 40, 118. Huius loci emendatio et perfacilis erat et a codd. adiuvabatur. Editum enim erat: *num aut ille lanista omnino iam a gladiatore recessisse videtur, aut iste discipulus magistro tantulum de arte concedere?* Sed *a gladiatore* recedere pro eo, quod est *a gladiatoris natura et more*, nemo dixit aut dicere potuit; ne *recedere* quidem ita dicitur, sed *discedere*; 125
recedimus a rebus, quas tractamus, tenemus, ab arte, in qua versamur, ab instrumento artis; nec lanista idem est ac gladiator. Tum, quod Orellius in multis codicibus hanc scripturam esse dicit, tradunt in Guelferbytano esse; nescio an errore; ceteri noti omnes, Palatini sexque Oxonienses, editionesque veteres nondum interpolatæ (1472 et 1480) habent: *a gladiatore cessisse*, id est *a gladio recessisse* (unde ortum *gladiore cessisse*, deinde *gladiōre cessisse*). Ea recta est locutio; a gladio recedit et lanista et gladiator, qui artem relinquit; cfr. Schell. lexic. p. 4233.

C. 41, 120. Nihil dicam de huius loci vulgata scriptura, quam nemo interpretari potuit, poterit; id dicam, qui corrigere tentarint, neque ad codicum vestigia neque ad sententiæ consecutionem attendisse. Servos Sex. Roscii quum adversarii, apud quos erant, empti in bonis, in quæstionem non darent, ea utebantur excusatione, quod iniquum esset in dominos quæri de servis. Hanc excusationem Cicero non accipit. Iam quæ prima ponitur particula *anne* (*Anne quæritur*), ea nusquam Cicero in interrogatione absoluta et per se posita utitur, qui ne *an* quidem ita ponit. Et propria particula refutationis subiiciendæ (*at*) est in codd.: certe quattuor Oxx. et edd. vett. (1472, 1480) habent: *At ne quæritur.* Deinde in codicibus non solum Hotomani, quos Orellius nominat, sed 6 Oxoniensibus et Guelf., et in edd. vett. (1472, 1480) est: *vos enim dominos*; in Lallemandi codicibus esse dicitur (ipse eam editionem non vidi): *vos eum dominos*, ut certum sit, *vos dominos* in nullo esse codice. Iam qui has sententias *Sex. enim Roscius reus est* et *vos enim* cet. compararit, is intelliget, Ciceronem ancipiti conclusione usum esse in adversario confutando; partium conclusionis has esse confirmationes. Poterat autem duplex esse 126
vis illius excusationis, aut iniquum esse quæri in Sex. Roscium; at is dominus non erat adversariorum iudicio; aut in adversarios; at illi non rei. Iam altera pars sententiæ incipit

a voce *neque*; prioris initio codices habent *At ne quœritur.* Apparet, in priore excidisse aliquid propter similitudinem syllabarum *que* et *quœ*, alteram esse coruptam. Et de sensu dubitatio esse non potest; de verbis alterius partis nihil affirmo; sic autem scribendum puto: *At ne[que in vos] quœritur; Sex. enim Roscius reus est; neque est iniquum de hoc quœri; vos enim dominos esse dicitis.* Verborum propter illam causam in omnibus codd. omissorum non hoc unum exemplum in hac oratione est; neque id mirum propter communem codicum originem; vid. 45, 130 (*neque proscriptus*); sed eodem loco in illis *partim imprudente L. Sulla* alterum membrum excidisse, etsi negant recentissimi editores, non videtur dubium; *partim* semel dici nemo ignorat; sed *partim imprudente L. Sulla* scelera commissa dicere, impudentissime insultantis, non caute declinantis erat; id est enim: *partim non imprudente.* Sed eadem rustica impudentia est in vulgari supplemento: *partim connivente.* Unum dicere Cicero poterat, alia non comperisse Sullam, alia impedire non potuisse.

C. 49, 142. Orator, quum nobilitatis causam et optimi cuiusque a Chrysogoni longe diiunctam ostendisset, subiungit, ut quidem locus scriptus erat: *Quod si quis est, qui et se et causam lœdi putet, quum Chrysogonus vituperetur, is causam ignorat, se ipsum prope non novit.* Quæ sententia, quanquam nemo in his hæsit, per se perversissima est. Significat enim Cicero aperte, neminem nisi improbum suam causam cum Chrysogono coniuncturum. Iam is, quum Chrysogono vitupe-
127 rato se læsum putabat, in quo se non norat? Immo optime norat. Atque illa ipsa diiunctio in posteriore parte sententiæ (*is causam — se*) eorum, quæ in priore coniuncta erant (*et se et causam*), non idem de utroque dictum esse, ostendere poterat. Nec sane Latinum est *prope non* pro *vix.* Sed apertissima hæc fiunt ex proximis. Eiusdem enim iudicii plane contraria causa subiicitur, primum: *Causa enim splendidior fiet* cet.; itaque eam ignorabat, qui lædi putabat, Chrysogono vituperato; deinde: *ille improbissimus Chrysogoni fautor — lœditur* cet. Rectissime igitur de se iudicabat optimeque norat. Itaque superius illud falsum, et contrarium plane Cicero scripsit. Nec alia est totius loci sententia, quam, qui Chrysogonum vituperari nollent, moveri conscientia similium sordium, id est, sui

cognitione. Patet igitur relata inter se esse *causam ignorat, se novit.* Particula negans, sive errore ex prima verbi syllaba orta, sive addita ab homine imperito, ut esset hoc simile præcedenti *ignorat*, præcedens vocabulum (*probe*) corrupit.

C. 52, 150. Nullus usquam perversior loquendi modus ab editoribus Ciceronis defensus est, quam qui hic erat: *si non satis habet avaritiam suam pecunia explere, nisi etiam crudelitate sanguinis perlitus sit.* Ridiculum est *perlini sanguine*, multo magis *crudelitas sanguinis*; quid *perlini crudelitate*? Et sanguis sine dubio intelligendus aliorum est, qui interficiuntur, crudelitas Chrysogoni; ex his coniunctis efficitur illa crudelitas sua sanguinis aliorum, qua ipse perlinitur. Ex superiore membro. *avaritiam suam pecunia explere*, cui hoc ita est contrarium, ut avaritiæ Chrysogoni crudelitas, pecuniæ sanguis respondeat. apparet, quid orator voluerit; sententia enim hæc fuit: nisi etiam crudelitas sanguine expleta sit. Iam pro illo *perlitus* in Oxoniensibus et edd. vett. (1472, 1480), id est, ut opinor, in omnibus codicibus est *præditus.* Facillima et certissima con- 128
iectura vera scriptura eruitur: *crudelitati sanguis præbitus sit.*[1]) Sed his huiusmodi mutationum ex hac oratione exemplis nonnulla alius generis ex alia addenda sunt.

In oratione de imperio Cn. Pompeii (quo nomine iam Gellius appellat I, 7) non tam gravissima vulnera tollenda erant, quæ fere a superioribus optimorum codicum ope sublata erant, quam ad Erfurtensem accuratius collatum eaque, quæ ex ceteris codd. notata erant, diligentius omnia expolienda; itaque oratio rectior et cultior facta permultis locis est et ordo verborum diligentius constitutus; nonnullis tamen locis etiam maioris momenti factæ mutationes. Coniectura vix usquam utendum erat. Intelligi autem potest, quum in hac oratione ex bonis codd. ante emendata tantum efficiendum fuerit, illæ, in quibus paucis et vulgaribus editores usi sunt, quantum absint necessario ab hac expolita forma, etiamsi menda manifesta non sint. Iam huius expolitionis exempla aliquot ponam. De multis locis iam Wunderus dixit.

C. 1, 2. Legebatur: *et, si quid etiam dicendo consequi possum, iis ostendam* cet. In quo primum particula *etiam*

---

[1]) [*Dandus invidiæ est sanguis* Liv. III, 54, 4.]

nullam vim habet; deinde locutio recta non est; nam *dicendo aliquid consequi* est oratoriæ facultatis usu aliquid efficere, adipisci, interdum, sed alio modo, rem verbis æquare, non, quod hic dicendum erat, aliquid in ipsa arte oratoria efficere, aliquam eloquentiæ facultatem habere. Hoc est *in dicendo aliquid consequi.* Itaque e codice Erfurtensi, cui ex minus bonis tres Oxonienses accedunt (in uno est *etiam in*) scribendum erat: *si quid in dicendo.*

C. 5, 13. Huius loci, neglecta optimorum codicum scrip-
129 tura, sententia plane erat obscurata. Scriptum enim erat: *ut se quoque, sicut ceterarum provinciarum socios, dignos existimetis, quorum salutem tali viro commendetis, atque hoc etiam magis quam ceteros, quod eiusmodi in provinciam homines cum imperio mittimus* cet. Voces *quam ceteros* alienas esse, animadversum ab aliis est frustraque contra dictum; neque enim, ut digniores cura populi Romani existimarentur quam ceteri, postulare socii Asiatici poterant, sed ut eo magis ipsi hac cura digni, quo gravius premerentur; nec novi quicquam postulari (ut digniores quam ceteri existimarentur), sed prioris postulati (ut digni) novam causam afferri, ipsa ostendunt verba *atque hoc etiam magis*; dicendum alioquin erat *atque magis etiam*; deinde tum *in suam provinciam* scriptum esset. Sed id, quod defenditur, ne mali quidem codd. multi habent; nam in Palatinis plerisque (septem Gruterus in hac oratione habuit), Oxoniensibus quinque, Barberino est: *quam ceteros eiusmodi* (in Hauniensi *quod* postea additum videtur); optimi autem, Erf., Colon., Verdensis, verissime habent: *quod ceteros eiusmodi in provinciam*[1]) (Erf. *in pr. eiusm.*), id est, quod ceteri, quos in provinciam mittimus, eiusmodi sunt. *Quam* ex *quod* factum, ut sæpe, propter *magis.*

C. 8, 20. Hunc locum (ut etiam in retinendis scripturis, non solum in mutandis, quid secutus sim, exemplo ostendam) ipsa, qua oppugnatus est, optimorum codicum auctoritate motus suspicione interpolationis liberavi. Verbum enim *fuisse*, quod deteriores codices multi (etiam Haun.) omittunt, Orellius delendum putat utiturque auctoritate familiæ Germanicæ codicum præter Hittorpianum et Verdensem; quo deleto non anacoluthon

---

[1]) Errore in Gruteri nota expressum videtur *in provincias.*

oritur oratoris Latini, in quo genere fingendo Orellius inter-
dum incautus est, sed apertissime et plane ad regulam, Mi- 130
thridatis copias a Mithridate obsessas fuisse, narratur. Atqui
ipsum illud verbum receptum a Grutero est ex illis duobus
familiæ Germanicæ codd.; his accedit tertius Erfurt.; de quarto
et quinto, Coloniensi et Dresdensi, tacetur. Tum illud verbum
vetus scholiastes habet leviter corruptum; est ipsum rectissimum;
quod enim modo finito dicendum erat: *copiæ Mithridatis in-
structæ erant, urbs obsidebatur*, infinito fit: *instructas fuisse.
obsessam esse.* Omittendi quæ fuerit causa, patet maxime ex
duobus codd. Oxx., in quibus additum est *deletas* (*fuisse d.*),
ex quo deinde factum ab aliis *esse deletas.* Non ferebant in
laudando Lucullo describi rerum statum; narrari aliquid gestum
volebant, ut voluit etiam Heumanus. Sed obliti sunt, idem
fieri in proximo membro (*urbem obsessam esse*), tum demum
subiici factum Luculli.

C. 9, 24. Ostendere hic locus potest, quam incaute
scripturarum auctoritas sæpe examinetur. Edebatur enim: *et
magnis adventiciis multorum regum et nationum copiis iuvabatur*;
verum *copiis*, quod in nullo ne pessimo quidem codice est.
patet additum esse ad defectum substantivi, quod in omnibus
vulgaribus codd. omittitur, explendum. Iam hoc substantivum
habent omnium optimi quattuor codices, et aptissimum et tale.
quod post *adventiciis* propter similem exitum excidere facil-
lime posset (*adventiciis auxiliis*). Et tamen ex coniectura Itali
cuiusdam, qua is deteriorum codd. scripturam emendare voluit,
adiectivo, quod aderat, in substantivum, quod deesse sentiebat.
mutato, nova coniectura ab Orellio tentatur, ut Cicero *adiu-
mentis iuvare* dicat.

C. 9, 26. De minuta re dicam. Pro *in ipso illo malo*
edidi, cod. Erfurtensem, id est, optimos, Haun. et edd. vett.,
id est, deteriores omnes. secutus, *in illo ipso malo*, quomodo 131
Lambinus scribere solebat. Is enim frequentior ordo erat, qui
quum aliquoties a librariis in eum, qui rarior est multo, mu-
tatus esset, elegantius etiam et reconditius habitum est *ipse
ille.* Iis harum duodecim orationum locis, ubi editum erat
ipse ille, alterum ordinem fere aut omnes habebant codices, ex
quibus talia annotata sunt, aut præstantissimi, Catil. IV, 8, 17
Erf. cum edd. vett., pro Mil. 25, 68 Erf. et Bavaricus, ibd. 32,

88 Erf. et Palimps. Taurin., Philipp. I, 14, 34 Vatic. (vid. Garat.). Relinquuntur duo loci, quorum alterum reperire nunc non potui, in altero, pro Mil. 19, 50, maior esse videtur vis pronominis *ipse*, ut primum ipse per se locus intelligatur, deinde *ille ipse*, id est, *idem*. Similis est in aliis orationibus eorum locorum ratio, in quibus *ipse ille* codices tuentur, ut aut tanquam præcipuus aliquis nominetur et de quo maxime agatur aut per se aliquid fecisse significetur, Verr. I, 26, 65, I, 42, 107, pro Sestio 30, 66 et 54, 116, in Vatin. 11, 26. Ne quis alterum, quod etiam Ciceronianum esse nonnulli negarunt, rectum et frequentius esse dubitet, inspiciat Verr. I, 46, 119, II, 21, 50, V, 50, 131, pro Sest. 13, 29, in Vatin. 12, 29, pro Planc. 23, 56, Epp. ad Fam. V, 2, 8, VII, 2 al., quorum locorum nonnulli ita sunt comparati, ut *ipse ille* poni potuerit; sed scriptor, quod fieri solebat, priorem maluit esse demonstrationem rei notæ et commemoratæ (*ille*) quam notabilis et præcipuæ (*ipse*).[1])

132 Plura ex hac oratione addi opus non est; minus enim disputatione egent, quæ auctoritate codicum nituntur. Duo tamen loci propter singularem quandam causam commemorandi videntur. In altero, qui est 20, 60, Wunderus, qui codicis Erfurtensis scripturam solet studiose defendere, in ea ipsa scriptura, quam ex eo et aliis posui, interpolatum codicem confitendum putat. Quum enim edatur: *At enim nihil novi fiat* cet., codd. autem meliores, Erf. et Gulielmiani, id est, Verdensis, Hittorpianus, Coloniensis, habeant: *At enim ne quid novi*, deteriores autem fere *inquit* addant post *enim*, putat, *ne quid* glossam esse ad *nihil* adscriptam, inde ortum *inquit*; in

[1]) [Cfr., quæ scripsi ad Cic. de Fin. I, 4, 10 p. 28 ed. 3. — Attingam aliam quoque pronominum coniunctionem. C. 16, 46 necessario restitui, quod ductum ex optimis codicibus (Col., Erf.) legebatur apud Gruterum et posteriores editores, *idem iste Mithridates*, ubi recentissimi hæserunt in *idem*, quod proxima erat Cretensium mentio; itaque Matthiæus *idem* delevit, ediditque *ipse* (codd. deteriores habent *idem ipse*), Orellius *item ipse*, prave, quoniam et pronomini primus locus debetur et illi particulæ nullus est hic locus. *Idem iste* est, de quo nuper locutus iam sum, et de quo tota est oratio. Satis erit inspexisse c. 7, 19: *Deinde quod nos eadem Asia atque idem iste Mithridates* cet. Ne ibi quidem proxime præcessit Mithridatis mentio. 1834.]

quo primum non animadvertit, sic glossam e melioribus codd. in deteriores, alius originis, transisse dici, et ita transisse, ut in omnibus illis vera sit glossa, in omnibus his corrupta: deinde quis ad verba *nihil fiat* interpretandi causa adderet *ne quid fiat*? Et *inquit* quidem glossa est, verum non illinc orta, sed simpliciter addita ab iis, qui adversariorum sententiam a Cicerone induci significabant; eaque est in solis deterioribus libris, et similis (*inquiunt*) in meliorum infimo, Dresdensi; illa omissa, scriptura duplex est, bonorum vividior, *ne quid,* probanda, altera *nihil.* Alter est locus in cap. 23, 67 ideo commemorandus, quod eam scripturam restitui, quam ceteri recentiores ex imperita notarum confusione ortam putant. Omnem autem illam partem orationis Ciceronis non esse, vidit pridem Pantagathus, de qua re nihil dicendum puto, quod civis meus 133
Blochius nuper de ea recte exposuit. Est tamen declamatoris artificiose et Latine scribentis. Edunt autem: *Videbat enim* (ora maritima), *populum Romanum non locupletari quotannis pecunia publica, præter paucos, neque nos quicquam aliud assequi classium nomine, nisi ut, detrimentis accipiendis, maiore affici turpitudine videremur.* Reditus publicos interversos significari putant. At, ne quid dicam de locutione *populum Romanum non locupletari præter paucos* (potest enim declamator reprehendi), quid non recti ora illa videbat? Populum enim locupletandum vectigalibus, et quotannis locupletandum, quis putavit? ne pauci quidem debebant. Omnino autem vectigalia non populo, sed publicanis solvebantur: hi quod ærario debebant, intervertere non poterant. Deinde autem vectigalia, quæ solvuntur a provinciis, pecuniæ publicæ nomine nusquam sunt appellata; ea est, quæ in ærario est et inde erogatur in publicas impensas, eamque hic intelligi ostendunt proxima. Pecuniam enim publicam ad classes tuendas sociosque defendendos datam interverti verba significant. Atque hæc certe pecunia locupletare populum non debebat nec poterat. Itaque verissima est scriptura optimorum codicum: *Videbat enim prætores locupletari quotannis pecunia publica, præter paucos.* Iam patet, quo illud *quotannis* pertineat, singulaque verba recte dicuntur. Nihil autem magis, hoc verum esse, ostendit, quam quod particula negans, in falsa scriptura necessaria, non solum

in optimis codicibus abest, sed in deteriorum quoque nonnullis, ut in duobus Oxoniensibus; in Haun. in margine suppleta est.[1])

Semel in hac oratione coniectura mea utendum fuit, quam in margine posui, 17, 51; cuius causam intelligent, qui ani-
134 madverterint, verba illa *tametsi cognoscitis* cet. non ad Hortensium et Catulum pertinere, sed hanc habere vim: poteramus illorum auctoritatibus opponere contrarias auctoritates fortissimorum et clarissimorum virorum; sed tamen, omissis auctoritatibus cet. Atque his contrariis auctoritatibus utitur c. 23, 68. Itaque eas videtur hoc loco antea promittere; *cognoscitis* quidem, quasi nunc, ipso dicente, populus cognosceret, ne de Hortensii quidem et Catuli auctoritate dicere poterat, sed *cognostis.* Audierat enim eos populus.

Poteram similiter ex ceteris orationibus exempla deligere, his etiam illustriora; sed neque hic locus longiorem disputationem capit, et ea, quæ posui, consilio suscepto satisfacere posse videntur, ut persuadeant, nihil mutatum esse, cuius mutati probabilem rationem, ut mihi quidem visa sit, proferre non possim. Unum tantum neque hic attigi neque in margine notavi, quod nihil in verbis mutabatur; multis enim locis, interpunctione mutata, sententia et oratio rectior effecta est; in qua re credi mihi pervelim, nihil negligentia variatum, ne in minimis quidem. Velut Cat. IV, 6, 12 ante ita distincta erat oratio, ut hoc diceret orator: „Quum mihi fœda victoria Catilinæ spectacula proposui, alia eiusdem victoriæ spectacula perhorresco.“ Nunc, enumeratis omnibus illius victoriæ fœditatibus, se, quum hæc sibi proponat, perhorrescere dicit. Unum enim verbum *perhorresco* apodosin continet. Pro Mil. 8, 21 erat: *Non fuit ea causa, iudices, profecto non fuit*; postulat ratio figuræ rhetoricæ, ut ante repetitum *non fuit* interpungatur. In eadem orat. 33, 91 ext. sublato commate post *singulari* iubentur, qui legunt, *invidia et fortuna singulari* coniungere, dein *divina et incredibili fide*, non *singulari, divina et incredibili fide*, nimia adiectivorum coacervatione et contra Ciceronis

[1]) [Partem orationis iniuria suspectam recte Halmius defendit. Eandem, quam ego sequebar, sententiam rectius, ut videtur, exprimit Gertzii coniectura: *Videbat enim imperatores locupletari quotannis pecunia publica præter paucos.*]

usum membrorum coniungendorum, de quo et alibi dixi et in hac editione menda contraria sustuli Cat. II, 13, 29 (*precari, venerari atque implorare*), editionum quoque veterum auctoritate, et Cat. IV, 2, 3 (*exanimata uxor, abiecta metu filia et parvulus filius*). De industria etiam Philipp. I, 13, 32 *proximo, altero* editum; nam ab ipso proximo numeri procedunt; *proximus alter* pro eo, quod est insequens, non dicitur; nec rectum erat Philipp. II, 30, 75 *deos penates, patrios*, sed *deos penates patrios.*

VI.

De emendatione locorum aliquot orationum Ciceronianarum.[1])

136 Humile et minime splendidum scriptionis Academicæ argumentum afferimus, quæstiones criticas de veterum monumentorum emendatione. Sed ipse sermo, quo utimur, Latinus munusque hoc scribendi philologis demandari solitum admonere quodam modo videtur, ne vereamur interdum hoc loco eam quoque studiorum philologicorum partem tractare, quæ nec aliarum artium homines allicere consuevit nec nobis per se exercenda, nedum summa, videtur, sed necessaria. Quoniam enim veterum scriptorum cognitionem intelligentiamque profitemur, non possumus eorum integritatis conservandæ, investigandæ restituendæque curam a nobis reiicere, sine qua non satis firmum est totius disciplinæ fundamentum.

Novem fere menses sunt, ex quo duodecim Ciceronis orationes a me recognitas plurimisque locis, quantum sine insigni apparatus critici accessione fieri poterat, emendatas edidi. Quæ editio quod scholarum causa parabatur, disputationem criticam causarumque, propter quas quidque mutatum esset, explica-
137 tionem non recipiebat. Itaque eorum causa, qui hæc curarent, brevi tantum præfatione, quam rationem scripturæ recogno-

[1]) Programma, quo indicebatur magistratus academici anniversaria mutatio, æstate a. 1831 editum.

scendæ tenuissem, declaravi, quumque de exemplis aliquot mutationum factarum, maxime ex orationibus pro Sex. Roscio Amerino et de imperio Cn. Pompeii sumptis, dixissem, in ceteris, quæ mutassem, similiter me auctoritatem aut rationem probabilem secutum esse credi mihi volui. Sed tamen ratio neque æque in omnibus locis apparet neque nonnullorum assensum, nisi exposita uberius, extorquet, maxime ubi auctoritatibus repugnat. Placet igitur locorum ex ceteris orationibus, in quibus constituendis coniectura usum me esse in margine indicavi, maxime insignium accurata pertractatione efficere, ne illud tum iniuria postulasse videar.

Non repetam autem hoc loco, quæ in illa præfatione de instrumento critico harum orationum eiusque usu et de vulgatæ scripturæ auctoritate dixi. Tantum ponam breviter de singulis orationibus: Philippicarum duarum et Milonianæ recensio ex optimis codicibus ducta expolienda modo fuit, Ligariana, valde antea interpolata, e codice Erfurtensi aliisque bonis codicibus insigniter emendanda, quod plenius fieri potuisset, nisi aliorum illorum codicum scripturæ negligentissime enotatæ fuissent; in Deiotariana iidem codices multo minus sunt integri; Catilinariarum et eius, quæ pro Archia est, nulli sunt præstantes codices, nonnulli non mali, sed illi ipsi, excepto Erfurtensi in Catilinaria quarta et orat. pro Archia, tam indiligenter adhibiti, ut summa sit permultis locis de codicum scriptura dubitatio.[1]) De Rosciana et Pompeiana in præfatione exposui. Ex his 138 autem discriminibus illud efficitur, quemadmodum ibi de his duabus orationibus monui, ut varius admodum sit coniecturæ usus, varia ratio. Et orationis quidem pro Sex. Roscio præcipuas emendationes, quæ coniectura nituntur, iam illo loco persecutus sum. Sunt tamen pauci eius orationis loci in illa præfatione omissi, de quibus hoc loco breviter dicam. Mutata scriptura est coniectura c. 49, 143, ubi quum ederetur: *Verum*

---

[1]) Inutilem operam suscipiet, qui huiusmodi instrumentum criticum repetere et disponere aggredietur; meliore fundamento opus est, codicibus, quos optimos habere licet, diligenter adhibitis. [Id postea factum esse nihil nunc opus est dici; de generibus et cognationibus codicum orationum Catilinariarum quæ in præfatione quartæ editionis disputavi, extremo huic volumini inserentur.]

hæc omnis oratio, ut iam ante dixi, mea est, qua me uti respublica et dolor meus et istorum iniuria coegit. Sed Roscius horum nihil indignum putat; neminem accusat cet., ego edidi: *coegit; Sex. Roscius* facillima emendatione, necessaria de causa, etsi minus fortasse aperta. Neque enim hoc loco obiicitur aliquid superioribus adversativo modo, quemadmodum obiiceretur, si scriptum esset: *hæc dicere volui, sed prohibet Roscius*, sed distinguitur, quid Ciceronis sit, quid Roscii aliter sentientis, in qua orationis forma non magis *sed* ponitur quam in illa: *hoc Ciceronis est, non Roscii.* Sed si cui hoc minus perspicuum videtur, accedit ea causa, quod Cicero nunquam in hac oratione, ubi ad eum, quem defendit, redit oratio, simpliciter Roscium appellat, sed Sex. Roscium vitandæ ambiguitatis
139 causa.[1]) Reliqui loci additamenta habebant, de quo genere corruptelæ per hanc orationem pervagato dixi iam in præfatione. Cap. 28, 76 edebatur: *Arcessivit aliquem. At quando? Nuntium misit. Quem aut ad quem?* Non fefellerat Lambinum et Garatonium, particulam *at* quum per se alienam esse ab hac refutatione per subiectam interrogationem, tum quod sequeretur *quem*, non *at quem.* Garatonius hoc præterea sensit, quum id ostenderetur, Sex. Roscium nullum sceleris efficiendi ministrum habere potuisse, non recte de tempore solum quæri; de homine præcipue fuisse quærendum; itaque probabat, quod apud Priscianum tanquam ex hoc loco citatum legebatur, *quem aut quando.* Sed eas voces apud Priscianum Krehlius omnino delevit, codices secutus. Equidem ut in hoc membro temporis mentionem, ita in proximo plane supervacaneum puto in vulgata scriptura illud *quem*; neque enim ad rem pertinet,

---

[1]) Eadem, ut opinor, correctio adhibenda est Brut. 25, 97, ubi scribitur: *Sed Pompeii sunt scripta nec nimis extenuata* (*quanquam veterum est similis*) *et plena prudentiæ.* Reditus ille orationis ad Q. Pompeium, quem fingunt, nullam habet rationem in media enumeratione; nec illa *Tum L. Cassius* cet. sic Cicero interposuit, tanquam minus claris commemoratis ad illum rediturus esset. Aliorum autem mutationes violentæ sunt, nec satis apta particula, quam relinquunt. Tota forma huius percursionis oratorum parum nobilium postulat, ut hic novus orator nominetur; legendum est itaque: *Sex. Pompeii.* Intelligendus videtur Cn. Strabonis et Sex. Pompeii, iurisconsulti et Stoici, pater (vid. Brut. 47, 175).

quis fuerit nuntius, sed ad quem missus. Itaque perspicuum videtur, quum Cicero ea, quæ fingi possent, coniunxisset, deinde duplicem interrogationem subiecisset, ita ut *quem* pertineret ad prius (*arc. al.*), *ad quem* autem ad alterum (*nunt. m.*), hoc non intellecto aliquem priori parti suam interrogationem adiungendam putasse.[1]) C. 45, 132 legebatur: *nonne quivis potest intelligere, omnium architectum et machinatorem unum esse Chrysogonum? qui Sex. Roscii nomen deferendum curavit? hoc iudicium, cuius honoris causa accusare se dixit Erucius?* Nihil est autem apertius, quam *cuius* eodem modo referri ad *Chrysogonum*, quo *qui*, enumerarique per relativæ sententiæ formam ea, e quibus id intelligatur, quod intelligi Cicero dixit (sequebantur enim plures eiusdem generis sententiæ, ubi nunc lacuna excipit); itaque turbant orationem alioquin plane integram illa verba *hoc iudicium*, ex quibus Lambinus, qui orationis formam 140
viderat, interpolando effecit inutilem superioris sententiæ repetitionem (*qui hoc iudicium conflavit*). Sed illis verbis continetur annotatio alicuius monentis, nominis delati mentionem ad hoc ipsum iudicium pertinere. Extremus sit ex hac oratione locus, qui c. 47, 136 ita vulgo scriptus exstat: *Quis enim erat, qui non videret, humilitatem cum dignitate de amplitudine contendere?* mira oratione. Quum enim *humilitas* et *dignitas* ita ponantur, ut partes ipsæ, quæ certabant, notentur, plane eiusdem generis vocabulum, *amplitudo*, vitiosissime ita additur, ut prorsus alio modo dicatur. Deinde perverse inter se referuntur *humilitas* et *dignitas*, quæ contrariæ non sunt; neque enim *dignitas* ita absolute ponitur, nec homines sunt digni, ut humiles; nec humilitas de amplitudine certare poterat: neque enim unquam habere eam potest. Contrariæ sunt humilitas et amplitudo, humiles homines et amplissimi; ii certabant, utri plus possent. Tollenda itaque erat *dignitatis* vox, adscripta ad amplitudinis nomen barbare interpretandum, deinde illata in orationem. Sensit fortasse, non sustulit, perversitatem vulgatæ scripturæ, quisquis auctor fuit (nisi is casus est) eius, quam in una alteraque editione vidi, *cum dignitate et amplitudine.*

---

[1]) [Sequendi erant integriores Prisciani codices: *at* ex *aut* ortum. 1834.]

Ex oratione de imperio Cn. Pompeii, codicum ope emendata, unus superest locus, de quo dici opus sit. C. 9, 25 legitur: *Sinite hoc loco, Quirites, — præterire me nostram calamitatem, quæ tanta fuit, ut eam ad aures L. Luculli non ex prœlio nuntius, sed ex sermone rumor afferret*; significavi autem in margine, e vestigiis codicis Erfurtensis scribendum videri: *ad aures imperatoris.* Est enim in illo codice *ad aures Luculli imperatoris.* Iam patet, illud vocabulum nomini proprio
141 neminem interpretandi causa additurum fuisse, contra, quum *imperatoris* scriptum esset, fuisse, cur quis nomen superscriberet; idque additamentum in bono codice, ut sæpe factum est, cum vera scriptura coniunctum est, in deterioribus eam expulit. Ac sane Cicero, qui de Lucullo nihil detrahere videri vult, in hac calamitate narranda eius nomine abstinuit, quod statim apte ponit, sed ita, ut in vulgata scriptura repetitio offendat. Ipsa quoque sententiæ ratio postulabat, ut in magnitudine incommodi exprimenda notione generali uteretur, non nomine proprio. Itaque non dubium esse videtur, quin in ceteris quoque bonis codicibus eadem, quæ in Erfurtensi, scriptura fuerit.[1]

Venio ad eas orationes, de quarum emendatione nihil alibi dixi. Ac statim in prima oratione in Catilinam c. 3, 8 obiicitur locus controversiis agitatus, qui in editione Orelliana et plerisque post Gruterum sic scribitur: *Nihil agis, nihil moliris, nihil cogitas, quod ego non modo non audiam, sed etiam non videam planeque sentiam.* Auctoritatem hæc scriptura non habet nisi Cuiacii librorum, quorum fides interdum valde suspecta est; in reliquis omnibus codicibus veteribusque editionibus est: *non modo audiam, sed etiam videam.* Mirum est autem et vix credibile, quam perversæ de hoc loco disputationes sint editorum aliorumque, non cogitantium, quæ sit

[1] Non inutile fuerit, quoniam postulavi, de auctoritatibus quoque ut fides mihi haberetur, ubi ab aliis editoribus discederem, hoc loco exempli causa admonere, et in hac oratione Pompeiana et alibi me aliquoties codicis optimi Coloniensis testimonio usum esse, ubi Gruterus eum non commemoravit. In his locis usus sum lectionibus novantiquis Fr. Modii, qui aliquot eius scripturas excerpsit, velut 19, 58, ubi in vulgata scriptura (*in hoc uno Gabinio*) aut pronomen aut nomen proprium abundabat.

negationis in hac sententia ratio. Ipse quidem sensus satis 142 patet. Omnia enim se Cicero ait Catilinæ consilia conatusque *non modo audire, sed etiam videre.* In librorum scriptura quum aperte deesset negatio (hoc enim in ea dicitur: nihil est, quod dicere possim me non solum audire, sed etiam videre, id est, audio quidem quædam, sed non video), confugerunt ad ellipsin, ut *non modo* pro *non modo non* positum esset, quo artificio negationem lucrantur, sententiam nullam; esset enim hoc ita dictum, ac si contraria essent *audire* et *videre*, ut sententia hæc efficeretur: *tantum abest, ut audiam, ut etiam videam*; deinde etiam magis ridicule: *nihil est, quod tantum absit, ut audiam, ut etiam videam*; itaque plane supervacaneam, quod ad hunc locum attinet, operam sumunt, qui *non modo* pro *non modo non* in tali sententia non dici, vere sane, docent.[1]) Fuit etiam, qui *non modo non* scriberet, Gœrenzius. Plerique autem quum obscure sentirent, etiam ad *videndi* et *sentiendi* verbum pertinere negationem debere (dicere enim Ciceronem, nihil esse, quod non videret), sive Cuiacii sive alius interpolationem secuti duplicem negationem intulerunt: quam scripturam frustra 143 intempestivis eruditionis copiis defendit Beierus. Nam sic comparantur *non audiam* et *non videam*, diciturque *non modo* illud locum habere, *sed etiam* hoc; quod tamen Latine non illo modo effertur; dicendum est enim: *non modo* (id est, ut interpretantur, *non modo non*) *audiam, sed ne videam quidem*; deinde non impedita solum, sed perridicula efficitur sententia ex his et illis, quæ præcedunt: nihil esse ex Catilinæ consiliis, quod affirmari possit Ciceronem *non modo audire, sed ne videre*

---

[1]) Faciunt hoc plerique, qui res criticas tractant imperite, ut, non perspecta difficultatis et dubitationis sede et natura, longas disputationes instituant, sæpe falsas, interdum veras, sed quæ ipsam rem non attingant; alii citandis testibus aut parum locupletibus aut qui nihil dicant, quod ad rem pertineat, defungi malunt. Ex priore genere est ad hunc locum, ut ad alios aliquot, Beneckii annotatio, qui ne illud quidem attendit, etiamsi *non modo* pro *non modo non* diceretur aut ita scriberetur, deesse tamen unam negationem ad eam scripturam, quam ipse probavit, explicare ne tentavit quidem. Infinitæ sunt eiusmodi de multis harum orationum, ut de aliorum scriptorum Ciceronianorum, locis disputationes Germanorum quorundam, longe etiam Beneckio inferiorum, quas refutare otio abutentis est. Dixi semel, ne quis miraretur, cur earum nullam rationem habuissem.

quidem; ita (nam accurate ostendendum est, quam interdum in non intellectis interpretes acquiescant) minus fit videre quam audire, et hoc dicitur, confitendum esse, Ciceronem omnia, si non audire, at videre tamen. Non est intellectum, quod profecto non erat difficile intelligere, illum sensum, quem supra indicavi, negando sic efferri debere, ut *nihil* diceretur esse, in quod *non* caderet illud, non modo audire Ciceronem, sed etiam videre. Itaque non singulis partibus verborum artissime connexorum *non modo audiam* cet., negatio inserenda est, sed iis coniunctis præponenda. Vera est igitur hactenus codicum scriptura, quam plane confirmat Donatus ad Terent. And. III, 1, 12; nam quod ibi in editionibus *audiam* et *videam* transponuntur, ad rem non pertinet. Itaque in initio sententiæ relativæ (quod Donatus non citat) negatio excidit, quam non difficile erat restituere, cogitanti, quam sæpe librarii *quin* pro relativo et negatione positum in relativum mutassent. Accedit igitur hic locus ad Verr. IV, 1, ubi *quin* pro *quod non* accusativo casu dicitur.[1])

144 Proximus occurrit locus, qui est in eadem oratione c. 6, 13; eius hæc est vulgata scriptura: *Quæ nota domesticæ turpitudinis non inusta vitæ tuæ est? quod privatarum rerum dedecus*

---

[1]) Vid. exempli causa de Rep. I, 2 (ubi Maius *quod non* scripsit). Plane idem est mendum in Cicer. orat. pro Sest. 14, 33, ubi planissime contrarium, atque vult orator, dicitur: *si appellandi sunt consules, quos nemo est qui non modo ex historia, sed etiam ex fastis evellendos putet*. Ut nihil inter *putare* et *non putare* intersit, fictus ille particularum usus advocatur, quo concesso efficitur sententia tam ridicula, ut nihil supra esse possit (nemo est, qui putet tantum abesse, ut ex memoria evellantur, ut etiam ex fastis evellendi sint). Viderant huius scripturæ perversitatem editores Grutero superiores aliquot, qui *non putet* scripserunt, quæ scriptura nuper a Matthiæo adscita est; sed nec excidere facile illo loco negatio potuit, nec recte ponitur; pertinet enim ad totam complexionem verborum *non modo ex h., s. e. e. f. evellendos putet*. Facillima ac verissima emendatio Garatonio in mentem venerat, sed miro iudicio spreta est, qui „nisi forte", inquit, „quis malit, *quin non modo*, quod mihi durum videtur." Mirabitur fortasse aliquis, tot interpretes discrimen sententiæ aientis et negantis fefellisse. Is multo magis mirabitur, ubi in eadem oratione pro Sest. c. 20, 46 omnes omnino editores et interpretes sine ulla suspicione in loco apertissimo negationem retinuisse pro affirmatione viderit (*quam non id* pro *quam id*). Res admonitione eget, non demonstratione.

non hæret infamiæ? sed de posteriore parte verborum admodum dissentiunt; quam nonnulli plane eiiciunt, non satis gravibus argumentis utentes. Nam quod similem utraque interrogatio sensum habet, non est tamen idem; multa sunt enim rerum privatarum dedecora, ut æs alienum, fraudes, iniuriæ, quæ ad domesticam turpitudinem non pertinent. Alio modo paulo post ruina fornunarum commemoratur, ut difficultas domestica ostendatur. Ipse orator paulo infra *privatam ignominiam vitiorum* et *domesticam difficultatem ac turpitudinem* coniungit. Nec semper Cicero, ubi huiusmodi interrogationibus adversarium urget aut rem exaggerat, diligenter res discernit. Retineri autem hæc verba debent etiam concinnitatis oratoriæ causa. Quattuor enim interrogationibus Catilinam urget (illa enim *quid vero?* cet. ad unam certam rem spectat), quarum binæ similes sunt forma et ambitu orationis, duæ breviores, duæ 145
longiores. Corruptam autem esse scripturam, perspicuum est; neque enim in infamia dedecus, sed in fama hæret; et in *infamiæ* vocabulo latere *in fama* plures intellexerunt; sed origo eius mendi intelligitur ex codicum duorum, qui inter optimos sunt, Hittorpiani et Fabriciani, et unius deterioris scriptura *inhæret*, quæ verissima est; nam propter id ipsum verbum dativus illatus est. Satis est enim notum, Ciceronem huic verbo et ceteris eodem modo compositis præpositionem subiungere, proque ea structura a librariis fere dativum substitui, quæ postea frequentior erat forma; velut sæpissime hoc fit in verbo quod est *inesse*. Itaque, ut hæc minuta exempli causa tangam, et in Cat. IV, 11, 23, ubi legebatur: *erit vestris mentibus infixa,* edidi, quod erat in editione a. 1472, *erit in vestris inf. m.*, quum *in vestris* scriptum esset in codd. Erfurtensi et Franciano et ad marginem a Lambino e codd. annotatum, et pro Arch. 11, 26 præpositionem reduxi, et Philipp. II, 26, 64 ordinem verborum e cod. Vat. mutavi; nam *animo* cum voce *hæret* coniungendum est.[1])

---

[1]) Fuerunt, qui in hoc loco pronomen desiderarent (*infamiæ tuæ* aut *in fama tua*), eodem scilicet errore, quo id librarii nonnulli addiderant pro Ligar. 4, 11 (*avunculo suo*), ubi præter tres codices ab Orellio citatos omittit cod. C. Steph., unus Oxon., Haun., et pro Ligar. 12, 38 (*natura tua*), ubi omittentibus codd. accedit cod. Haun. et Quintil. VIII, 5, 7. Semel positum ad utrumque membrum pertinet.

In oratione secunda in Catilinam additamenta scribarum coniectura ductus in tribus locis notavi, quorum exempli causa de eo dicam, qui est c. 5, 10; is ita scribebatur: *Non enim iam sunt mediocres hominum libidines, non humanæ audaciæ ac tolerandæ,* sublata concinnitate membrorum (*non mediocres*
146 *libidines, non humanæ audaciæ*) et fracta aliquo modo vi orationis; plus est enim *non humanus* per se, quam si addatur *non tolerandus.* In codicibus autem primum varius est ordo verborum, deinde etiam scriptura; nam in uno Grævii cod. est *humanæ ac tolerandæ,* in tribus Oxoniensibus *humanæ ac intolerandæ,* in uno Oxon. *intolerandæ* servato vulgari ordine. Quod iam hinc concluditur, participium interpretationem esse adiectivi paulo insolentius de *audacia* positi, plane confirmatur eo, quod in uno cod. Oxon., omissis vocabulis *ac tol.*, scribitur *humanæ audaciæ perferendæ.*[1]) Eiusdem generis emendatione, sed multo insigniore, utendum putavi in oratione tertia in Catilinam c. 10, 25, quo loco Cicero, ut ostendat, quam præclara sint, quæ gesserit, recordari populum iubet superiores dissensiones civiles; quarum exitu commemorato addit, ut quidem vulgo hic locus scribebatur: *Atque illæ dissensiones erant huiusmodi, Quirites, quæ non ad delendam, sed ad commutandam rem publicam pertinerent: non illi nullam esse rem publicam, sed in ea, quæ esset, se esse principes, neque hanc urbem conflagrare, sed se in hac urbe florere voluerunt. Atque illæ tamen omnes dissensiones, quarum nulla exitium rei publicæ quæsivit, eiusmodi fuerunt, ut non reconciliatione concordiæ, sed internecione civium diiudicatæ sint.* Codicum quidem nulla est memorabilis varietas, nisi quod in aliquot codicibus etiam in prioris periodi initio legitur: *Atque illæ tamen omnes.* Sed primus Ernestius aperta redundantia et eorundem verborum, eiusdem formæ sententiæ repetitione offensus unam ex duabus periodum efficere conatus est, ita ut, deletis verbis *erant huiusmodi*, illis
147 autem *non illi nullam — voluerunt* per parenthesin acceptis, sententia instituta absolveretur illa demum parte: *atque illæ tamen omnes dissensiones, quarum* cet., eumque secuti sunt Matthiæus et Orellius; quorum iudicium multa evertunt; primum

---

[1]) [Postea edidi melioribus auctoritatibus obsecutus: *humanæ ac tolerandæ audaciæ.*]

particula *atque*, quæ post parenthesin periodo ad superiora redeunte poni nullo modo potest, deinde ipsa verba *non illi* cet., quod non eiusmodi parentheseos initium est, sed sententiæ superiori iam finitæ per se cum gravitate quadam adiectæ remque uberius explicantis, tum coniunctivus modus sententiæ relativæ (*pertinerent*), qui solœcus fit, sublatis verbis *erant huiusmodi*; postremo illa ratione minime redundantia tollitur, sed in illis verbis, *atque illæ tamen omnes dissensiones, quarum — quæsivit*, remanet.[1]) Itaque et aliquis, qui eam rationem secutus est, totum tamen locum eloquentia Ciceronis indignum iudicavit, et alius totam priorem partem sententiæ delendam putavit. Sed aliud est præter illam repetitionem multo magis perversum, quod mirum est neminem animadvertisse. Exeunt enim Ciceronis verba in longe alium sensum, quam qui exprimendus erat. Dupliciter ea, quæ gesta erant, comparando extollit, quod pericula maiora, quam ulla antea fuissent, sceleraque graviora sustulisset, deinde quod nulla cæde; ceteras dissensiones omnes minus horrendas fuisse, et tamen esse armis et cæde oppressas. Hanc extremam partem de cæde et sanguine iam exposuerat (§ 24) in singulis dissensionibus commemorandis; alterum illud, minus tamen perniciosas consilio et sceleratas fuisse illas dissensiones, restabat; id adiungitur hac sententia: *Atque illæ dissensiones erant huiusmodi, quæ non — pertinerent; non illi — voluerunt.* Sic absoluta sunt omnia, sequiturque recte rerum, quæ quum maxime gerantur, laudatio: *In hoc autem uno* cet. Hæc autem omnia totaque orationis progressio evertuntur illo additamento: *Atque* 148
— *diiudicatæ sint*[2]); quod præterea molestam habet circumlocutionem in illis: *eiusmodi fuerunt, ut — diiudicatæ sint*; nam quum hic exitus, non natura illarum dissensionum significetur, dicendum erat simpliciter *diiudicatæ sunt.* Itaque nulla dubitatio relinquitur, quin hæc interpretis alicuius annotatio sit, repetentis ante comparationem et eadem, qua Cicero in altera parte usus erat, forma proponentis, quæ Cicero supra dixerat, prior autem sententia plane sit integra. Nam ne illa

---

[1]) Viderunt hæc incommoda maxima ex parte Beckius et Blochius.

[2]) Patet, quam erraverit, qui priorem sententiam alienam et delendam iudicavit.

quidem *tamen omnes* contra multos codices recipienda puto, quæ minime necessaria sunt. Atque huius generis annotationes, quibus Ciceronis sententia paulo aliter conformata et explicata repeteretur, in textum nonnullis locis esse receptas, res est satis certa; cuius generis memorabile est exemplum in oratione pro Flacco c. 20, 46, ubi quæ in codice optimo Vaticano desunt et ab Ursino et aliis damnata sunt, ea ipsa non solum Arusianus Messus (p. 373 edit. Rom. operum Front.), citatis iis, quæ præcedunt et sequuntur, omittit, sed interpres vetus, cuius scholia A. Maius e cod. Vatic. palimpsesto edidit (Auct. Classic. Rom. 1828 Vol. II p. 28, Orell. V, 2 p. 242), pro explicatione ponit. Eaque corruptela interdum ad antiquissimos codices pertinet. Itaque quum hoc tenerem, non solum illa exclusi, quæ in Philipp. II, 26, 64 plerique e cod. Vaticano addiderant, vim sententiæ, quæ hæret in illis iuxta positis *servientibus animis gemitus liber fuit*, corrumpentes[1]), sed in orat. pro Deiotaro c. 3, 8 verbis illis *teque quum huic iratum, tum sibi amicum cognoverant* coniecturam secutus notam interpolationis apposui. Non poterat Cicero, quum, quibus rebus confiderent
149 accusatores Deiotari, enumeraret et distingueret, et initio dixisset: *Iratum te regi Deiotaro fuisse non erant nescii*, tertio loco ponere: *teque huic iratum cognoverant*; nec omnino dici hoc poterat ab eo, qui toto hoc loco hoc agit, ut credere videatur, fuisse Cæsarem, quemadmodum primo loco dicitur, Deiotaro iratum, non esse; itaque, qui hoc intellexerant, veteres editores quidam *fuisse* suppleverunt, quod non convenit alteri parti *tum sibi amicum*; sed ne hoc quidem recte poni poterat, quum et abiectissimos et a Cæsaris amicitia longe remotos describat, nec usquam significet, favorem eos Cæsaris consecutos esse. Ne orationis quidem forma recta est; nam de Deiotaro absente non *huic*, sed *illi* aut, quoniam hoc præcessit,

[1]) [Defendere tamen verba e Vaticano codice addita videtur imitatio Haterii rhetoris apud M. Senecam p. 218 Bip. (Controv. VII, 2, 5 Kiessl.): *Proposito in rostris capite Ciceronis, quamvis omnia metu tenerentur, gemitus tamen populi liber fuit.* Quanquam is ea verba pro eo, quod apud Ciceronem est: *servientibus animis*, substituisse videri potest. Sed parum probabile est, quicquam ex Senecæ opere in antiquissimum Ciceronis codicem, e quo Vaticanus ipse perantiquus ortus sit, migrasse. 1834.]

ei dicendum erat; tum usitate duobus membris enumerationis sine coniunctione positis per *que* particulam ultimum adiungitur, tertium et quartum non item. Patet totius loci sententiam illa annotatione breviter nec accuratissime comprehendi, pinguiusque explicari altera parte illud: *fore putabant, ut — facile fictum crimen resideret.*[1])

Revertor ad orationes Catilinarias. In earum quarta duas coniecturas, quod aliquid ad evidentiam deesse videbatur, etsi vulgatam scripturam falsam esse certum erat, in margine posui. Prior locus est c. 6, 11: *Quamobrem sive hoc statueritis, dederitis mihi comitem ad contionem populo carum atque iucundum, sive Silani sententiam sequi malueritis, facile me atque vos a crudelitatis vituperatione defendetis; atque obtinebo, eam multo leniorem fuisse.* Non solum dura, sed perversa est in hac 150
scriptura mutatio personæ verbi *defendetis atque obtinebo*, ut alii defendere eam sententiam, alius, qualis sit habenda, docere dicatur; deinde omnino non poterat tribui senatoribus ulla eius sententiæ defensio, quas consulis esse partes et initio capitis superioris et alibi significavit et in hac ipsa periodo illis verbis: *dederitis mihi comitem ad contionem populo carum atque iucundum.* Quicquid enim decretum esset a senatu, defendere et populo probare consulis erat; senatus aut facilem ob auctorem popularem causam defendendam dare poterat aut minus gratam. Verum verbi, quod est *defendetis*, personam prave ad præcedens *dederitis* propter utriusque sententiæ similitudinis speciem accommodatam esse, et longe aliter Ciceronem scripsisse, codices ostendunt; nam in Erfurtensi et Oxoniensibus quattuor ante *vituperatione* additur *P. R.* (in quinto Oxon. *populi R.*), in Coloniensi autem, duobus Palatinis, Grævii duobus codd. Barberinoque post *vituperatione* eædem litteræ (in uno Ox. *populum R.*). Tum pro *defendetis* in codice Coloniensi et Græviano secundo est *exsolvetis*, in Barberino *exsolvistis*, quod verbum nullo modo ex illo oriri aut pro illo supponi potuit.

---

[1]) Huius originis est illa in oratione pro Sestio c. 50, 107 languidissima sententia: *Huius oratio et pergravis et grata contioni fuit*, qua explicatur illud, quod Cicero oratorie elocutus erat, narrationi de producto in contionem Pompeio statim gravem asseverationem subiiciens: *Sic contendo* cet.

Iam hominis mentio, ut supra exposui, hoc loco esse non potest, rei, quæ contineat defensionem, potest. Itaque transpositis in scriptura Coloniensis codicis litteris, quæ persæpe a scribis transponuntur, hæc oritur scriptura admodum probabilis: *res publica exsolvet*; sed deleri tum præpositionem usus loquendi iubet (debebat saltem esse *e*); in falsa terminatione verbi, sequente littera *a*, lateatne pronomen *ipsa*, incertum est.[1]) Magis affirmari posse videtur de altera coniectura, ad finem orationis pertinente, quæ etiam Heumanno in mentem venit. Extrema enim sententia est: *Habetis eum consulem, qui*
151 *et parere vestris decretis non dubitet et ea, quæ statueritis, quoad vivet, defendere et per se ipsum præstare possit*; in qua offendit editores nonnullos rustica gloriatio promittentis, posse se efficere, et per se ipsum efficere, ne quis ea, quæ decreta essent, infirmaret (sic enim interpretantur); itaque fuerunt, qui, quod in codice Coloniensi et alio scriptum erat, *quoad possit,* probarent, transpositis paulum verbis; in qua scriptura *possit* non recte pro *poterit* ponitur. Sed ad vim verbi *præstare* attendendum est, quod quomodo hoc loco positum esset, nemo rationem reddidit.[2]) Neque enim *præstare* unquam est aut exsequi aut ratum facere; præstamus ea, quæ ita recipimus, ut nostro periculo res agatur, de quibus ita promittimus, ut damnum aut spem non expletam sarcire debeamus. Prospiciebatur a Cicerone et senatu non difficultas rei exsequendæ pœnæque de coniuratis sumendæ, sed invidia in posterum et nimiæ severitatis crimen. Iam qui rem decretam atque factam ita defendit, ut causam suam faciat, certamen, invidiam, pœnam, si qua sit, non in alios reiiciat, sed ipse subeat, is eam præstat. Ita dixit Cicero pro Sest. c. 16, 38: *ea condicione gesseram, ut meum factum semper omnes præstare tuerique deberent*, et ad Quintum Fratrem I, 1, c. 4 § 12: *horum non modo facta, sed etiam dicta omnia præstanda nobis sunt.*[3]) Id se

---

[1]) [Cfr. infra vol. II p. 337 ed. pr.]

[2]) Sensit difficultatem Schellerus.

[3]) Patet, non longe abesse hanc huius verbi significationem ab ea, unde omnis eius usus translatus deducitur. Ac nescio, an eodem modo Cicero in Pisonem c. 32, 80 dixerit, Pompeium *senatus sententiam præstare,* ut scriptum est in codice antiquissimo palimpsesto, id est, suam facere, defendere, auctoritate tueri; eius quod vulgo legitur, *sena-*

Cicero facturum dicit, quod plus est, quam *defendere*, augeturque adiecto *per se ipsum*. Verum hoc totum consilii est et 152
voluntatis, non potestatis. Itaque necessario non solum hi infinitivi pendent a verbo *non dubitet* (quod cur Beckio non placeat, nescio), sed illud etiam *quoad possit* ineptum est. Atque ipsa hæc varietas interpolationem in hoc loco versatam esse ostendit, ut non dubitem, quin delendum sit *possit*, cuius addendi causa fuit, quæ plurimarum interpolationum, verbum semel positum, quum ad duo orationis membra pertineret.

In oratione pro Archia quo uno loco mea ipsius coniectura repertam emendationem in textu posui (c. 9, 21 *efferuntur* pro *hæc feruntur*), de eo loco dixit, qui in eandem coniecturam postea incidit, E. Wunderus.[1]) Relinquo igitur has orationes, quarum instrumentum criticum ut persæpe coniecturæ locum dat, ita multis locis nihil præbet, quo insistere ac niti possit. Itaque sæpius, quod aperte falsa pro veris haberi nolebam, mendi nota posita transeundum erat; cuius positæ non puto rationem requisituros, qui in singulis locis et librorum scripturas et sententiarum verborumque naturam considerarint.[2]) Venio ad eas orationes, quarum emendatio 153
meliore instrumento adiuvatur, in quibus ut minus frequens est coniecturæ necessitas, ita fere, ubi usus est, facilior via.

---

tui sententiam præstare, tres sunt interpretationes, Hotomani, Abrami, Grævii, quarum nulla vera esse potest.

[1]) Mus. Rhenan. Philol. III, 2 p. 275, ubi præterea, nostra editione non visa, locos, qui sunt Cat. I, 4, 8 et II, 6, 14 eodem modo, quo ego edideram, scribendos esse ostendit; etiam de locis Catil. I, 2, 4 et II, 5, 9 in eandem sententiam disputavit, quam in edendo secutus eram, sed alia addidit.

[2]) Velut III in Catil. 9, 22 recepto, ut feci, eo ordine verborum, qui certam auctoritatem habet editionum veterum et aliquot codicum, multo apertior fit perturbatio; nam in verbis *tanta res*, priore membro absoluto, cum gravitate aliqua novum adiungitur (*iam vero illa Allobrogum sollicitatio suscepta a Lentulo — tam dementer, tanta res credita et ignotis et barbaris* cet. aut similiter); alterum ordinem, inductum ad occultandum aliquo modo mendum, certum est in nullo esse codice. Dixi iam in præfatione, ex Oxoniensibus codicibus, quos valde miror a Wundero (Proleg. ad orat. pro Planc. p. V) inter diligenter collatos numerari, nisi forte tantum ab iis, qui paucis locis inspecti sunt, segregare voluit, nusquam notatam esse verborum transpositionem. Similia in ceteris locis dici possunt.

In Miloniana primum c. 5, 14 tollendum fuit mendum simile quodam modo eius, quod ex primæ Catilinariæ c. 3 sustuli, negationis male positæ. Ita enim locus constitutus erat a Garatonio, adhibita verborum transpositione: *Nisi vero aut ille dies, quo Ti. Gracchus est cæsus, aut ille, quo Caius, aut quo arma Saturnini oppressa sunt, etiamsi e re publica, rem publicam tamen non vulnerarunt*; verum, quum hæc sit sententia, illos dies, etiamsi necessarii fuerint, tamen vulnerasse rem publicam, in ironia negatio toti huic verborum complexioni præponi debet; idque multo magis fieri necesse est propter particulam *tamen*; plane enim evertitur sententia, si hanc excipit *non vulnerarunt.* Itaque quum in codicibus et optimis et deterioribus negatio et ante *etiamsi* et ante *vulnerarunt* posita sit, apertum est, secundo loco tollendam fuisse, non, ut fecerunt ceteri, priore. Sed quo magis hunc locum consideravi, eo magis patuit, nondum eum esse nec a Garatonio, qui Aldum sequitur, nec a me persanatum. Nam ut falsa est olim vulgata, multo quidem magis negatione, ut feci, in suum locum reducta, tamen et transpositio illa contra utramque codicum familiam facta dubitationem habet, et oratio; nam *etiamsi e re publica* et in Garatoniana scriptura[1]) et multo magis in mea artissime
154 iungendum est cum illis *rem publ. vulnerarunt*; perdurum est autem *e re publica rem publicam vulnerare*; nec optima imagine dies rem publicam vulnerare dicuntur; etsi dies pro iis, quæ die aliquo facta sunt, ponitur ab omnibus, sed ubi communiore verbo utuntur (qualia sunt *afferre aliquid, ostendere* cet.); tum, quod per se parvum est, sed ad veritatem indagandam magni momenti, debebat pronomen *ille* tertio quoque loco repeti (*aut ille, quo arma*). Retento igitur omnium codicum verborum ordine emendatio petenda est e codice optimo et Erfurtensi plane et Bavarico æquiparando, Coloniensi, qui ante *arma* omittit *quo*. Hinc hæc efficitur scriptura: *Nisi vero aut ille dies, quo Ti. Gracchus est cæsus, aut ille, quo Caius, aut arma Saturnini non, etiamsi e re publica oppressa sunt, rem publicam*

---

[1]) Quum enim *etiamsi* verbum non habeat, assumere debet ex ea sententia, in qua est *tamen*; præterea ad hoc, quod communiter de omnibus diebus accipitur, non potest verbum repeti ex sententia relativa, in qua de uno die dicitur.

tamen vulnerarunt. Apparet, Ciceronem tantummodo in extremo membro addidisse, quod ex tota sententiarum consecutione patebat etiam in ceteris, necessaria se putare, quæ facta essent. quo paulo minus accurate facta est periodi compositio. *Arma* autem *Saturnini* ita dixit, ut, etsi proprie ipsius in rem publicam impetus significetur, simul defensio rei publicæ contra eius vim cogitetur, qua is ad arma capienda compulsus est. Iam præclare verbum accommodatum est ad extremum subiectum. Nec obscurum est, quomodo illud *quo* addi potuerit. Itaque hanc scripturam nunc sine ulla dubitatione reciperem in contextum.

Manifestum additamentum tollendum fuit ex huius orationis c. 33, 90, ubi in vulgata scriptura: *An — ille denique vivus mali nihil fecisset, qui mortuus, uno ex suis satellitibus Sex. Clodio duce, curiam incenderit?* additum nomen non solum abundabat, sed vim sententiæ corrumpebat, quæ ita in comparatione principis seditionum et unius satellitis posita est, ut generali appellationi propria addi nullo modo possit. Simile 155
erat mendum loci supra emendati in Pompeianæ c. 9, eodemque modo (nam frequens est hoc interpolationis genus) corruptus locus II in Catil. 6, 14, ubi in codice Mureti Manlii nomen omittebatur, recte Mureto probante; contemptim condicionis, non hominis, nomine orator utitur. Testatior erat res in oratione pro Ligar. 12, 37.

Accuratius dicendum videtur de eo huius orationis loco, qui quum vulgo sine ulla suspicione mendi ederetur, a me non solum mendosus, sed etiam lacunosus est iudicatus, c. 37, 102, in quo tamen apertissima codicum indicia secutus sum. Legebatur enim: *At in qua causa non potuisse? Quæ est grata gentibus. A quibus non potuisse? Ab iis, qui maxime P. Clodii morte acquierunt*; in qua scriptura soli Garatonio oborta est levis dubitatio, rectene tam nude poneretur *gentibus*, an excidisset *omnibus*. Sed vel hoc addito, perverse, omisso populi Romani omnium ordinum iudicio, quod gravissimum erat, gentibus omnibus, quo nomine exteræ significantur, grata Milonis causa diceretur. Et quam est hoc languide expressum, *est grata gentibus*! Deinde quod subiicitur *a quibus* et *ab iis*, falsam habet sententiam; illi enim, qui maxime Clodii morte acquierunt, iudices sane intelliguntur; verum quum *ab aliquo*

tueri dicitur, inimicus, accusator intelligitur vel iudex corruptus et iniquus. Iam *a quibus* omittitur in cod. Erfurtensi, id est in meliore familia[1]), in Hauniensi, 5 Oxx., edd. vett.; *ab* ante *iis*, quo omisso stare alterum non potest, in Erf., Haun., 2
156 Oxx., edd. vett., codd. Lagomarsinianis multis (qui profecto non omnes *a quibus* habuerunt; sed delectum varietatis Peyronus fecit inde a cap. 10).[2]) Patet iam, hoc *iis*, *qui* referri ad sententiam, in qua per ablativos consequentiæ elatum fuerit id, de quo interrogaretur (nam dativo nullus hic locus est, nec ablativo alius generis in personis), in vulgata autem scriptura lacunam huius non interpolatæ scripturæ: *quæ est grata gentibus non potuisse? Iis* male expletam esse. In vocabulo *gentibus* latere videtur terminatio participii ablativo casu positi (velut: *Quibus iudicantibus non potuisse? Iis* cet.). Huius participii et vocis dativo casu in fine superioris membri positæ similitudo perturbationem scripturæ genuit. Atque huius corruptelæ simillima est, quam in orat. pro Ligario c. 9, 28 notavi, eodem modo vulgo occultatam. Legebatur enim: *an, ut fit in civilibus bellis, nec in vobis magis quam in reliquis, omnes vincendi studio tenebamur*; in qua scriptura ea sunt incommoda, quæ a nullo esse animadversa mirer; gravissimum, quod, quum præcessissent de Tuberonibus illa ironice posita *languidiore, credo, studio in causa fuistis* cet., planeque necessario subiiciendum esset, vehementissime eos Pompeii partes defendisse, dicitur communiter *omnes tenebamur*; deinde, quum *omnes* vincendi studio incensi fuisse dicantur, perverse in eadem sententia præmittitur *ut fit non in vobis magis quam in reliquis*, id est, ut fit in omnibus. [Omitto, prave coniungi bellorum et personarum significationem: *in — bellis — in vobis.*] Sed aliter hæc a Cicerone scripta esse, arguunt codices. Nam Erfurtensis et Dresdensis, tum ex deteriore familia Haun., duo Oxon. editioque a. 1480 habent: *omnes enim*; ex quo patet

[1]) Gruterus de suis codd., ut solet, tacet. Bavarici scripturas, quæ aperte falsæ et nullius usus viderentur, aut ab Harlesio aut a Garatonio omissas esse, iam Wunderus (præf. cod. Erf. LXXIX et prolegg. ad Plancian.) intellexit.

[2]) Vereor, ne error sit unus et alter in libris, quos Lagomarsinus numeris significavit, indicandis; certe, ut hoc exemplo utar, cod. 92 editio Gruteri nullo modo esse potest, ut Peyronus ponit.

aperte, qualis fuerit vera loci forma. Quum enim proprie Ci- 157
cero de Tuberonibus dixisset, subiecit, non in iis magis quam in reliquis eum animum fuisse. Iam apte communiter addebatur: *omnes enim.* Itaque excidisse nonnulla manifestum est.[1]) Paucis alia res, quoniam forte in eam hoc loco incidi, tangenda est. Duobus versibus, qui ad superiora confirmanda pertinent, interpositis, eadem fere verba leguntur: *Omnes, inquam, vincere volebamus.* Ibi Schuetzius et Orellius Gœrenzii coniecturam secuti *omnes, omnes, inquam,* ediderunt, necessaria, ut putant, propter *inquam* duplicatione. Verum ea locum habet in verbo aliquo uno non ante posito, hoc loco nihil nisi ipsa sententia superior repetitur, ut vehementius feriat; id quum fiat, sive iisdem ipsis verbis sive paululum mutatis, aut quum prior sententia tantum universe significetur, non geminari ante *inquam* singula vocabula, sane debebat esse notum. Itaque non minus prave in oratione pro Deiot. c. 12, 34 recepta est Lambini coniectura, scribentis: *Solus, solus, inquam.* Quod inerat iam in illa sententia: *Quæ semper in civili victoria sensimus, ea te victore non vidimus,* sed involutum, id apertius et explicatius repetitur: *Solus, inquam.* Recte igitur Classenius in orat. pro Cluent. 24, 65 (*Audete negare, ab Oppianico Staieno iudici pecuniam datam; negate, inquam, in eo* [*meo*] *loco*) codices optimos secutus semel tantum *negate* posuit, non recte idem locos Ligarianæ et Deiotarianæ inter exempla posuit vocis duplicatæ ante *inquam.* Nec Philipp. II, 12, 30 (*edormi crapulam, inquam, et exhala*) quicquam mutandum est; habet enim illa scriptura hanc sententiam: quum te constituere illud iubeo, hoc iubeo, crapulam ut edormias; ea est enim causa oblivionis
tuæ.[2]) Omnino sæpius nescio cuius δεινότητος studio voces contra 158

---

[1]) [Cfr. vol. II p. 325 sqq. ed. pr.]

[2]) Alia eiusdem erroris exempla ponentur infra ad orat. pro Sest. c. 11, 26. Fateor me constituere non posse, Ciceronine ipsi excidisse, an librariorum errori deberi putem perversitatem, quæ in verbis illo Ligarianæ loco interpositis inest: *pacis equidem semper auctor fui, sed tum sero. Erat enim amentis, quum aciem videres, pacem cogitare*; aperte enim se, quod minime vult, amentiæ accusat, nec hæc cavillatio est, sed, qui ad sententiam attendunt plusque quam inanem sonum postulant, ita intelligere coguntur; nam sane *fuisse* se auctorem pacis dicit, etsi sero, eo tempore, quo amentis fuerit pacem cogitare. Sed

Latinorum morem et verum orationis artificium duplicatæ erant ab editoribus, velut pro Mil. 28, 76, ubi interrogationi (*pecuniam dico?*) contrariam et maius cum affirmandi particula subiici debet: *a liberis, mediusfidius*, cet. Et sic codices. Itaque correxi. Eiusdem generis erat ibid. 31, 84 *Ea vis, ea igitur ipsa*, pro quo ex Bav. et Erf. edidi: *Ea vis igitur ipsa.* Philipp. quoque II, 28, 69 (*Nolite, nolite quærere*) alterum *nolite* recte Vaticanus excludit. Leniter Cicero irridet Antonium, non serio et vehementer vetat.

Deducti sumus a Milonianæ orationis loco ad eam, quæ proxima est, Ligarianam, cuius quum permulti loci insigniter mutati a me sint, de duobus tantum hic dicendum est, ubi coniecturas a me ipso factas persequor.

159 C. 7, 20 editum erat: *Sed ut omittam communem causam, veniamus ad nostram. Utrum tandem existimas facilius fuisse, Tubero, Ligarium ex Africa exire, an vos in Africam non venire?* Ineptissime priora coniunguntur, quasi ideo dicat de re in iudicium vocata, ne de communi causa dicere necesse sit; apertum est, invertendam fuisse orationem: *Sed omittam —, ut veniamus.* Omnino ita hæc connexa sunt, ut in tam simplici sententia Cicero non alterum alterius causa fieri dicere soleat, sed coniungat: *omittam, veniam.* Itaque necessario mutanda erat sententiarum distinctio, quo facto paulo fiebat apertius, si apertius fieri poterat, perversam esse illam inæqualitatem numeri verborum, *omittam* et *veniamus*, quæ Lambinum quoque offenderat; quid est enim, vel in vulgata distinctione, cur in altero communicationis figura orator utatur, in altero non utatur? Scribendum igitur erat: *Sed, ut omittam communem causam,*

---

nec ulla sunt corruptelæ in codd., verbis, forma orationis vestigia, et fieri fortasse potest, ut fefellerit flumen verborum persequentem facilis et aperta conclusio, quæ ex his verbis oritur. Sed tamen, quum usitata sit formula ex quotidiano loquendi modo, ut videtur, sumpta, *sero est*, pro eo, quod est *serum*, qua usus est Cicero in Ep. ad Qu. Fratr. I, 2, c. 3 et Livius XXIII, 44, scribendum videri possit: *sed tum sero erat. Erat enim* cet., id est, serum erat pacem suadere et cogitare; itaque, qui semper alias, tum non suasi. Quod Patricius hæc verba interpretatur: *sed serius, quam oportuit, auctor pacis fui*, primum *tum* negligit, deinde nihil magis contrarium Ciceronis menti est, qui sæpissime dicit, ab initio se concordiæ studuisse.

veniam ad nostram, utrum tandem cet. *Veniamus* scriptum est propter *nostram.*[1])

Gravius erat mendum proximi loci, c. 8, 25. Is vulgo ita scribebatur: *Atque in hoc quidem vel cum mendacio, si vultis, gloriemini per me licet, vos provinciam fuisse Cæsari tradituros, etiamsi a Varo et quibusdam aliis prohibiti essetis. Ego autem confitebor, culpam esse Ligarii, qui vos tantæ laudis occasione privaverit.* Sed pro *etiamsi* Patricius *nisi* scribi voluit, alii, Ursini codicem, id est, coniecturam secuti, *si a Varo—prohibiti non essetis*; itaque, utrum aiat an neget orator, controversia est. Et profecto tam est perversa vulgata scriptura, ut ideo refutare sit difficile, quod, quomodo defendatur, vix exputari possit. Tuberones se a Ligario, non a Varo, prohibitos provincia querebantur; quomodo igitur, ubi illis, ut falso glorientur, permittitur, mentio ulla Vari et quorundam aliorum esse 160
potest? Non est autem hæc gloriatio, sed plane sensu carentes nugæ: Prohibiti sumus ea provincia, quam Cæsari tradituri fuimus, etiamsi — prohibiti essemus (*ea provincia*; de ea enim prohibitione disputatur; sed eadem ac fere maior fit perversitas, si intelligas, *prohibiti tradere*).[2]) Nihil illi gloriari poterant, nisi quid facturi fuissent, si *non* prohibiti essent. Verum tamen falsa est illorum, quos memoravi, mutatio. Nam quum, ut dixi, Ligarium Tuberones accusarent, dicendum erat ex eorum sententia *nisi a Ligario.* Præterea in hac ratione nulla omnino est connexio huius et proximæ sententiæ: *Ego autem confitebor*, nec, quæ sit ista confessio de Ligario, intelligitur, quum Varus et alii accusati essent. Sed veritatis investigandæ viam codices monstrant. Nam ex optimis Erfurtensis et Dresdensis, ex deterioribus Hauniensis Oxonienses que quattuor pro *autem* habent

---

[1]) [Personæ mutationem ferendam fuisse disputavi ad Cic. de Fin. I § 24.]

[2]) Nec *prohibere* est impedimenta aliqua obiicere rei, ita ut tamen fiat, ne quis nobis hanc conficiat interpretationem, gloriari Tuberonibus licere, se, si admissi essent a Ligario, tradituros Cæsari provinciam fuisse, etiamsi repugnassent postea alii. Sed omnino de uno illo tempore quærebatur, quo provinciam intrare vetiti erant. Non est opus alias rationes excogitare, quas refutem. Satis enim ex P. Manutii, optimi interpretis, obscura et perplexa nota intelligi potest, quam non procedat vulgatæ scripturæ explicatio.

tamen; nec aliunde ortum est *tum*, quod legitur in duobus ex optimis, Pithœano et cod. Stephani (quinti, Coloniensis, scriptura notata non est). Eam particulam referri patet ad superius illud *etiamsi*. Itaque ibi novæ sententiæ initium est. Adeo se eam gloriationem non pertimescere Cicero ait (cfr. 8, 23), ut, etiamsi culpam prohibitorum provincia Tuberonum a Ligario removere possit, confiteri malit. Itaque re vera a Varo
161 et aliis exclusos eos esse, significare debet (idque facit c. 7, 22 et c. 9, 27). Ergo non *essetis* tanquam de re ficta scribi potuit (nec tum recte sequeretur *confitebor*), sed *estis*. Frequenter in huiusmodi sententiis condicionalibus, maxime post *etiamsi*, indicativus in coniunctivum a librariis mutatur.[1]) Edidi igitur: *fuisse — tradituros. Etiamsi a Varo et quibusdam aliis prohibiti estis, ego tamen confitebor* cet.

Orationis pro rege Deiotaro unius præter eum, de quo supra dixi (c. 3, 8), loci emendatio hic tuenda est, c. 10, 29, quem locum ita Orellius scripsit: *Quum vero, exercitu amisso, ego, qui pacis auctor semper, post Pharsalicum autem prœlium suasor fuissem armorum non deponendorum, sed abiiciendorum, hunc ad meam auctoritatem non potui adducere, quod et ipse ardebat studio ipsius belli et patri satisfaciendum esse arbitrabatur*. Huius periodi nullam esse structuram patet; vox enim *autem* ita coniungit illa *semper* et *post Pharsalicum prœlium*, ut una sit sententia *qui — fuissem*. Itaque illud *quum vero* plane pendet nec habet, quo referatur. Nec tolerabilis est superiorum, Gruteri, Grævii, Ernestii (etsi is improbat) scriptura, in qua *fui* post *semper* additur, abundante et structuram
162 turbante particula *autem*, quæ relicta, quoquo modo cetera

[1]) Eiusmodi erat mendum in orat. pro Mil. 11, 30, sublatum a me codicis palimpsesti auctoritate; in quo loco quum nonnulli pravam esse vulgatam scripturam sensissent, nec tamen recte mutassent, alii peius defenderunt, quasi de tempore modo verbi ageretur, non animadversa condicionalis sententiæ ratione. Nulla res *est, si altera esset*, nec magis, *si fuisset*. Ex disiunctione (aut omnino non potuit Milo iure vitam cæde alterius servare aut potuit) hæc efficitur disputatio: si non potuit, nihil nunc dici potest; si potuit, quærendum est, num, quod potuit, factum sit, ut iure occiderit. Modo necessario utendum erat indicativo, tempore, quoniam ad hanc unam cædem quæstionem adstrinxit, perfecto; si infinite quæreret, *potest* diceret, non, ut Garatonius volebat, *possit*.

mutantur, impedit, quominus, ut fieri debet, ad coniunctionem *quum* referantur ea, quæ priorem partem periodi efficiunt. Atque eam particulam omittit codex Erfurtensis et quidam veteres codd. in margine repetitionum Lambinianarum.[1] Verum eo omisso nondum sanus est locus; nam tempus plusquamperfectum (*fuissem*) plane esse alienum, iam Ernestius intellexit, sed licenter nec aperta erroris causa *essem* substituit. Plerique codices post *semper*, ut editiones ante Orellium, inserunt *fui*; id omittunt duo Oxonn., Haun., edit. a. 1472 Lambinusque; sed *fuissem* omittunt edit. Lambini, codex Dresdensis, Oxon. unus, Haun., ed. a. 1472, iidemque, excepto Oxoniensi, *fui* addunt post *abiiciendorum*, quam scripturam Lambinus se ex codicibus sumpsisse testatur. Satis patet, opinor, *fuissem* deberi librariis *quum* coniunctioni perfectum indicativi tempus adiungi non ferentibus, quod recte fit, quum non narratio contexitur, sed tempus definitum notatur (cfr. v. c. de imp. Cn. Pomp. 1, 2), *fui* autem post *semper* iisdem verbum supplentibus, quod in hac temporum comparatione in relativa sententia perfacile intelligi poterat ex primaria. Sed *fui* illo loco ponendum mihi visum est, quo legebatur inde ortum *fuissem*, elegantiore ordine. Edidi igitur: *Quum vero, exercitu amisso, ego, qui pacis auctor semper, post Pharsalicum prœlium suasor fui* cet. Atque hæc non dubito quin recta sit forma sententiæ; relictum tamen esse additamentum interpretis, suspicari aliquis possit; nam in illis *amisso exercitu* et *post Ph. prœlium* non solum idem bis dicitur, sed incommode 163
interposita sententia hæc disiunguntur, tanquam novi aliquid addatur.[2]

Restant orationes Philippicæ duæ. Earum emendandarum etsi optimum præsidium præbet codex Vaticanus, quo etiam paulo pluribus locis usus sum quam superiores, non tamen, quum præsertim solus is sit melioris generis codex, ad omnia menda tollenda sufficit; quorum unum et alterum coniectura

---

[1] Codicis Erf., in prioribus perturbati, in verbis *post Pharsalicum* cet. non minor est auctoritas quam in reliqua hac oratione. In eo legitur: *Quum vero exercitu amisso et cupiditate* (repetitum hoc ex superiore versu) *post Pharsalicum prœlium.*

[2] [Cfr., quæ ex tertiæ editionis præfatione excerpta sub finem huius voluminis ponentur.]

emendavi, primum, quod erat in orationis primæ c. 3, 8. Exponit Cicero, cur, quum Roma discessisset, ut per aliquod tempus abesset, subito revertendi consilium ceperit. Narrat igitur, aliquot diebus post Kalendas Sextiles, quum in agro Rhegino moraretur (diem fuisse VII Id. Sextil., constat ex ep. ad Att. XVI, 7), venisse ad se homines, qui Roma nuper advenissent, lætosque nuntios de re publica attulisse. *Addebant*, inquit, *præterea, rem conventuram; Kalendis Sextilibus senatum frequentem fore; Antonium, repudiatis malis suasoribus, remissis provinciis Galliis, ad auctoritatem senatus esse rediturum.* Hæc omnia, si orationis formam et usum futuri temporis spectamus, ita dicuntur, ut de re futura narrasse illi homines necessario intelligantur; et tamen ita verba intelligi vetat additum *Sextilibus*; itaque accipiuntur hæc vulgo ita, ut, quanquam iam præterissent Kal. Sex., tamen oratio accommodata dicatur ad tempus, quo Roma discessissent. Verum tum non dicendum erat: *addebant — fore — esse rediturum*, sed: *addebant, exspectasse homines* sive *hunc sermonem fuisse* similive modo. Subiicit Cicero, se, quum hæc audisset, cupiditate incensum redeundi, summo opere festinasse, *non quo se ad tempus occursurum non putaret, sed ne tardius, quam cuperet, rei publicæ gratularetur*; quæ oratio nullum omnino sensum habet, non
164 præcedente temporis mentione, ad quod occurrendum esset. Nam Orellius, quum infinite dici *ad tempus* ostendere vellet, ipse ea addendo, quæ apud Ciceronem non leguntur, effecit, ut haberet, quo referretur. Idem tamen recte intellexit, multo minus constare sibi orationem Ciceronis in ea huius sententiæ scriptura, quæ olim erat, *occursurum putarem.* Patet, non Kalendas Sextiles in illorum hominum sermone commemoratas fuisse, sed talem diem, ad quem Cicero Romæ esse posset. Idque ita fit apertum, ut nihil dubitationis relinquatur, ex illa ad Atticum epistola, scripta quum in reditu iam esset (XIV Kal. Sept.). Ibi enim eandem rem narrans, „Afferebant," inquit, „fore frequentem senatum Kalendis." Non addito mensis nomine, satis patet, significari Kalendas instantes, id est, *Septembres*, ut Corradus intellexit; et fuit illo die senatus frequens, in quo Antonius ea dixit, quibus hac oratione Cicero respondet. Nec tamen hoc loco reponendum erat *Septembribus*, sed tollendum mensis nomen, quod quum Cicero in re perspicua

non magis hic posuisset quam in illa epistola, annotatum falso, ut sæpius in epistolis Ciceronis[1]), ab aliquo est, cui errandi causa fuit Kalendarum Sextilium mentio paulo et supra et infra (4, 10) facta.

In Philippicæ secundæ c. 11, 26, ubi Cicero eos refutat, qui Cæsarem eius consilio interfectum arguebant, edebatur: *Etenim si auctores ad liberandam patriam desiderarentur illis auctoribus, Brutos ego impellerem, quorum uterque L. Bruti* 165
imaginem quotidie videret, alter etiam Ahalæ? Quid in hac sententia significent verba *illis auctoribus*, nemo dixit; nec dici potest. Nam sive dativo sive ablativo casu posita putes, quo modo auctores appellantur Cæsaris interfectores? Cui et cuius rei? Cædis, inquit Abramius, qui solus attigit. Ubi id verbum est? Quanquam eius minime omnes, qui enumerantur, auctores erant, sed effectores. Satis aperte iis, qui rem perpetrarant, contrarii ponuntur ii, si qui impulissent, quibus opus fuisse Cicero negat; nec in alios nisi in hos cadit auctorum appellatio. Hæc quum sensissent Ernestius et Schuetzius, verba illa alter delenda censuit, alter delevit.[2]) Sed nulla excogitari potest interpolationis causa, nec tam videtur apta generalis sententia; itaque una littera deleta restituendam eam vocem (*actoribus*) putavi, quæ ipsos effectores ita significaret, ut apte hæc notio referretur ad auctorum nomen notionemque; nec hoc loco opus erat addito genitivo ad definiendam vocabuli actoris significationem.

C. 16, 40 interpolatio notanda fuit, a quo mendi genere non esse liberum codicem Vaticanum is locus, qui proxime sequitur (41), exemplo esse potest, ne alios commemorem, et ipse duobus iam exemplis (Philipp. I, 3, 8 et II, 26, 64) ostendi. Edebatur hic: *Me nemo, nisi amicus, fecit heredem,*

---

[1]) Exempla ponam breviter; nam explicatio rationis temporum ab hoc loco aliena est. Delendum est igitur Ep. ad Attic. XIII, 12 *Quint.* (vid. Schuetz.), XIII, 21 *Sext.* (Schuetzius in *Sept.* mutavit), XIII, 33 *Mai.* (vid. Manut.); in XIII, 34 iam sublatum est mendum; adde ad Attic. XV, 8 (vid. Popma et Schuetz.) cet. Cfr. Orell. Cic. Opp. III p. 1 p. 434.

[2]) Wernsdorfius ad hunc locum, „At non opus est“ inquit „multis docere, eadem bonum et commodum sensum habere.“ Paucis tentasset, vellem. Sed est hoc quoque criticæ genus.

ut cum illo commodo, si quod erat, animi quidam dolor iungeretur; te is, quem vidisti nunquam, L. Rubrius Casinas, fecit heredem. Hæc autem ultima *fecit heredem* non solum languide redundant, sed corrumpunt manifesto orationis artificium; semel enim posito et tanquam delitescente eo, quod commune est,
166 graviter exprimitur contrariorum relatio (*me nemo — te is*); illis contra additis pondus sententiæ a verbis *te is* transfertur ad clausulam illam, in qua esse non debet; tum apertum est, posita alieni hominis circumlocutione finiri sententiam et tanquam residere in ipso nomine, cui apte subiunguntur illa *Et vide* cet.[1]) Itaque quin duo illa verba delenda sint, dubitari non potest.

Incido deinde rursus in locum ita vulgo graviter et aperte mendosum, ut, quod in uno et altero loco supra facere me significavi, prorsus demirer, ex tot editoribus et interpretibus nullius ne dubitationem quidem motam esse. Cap. enim 21, 50 legebatur: *Accipite nunc, quæso, non ea, quæ ipse in se atque in domesticum dedecus impure atque intemperanter, sed quæ in nos fortunasque nostras, id est, in universam rem publicam, impie ac nefarie fecerit.* Nemo est autem, quin intelligere debeat, perversissime dici *in se atque in domesticum dedecus*; id est enim (contra sane ac vulgo interpretantur, quoniam necessario in hac coniunctione eadem est utroque loco præpositionis potestas)[2]), *contra dedecus suum*; atque ita coniuncta hæc esse, si potest esse dubium, ostendunt, quæ his redduntur: *in*
167 *nos fortunasque nostras.* Ne per se quidem locum hic haberet

---

[1]) Mirum est, in his, quæ sequuntur, certissimam Garatonii emendationem neglectam esse propter plane perversam vulgatæ scripturæ defensionem. Non quæri, num Rubrio Antonius, sed num Antonio Rubrius notus fuerit, non modo ex iis, quæ præcedunt, intelligitur, sed etiam ex iis, quæ sequuntur (*Velim mihi dicas* cet.). Sed aliis duabus de causis ferri nequit vulgatum; quod *fueris* solœce dicitur pro *esses*; deinde quod post illa *Et quidem vide, quam te amarit is, qui* cet. sequi debet sententia, quæ huius amoris indicium contineat; ea solet per se addi, sed tamen adiungi per relativum potest, ut sit *quum*; sed tum nec *is, qui* dici potest, quæ circumlocutio est subiecti, nec indicativus sequi. Itaque necessario nova sententia incipit a verbis: *Fratris filium.*

[2]) [Virgilius tamen Æn. VIII, 386 dixit *in me excidiumque meorum,* sed ut poeta liberius nec addita, quæ apud Ciceronem est, contrariorum significatione (*in nos fortunasque nostras*).]

dedecoris mentio, quum adverbiis ad eam rem accurate delectis factorum fœditas notetur. Itaque vix opus est addi, sed addendum tamen, quia plerique ignorant, *in dedecus* illo sensu, quo vulgo accipiunt, omnino a Cicerone dici non potuisse; recentior est enim longe is huius præpositionis usus, quo de consilio et effectu actionis dicitur, ipso rei, quæ efficitur, nomine adiuncto. Apertum est itaque nominatam fuisse hoc loco a Cicerone rem, quam Antonius læsisse dicatur; eius autem nomen facillime et certissime deleta syllaba, quæ male repetita erat, restitui poterat (*in decus*). Ei, quod de loquendi usu dixi, frustra opponent e lexicis Cic. pro Cluent. 66, 188, ubi *in familiæ luctum nupsit* est, in lugentem (morte filiorum) familiam innupsit; itaque additur *atque in privignorum funus*. Longe autem diversa esse, quæ vulgo cum his componuntur, *obsides accipere in aliquid, sponsorem esse in aliquid* cet., omnes facile vident. Primus, quod notaverim, e prosæ orationis scriptoribus Vell. Paterc. II, 41 dixit *cibo in vitam, non in voluptatem uti*, et ter *in hoc, in id* (II, 27, 41, 114), quod iam apud Horatium est (Epod. XVII, 63) et Ovidium (Metam. VIII, 77)[1]); sed frequentius est hoc genus apud Senecam et eius æquales, ubi superiores *rei alicuius causa* dicebant, ut apud Senec. Ep. 86, 3: *turres in propugnaculum villæ subrectas*, et apud eundem Ep. 108, 4: *licet non in hoc venerit*, et de Benef. IV, 1, 1: *Inveniuntur, qui honesta in mercedem colant*, et apud Quintil. X, 2, 2: *probatam experimento culturam in exemplum intuentur,* et apud eundem *in hoc* VI, 2, 27, XI, 2, 51. [Eodem modo iam Livius XXI, 43, 7 (*in hanc — mercedem — arma capite*) et XXII, 23, 9 (*in usum horreorum*, id est, ut pro horreis uteretur) et c. 26, 5 (*eam rogationem — in contumeliam eius latam acceperunt*) et XXIV, 2, 4 (*pugnare in libertatem Crotonis*) et XXVI, 29, 10 (*cadere in laudem Hannibalis*) et c. 39, 9 (*pugnare in discrimen maioris rei*) et XLII, 39, 7 (*in pignus fidei*). Sen. Rhet. Controv. IX, 6, 9 Kiessl. (*in moram sequentis patris*, id est, ut moraretur patrem) et ibd. 20 (*nominatam filiam in dolorem patris*). Suet. Tib. 21 (*in exemplum*). Alius fere generis sunt, quæ collegit Lorenzius ad Plaut. Mostell. 118.] Hinc illa ætate *in honorem alicuius*

---

[1]) Vid. Ruhnk. ad Vell. II, 41 p. 216.

168 fieri dictum esse, quod superiore *honoris alicuius causa*, recte observavit Vavassor (de vi et usu quorund. verbor. in Opp. ed. Amstelod. 1709 p. 154). Sed proprietatem posterioris huius locutionis exposui in Epist. crit. ad Orellium de Oratt. Verr. p. 100, honoris alicuius causa facere aliquid dici, qui hoc ei tribuat, ei obsecundans id faciat, brevi, eius causa faciat (fere Gallorum est: *en égard de quelqu'un*); exempla autem, quæ tum parcius protuli, Vavassor multa habet (Cic. ad Fam. XIII, 26, 31, 37, 65, 69, 76, ad Att. XI, 9, XV, 15), quibus addo [Plaut. Amph. III, 1, 7. Aulul. prol. 25, ibd. III, 4, 4. Mil. glor. III, 1, 26, Pœn. III, 3, 25, Stich. II, 2, 14 et Ter. Phorm. 928 et] Cic. Brut. 22, 86, pro Rosc. Am. 35, 98 et, quem locum supra emendavi, 45, 132 et Liv. VIII, 14, 10 [XXXIX, 47, 11]. In omnibus his locis ita interpretantur, ut honorem accipiant pro dignitate et existimatione, contra usum Latinorum et sententia plerumque aperte repugnante (ut in Bruti loco; existimationem enim publicanorum vel melius Galba tutatus esset). Eadem est autem sæpe vis, quum dicitur *in honorem alicuius* (quod iam apud Horatium legitur Od. I, 7, 8), ut apud Senec. Ep. [65, 22;] 104, 3: *et interdum, etiamsi premunt causæ, spiritus in honorem suorum vel cum tormento revocandus est* [ad Polyb. 3, 1; de Benef. IV, 30, V, 19, 8; de Tranqu. an. 7, 2]; add. Quint. I, 1, 7 et, quem ibi Spaldingius laudat, Senec. Rhet. p. 397 Bip. (Controv. III præf. 8 Kiessl.), qui p. 318 (Controv. X præf. 2) scribit: *quum illum homines non in ipsius honorem laudarent, sed in soceri ferrent* [denique Plin. Min. III, 3, 1 et VII, 24, 7]. Sed ea est agendi causæ et consilii affinitas, ut in loquendo sæpe hæ notiones commutentur, quod etiam in Latino sermone multis modis fit. Itaque factum est, ut, quemadmodum *in honorem*, sic etiam *in gratiam alicuius* diceretur, cuius locutionis primus nobis est auctor Livius (cfr. Drakenborch. ad XXXIX, 26, 12)[1]), tum Velleius Paterculus, alii, deinde *in spem*, non alio fere sensu, quam qui est in ablativo, quod idem dixit Livius I, 8, 4, XXI, 45, 4, XXII, 20, 8, alibi, Horatius Epod. 1, 24, Ovidius Met. IX, 341, Curtius IV, 6 (Zumpt.): *bellum, quod—in spem totius*

---

[1]) [Singulari modo adiectivum adiunxit Livius VIII, 22, 4; cfr. Emend. Liv. p. 646.]

orbis occupandi gerebatur, ibd. 52, Tacitus Hist. IV, 42: *non depellendi periculi, sed in spem potentiæ*; idem etiam Ann. XIV, 169
63: *præfectum in spem sociandæ classis corruptum*, et Hist. III, 47 *corrupto in spem rapinarum egentissimo quoque*, ubi primum in spem inductos, deinde spe ad cetera tractos indicat; Plin. Paneg. 27 (interdum nihil aliud quam actionis et spei coniunctio significatur, ut quum Livius XXVI, 16, 11 *multitudinem civium dissipatam in nullam spem reditus* dixit); tum *in favorem* (*en faveur de quelqu'un*), ut apud Iustin. XVII, 2: *in favorem ultionis Lysimachi*, id est, *quod Ptolemæus Lysimachum ultus erat* [et iam ante apud Lucanum X, 417]; postremo etiam *in odium alicuius* [ut apud Gallos *en haine de quelqu'un*], quod iam apud Ovidium est Metam. XIV, 71 (*In Circes odium sociis spoliavit Ulixen*), apud Tacitum autem Hist. I, 12 (*in T. Vinii odium*) non intellectum miras disputationes et mutationes, nuper quoque, provocavit; ita etiam Iulius Capit. in Clod. Alb. c. 12 dixit: *a senatu amatus est in odium speciatim Severi* [Maximin. 13 et 14; Trebell. Trig. tyr. 22]. Ab hac denique analogia deductum, quod Tacitus scripsit Ann. XV, 44: *tanquam non utilitate publica, sed in sævitiam unius absumerentur*, id est, propter sævitiam, ut ei satisfieret.[1])

Omittendus est hic locus difficilis c. 33, 82, quod, nisi explicata comitiorum illius ætatis ratione, de qua multi multa dixerunt parum certa, disputari de eo recte nequit; itaque dicam breviter, qui meæ coniecturæ sensus sit, qua posterius *renuntiatur* delendum iudicavi. Veri simillimum est, illo tempore in singulis centuriis seorsum classes civium suffragia tulisse, ea in singulis classibus numerata, exque omnium unius centuriæ classium suffragiis collectum esse renuntiatumque universæ suffragium; suffragiorum primæ classis centuriæ prærogativæ diribitionem et numerationem significari puto verbis illis: *deinde, ut assolet, suffragia*. Ante eam certe nulla erat renuntiatio. Itaque male repetitum credo vocabulum *renun-* 170

---

[1]) [Eodem modo hæc dicuntur: *in respectum alicuius* Sen. de Benef. IV, 32, 2 pro eo, quod apud Livium et alios est *respectu, in pertinaciæ pœnitentiam* Suet. Aug. 27, *in contemptum Spartanorum* Iust. III, 5, 5, *in ultionem eius* Suet. Oth. 9 extr. et Iust. XXVII, 1. Pro eo, quod est *in honorem alicuius rei*, Gell. V, 2, 5 et Iust. XII, 8, 7 dixerunt *ob honorem*, etsi apud Gellium editur *ob equi honores*.]

tiatur.[1]) Breviter etiam et tantum erroris tollendi causa attingenda est coniectura de re levicula, c. 34, 87, ubi quod edebatur, *Spurii Cassius, Mælius*, ferri ideo non poterat, quod ea loquendi ratio, qua hoc dici putant, in nominibus tantum communibus obtinet, non in prænominibus, non magis quam in nostris linguis; itaque scribendum erat, ut c. 44, 114 in codice Vaticano et ceteris scriptum est, *Sp. Cassius, Sp. Mælius* [Læl. c. 8, 28].[2])

Superest una explicanda uberius nostra coniectura de loco perdifficili c. 38, 99, ubi Cicero, M. Antonii in C. Antonium patruum iniurias commemorans, postquam hunc in petitione censuræ delusum fuisse dixit, alius similis contumeliæ ei in creandis septemviris agro dividendo lege M. Antonii illatæ mentionem addit. Ea in vulgatis editionibus his verbis continetur: *Quid? eundem in septemviratu nonne destituisti? Intervenit enim. Quid metuisti? Credo, ne salvo capite negare non posses.* Nec ulla est in codicibus scripturæ discrepantia, nisi quod pro *Quid metuisti* in Vaticano codice legitur *cū metuisti*, in Ferrarii codicibus *quem metuisti*. Sed quæ horum verborum
171 esset sententia, nemo superiorum interpretum ita explicavit, ut vel sibi satisfaceret; itaque nulla est in iis sententiis refel-

---

[1]) [Conferantur, quæ scripsi in opere de institutis rei publicæ Romanæ vol. I p. 119.]

[2]) Errat Orellius de cod. Vaticano; vid. Garat. p. 525 vol. I editionis Wernsd. [Dixit tamen Livius XL, 18 init. *duo Q. Fabii, Maximus et Buteo*, sed commune prænomen et nomen proprie notans.] Omnino in prænominibus ponendis aut non ponendis sæpius erratum erat. Unum hoc loco attingam. Ubi noti et celebris hominis nomini pronomen celebritatis index aut aliqua descriptio adiungitur, prænomen omittitur. Itaque pro Arch. 3, 6, etsi ceterorum prænomina adduntur, scribendum tamen erat (cum cod. Zwick. et duobus Oxx.): *Metello illi Numidico*, non, prava nominis et pronominis disiunctione, *Q. Metello, illi Numidico* (quod additur *et eius Pio filio*, iustus est ordo in tali coniunctione; vid. pro Cluent. 8, 25; Brut. 26, 98 [de N. D. III, 39 et 48, ad Att. IV, 17, 3; cfr. Em. Liv. p. 332 et Ussingius ad Plaut. Amph. 1093]) et in eadem orat. 7, 16 (cum Erf., Haun., 6 Oxx., edd. vett.): *Catonem illum senem*; adiuncta hæc prænominis locum explent; in Catil. IV, 10, 21 alia ex similitudine reliquorum membrorum causa delendi prænominis accedebat. [De orationis pro Arch. locis sententiam postea mutavi.]

lendis opera insumenda, quas ipsi auctores pæne improbant.[1]) Orellium miror nimis leviter se expedientem.[2]) Non apparet primum, quis intervenerit; nam ad C. Antonium hoc verbum ita referri, ut sententiam efficiat, nullo modo potest, quem non intervenisse dicit, sed, quum inductus esset in spem, destitutum esse, ut alius quis potius intervenisse videatur; deinde, quo pertineat particula *enim*; tum, quis sit ille metus, de quo interrogandi nulla est causa, quum nihil, quod metum significet, dictum sit; postremo, quo spectent illa *salvo capite negare*, quæ ad promissum C. Antonio datum referri non possunt; neque enim, cur promiserit, sed cur non præstiterit, quæritur. Viam emendandi ipsa illa particula *enim* ostendit. Patet enim, a Cicerone per speciem excusationis levem et turpem causam destituti patrui afferri. Mendum positum est in una illa voce, in qua codices discrepant, ex quorum vestigiis *cui* pro *quid* legendum est (*Intervenit enim, cui metuisti* cet.). Intervenisse Cicero dicit aliquem, qui id munus patruo debitum interceperit et M. Antonio extorserit, quod metueret scilicet, ne salvo capite negare ei non posset. Notus erat senatoribus homo contemptissimus, quem M. Antonius, patruo detruso, ad eum locum 172
evexerat; ne nobis quidem plane ignotus; nam aut Nucula aut Lento fuit (vid. Philipp. VI, 5, 14, VIII, 9, 26, XI, 6, 13, XII, 8, 20 et 9, 23).

Persecutus sum, quod initio facturum me esse dixeram, locos harum orationum mea coniectura emendatos, ita ut tantum exigua quædam et disputatione parum digna omitterem. Sunt alii præterea loci, in quibus aliorum coniecturis usus sum pridem propositis, sed ita neglectis et oblivione oppressis, ut,

---

[1]) Wernsdorfius tamen, recepta post Muretum et Faernum codicis Vat. scriptura, tanquam intelligeret, „Pro contextu" inquit „sermonis rectius hæc iunguntur."

[2]) *Intervenit enim* vult esse aut Tullii aut grammatici, explicantis, quomodo Antonius patruum destituerit. Miram vero, si Tullii est, adiectionem per tertiam personam in media allocutione Antonii, miram et obscuram grammatici interpretationem, deinde falsam; non enim intervenit M. Antonius, sed destituit, id est, non adiuvit; deinde *intervenit* interpretatur: *clam se opposuit*, et in hoc *clam*, cuius nullum est apud Ciceronem vestigium, sententiæ vim ponit (quæ, si illud est grammatici, nulla est). Tametsi tota ironia inanissima est.

quum vix editoribus notæ fuisse videantur, vulgataque scriptura tanquam certissima teneatur, novæ videri possint. Sed in earum aliis mutandi causa ab iis, qui coniecturas proposuerunt, explicata est[1]) (etsi interdum poterat distinctius et verius), in aliis nihil est dictum, ut, quatenus quidem disputatione opus est, integra ea sit. Ex hoc genere de duabus emendationibus exempli causa breviter hoc extremo loco dicam. Prior Lambini est, a solo Orellio adscripta, sed cum improbationis significatione, in orat. IV in Catil. 4, 8, ubi vulgo edebatur: *Adiungit gravem pœnam municipibus* (*municipiis*), *si quis eorum vincula ruperit; horribiles custodias circumdat, et digna scelere hominum perditorum sancit, ne quis eorum pœnam, quos condemnat, aut per senatum aut per populum levare possit* cet. In his multa
173 non recta sunt; primum pluralis numerus vocis *digna*, quum una res sequatur[2]), deinde ipsa sententia, accommodata ad hoc membrum, quasi minus priora digna sanciantur tali scelere, tum, quo indicio nescio quomodo multa iam menda, aliis etiam notis convicta, coargui, membrorum orationis coniunctio Ciceronis et eius æqualium usui repugnans, inter duo priora verba ex tribus æquo ordine positis omissa, ante extremum posita particula *et* (*adiungit, circumdat et sancit*).[3]) Hæc omnia incommoda Lambinus sustulit optimamque sententiam effecit

---

[1]) Talis erat P. Manutii coniectura in Philipp. secund. c. 20, 49, quam quum nemo ceterorum ne commemorasset quidem, Garatonius „nec bene“ inquit „Manutius pro *quanquam* legendum censet *quoniam*.“ Nec is attigit, nec quisquam evertet paucis verbis comprehensum Manutii argumentum. „Sententia“ inquit „postulat *quoniam*; subiicitur enim causa, cur eum non sit adhortatus.“ Addo, nullam alieniorem particulam inferri potuisse quam, quæ vulgo legitur, *quanquam*, eamque sæpissime cum altera illa permutari.

[2]) Non ita dixi, quasi scribi potuerit *dignum*, quod Latinum non est; quum enim hæc sit huiusmodi duplicis obiecti (adiectivi vel substantivi et sententiæ per coniunctionem annexæ) ratio, ut posterius per epexegesin priori superaddatur, prius tale debet esse, ut per se solum dici possit. Itaque aut adiectivi pluralis ponitur, sequente singularum rerum enumeratione, aut substantivum; nemo enim dicit *sancit dignum scelere* pro eo, quod est: *sancit rem dignam scelere.*

[3]) De hoc usu (qui apud Ciceronem quidem non pæne, sed plane perpetuus est, nec ad substantiva magis quam ad adiectiva et verba pertinet, modo ea sit membrorum coniunctio, quam dixi) exposui in Epist. crit. de oratt. Verr. p. 39, Append. disput. de Ascon. Ped. p. 8 et p. 35,

una littera duplicata verbisque melius distinctis (*et dignas scelere hominum perditorum; sancit* cet.). Altera hic commemoranda est emendatio loci in Philipp. secund. 38, 97, quam quum ipse repperissem, postea animadverti positam esse inter eas scripturas, quas Orellius ex exemplo aliquo editionis Naugerianæ edidit tom. II p. 2 p. 611 sqq. Scriptum erat: *Quid ego de commentariis infinitis, quid de innumerabilibus chirographis loquar? quorum etiam imitatores sunt, qui ea, tanquam gladiatorum libellos, palam venditent.* Sed quæ sit ista imitatio, dici nequit. Falsarios intelligunt, qui præter ea, quæ ab Antonio proferrentur, alia fabricati sint; qui primum non recte dicuntur 174
ea vendere, quæ imitati sint, pro iis, quæ imitando expresserint. Sed quis poterat et audebat, præter Antonium, palam Cæsaris commentarios et chirographa venditare, nisi per irrisionem non iam rei publicæ ac senatus, sed Antonii? Non dico, futurum fuisse, ut huius lucrum imminueretur; nemo enim sane ab aliis empturus erat. Quam enim vim habiturum erat aut quam emptori utiliatem allaturum tale chirographum? Nam quæ ab Antonio empta erant, etsi ab ipso erant ficta, eius auctoritate rata erant et quod Cæsaris acta, inter quæ fuisse dicebantur, a senatu non infirmabantur. Nec alia, quam quæ ab Antonio proferrentur et venderentur, commentaria hoc loco intelligi, satis declarant proxima: *Itaque tanti acervi nummorum apud istum construuntur* cet. Nihil ante hæc verba dici aliud potuit, quam iam non raro et secreto, sed palam omnibus illa venundari. Ea sententia non poterat aptius graviusve exprimi, quam institorum merces libellosque singulatim venditantium comparatione inducta nomineque posito, cuius vis optime sentiri potest, substitutis pro institoribus Romanis, quos Galli appellant *colporteurs.* Nec ulla vox propius ad mendosam similitudine accedit.

Præf. edit. Oratt. duod. p. (huius voluminis) 134. [Cfr. infra p. 333 sqq. ed. pr., ad Cic. de Fin. IV c. 20, 56 p. 562 sqq. ed. tert.]

VII.

De locis aliquot selectarum Ciceronis orationum disputatio altera.[1])

175 Quum superiore disputatione de præcipuis locis orationum a me editarum mea coniectura mutatis expositum esset, non prætermittendum putavi, quin, ut, quantum fieri posset, ea, quæ vera et recta mihi visa essent, aliis probarem, ex iis quoque locis, quos codicum editionumve vetustissimarum auctoritate correxissem, paulo plures, quam exempli causa in præfatione editionis commemoravissem, seligerem, maxime scilicet eos, qui aut insigniorem aliquam haberent mutationem aut occasionem præberent unam alteramve rem ad formam sermonis Latini pertinentem attingendi, et de quibus ab aliis dictum non esset, sed tamen nonnullos quoque minoris momenti, et in iis corrigendis quid essem secutus, ostenderem, in quo simul liceret unum et alterum locum in superiore disputatione brevitatis studio omissum commemorare. Sed quæ summa erat in nonnullis orationibus tum, quum eas edebam, difficultas, quod codicum scripturæ neque plenæ neque diligenter enotatæ erant, eam post illud tempus magna ex parte tollere potuit ac debuit, qui easdem orationes, exclusis tantum Philippicis et adiectis iis, quæ pro Murena et Marcello habitæ sunt, edidit Moguntiaci a. 1833, multis adhibitis codicibus, Io.

[1]) [Nunc primum edita. 1834.]

B. Steinmetzius. Verum is aliquid contulit ad earum orationum 176
emendationem, multo tamen minus, quam exspectari poterat, ex tanto codicum conferendorum labore fructus provenit ipsius culpa. Nam et veras codicum scripturas multas restituit, quæ iam ante ex aliis codicibus restitui poterant et a me restitutæ erant, partim etiam ante ab Orellio, et aliquot protulit recepitque aut novas aut ita antea incertas, ut recipi non possent, et effecit, ut nonnullorum locorum menda manifestius coarguerentur[1]; sed præterquam quod permultas bonas scripturas, quæ vel ex codicibus ante collatis sumi poterant, neglexit, quum alias adscisceret, quæ adsciscendæ non erant, ne quid de eo dicam, quod postulari minus potest, quod ad eos locos, in quibus vestigia tantum verioris scripturæ codices præbebant, 177
ipse parum opis attulit multaque ab aliis feliciter inventa præteriit, pravissimo consilio codicum suorum scripturas fere tantum in iis locis, ubi ipse iis utebatur, annotandas putavit, in reliquis omisit, sæpe etiam in suspectissimis et corruptissimis, ubi codices eius non consensisse cum edita scriptura satis ex aliis codicibus constat.[2] Itaque quod antea erat molestum, id

---

[1]) Ex novis scripturis præstantissima est, quam in Cat. II, 12, 27 e codice antiquissimo Tegernseensi restituit, *connivere possum* pro eo, quod interpolator aliquis substituerat, *consulere sibi possunt*, quam etiam apud Valerium Probum grammaticum repperit (c. 1482 P.) et in scholiastæ annotatione latere ostendit. In Catil. I, 8, 20 (ut obiter errorem meum corrigam) sufficere mihi debuerat annotata iam ab aliis codicum auctoritas, ad quam nunc Tegernseensis ille præter alios accedit, ne loco suo demoverem rectam scripturam, *si emori æquo animo non potes*, substituta altera, *si hic morari*, quam Steinmetzius quoque probat; nam nec *morari* pro *manere* nec *si* pro *quoniam* ferri potest, et hoc Cicero dicit, qui tanto, quanto Catilina, omnibus odio sit, vitam abiicere debere; sin id non sustineat, a patria fugere quam longissime; nec hortatur vere Catilinam, ut moriatur, sed exire ita iubet, ut vel moriendi causam adesse dicat. In Cat. II, 5, 11 recte Steinmetzius restituit *manere* (cui contrarium est *resecari*), ubi ego nescio quomodo *manare* reliqui, quod ex errore typographico ortum est. Nec in ed. a. 1480 sic est, sed *manere*, nec in ullo codice. Recte etiam II, 11, 25 *suppeditamur* edidit. Quæ recepit non recipienda, non sunt hoc loco refellenda. Interdum ipse enarrat scripturam eiectam, ut Cat. II, 8, 18, ubi *et* addidit ante *prædiorum*.

[2]) Exemplo esse potest in initio statim Roscianæ orationis c. 3, 8, ubi contra Ernestii coniecturam (*spoliis Sexti Roscii ex hoc iudicio* pro

nunc etiam molestius in aliquot locis est, post tantum codicum numerum nuper collatum tamen nos cogi ex tenuibus unius et alterius vestigiis de omnibus iudicare aut rursus non posse suspiciones ex una et altera discrepantia ortas satis firmiter reliquorum consensu refellere. Ac codices quidem non eiusdem in omnibus orationibus bonitatis adhibuit; velut in Rosciana confirmatum est, quod dixeram, omnes eius, qui in bibliothecis vulgo haberentur, codices recentes esse et exiguæ auctoritatis nec quicquam magnopere ex iis auxilii sperandum esse in locis gravius laborantibus. Sed tamen duorum illorum codicum, qui ceteris paulo præstant, Paris. reg. n. 6369 et
178 7777, accurate notatas habere scripturas utile esset, quum ne unus quidem in hac oratione diligenter collatus ab aliis sit.[1]) Ego hoc loco delectum eorum, de quibus dicam, sic moderabor, ut, si quid, quod ego correxeram, vel disputando vel saltem auctoritatum demonstratione a Steinmetzio confirmatum est, id

---

spoliis Sexti Roscii hoc iudicio) disputans, non annotavit, quod ex Gruteri annotatione scimus, codices omittere nomen *Roscii* (ex quo fit, quod ego edidi: *spoliis ex hoc iudicio*). C. 40, 118 nihil dicit de prava scriptura *a gladiatore recessisse*, pro qua scimus (ex Pall., St. Vict., Oxx. omnibus) in omnibus codicibus esse *a gladiatore cessisse* (ex quo fit, ut edidi, *a gladio recessisse*). In una sectione orat. I in Cat. 8, 19 tres verissimas scripturas omnino non commemoravit, *quod* pro *quid quod* (altero loco) et *ad M'. Lepidum* pro *apud M'. Lepidum* et *id responsi* pro *id responsum*, ex quibus primam et tertiam certe in suis codicibus invenire poterat; nam alteram e grammaticorum libris deprompsi. Summæ et ex magno codicum numero notæ discrepantiæ, qua lacuna deprehenditur pro Mil. 37, 102, ne verbo quidem meminit. Infinita sunt eiusdem generis alia.

[1]) Una est ex illis codicibus in ea oratione protracta singularis scriptura c. 12, 33: *quæ* (mors Scævolæ) *tantum potuit, ut omnes occisus perdiderit et afflixerit* pro vulgato: *ut omnes cives suos perdiderit et afflixerit*. Corruptela manifestior fit paulo c. 23, 64. Frustra Orellius (Scholiast. Cic. II p. 427) corruptissimum locum, qui est c. 5, 11, restitutum nunc putat, ubi ne species quidem sententiæ est. Quid est enim *maleficiis et sanguine dimissorum* (id est, ut interpretantur, *propter maleficia) fieri quæstionem*? Aut quinam illi dimissi et quis eorum sanguis? C. 46, 133 cum cod. S. Vict. Parisienses illi vestigia veteris scripturæ melius conservaverunt, ex quibus vestigiis recte Steinmetzius edidit: *qui prætereuntes, quid præco enumeraret, audiebant*; tantum *enumerandi* verbum aptum non est. Ipse olim conieceram: *quid præco pronuntiaret*; in editione, nescio cur, eam suspicionem pressi.

non attingam, etsi sunt hic illic, quæ addi vel quæ corrigi possint. Velut pro Rosc. 6, 17 recte edidit ex codicibus pæne omnibus: *qui ante hanc pugnam tiro esset, quod sciam, facile ipsum magistrum scelere audaciaque superavit*, pro eo, quod vulgo editur nec in ullo est codice: *tiro esset scientia, facile* cet. Nec tamen hoc satis coarguit, illud commendavit. Nam et omnis tiro scientia (hoc est, arte et exercitatione) tiro est, et eadem ipsa re Roscius Magnus, qua tiro esset, magistrum vicisse dici debebat, non aliis; suspiciosissime autem et acerbissime dicitur *quod sciam*; significat enim orator, fortasse latere in vita Magni scelera ante commissa, sed sibi ignota. Deinde quod codices secutus *quum* post *qui* omisit, recta per se est sententia, sed cum superiore, quacum necessario con- 179
iungi debet, non cohæret. Itaque, nisi *quum* errore excidit, addendum est, ut conieci, *et* post *contulit.*

Pro Rosc. Amer. 8, 21 edebatur: *Hæc bona sexagies H-S emuntur duobus millibus nummum.* Sed illa *sexagies H-S* neque ullus Gruteri codex neque Oxoniensis habet (de Ox. ψ siletur; sed eius nulla usquam omissio annotari solet, ne maiores quidem illæ lacunæ, quas ipsi editores permultas fuisse scribunt), nec sunt in editionibus veteribus, ut apertum sit, ab editore aliquo ad c. 2, 6 respiciente efficta esse ex eo, quod in codicibus legitur: *emuntur sestertiorum duobus* cet.: verum id interpretamentum est vocis *nummum.* Nec, quod caput est, dicitur illo modo Latine; nam genitivus *decies sestertii*, in quo nullum est adiectivum, substantivo ita adiungi nequit.[1])

In eadem oratione c. 13, 38 exiguam auctoritatem editionis repetitæ Lambinianæ vel potius coniecturam secutus mendum nimis incuriose prætermissum notavi. Edebatur enim: *Nonne et audaciam singularem ostendere* (oportet) *et mores feros immanemque naturam et vitam vitiis flagitiisque omnibus deditam, et denique omnia ad perniciem profligata atque perdita?* Nemo ignorat, particulæ colligenti et concludenti *denique* copulativam nunquam præmitti apud antiquiores. Librarius ter positam quarto etiam loco addidit. In eiusdem particulæ *denique* usu vitiosa erat librariorum culpa oratio in Cat. III, 7, 17, ubi correxit A. Matthiæus e codicibus, et pro Lig. 5, 12: *Novi*

---

[1]) Steinmetzius de codicibus et suis et aliorum tacet.

enim te, novi patrem, novi domum nomenque vestrum; studia denique generis ac familiæ vestræ virtutis, humanitatis, doctrinæ, plurimarum artium atque optimarum, nota sunt mihi omnia.
180 Non adiungit novum membrum enumerationi, nec eam colligit, sed confirmat et explicat, qualis ea sit cognitio (*nota mihi sunt, inquam* cet.). Itaque secutus codices optimos, Erfurtensem et Coloniensem, aliosque delevi *denique*, adiectum ab aliquo, qui orationis forma non intellecta vinculum desiderasset. Pro Milone 15, 39 (*omnia tum denique*) recte Heumannus animadvertit, *denique*, quo extremum membrum annecteretur, male subiici particulæ temporali; debebat saltem esse *omnia denique tum*; itaque mendum notavi, utrum *omnium* scribendum esset, quod probabilius est (nam *omnia odia* displicent), an *tum* tollendum, dubitans.

C. 16, 47 edebatur: *ut effictos nostros mores in alienis personis expressamque imaginem nostræ vitæ quotidianæ videremus*, annotantque Beckius et Orellius, in quattuor Oxoniensibus codd. et edd. vett. legi *nostram*. Sed si Beckius attente Gruteri annotationem legisset, contra Lambinum, qui *nostræ* cum Hotomano tuetur, scriptam, vidisset, etiam omnes Palatinos et cod. S. Victoris *nostram* habere, ut *nostræ* iam videatur ipsius Hotomani esse correctio, non bona; nam *vita quotidiana* per se dicitur generaliter, non certorum hominum. *Nostram* quidem solus Gruterus ferre potuit; sed id librarius addidit, ut *expressa imago nostra* responderet *effictis moribus nostris*, de genitivo non cogitans.[1])

C. 23, 65 edidi: *propterea quod, qui tantum facinus commiserunt, non modo sine cura quiescere, sed ne spirare quidem sine metu possunt*, partem codicum et edit. a. 1472 secutus, ut hæc ex Ciceronis persona addantur; recentiores *possint* posuerant, ut referrentur hæc ad illud *Nemo enim putabat.* Non
181 attenderunt, tum non *possint*, sed ex Latini sermonis usu, quem contra sæpissime peccatur, *possent* et simul *commisissent* scribendum fuisse.

---

[1]) Steinmetzius de suis et aliorum codd. tacet. Initio c. 17 de *Ac non modo* (recepto ex ed. a. 1472 pro *At non modo*) vid. epistol. nostra ad Orell. p. 110.

C. 28, 77 edebatur: *O di immortales! rem miseram et calamitosam! Quod in tali crimine innocenti saluti solet esse, — id S. Roscio facere non licet.* Sed codices Gruteri omnes et quinque Oxx. *quod* ante *innocenti* addunt; sextus Oxon. omittit *in tali crimine quod* propter repetitionem, ut vix ullus codex alterius scripturæ auctor sit; editiones quoque veteres codicibus consentiunt, quos Beckius ita secutus est, ut ineptam hoc loco inferret pronominis anaphoram. Adiungenda erat, ut feci, hæc sententia superiori exclamationi per particulam *quod.* Non *in tali* tantum *crimine* (quod in vulgata scriptura dicitur) saluti ea res esse solebat; sed indignum erat, id, quod (universe) saluti innocenti esse soleret, non concedi Roscio in tali crimine. Necessaria igitur erat pronominis illo loco adiectio.[1]

C. 33, 93, quod Weiskius coniecerat, ex editionibus veteribus restitui, *ceteras quoque facultates* pro *ceteras facultates quoque.* Transpositio vitiosa huius particulæ, quam mireris aciem hominum doctorum effugere, deprehenditur aliquoties in libris aut ad codices non satis exactis aut quorum nulli sunt boni et antiqui codices; in illis, adhibitis codicibus, semper tollitur, velut ex orat. pro leg. Man. 15, 43 expulsum id men- 182
dum a me est auctoritate palimpsesti Taur. et codicis Erf., ex Verr. II, 69, 166 a Zumptio. In hac oratione nemo senserat, c. 29, 82 scribendum esse *ibi quoque nos* pro *ibi nos quoque*; demonstrat contrariorum relatio: *ut in ipsa causa.* Contra 19, 52 Heusinger et alii, etiam Orellius, recte restituerant: *Verum hæc tu quoque* pro *Verum hæc quoque tu*, confirmantque illam scripturam a me inspectæ editiones vetustæ (1472, 1480). Zumptio (ad Verr. l. c.) nescio quid acciderit, ut in hoc loco repugnaret, in quo explicando errat; non hæc, ut superiora aliqua, Cicero nugatoria esse intelligi dicit, sed

---

[1] Steinmetzius de discrepantia scripturæ nihil dicit. Paulo post c. 30, 85. video nuper fuisse, qui mendi notam voci *implicatus* a me quoque additam ab ea removeri iuberet, utpote quam bene Steinmetzius defendisset. Scilicet is unum præstitit, quod opus non erat, ut doceret, dici *implicari rei* aut *in rem*; duo non præstitit, ut ostenderet dici *implicari ad rem*, quod non solum usui, sed analogiæ et significationi verbi repugnat, aut saltem *implicatus* absolute dici de animo hominis, ut illa laxius adhærerent, deinde ut demonstraret, *implicari* aliquem *severitati* posse.

hæc quidem vel ipsum Erucium accusatorem, non solum ceteros, talia esse intelligere. Quæ de *quoque* dixi, transferri eadem possunt ad *quidem*, quam particulam in orat. pro Mil. 12, 32 in suum locum reduxi auctoritate palimpsesti Taur., Erfurt., scholiorum Vatic. Non concedit orator, hoc satis quidem esse, sed tamen se plus effecturum, sed contendit, hoc esse satis, *in illa quidem* (saltem) *belua*. In duobus tamen Roscianæ locis non dubito quin, ut veteres editiones, sic codices quoque saltem plerique rectum ordinem habuerint, editionisque alicuius mendum ad ceteras incuriose propagatum sit, quemadmodum Catil. II, 2, 4 per tria sæcula et dimidium usque ad me editum est sine ulla dubitatione *alieno œre* pro *œre alieno*, quod primæ editiones habent[1]); a legitimo ordine Sallustius semel, Livius item semel, Cicero nunquam discessit.

183 C. 38, 110, ubi edebatur: *Postremo isto hortatore, auctore, intercessore ad Sullam legati non adierunt*, voces *auctore, intercessore* delendas significavi, auctoritatem secutus editionum veterum, ad quas nullum accedere codicem valde mirum est, et quod nullo modo intelligo, quam vim habeat hoc loco ista verborum idem significantium coacervatio, ex quibus unum prorsus ad rem accommodatum non est; nam *intercessor* est aut, qui rem aliquam spondendo et curam gerendo conficit, quod ab hoc loco alienum est; nihil est enim confectum; aut, qui prohibet; verum hoc significatu non coit vocabulum cum affirmativis *hortatore, auctore*. Adscripta illa puto, quod insolentius dici videretur *isto hortatore non adierunt*.[2])

---

[1]) Et codices Steinmetzii. Omnino, de quo questus sum alibi, sed querendum est sæpius, mirum est, quam negligenter interdum philologi legant, vel potius, quam non scientia veteris sermonis ad vegetum illum et acrem sensum perducatur, qui ad falsa et prava sua sponte offendat. Vel in hac oratione Rosciana tam a multis pertractata nemo editorum in c. 29, 81 animadvertit solœcismum in hac coniunctione non latentem, sed eminentem potius: *qui non modo Romæ non fuit, sed omnino, quid Romæ ageretur, nesciret, propterea quod ruri assiduus fuit*. Nam si quis animadvertisset, sed aliquo artificio excusatum putasset, subtilem legeremus de ea re disputationem. Librarius antiqui eius codicis, e quo ceteri fluxerunt, aberravit, imperfecto coniunctivi, quod præcedebat, etiam nunc animo obversante, quum scribere deberet, ut in margine meæ editionis posui, *nescivit*.

[2]) Cur in eadem sectione improbaverim plurimorum coniecturam *aliqua fretus mora*, facile intelligetur. Freti sumus eo, quod habemus aut

C. 50, 146 edebatur: *nec sibi quicquam paternum, ne monumenti quidem causa, reservavit*; nec in ea scriptura erat, quod reprehenderes. Sed codices aliud subesse arguunt; nam in cod. S. Vict., Pal. octavo, duobus Oxx. est *causa dare servavit*, ortum ex eo, quod habet Pal. tert. et tres Oxx. *causa* 184
clare servavit; hoc autem nihil est aliud quam quod ex Pal. pr. et Ox. ψ edidi: *causa clam* (*clā*) *reservavit*. Similiter veteres editiones. *Causa servavit*, quod ex Orellii nota putes in codicibus esse, nusquam est; quod Beckius (a quo etiam nunc nonnulli pendent) partim *causa*, partim *quidem* in nonnullis codicibus Palatinis et Oxx. omitti scribit, plane nescio, unde in calamum venerit; prorsus enim nihil de illis vocibus ex codicibus annotatum est.[1])

Sed dixi iam, in hac oratione, codicum auxilio parum sufficiente, coniectura tollenda esse inveterata menda, in consensu codicum latentia. Itaque nullam causam esse video, cur hic non exponam de duobus locis, in quibus post illam editionem non incerta quædam dubitatio, sed manifesto deprehensi mendi emendatio se mihi obtulit.

Primum c. 35, 97 nunc non dubitabo rescribere: *Etiamne in tam perspicuis rebus argumentatio quærenda aut coniectura capienda est?* ubi vulgo editur *capienda sit*, cuius coniunctivi in hac interrogatione nulla reddi ratio potest. Infinitis locis vetus scribendi modus (*capiendast*) errorem peperit. Velut Cic. de Legg. I, 18, 49 editur: *societas quoque hominum et æqualitas et iustitia per se expetenda*, dura verbi omissione; sed codices fere habent: *expetenda sunt*; id in communi illorum codicum fonte ortum est ex *expetendast*, quemadmodum in orat. pro Sest. 48, 102 ex *inscitiast* in aliis codicibus factum est *inscitia sit*, in aliis *inscitia sunt*. [Cfr. infra II p. 221 sqq. ed. pr.]

---

quod factum est (velut victoria). Is, qui moram quærit et nectit, ut tum Roscius, non sane *fretus est mora*; omnino nullius rei fiducia hoc loco commemorari potest. Ceterum quod sit melius, ipse non reperio; nam Grævius sensui et sermoni satisfacit, non vestigiis codicum. [Postea suspicatus sum: *aliqua arte et mora*. Voces *auctore, intercessore* uncis liberavi non satis firma causa additis.]

[1]) Steinmetzius neque de suis neque de aliorum codicibus quicquam dicit. Sed satis multa hæc sunt illius pravitatis exempla.

Insignior altera est emendatio. Nam c. 43, 124 legitur vulgo: *Venio nunc ad illud nomen aureum Chrysogoni, sub quo nomine tota societas statuitur.* Sed *statuere societatem* nec ipsum
185 Latine dicitur nec *statuere societatem sub alicuius nomine* quid sit, intelligitur, etsi interpretantur: *sub alicuius tutela collocare*, nec præsens tempus aptum est. In codicibus Oxonn. 6 et Parisinis Steinmetzii (Gruterus tacet) et in edd. vett. est *statuit*, non *statuitur*. Id Steinmetzius recepit; sed *statuere* esse *negotia gerere* (emendi, rapiendi, similia), nemo credet, nec melius est *sub alicuius nomine statuere*. Corrupit hunc locum unius litterulæ duplicatio, quam alterius mutatio consecuta est; nam pro *societasstatuit* scribendum est *societaslatuit*. Sic demum aptissima exit sententia. Latuisse fœdam istam rapinarum societatem Cicero ait quasi tectam sub nomine Chrysogoni, hominis potentis, quod tanquam clipeus obiiceretur. Dicit autem *latuisse* præterito tempore; nunc enim ipse eam protraxit ex latebris et in manifesta luce collocavit.

In Pompeiana oratione omnia fere perspicuam habent auctoritatem et rationem, velut quod c. 20, 60, pro *non dico* recepta cod. Erfurtensis scriptura, *non dicam*, restitui veram orationis formam et figuram; sequitur enim: *non dicam — non commemorabo*. Tantum de c. 14, 42 admonendum est, ubi eam scripturam optimorum codicum, etiam palimpsesti, recepi, quam Orellius perversam iudicat (*hostes omnes omnium generum*). Equidem non video, cur necessario hic piratæ significandi fuerint ac non sociis universe hostes contrarii ponendi, et. amplificandi causa, hostes omnes omnium generum; omnes enim Pompeii fidem experti erant et secuti, ut Cretenses, non soli piratæ. [Cfr. de N. D. I, 18, 46, II, 4, 12, p. Sull. 10, 29.]

In orationibus Catilinariis utinam Steinmetzius codicis Tegernseensis scripturas diligentius annotasset. Verissime enim Zumptius ad Verr. p. 828 multa esse in Catilinariis scribit, quæ merito offendant. Quorum ego unum et alterum notare potui, manifesto vitiosum, velut illud ipsum, de quo ibi Zump-
186 tius dicit, *nec* in or. II, 4, 8 et eodem capite *nisi vero si quis*. Alia ita notavi, ut nullam tamen mendi tollendi viam demonstrare possem, velut nugatorium illud in secundæ orationis c. 10, 22 *aut imberbes aut bene barbatos*, in quo explicando

torquent se viri docti, quum tamen ex edd. vett. (*quando barbatos*) summa sit suspicio, in codicibus prorsus aliud legi.[1]) Alia, quæ levius offendebant, prætermisi. Nec tamen in prima statim oratione c. 2, 4 me offendit, quod ceteros pæne omnes editores: *num unum diem postea L. Saturninum tribunum plebis et C. Servilium prætorem mors ac rei publicæ pœna remorata est?* quæ verba codicum consensu munitissima ex quo semel erant in suspicionem adducta, certatim corrigere tentarunt, quid in iis esset vitiosi, parum demonstrantes. Graviter homines sceleratos quasi exspectasse iam nimis diu mortem ac pœnam orator dicit, quæ pridem debita eos quasi tarda remoraretur, quo minus eo, quo ruerent, pervenirent aliquando. Rectum est igitur remorandi verbum. *Pœna rei publicæ* quin rectissime dicatur pœna rei publicæ nomine ob eius iniurias imposita, dubitari non sinunt Ciceronis loci, quos in Epist. ad Orell. p. 122 collegi.[2])

Contra c. 2, 6 ferendum non putabam: *vives, et vives ita, ut nunc vivis, multis meis et firmis præsidiis obsessus, ne commovere te contra rem publicam possis*; nam *vives et vives* sic dicitur, usu loquendi frequenti, tanquam adscendat oratio in eadem sententia augeaturque beneficium. Itaque necessario hoc loco duplicanda littera est et pro *viveset* scribendum *vivesset* (*vives sed*).[3]) Genus erroris vel in hac ipsa voce minime infrequens. 187

---

[1]) [Hanc tamen suspicionem codices postea collati non confirmarunt.]

[2]) Addidit alios Steinmetzius.

[3]) [Locus, qui est in Verr. III, 82, 190, non opponendus erat correctioni, sed eodem modo corrigendus.] Contrario mendo in eadem voce corrupta est sententia et elocutio in Cic. epist. ad Famil. XIII, 6: *quæ quantum in provincia valeant, vellem expertus esses. Sed tamen suspicor ipsum hominem, quem tibi commendo, perdignum esse tua amicitia. Non solum, quia mihi Cuspius dicit, credo* cet. Ridicule Cicero loquitur de se tanquam experto, quid in provincia præsidis possit humanitas, de Valerio tanquam non experto, quum ipse nunquam provinciam rexerit (adolescentem quæstorem fuisse, non sum oblitus), Valerius quum maxime regat. Tum (quod alii senserunt) perinepte dicit, *suspicari* se, quem commendet, bonum virum esse, tanquam contra esse videatur; et statim ponit id se *credere*. Tum *tamen* incommodum est. Pronomen *ipsum* apertum est indicium novæ sententiæ et orationis ab aliis rebus in hoc vocabulo ad hominem transeuntis. Postremo Lambinus sensit, prorsus requiri obiectum verbi, quod

Pro Sulla 18, 51 editur: *Autronium tum in campo vidimus; — et quid dixi, vidisse nos? ego vidi.* Correctionis figura aperte postulat *vidimus: set quid dixi* cet. (Idem fere est: *Quanquam quid dixi.*)

In eiusdem primæ orationis c. 12, 29 videbam futuros non paucos, qui elegans loquendi genus a me expulsum mirarentur: *Ego si hoc optimum factum iudicarem*; nam *factu* edidi. Sic enim statuo, totum illud genus, quod iam Oudendorpius ad Apuleii Metamorph. p. 53 intellexit, positum esse in librariorum quorundam aberratione, supinum præcedenti adiectivo lineolæ adiectione accommodantium. Nam nec rationem ullam habet, quum futuri significatio sit, præteriti forma (deliberatur enim, quid optimum futurum sit, ut prorsus perverse *bonum factum* et similia comparentur, in quibus de re facta iudicatur), nec quicquam est, cur huius verbi aliam esse rationem ac ceterorum credamus, quum præsertim fere optimi codices alterum tueantur. Errorem non ita rarum esse (ut mirum sit, hoc
188 uno Ciceronis loco recipi), iam Oudendorpius dixit. Sallustii proprium habitum est, quod Sallustius Cortium, perversi hominem iudicii ac pæne nullius, editorem habuit; recte Gerlachius expulit (Bell. Cat. 32, 55, 57, 107). Præter Plautum (Aulul. III, 6, 46 et Pseudol. I, 2, 52) in Horatii quoque sat. I, 4, 124 unus et alter editor hoc mendum intulit.

In secundæ orationis initio necessario scribendum erat e codice Gemblacensi: *huic urbi ferro flammaque minitantem.* Nam *malum* alicui minitamur, sed minitamur *instrumento* (velut baculo). Itaque retinebitur in Philipp. XI, 14, 37 *huic urbi ferro ignique minitantur* et XIII, 21, 47 *patriæ igni ferroque minitatur*, ad quem modum Virgilius Georg. II, 457 dixit: *Et magno Hylæum Lapithis cratere minantem*, et Sallustius Cat. 49 *Cæsari gladio minitarentur. Igni* dicitur tanquam *facibus*, accommodate ad *ferrum*; *ignem* diceretur tanquam *deflagrationem*, cui aptum esset *cædem.*

---

est *credo.* Apparent vulnera. Deleamus unam litteram; sana omnia erunt: *vellem expertus esse, sed tamen suspicor. Ipsum hominem, quem tibi commendo, perdignum esse tua amicitia, non solum, quia mihi Cuspius dicit, credo* cet. Se ipsum dicit non expertum et tamen id sibi non iniucundum videri.

In eiusdem orat. c. 8, 17 edidi: *quos quidem ego — studeo — sanare sibi ipsos, placare rei publicæ*, secutus codices plerosque; et apertum est *ipsos* ad prius verbum ita pertinere, ut prope necessarium sit, cum altero coniungi non posse; referuntur enim inter se *sanare ipsos*, id est, per se, quod ad ipsos pertinet, *placare* autem *rei publicæ*. Nam sanitas ad ipsos solos pertinet, placatus animus ad alios. Dativus commodi paulo est durior. Iam quum Steinmetzius id, quod vulgo edebatur, *sanare et ipsos placare rei publicæ*, retinuerit, vocemque *sibi* e compendio particulæ *et* ortam esse, ex cod. Tegernseensi antiquissimo et aliis antiquis dixerit apparere, facile illo pronomine me liberari patior, quod non ex compendio ortum est, sed oppositionis, quam vocant, gratia additum. Sed tollenda est particula, quamvis antiqui illam codices habeant, ut sit: 189
sanare ipsos, placare rei publicæ. Nemo ignorat, quam sæpe hæc membrorum compositio, quæ ex aliqua parte contraria sint, turbata sit.[1])

In Catil. III c. 5, 10. ubi erat: *Tum Cethegus, qui paulo ante aliquid tamen de gladiis ac sicis, quæ apud ipsum erant deprehensa, respondisset*, verum esse. quod in duobus codd. Oxx. erat, *apud se*, reliquorum ostendebat dissensus, quum reflexivum insolentius positum varie corrigeretur; nam et *ipsum* et *illum* et *eum* legitur.[2]) Non debebat hic illud sperni ab iis, qui pro Sex. Roscio 2, 6 ediderant: *qui se dies noctesque stimulat.* Alios locos, in quibus pronomen reflexivum in huiusmodi sententiis indicativis annexis ponitur relatum ad subiectum primariæ sententiæ ob confusionem quandam sententiæ implicatæ ac pendentis et annexæ ac narrantis, collegit Ramshornius § 157 not. 1 b et c, quibus addo Cic. pro Cluent. 8, 25: *sibi esse imperatum, ut Aurium illum, qui sibi delationem nominis ostentarat, proscribendum curaret.*[3])

In eiusdem orat. c. 7, 17 edebatur: *neque nos unquam, dum ille in urbe hostis fuisset, tantis periculis rem publicam tanta*

---

[1]) [De cod. Teg. erravit Steinmetzius; retinendum igitur *sibi ipsos.*]

[2]) Gruterus et Steinmetzius suorum codicum scripturas non annotarunt. [Meliores codices tuentur *apud ipsum.*]

[3]) Cic. de Fin. II, 30, 97, corruptum locum, sed ex aliqua parte facillime sanabilem, non recte huc rettulit (*Refert tamen, quomodo*).

pace, tanto otio, tanto silentio liberassemus. In qua scriptura est aliquid vitii, sed quod difficulter sentiatur. Nam referuntur hæc ad hypothesin illam superiorem: *si Catilina in urbe ad hanc diem remansisset.* Itaque particula *dum*, quæ omnino ab condicionali hac sententia abhorret, et universa temporis durantis notio minus apta est, præsertim quum non dicat *nun-*
190 *quam*, sed *nunquam tanta pace, tanto otio, tanto silentio.* Recipienda igitur erat scriptura codicis C. Stephani (apud Beckium non notata), Oxon. χ Grævianique primi: *quum — esset*, præsertim cuius vestigia sensim expulsæ superessent in aliis codicibus; nam *esset* est etiam in Ox. C, *quum* in Franciano.[1]) Ea sententiam habet aptissimam: *quum* (Germ. *indem*, secundum illam hypothesin) ipso dimicandi tempore ille hostis *esset* in urbe. Fefellit librarios ille particulæ *quum* ad hypothesin relatæ usus alio quoque loco, quem huic adiungam, ut alter alterius veram scripturam confirmet. Nam pro Ligario 6, 19 edebatur: *Quomodo autem tu de re publica bene meritus esses, si tot sceleratos incolumi dignitate esse voluisses?* Sed codices duo omnium longe optimi, Coloniensis et Erfurtensis, pro *si* habent *quum*. Cæsar multos adversarios incolumi dignitate esse voluerat. Eos accusator sceleratos omnes appellat. Quomodo igitur, Cicero inquit, tu bene de re publica meritus esses, quum (hoc casu, ut barbare loquamur, si illud verum esset) tot sceleratos cet. [Cfr. p. Mil. 19, 49, de Div. II, 8, 20 et 61, 126.]

In extrema hac oratione cap. 11, 26 reprehendenda est mala quædam consuetudo editorum, quum semel decretum est, locum aliquem difficilem et corruptum esse, in universum locum indistincte, tanquam conclamatum, irruentium medelamque vulneri nondum tentato afferre studentium, vano conatu. Nam quum sic ederetur olim: *eandemque diem intelligo, quam spero æternam fore, et ad salutem urbis et ad memoriam consulatus mei propagatam, unoque tempore in hac re publica duos cives exstitisse, quorum alter fines vestri imperii non terræ sed cæli regionibus terminaret, alter eiusdem imperii domicilium*
191 *sedemque servaret*, — quum sic, inquam, ederetur, offendit Ernestius, breviterque commemorata difficultate, libros quoque

[1]) De Gruteri et Steinmetzii codicibus silentium est.

in hoc loco variare. igitur coniecturas frustra exerceri statuit. Quod quum is dixisset, multiplices de priore periodi parte coniecturæ propositæ sunt, quæ et sententiam habet rectam, pridem a Mureto et postea a Garatonio expositam (hoc enim Cicero dicit, quum longam diem, sua quidem spe æternam, urbis saluti propagaverit, eandem se æternitatem memoriæ consulatus sui conciliasse, non interituræ, dum stet urbs), nec ullis librorum indiciis in suspicionem adducitur; nam si discesseris a meliore ordine verborum, quam e codice Colon. et Duisburg. restitui, et verbo *esse*, quod ex iisdem aliisque addidi (*propagatam esse et ad sal. urbis* cet.), nihil prorsus est varietatis.[1]) Contra altera pars sententiæ aperte est mendosa, non in singulis verbis, quæ et recta sunt per se et, uno excepto, a codd. confirmantur; sed patet, a verbo, quod est *intelligo*, hæc pendere non posse; neque enim intelligit Cicero, se et Pompeium exstitisse, qui Romanum imperium servarent et amplificarent, sed de posterorum iudicio et commemoratione loquitur, qui id prædicaturi sint. Nec a ratione discrepat auctoritas: hic enim esse mendi sedem ostendunt codices, in quorum nullo est *unoque*, sed et in iis (Oxoniensibus omnibus) et in edd. vett. *omnique* (loquor autem de iis codicibus, quorum testimonio uti possumus; nam Gruterus de suis, ut solet, tacet; Græyius ad priorem tantum sententiæ partem attendit; Steinmetzius quoque in ea vulgatam scripturam ab omnibus fere codd. confirmari ait, de posteriore parte non cogitat; sic codices conferuntur). Patet excidisse verbum aliquod, ipsum ab *intelligo* pendens, a quo proxima penderent, ut hæc fere 192
fuerit orationis forma: *omnique tempore [hoc prædicatum iri, simul] in hac re publica* cet. Omissionis causa patebit, si putabitur, eodem verbo repetito scriptum fuisse: *prædicatum iri, eodem tempore.*[2])

In Catilinaria quarta[3]) primum c. 1, 1 edidi: *sed eam, per deos immortales, deponite*, eiecto auctoritate codicis C. Steph., 193

---

[1]) *Propagandam* pro *propagatam* in uno cod. pessimo, vulgatissimum mendum, non numero.

[2]) [Leniorem medicinam tentavi postea in editione quarta, ex cuius præfatione excerpta extremo huic volumini inserentur.]

[3]) Hanc orationem fuit nuper qui a Cicerone abiudicandam esse disputaret iis argumentis, quæ non tam singulatim refellenda videatur, quam

codd. Lambini Grævianique primi *quæso*, quod supplementum hic ut alibi interpolator adscripsit verbis *per deos immortales*,

---

universum genus disputationis quam multa habeat futilia, declarandum. Primum ad eam accedunt homines ne ita quidem ab ipsius Ciceronis lectione instructi, ut, quid sit in aliquo loco singulare nec alibi apud eum positum, non e solis lexicis iudicent; deinde in uno aliquo libello notant et excerpunt singularia, nec cogitant, quum præter Ciceronis libros ex hac ætate pauci supersint et ex aliis scribendi generibus, quam multa necesse sit singularia, præsertim in oratore, esse, nec sciunt, si tam diligenter omnes Ciceronis libros pertractassent, in omnibus æque multa singularia, in multis longe plura se reperturos fuisse, in iis quoque, quæ ita sæpe in scholis legantur, ut propter imitationes frequentes ea credamus vulgaria esse, quæ uno loco exstent; nec tenent, quomodo hæc iudicanda sint, ut quæratur, quid, etsi exemplis non firmetur, tamen universo loquendi generi huius ætatis non repugnet et a frequenti verborum usu sit leviter et naturaliter deflexum, quid longe desciscat et certam formam inferioris ætatis præ se ferat; tum utuntur, tanquam certo, contextu minime emendato librariorumque errores incuriosi graviter tanquam scriptoris accusant, quo genere si quis uti conatus esset, probabiliter exercitatus ad ea reperienda, quæ inusitata essent, orationem Sestianam, Cælianam, alias, antequam nuper ab aliis et a me ipso e codd. emendarentur, infinitis indiciis a Cicerone alienas esse demonstrare potuisset. Postremo Ciceronem perfectum esse oratorem statuunt, quid autem sit Romanis perfectum visum, suo iudicant sensu; quæ displicent, Ciceroniana esse negant. Qui si totum Ciceronis scribendi genus libere considerassent, nossent, multa Romanis oratoria visa esse, quæ nobis declamatoria videantur, flumen ornatorum verborum, si logicorum severitas adhibeatur, turbidum sæpe reperiri, argumenta multa et enthymemata et valde infirma poni et eadem aliis atque aliis verbis repeti. Multa iam Wolfius in hoc genere deliquit, qui Gruterianas sordes exagitare maluit tanquam declamatoris ineptias quam, adhibitis, quæ parata erant, aliisque provisis codicum subsidiis, in emendata scriptura certum ponere fundamentum. De argumentis ex loquendi genere sumptis exemplo rem declarabo. Iure aliquis ut a Ciceroniana ætate abhorrens, ad inferiorem pertinens, exagitaret in orat. pro Sest. 50, 107 *exhibuit se auctorem*, quod nec id ipsum usquam apud Ciceronem et æquales legitur nec similis aliquis deprehenditur aut huc inclinans eius verbi usus, et alia quædam verba usitatissima in eo significatu sunt, et *exhibere* quando postea et quomodo sensim sic dici cœperit, demonstrari potest. Sed id ego verbum in illo loco interpolatoris esse et a codicibus antiquis abesse docui. Contra in Cat. IV, 2, 3 accusata est locutio *pro eo ac mereor*, quod alibi apud Ciceronem ea non legatur; at legitur apud Sulpicium, Ciceronis æqualem (in Cic. Ep. ad Fam. IV, 5 init.), *pro eo ac debui*; apud ipsum autem Ciceronem est *pro eo*

de quo ne dubitemus, in vett. editt. præponitur his verbis; auctoritas testatior esset, si Gruterus codices inspexisset aut Oxoniensium omissiones et transpositiones verborum notari solerent.

C. 10, 21 edidi: *sit æterna gloria Marius*, ubi vulgo est *in æterna*, secutus codd., opinor, omnes, certe omnes Oxx. et præterea Erf., codd. Lambini et Barberinum editionemque a. 1472; eodem modo loquitur Cicero de Orat. II, 18, 75, pro Sestio 68, 142, [ad Att. II, 21, 5; Corn. Nep. Epam. 2. Similiter præpositione omissa dicitur *summo, magno, nullo honore esse* Cic. in Verr. II, 35, 87, Cæs. B. G. VI, 13, Liv. I, 40, 1, Tac. Hist. I, 64; *maiore, tanto odio esse* Cic. ad Att. II, 25, 2, in Verr. act. I, 14, 42, ad Fam. XII, 23, 2; *tanta caritate esse* Liv. I, 54, 4; *minore se invidia fore* Corn. Nep. Eum. 7. Singulare est *esse magno alicuius beneficio* Cic. Phil. VIII, 6, 18, ad Fam. VII, 30, 3; dubitationem fortasse habet *maiore, magno, pari periculo esse*, quanquam codicibus confirmatur, apud Cælium Cic. ad Fam. VIII, 2, 1 et Cornelium Nep. Dat. 5, Hann. 9, Hamilc. 2]. Nec in Ep. ad Fam. VI, 4 defendam: *quanto fuerim dolore*, nec ad Attic. V, 14: *magno timore sum*, quæ citat Gronov. ad Liv. II, 22; nam perpetua comes gloria tanquam quædam qualitas est, ut ita dicam, quod de affectu illo 194
dici nequit, [nec negaverim apud Corn. Thrasyb. 4 de corona Thrasybulo decreta potius scribendum esse *magnæ fuit gloriæ*, quam quod codices tenent, *magna gloria*]. Ceterum in hoc loco paulo ante et ego et reliqui omnes editores additamentum reliquimus; nam ubi editur: *ornetur alter eximia laude Africanus*, omnium codicum Oxoniensium auctoritate, a quorum tanto consensu alios omnes dissentire nemo credet, delendum est vocabulum *alter*. Apud Ciceronem Africani nomine simpliciter posito tam sæpe alter significatur, ut id opus non fuisse addi pateat, etiam in orationibus, velut pro Rosc. Amer. 36, 103.

---

quantum (p. Planc. 38, 92) et *pro eo ac si*, similia, etiam *pro eo quod* p. Rosc. Am. 51, 148. Argumenti ex mendo scripturæ exemplum esse potest, quod in c. 6, 13 accusatur Ernestii coniectura *Veremini, censeo* (id est, *credo*). Codicum scriptura a me restituta satis a Steinmetzio defensa est comparatione Sallustii Cat. 52. Ironice suadet orator, ut vereantur. [Distinctius hæc et plenius exposita reperientur infra vol. II p. 338 sqq. ed. pr.]

Nam huius, qui Africam perdomuit et provinciam fecit, in populari usu id cognomen proprium fuisse videtur.

Antequam Catilinarias mittam, attingenda est difficultas quædam in temporum ratione et in locis aliquot eo spectantibus. Conventum nocturnum apud M. Læcam, quo dimisso duo equites Romani mane Ciceronem interficere voluerunt (Cat. I, 4, 9 et 10), habitum esse ea nocte, quæ interiecta erat inter d. VIII Id. Nov. et d. VII Id., certum est ex orat. pro Sulla c. 18, 52 (*nocte ea, quæ consecuta est posterum diem nonarum Novembrium*); nam posterum diem nonarum Novembrium esse d. VIII Idus Nov., non ipsas nonas, quod Manutius putabat, recte Ferratius intellexit, ut eorum sententia, qui hoc die habitam esse orationem statuerunt, convicta iaceat.[1]) Sed Manutius primam orationem habitam putat eo ipso die, qui illam noctem insecutus est, Ferratius (Epp. V, 2 p. 308 sqq.) post unum diem interiectum, hoc est VI Id. Novembr., quem ego cum recentioribus secutus id in argumento posui. Id confici putat ex Ciceronis verbis in c. 4, quod *noctem illam superiorem*
195 et *noctem priorem* appellat eam, qua apud Læcam Catilina fuisset, et *illam noctem*, quomodo non videatur locuturus fuisse de nocte ea, quæ diem, quo oratio haberetur, proxime præcederet, quum præsertim c. 1, 1 *proximam* noctem a *superiore* distinguat. Veri similia hæc sunt et tamen vereor, ne fallacia. Nam in oratione secunda, quæ habita est proximo die post primam (c. 3 extr., 6, 12), aperte Cicero c. 6, 12 insidias sibi factas dicit *proximo* superiore die mane, eo, quo prima oratio habita est (*Hesterno die, quum domi meæ pæne interfectus essem, senatum in ædem Iovis Statoris convocavi* cet. Neque enim ulla interpunctionis vi, quo interpretes confugiunt, effici potest, ut non illa temporis notatio *hesterno die* pertineat etiam ad interpositam sententiam: *quum domi meæ* cet.).[2]) Et in eadem oratione c. 3 extr. *superioris noctis* consilia Catilinariorum commemorat, quæ illius conventus sunt, qui quoniam

[1]) Ex illo Sullanæ loco confirmatur idem loquendi genus, de quo Ernestius dubitavit, in Tac. Hist. I, 26: *postero iduum die.*

[2]) Ipsa verba sic comparata sunt, ut nihil ad ea pertineat corruptela proxime antecedens, quam notavi. Nam *quierit* falsum est; *ivit* ex interpolato codice sumptum vestigiis reliquorum coarguitur, etsi ipsum reprehendi non potest.

in hac oratione *superiore nocte* habitus dicitur, sequitur, ut
proxima ante priorem orationem habitus sit. Nam ut hæc
superior nox sit ea, quæ in primæ orationis initio *proxima*,
posterior nocturno illo conventu (quod Ferratius putat), fieri
nequit, quoniam nulla nisi illius nocturni conventus consilia ad
Ciceronem delata et apud senatum in æde Iovis Statoris ex-
posita sunt. Nec ullo modo probabile est, Ciceronem, habito
illo nocturno conventu consiliisque ad se statim delatis factis-
que sibi eadem nocte insidiis, diem intermisisse ac tum demum
senatum convocasse. Sic igitur statuemus, ipso, qui illam
noctem et conventum secutus est, die, id est VII Id. Novembr.
(7 Novbr.), senatum habitum esse, sed quum eodem demum 196
die vocatus esset, die inclinante in noctem convenisse ora-
tionemque primam hoc die, sed vesperi demum vel pæne noctu
habitam. Sic intelligetur, cur non *hanc* dicat noctem (esset
enim, qua ipse diceret), sed *illam* et *superiorem*, et tamen
initio eandem *proximam* appellet, ut superior sit, quæ ultra
eam sit; eademque causa fuisse putabitur, cur non statim,
misso senatu, in contionem prodierit (ut fecit, quum tertiam
habuit orationem), sed insequenti demum die. Illud quoque
fieri potuit, ut, quum Cicero postea hanc orationem scriberet,
minus diligenter verba illa distingueret. Quod idem transferri
ad illos secundæ orationis locos non potest; neque enim obli-
visci poterat, eodemne die mane insidias vitasset et dein sena-
tum vocasset, an duobus hæc facta essent. Senatus consultum
vetere more post solis occasum fieri non poterat. Quo minus
haberetur senatus, nihil oberat.[1])

De Milonianæ orationis[2]) locis partim iam ab aliis expositum est, partim minus opus videtur dici, etsi in multis minus peritos non animadversuros puto, cur sic, ut edidi, scribi non ob solam auctoritatem debuerit. Velut 29, 79 edebatur: *si is potuisset, ut quæstionem de morte P. Clodii ferre, sic ipsum ab inferis exitare, utrum potius facturum fuisse?* Verum hoc aptum

---

[1]) [Rem dubiam videri, postea significavi.]

[2]) Orationis pro Archia locos omitto, quod de eorum certe plerisque in re manifesta recte expositum esse opinor a Stuerenburgio, cuius ipsam editionem nondum vidi, unum et alterum iudicium novi. Is in c. 3, 5 veram scripturam, ad quam ego tantum accesseram propius, ipsam repperit, ex *fuit* efficiens *favit*.

esset, si interrogaretur, num *id quoque* facturus fuisset; nunc quum quæratur, utrum, si optio daretur, electurus fuerit, necessario disiunctive dicendum fuit, ut est in codd. præstantissimis, Bavarico et Erfurt., reliquisque bonis (Lamb. et Fabricii)
197 multisque aliis: *aut quæstionem — ferre aut ipsum — excitare.* Interpolatum est ab iis, qui putabant, sic significari, Pompeium neutrum potuisse.

Unum tantum locum hic non præterire visum est, quod eam, quam probavi, scripturam ab Orellio non recte intellectam video. C. 37, 101 editur: *Sit hic ea mente, qua natus est. Quid vos, iudices? quo tandem animo eritis?* Nec tamen in multis codicibus, quod Orellius dicit, ita scribitur, sed in paucis et malis; et desideratur particula, qua significetur, Milonem omitti et alio orationem converti. Ea est in optimis codicibus, Erfurtensi et Bavarico, in quibus scribitur: *Sed hic ea mente, qua natus est*, quod etiam in minus bonis nonnullis, velut in 4 Oxx., retinetur; hinc in aliis, quum non intelligeretur relativi ratio, eo omisso factum est: *Sed hic ea mente natus est*, in aliis *ornatus est.* Illam scripturam Orellius sic interpungit: *Sed hic ea mente, qua natus, est*, iis, ut nimis sæpe nunc fit, interpungendi signo divulsis, quæ divelli non debent (*natus est*), quum præsertim in relativa sententia verbum omitti nullo modo possit. Sed salva res est. Scribendum est enim coniuncte, ut edidi: *Sed hic ea mente, qua natus est: quid vos, iudices? quo tandem animo eritis?* Verbum ad superiorem partem assumitur ex altera et contraria parte sententiæ, similiter conformata (*eritis*). Nec hærere debemus, quod ex futuro præsens sumitur, similiter atque de Legg. I, 5, 17: *quæ* (res) *quondam a multis claris viris* (sustinebatur), *nunc ab uno summa auctoritate et scientia sustinetur.* [Tusc. I, 21, 49 ex *persuasisse* in priore membro auditur *persuadere.* Breviter rem notavi Gr. Lat. § 478 not. 1 ed. tert.] Erratur in hoc genere a librariis etiam alibi, velut in oratione pro Ligario c. 4, 11, ubi ex cod. Colon. et Erfurt. et duobus Oxx. edendum fuit: *Hæc admirabilia, sed prodigii simile est, quod dicam.* In reliquis codicibus post *admirabilia* additum erat *sunt.*

198 In Ligariana primus videtur commemorandus locus qui est in c. 5, 13 et 14, ubi primum expuli vocabulum comicorum *derepente*, nescio quo casu huc illatum; nam et in bonis et in

malis codicibus (Erf., Col., Dresd., 6 Oxx., edd. vett.) est *repente* (in Haun. *vere repente*). Deinde scribitur in codicibus et editionibus ante Orellium: *Quod nos domi petimus precibus et lacrimis, strati ad pedes, — id ne impetremus, pugnabis?* Sed quum iam non domi, sed in foro Cicero et amici pro Ligario deprecentur, plerique Fabricii coniecturam, *petiimus* scribentis, probarunt, Orellius in contexta oratione posuit, non recte. Nulla est enim hic temporis distinctio, sed universe suas preces et Tuberonis accusantis importunitatem orator comparat, et de se et amicis tanquam nunc ipsum precantibus loquitur aperte statim: *et nos iacentes ad pedes supplicum voce prohibebis.* Prorsus igitur perfectum tempus alienum est. Sed aliena est etiam loci mentio in hac generali sententia, ad quam nihil pertinet, quo loco precentur; nec ulla est contraria alterius loci appellatio. Idque perspicitur magis ex subiecta sententia, qua indignitatem rei, hic universe significatam, auget assumpto illo de loco, primum ubi precentur: *Si, quum hoc domi faceremus* cet.; deinde, ubi ille adversetur: *Quanto hoc durius, quod nos domi petimus, id a te in foro oppugnari* cet. Itaque apertum est, priore loco illud *domi* ex hoc inferiore additum esse, in quam coniecturam idem ille Fabricius inciderat, quo addito tota orationis progressio pervertitur et prima sententia inepta fit. Tum hoc altero loco præsens tempus (pro quo iterum *petiimus* substituunt) nihil habet offensionis; universe enim dicit, de rei genere, non de tempore quærens (et sæpius repetitæ erant illæ preces): *Nos deprecamur domi; tu in forum rapis et ibi oppugnas.*

In c. 6, 17 miror in Erf. codice hærere vulgatæ scripturæ 199
mendum: *Ac mihi quidem, si proprium et verum nomen nostri mali quæratur, fatalis quædam calamitas incidisse videtur* cet., ubi ex Col., Haun., 2 Oxx. edidi *quæritur*. Nulla enim coniunctivi ratio afferri potest, non magis hic quam in similibus loquendi generibus, *si verum quærimus, si verum dicimus,* aliis.

C. 7, 23 tollendus fuit necessario, Lambini exemplo, solœcismus vulgatæ scripturæ: *Quid, si essetis* (recepti in provinciam)? *Cæsarine eam tradituri fuissetis?* Condicionalis enim significatio inest in solo *tradituri*, quæriturque hoc modo: fuistisne eo animo, ut eam traderetis, si recepti essetis? Status

enim facturi aliquid, si quid fiat, a condicione non pendet, sed tantum ipsum facere. Vulgo quidem nunc prave scribunt plerique, sed usum Latinorum satis demonstrat Cicero de Divin. I, 15, 26: *ubi erat mansurus, si ire perrexisset*, et II, 8, 20: *Sin, quum auspiciis obtemperatum fuisset, interituræ classes non fuerunt* cet., et p. Sest. 38, 81: *Hoc quæro, iudices: si illo die gens ista Clodia, quod facere voluit, effecisset, si P. Sestius—occisus esset, fuistisne ad arma ituri? fuistisne vos* cet.? *an etiam tum quiesceretis* cet.? Itaque subiunctivo modo est: *quid facturi fueritis*, non *fuissetis*, ut infra § 24. Seiungendus est (quod grammatici non faciunt) usus alterius participii passivi; nam in eo quum futuri notio non tam definita sit, potest indicativus poni, ut seiuncta verbi substantivi et participii notione significetur, statum eum fuisse, ut, si condicio aliqua incideret, necessario aliquid fieret, potest etiam coniunctivus. (Cfr. pro Mil. 22, 58 cum II de Divin. 8, 20.) Librarii modum ad præcedens *essetis* accommodarunt. [Cfr. infra II p. 227 sqq. ed. pr.]

Paulo post c. 8, 24 in codicibus bonis (Erf., Col., Dresd., codd. Lamb.) et in mediocrium longe plurimis (Oxx. 4, Haun., ed. a. 1472) scribitur, ut ego edidi: *Prohibiti estis in provincia vestra pedem ponere, et prohibiti summa cum iniuria*; in paucis
200 nullius auctoritatis, quique nihil ex singulari origine proprii boni habent (Pith., 3 Oxx.), est: *ponere, ut perhibetis, summa cum iniuria*. Apparet interpolatio hominis verentis, ne hæc Cicero ex animi sententia dixisse videretur. Hinc conflata est a nescio quo primum editore vulgata scriptura *et prohibiti, ut perhibetis*, quam in nullo puto esse codice. Nam etiam Gruterus illud *ut perhibetis* a suis aliquot abesse confitetur, qui si attendisset, ab iis, a quibus hoc non abesset, alterum vidisset abesse. Rem conficit loquendi usus. Neque enim *perhibere* apud Ciceronem aut ullum bonum prosæ orationis scriptorem est *dicere*. Bis Cicero vetus hoc et poeticum verbum in prosa oratione ita posuit, ut esset *cum laude narrare et commemorare* (Tusc. I, 12: *Tyndaridæ fratres victoriæ populi Romani nuntii fuisse perhibentur*, et ad Fam. V, 12: *Nec minus est Spartiates Agesilaus ille perhibendus*); altero significatu nusquam. [Duobus illis locis accedit tertius de R. P. II, 2, 4.] Itaque huius quoque vocis indicio agnoscuntur veteris poetæ versus in lib. II de Fin.

5, 15. (Alio significatu, ut sit *dare, exhibere*, dicitur ad Attic. I, 1.)[1])

C. 10, 30 errorem sustuli, quem vix crederes editores fugere potuisse, a codicibus præsertim admonitos. Alio se modo hanc causam agere Cicero ait, quam ceteræ agi soleant, non defendentem, sed excusantem. *Sed ego*, inquit, *ad parentem loquor: Erravi, temere feci; pœnitet; ad clementiam tuam confugio, delicti veniam peto, ut ignoscas, oro.* Sic edunt. Quid igitur? Pro se Cicero dicit? Immo pro Ligario. An hunc loquentem inducit? Immo in proximis, quibus hæc respondent, ipse dicit. Quo igitur illud spectat *Erravi*? Saltem illorum, 201
quæ præcesserant, meminisse oportebat: *Ignoscite, iudices; erravit —. Ad parentem sic agi solet.* Apertum est *Erravi, feci* scriptum esse pro *erravit, fecit* propter ea, quæ sequuntur, *confugio, peto, oro*; sed Cicero patronus pro Ligario confugit ad clementiam Cæsaris. Et est *erravit, temere fecit* in Pithœano, Dresd., Haun., Oxx. (illud in 6, hoc in 4), vett. edd.

In oratione pro Deiot. c. 8, 24 edebatur: *Addidit etiam illud, equites non optimos misisse. Veteres, credo, Cæsar: nihil ad tuum equitatum: sed misit ex iis, quos habuit, electos.* Patet, Ciceronem primo confiteri aliquid opinantem et elevantem, tanquam non mirum, deinde excusare, non potuisse aliter fieri. Iam *veteres* ab hac sententia alienissimum est, quod nisi in laudem de exercitatis, non tironibus, dici non potuit. Nam quomodo Manutius interpretatur: „eosdem, quos habuerat ante“, neque intelligitur verbum neque id ullam habet eiusmodi confessionem rei, quam quis calumniari possit. Sensit mendum Orellius, sed in ea, quam proposuit, coniectura prorsus absona est transpositio adiectivi, quod ipsum vitiose redundat: *veterem, credo, Cæsar, nihil ad tuum equitatum.* Ego eam vocem sustuli, secutus cod. Haun. et edit. a. 1472, quibus non dubito quin plures accedant; additam esse opinor ab aliquo, qui adiectivum desideraret nec videret, *nihil ad* pro adiectivo esse. *Credo* illud, quod opinantis est, etiam frequentius primo loco ponitur;

---

[1]) Conflatam unam scripturam e duabus expuli pro Mil. 27, 74, ubi in optimis codd. (Col., Erf., Bav., Fabr.) est: *P. Varium, fortissimum* cet., in ceteris codd. ex *Varium* factum est *virum*; inde Garat. et Orell. *P. Varium, virum.*

vid. Cic. Brut. 93, 320, Verr. IV. 20, 43, de Finib. II, 35, 119. de Legg. II, 24, 60. [Cfr. infra II p. 313 sqq.]

Proximi capitis (9) initio edebatur: *Alieno autem a te animo fuit. Quomodo? Speravit, credo,* cet. In qua orationis forma vitiosum est *autem*, id, quod ex adversarii persona proferatur,
202 continuans defensoris argumentationi; debebat esse *At alieno* cet. Itaque auctoritate Erf., Oxx. duorum, Haun., edd. vett., opinor, etiam multo plurium, scripsi: *Alieno autem a te animo quomodo?* Nam hoc loco, ubi interrogando tantum repetitur, quod supra dictum erat, omitti verbum poterat; si adderetur, esset: *quomodo fuit?*

C. 13, 36 primum notanda fuit perversa oratio: *Etenim si Antiochus Magnus ille, rex Asiæ, quum, posteaquam a Scipione* (rectius *L. Scipione*) *victus, Tauro tenus regnare iussus esset* cet. Manifestum est enim *posteaquam* particulam pendere; si *est* addas post *victus*, nimis frustatim sententiam concidas.[1]) Deinde edebatur: *Ille enim furoris multam sustinuerat*, pravo verbi tempore; neque enim sustinuerat, sed quum maxime sustinebat et ferebat pœnam, regni parte carens. Itaque melius erat *subierat*, quod recepi, id est, *acceperat*, sed auctoritatem id non habet nisi codd. inferiorum, Dresd., Palat. deteriorum, Haun., 3 Oxx., edd. vett. Utrumque interpretamentum est veræ scripturæ in Coloniensi servatæ, *multam sustulerat*; hoc enim loquendi genus, etsi mirum est, pro eo, quod est *subierat*, probare cogimur ob III de N. D. 33, 82: *pœnas sustulit.*

De Philippicæ primæ c. 6, 13 dicendum aliquid videtur in re aperta, ut ostendatur exemplo, quid inter usum præstantissimorum codicum et pravam superstitionem, etiam errores defendentem, intersit. Edunt enim ex Vaticano: *ut, cuius sepulcrum nusquam exstet, ubi parentetur, ei publice supplicetur*, respicique putant ad Cæsarem iusto sepulcro etiam tum carentem et ad sublatam columnam, quam in foro ei nonnulli statuerant. Verum, ut omittam dici debuisse *ne sepulcrum quidem*, et perobscure perverseque Cicero isto modo loquitur; nam sepulcrum,
203 ubi parentaretur, nullus habebat deus eratque id vel maxime immortalitatis, ut illa sententia longe aliter efferri debuerit; et inconstanter; hoc enim ipsum disputat, divinos honores iis

[1]) [Hoc tamen postea secutus sum.]

habendos non esse, quorum mortalitatis monumenta, sepulcra et parentalia, exstent; itaque præcessit: *ut parentalia cum supplicationibus miscerentur.* Postremo omnino non de Cæsare hæc dicuntur, sed universe proximeque de eo, cuius præcessit mentio, Bruto. Dicit enim: *Nihil dico, cui. Fuerit ille Brutus, — adduci tamen non possem, ut quemquam mortuum coniungerem cum immortalium religione, ut, cuius sepulcrum usquam exstet*, cet. Sic enim iam patet scribendum esse ex compluribus codd. (duobus Grut., Colon. Grævii). Mire Cicero ad præsens tempus transiit (*ut — supplicetur*), tanquam non sub condicione, sed simpliciter dixisset et generaliter: *adduci non possum, ut quemquam coniungam.*

Huic loco addam ex eadem oratione alium, in qua Vaticani codicis scripturam, non recte ab omnibus improbatam, nisi ab uno Mureto, recepi.[1] Nam c. 15, 37 edebatur: *Equidem is sum, qui istos plausus, quum a popularibus civibus tribuerentur, semper contempserim; idemque, quum a summis, mediis, infimis, quum denique ab universis hoc idem fit, — non plausum illum, sed iudicium puto.* Atque illud *a popularibus* plane confirmare videntur proxima *a summis* cet. Sed qui attenderit diligen- 204 tius, reperiet, propter hæc ipsa in superioribus additam æqualitatis gratia præpositionem, ubi Vaticanus, ea exclusa, dativum habet (*popularibus*); neque enim *populares* cives unquam intelliguntur apud Latinos infimi et leves ac seditiosi, qui plaudant, sed ii, qui plebi et populo levi grati sint, et quibus plaudatur. Itaque Cicero alterum plausus genus significat eorum appellatione, qui accipiant, ex quo simul intelligitur, a quibus detur; contempsi, inquit, semper plausus Clodio similibusque hominibus in populari gratia se iactantibus a sordidis conductisque et levibus hominibus datos; idem plausum ab omnibus ordi-

---

[1]) Cur 9, 21 (*manere*) et 13, 31 (*veterani*) mendi notam addiderim, paucos, si attenderint, rationem requisituros puto. Nam nec, quod iam Patricius sensit, lex promulgata, si perfertur, *manere* dicitur, quod cadit in veterem legem, quæ non aboletur, nec, quicquid Garatonius dicit, post Cæsaris mortem veterani in metu ullo præcipuo fuerunt, nec Antonii cum Cæsaris interfectoribus in gratiam redeuntis oratio ad veteranos Cæsaris metu liberandos spectare potuit, nec, si hæc fuissent, tam perverse Cicero veteranos toti civitati præferret (*quanto metu veterani, quanta sollicitudine civitas* cet.).

nibus ita datum, ut illi populares etiam fugiant, iudicium populi puto.

De Philippica secunda pauca dicam, quoniam scripturæ a me receptæ fere rationes habent apertas aut ab aliis expositas aut significatas saltem, nec ullius rei subtilius exsequendæ occasionem præbent. Neque enim, ut hoc exemplo utar, quod in c. 8, 19 improbavi Orellii scripturam: *Hæc tu non propter audaciam dicis tam impudenter, sed, qui tantam rerum repugnantiam non videas, nihil profecto sapis*, puto obscurum esse, primum in aliam sententiam exire verba, quam quæ flagitetur, quum hoc ipsum per se affirmari debeat, Antonium non videre rerum repugnantiam, et tum ex eo eius stultitia demonstrari; deinde non rectam esse orationem; nam istud *qui* adiuncto coniunctivo causam significat, ex qua quid sequatur (*ut qui, quippe qui*), ut hoc dicatur: *tu, ut qui tantam rerum repugnannantiam non videas, nihil sapis*, permutato illo, quod prius est, et illo, quod secundarium. Necessario igitur aliter disiungendæ sen-
205 tentiæ erant; sed ne sic quidem *qui* servari poterat; nam id aliter adiungitur primariæ sententiæ; ubi aperta est causæ redditio contrariumque *propter* (*non propter hoc — sed quod*), dici nullo modo potest, non magis quam, cui respondet, *quum*. Itaque ex Vaticano sumendum erat *quia*, sed simul *vides* pro *videas* scribendum, liberiore paulo mutatione, sed necessaria.[1]) [Aliter locum correxi Adv. Crit. III p. 152 sqq.]

C. 26, 64 Orellius, quum ederet: *Hasta posita pro æde Iovis Statoris bona* (*miserum me! consumptis enim lacrimis, tamen infixus animo hæret dolor*) *bona, inquam, Cn. Pompeii Magni voci acerbissimæ subiecta præconis*, ne commemoravit quidem aliter legi. Et tamen plane vitiose hæc ita dicuntur, quasi in *bonorum* auctione, non in *bonorum Pompeii* indignitas rei posita sit; nam in illa voce exclamat et eam repetit. Sed quum in codice Vaticano esset, *bona subiecta Cn. Pompeii miserum me* cet., recte pridem Faernus et Grævius ediderant:

---

[1]) Similiter ut hic in *qui*, erratum in *quoniam* in Verr. I, 9, 24. Contra coniunctivus post *qui* causale oblitteratus erat et a me restitutus est pro Mil. 3, 8 (*responderit*) ex Bavar. et Erf. et in hac ipsa Philipp. secunda 4, 8 (*doceat*) ex Vatic. Mirum est, quam interdum ad illa ipsa, quæ ad rectam orationis formam pertinent, ex optimis codicibus recipienda editores tardi sint.

bona Cn. Pompeii — miserum me cet. Quintiliani codices boni hæc omnia omittunt.

C. 29, 74, ubi editur: *Tam bonus gladiator rudem tam cito accepisti?* extremum verbum, quod in codice Vaticano omittitur (vid. Garaton. apud Wernsd. p. 466; nam Orellium hoc fugit), id, inquam, verbum notavi; ac vellem delevissem. Habet enim hic locus imitationem familiaris percontationis et sermocinationis, in qua in vehementia aliqua orationis (ut in admiratione) et simplici sententiæ forma non rara est huiusmodi verbi, quod facile ex rei natura intelligatur, omissio; 206
velut in hoc ipso capite § 72: *A me C. Cæsar pecuniam?*

C. 37, 93 edebatur: *Sunt ea quidem innumerabilia, quæ a diversis emebantur, non insciente te*, eodem orationis vitio, quo *epistolas ad diversos* appellant, ut *diversi* sint *complures, multi*, nulla significata diversitate, quomodo veteres non ponebant. Itaque non ea, quam Orellius putat, hic facta est notarum confusio, sed, quum pro *a tuis*, ut recte ex Faerni coniectura Lambinus edidit, scriptum esset, ut est in Vaticano, *aduis*, inde natum est alterum illud. Prorsus necessarium est illud *tuis*, quum alioquin, unde empta illa sint, non dicatur, nec id ante dictum sit. Sic demum illud *non insciente te* locum suum tenet significaturque domestica illa nundinatio. Paulo post, quem locum Orellius in spissis tenebris iacuisse dicit, eum ipse vir clarissimus obscuravit, recepta nullius auctoritatis scriptura, *Sed igitur*, quam ipse mutare cogitur, deleto *igitur*, quod in omnibus est codicibus, inductaque mirabili parenthesi et orationis continuatione. Quid est enim apertius, quam, quum Cicero inimicissimum Cæsarem Deiotaro fuisse dixisset, eum ironice ex illo Antoniano decreto concludere, sublatas esse post mortem illas inimicitias. Sed negat Orellius, regulam ab aliis temere constitutam ex Quint. I, 5, 39 sequens, Ciceronem periodos ab *igitur* incipere, quod in huiusmodi coniunctione sententententiarum frequens esse non opus est exemplis confirmare post Zumptium in Gramm. § 357 ed. 5. [Cfr. ad Cic. de Finn. I, 61 p. 115 ed. tert.] Nec dubitavit Orellius c. 16 § 41. Nimis sæpe obliviscuntur editores, boni esse critici, si quid de legibus sermonis observatum teneat, id sic sensui infigere, ut ubique præsto sit suique experimentum det, non in uno et altero loco, admonitum fortasse ab aliis, subito expromere ad

207 controversias dirimendas. Rectissime igitur e Vaticano editum ab aliis est: *Igitur a quo* cet.

In tribus huius orationis locis coniecturas in margine posui partim non magnam partim nullam sententiæ mutationem afferentes, quas tamen vellem in textu posuissem; adeo sunt necessariæ et evidentes. Primum c. 3, 5 edebatur: *Qua in re non tam iucundum mihi videri debuit, non interfectum a te, quam miserum, te id impune facere potuisse.* Sed nudum participium pro tota sententia infinita nullo exemplo, nulla ratione ponitur. Post *interfectum* excidit *me*. Deinde c. 14, 35 editur: *Quanquam illud quidem fuit, ut tu dicebas, omnibus bono* cet. Sed nihil in eo iudicio proprium Antonii fuit et singulare, nec ad unum aliquod eius dictum hæc referri, ostendit tempus verbi; ea, quæ nunc ab Antonio dicantur, ab illius temporis dictis discrepare orator dicit; itaque lineola oblitterata est, qua restituta legetur: *ut tum dicebas.* Postremo c. 29, 73 scribitur: *Itaque exclusis tuis vocibus et ad te et ad prædes tuos milites misit, quum repente a te præclara illa tabula prolata.* Non puto quemquam defensurum. in huiusmodi sententia et narrationis conversione verbum finitum post *quum* omitti, nisi ubi, omisso prorsus dicendi verbo, sèntentia pronomine aut nomine absolvatur, sequente recta oratione. Itaque *est* addi debet, quod post *repente* excidit. Superiores editores ante Ernestium orationem fere continuabant: — *prolata qui risus hominum* (additur in codicibus interpolatis *de te erat*)! Et minus desideratur verbum in exclamatione, præsertim non participio adiunctum. Sed tota orationis forma et vox *repente* sententiam in narratione prolatæ tabulæ consistere iubent.

VIII.

De iure et condicione coloniarum populi Romani quæstio historica.[1]

Solet laudari et admiratione digna haberi Romanorum 208
quum in universa re publica constituenda tum in singulis eius partibus ordinandis prudentia cohibetque dissensum aliquatenus immensa potentiæ opumque moles ab illo populo exstructa. Si quis tamen in tanta laudantium multitudine ea, quæ laudandi

[1] [Edita a. 1832 bipartito in indicendis regis augustissimi nataliciis et mutatione magistratus academici. In hac editione nonnulla explicavi paulo uberius, ut de isopolitia illa Niebuhriana et de Dionysii inconstantia, testimonia et firmamenta mirifice cum iis, quæ disputaram, consentientia addidi, minuta quædam correxi; aliorum opiniones postea prolatas, superioribus similes, colligere et data opera refellere supersedi, nihil habentes novi argumenti. Velut, ut uno exemplo defungar, quum caput quæstionis sit de iure colonorum, F. Walter (Geschichte des römischen Rechts. Bonn. 1834. I p. 72) cives in colonias missos suffragio et participatione rei publicæ Romanæ administrandæ caruisse scribit; sed testimonii, quod in ceteris rebus diligenter adscribit, in hac hoc ponit, *idem sensisse Sigonium, Spanhemium, Bellefortium, Niebuhrium*. Omnino vir doctus nimis presse Niebuhrium secutus vera inventa ab incertis opinionibus non discrevit; de ærariis quoque, de isopolitia et municipio Niebuhriana omnia repetiit. 1834.] [Walterum postea sententiam mutasse vix opus est dicere. Ne nunc quidem aliorum sententias in una alterave re a mea, cuius summam sequuntur, deflectentes colligam aut persequar, quum præsertim in opere de re publica Romana totam rem comprehenderim.]

causa dicuntur, consideraverit, nescio an sæpe cum molesto quodam sensu dubitaturus sit, satisne plerique ea, de quibus iudicare vellent, intelligere studuerint. Nam post illos, qui
209 primi in Italia sæculo sexto decimo in populi Romani institutis exponendis elaborarunt, Manutium et Sigonium, quos et plenam eius rei publicæ, cuius memoriam renovabant, imaginem animo complecti voluisse apparet et in quibus perpetuam quandam antiquæ prudentiæ, etiam ubi parum apparere videri potest, admirationem excusat temporum illorum condicio, non sane ita multi ex philologis et iuris Romani interpretibus superiorum sæculorum, qui antiquitatis Romanæ explicandæ studia professi sunt, perspicuam illam et compositam summæ rei intelligentiam expetisse videntur, ita ut inter ceteros emineat Bellefortius (Beaufort), Gallus, homo elegantior quam doctior, perspicuitate et ordine magis quam rerum investigatione commendatus. Itaque si quis horum adhibitis scriptis quærere cœperit, quemadmodum in vetere imperio et re publica instituta alia ex aliis apta fuerint, qua ratione ex diversa origine coaluerint, quæque ex omnibus coniunctis efficiatur plena rei publicæ forma et descriptio, primum non multum post Sigonium profectum in harum rerum expositione reperiet, deinde vereor, ne alia parum cohærere, alia naturæ fere repugnare, de nonnullis parum esse quæsitum iudicet, multisque modis perturbari illam speciem rei publicæ bene constitutæ queratur. Et in aliis quidem memoriam vetustatis parum monumentis conservatam putabit, in aliis studia recentiorum non recte collocata. Ex his autem fontibus materiam fere sumpserunt, certe non universam melius dispositam habuerunt ii, qui, quum minus versati essent in studiis antiquitatis quam in prudentia civili et in consideranda rerum publicarum natura, præstantiam institutorum populi Romani commemoraverunt.[1])

210 Hæc quum ita essent, nostro sæculo, studiis de publica populorum disciplina intentius quærendi excitatis et ad historiam etiam traductis, nova est exorta antiquitatis Romanæ perve-

---

[1]) [Nuperrime ex hoc genere exortus est in Germania, qui quum Latine parum sciret, Græce omnino nesciret, tamen idoneum se putaret, qui totam rei publicæ Romanæ rationem expediret. Saltem aperte confessus est, quod alii dissimulant. 1834.]

stigatio, cuius princeps exstitit B. G. Niebuhrius, deinde alii se adiunxerunt, partim qui se philologos et historicos, partim qui iurisconsultos appellari maluerunt.[1]) Niebuhrio institutorum maxime et disciplinæ publicæ historiam propositam fuisse, ipsum eius opus loquitur, et ipse sibi initium quærendi ortum significat ex animadversa repugnantia eorum, quæ de institutis veteribus traderentur, studioque antiquæ rei publicæ intelligendæ.[2]) Omnino, ut singula Niebuhrii inventa nunc omittamus, nec quæramus, quæ vera, quæ falsa videantur, hæc duo summa præstitit antiquitatis studio, ut et veterum, Dionysii maxime et Livii, historiam scribendi ratione rectius perspecta, libertatem et necessitatem quærendi et dubitandi de rebus Romanorum antiquis ostenderet, et perspicuas, plenas, nec alias aliis nec rerum hominumque naturæ communi repugnantes antiquorum institutorum notiones concipi iuberet. Et apparet, in Niebuhrio præter multiplicem eruditionem et singularem mentis mobilitatem in rebus, quæ disiunctæ longissime viderentur, ad veritatem inveniendam scite componendis hanc præcipue fuisse facultatem et studium claras et evidentes rerum institutorumque formas et imagines distincte et cum elegantia quadam 211
elaboratas animo complectendi. Huius igitur viri opera, qui, quum antiquissima Romanorum tempora tractaret, omnis eius, quæ postea fuit, rei publicæ fundamenta attigit, et aliorum idem agentium, ut Savignii, effecta est permagna conversio in hac antiquitatis studiorum parte multumque sine dubio profectum ad veram naturam rei publicæ totiusque disciplinæ Romanæ et Italicæ intelligendam. Universa tamen doctrina ad eam, ut ita dicam, concinnitatem certioremque formam, quam maxime desiderari significavi, adeo non iudicari potest adducta esse, ut interdum præter dubitationem de singulis rebus maior etiam confusio et discrepantia accessisse videri possit, aliis partibus nova inducta forma, in aliis vetere ita relicta, ut parum illis conveniant, ubique non paucis vestigiis prioris rationis manen-

---

[1]) Non sum tam iniquus aut tum imperitus, ut intra annorum certos numeros hanc prudentiorem institutorum Rom. tractandorum rationem concludam; velut Friderici Rothii liber de re municipali Romanorum multum in tota quæstionis instituendæ ratione a confusa superiorum forma discedit.

[2]) V. c. Hist. Rom. II p. 150 ed. 2.

tibus.[1]) Ille ipse, qui hæc studia maxime commorat, non absolvit, quod instituerat, nec deduxit disputationes suas ad adulti et summis opibus pollentis imperii tempora, quibus ipsa magnitudo rerum et membrorum in unum corpus coalescentium diversitas quum mutationes obscurationesque priorum institutorum attulit et miras sæpe eorum copulationes et in aliud genus translationes, tum nova addidit. Nec sane, si hæc omnia is complexus esset, res confecta fuisset. Permultum enim abest, ut aut, quæ ita pertractavit, ut nova et propria proferret, ea omnia aut longe maximam partem probem meque
212 eius auctoritati mancipem aliosve mancipari velim aut, si reliqua persecutus esset, omnia simpliciter ab eo accipienda fuisse credam. Iam significavi, non tam singulas opiniones Niebuhrii mihi probandas videri, etsi permultas probo, quam in quærendo libertatem et veterum institutorum rationis clare perspiciendæ voluntatem. Neque me fallit, aliquando Niebuhrio accidisse videri, ut propter illud ipsum concinne dispositæ imaginis studium, quod paulo ante commemoravi, ea, quæ belle et ordine composita essent, velut quæ ad numerorum quandam convenientiam adduci possent, paulo facilius pro certis amplecteretur, interdum etiam, quum in parvo aliquo rerum orbe eiusmodi aliquid effici posset, aliorum, quæ repugnarent, oblivisceretur. Video etiam, facultate illa vestigia minuta et dispersa persequendi, ne minores lusus commemorentur, eo eum aliquoties abreptum esse, ut in fundamento parum firmo opinionum novitatis gratia splendentium quasi molem late patentem exstrueret, et in iis singulatim inculcandis et confirmandis acumine abuteretur, quale est illud de poemate antiquissimo epico Romanorum commentum, iure a magno philosopho reprehensum.[2]) Nec dubium est, quin aliquando studio suam sententiam confirmandi veterum monumentorum testimonia interpretando perverterit aut eorum vim scriptores et inique et inconstanter

---

[1]) Hoc quale sit, intelligi fere potest ex Creuzeri epitoma antiquitatum Romanarum, quæ etsi non ipsam institutorum explicationem, sed lineamenta et materiam continet, ut iniquus sit, qui Creuzeri de singulis rebus iudicia ibi posita putet, tamen apparere videtur ex ipso materiæ genere et dispositione rerumque quærendarum significationibus, qualis forma futura sit totius doctrinæ.

[2]) Hegel. Encyclopäd. d. philosoph. Wiss. § 549, p. 492. ed. 2.

laudando vituperandoque auxerit minueritve, etiam cum errore,
ut in L. Cincio[1]), interdum quoque nomina vetusta, ne ab ipso
quidem satis explicata, ad ea, quæ invenisse se credebat, sig-
nanda adhibuerit, quale est ærariorum, quod multi nunc fre- 213
quentant et novum genus hominum confingunt, postremo propter
confidentiam quandam eo asseverantius fere loqui solitus sit,
quo minus firmis niteretur argumentis. Atque hæc, quæ partim
iam alii reprehenderunt, partim multos sensisse credo, nescio
an apud nonnullos etiam veros illarum disputationum fructus
in suspicionem adduxerint, quum præsertim accederet quum
propria quædam Niebuhrii scribendi ratio, non sane gradatim
a vulgari fama lectores omni materia testimoniorum exposita
ad novam sententiam traducentis, tum illud, quod intra ea
tempora substitit, in quibus plura in dubitationem vocanda,
pauca simpliciter narranda aut confirmanda erant. Restabat
igitur in antiquitatis Romanæ disciplina, ut quum de illis ipsis
institutis atque temporibus, quæ Niebuhrius pervestigasset,
quæreretur, ubi opus videretur, paulo cautius, quod Wachs-
muthius post primam Niebuhrii historiæ Romanæ editionem
facere conatus est, tum disputatio ad inferioris ætatis et eorum
temporum, quorum est testatior memoria, instituta deduceretur,
in quibus illarum etiam de antiquissima ætate opinionum veri-
tatis experimentum interdum capi posse videtur, et ad plures
partes transferretur. Nec defuerunt plane, qui id vellent alii
alia ex parte efficere; a quibus omnibus valde feliciter ela-
boratum non dixerim. Alii enim solam libertatem opinandi
ex Niebuhrii quæstionibus amplexi videntur, auctam, ut fit, et
in eos subinde campos excurrentem, ubi nullis antiquitus tra-
ditæ memoriæ vinclis impediretur[2]); alii nova a Niebuhrio

---

[1]) Quum sæpius bona et utilia ex ignobilibus et obscuris angulis protraxisset, postremum eo pervenit, ut cupide hoc genus scriptorum defenderet et ex eorum etiam negligenti loquendi usu interdum aliquid elicere tentaret.

[2]) Talis mihi in plerisque videtur Blumii liber, qui inscribitur Einleitung in die Römische Geschichte. (Cfr. Zumptii cens. Jahrb. f. wissensch. Crit. 1829. N. 12 et 13.) Sed longe futilissimis commentis et multis ignorantiæ rerum antiquarum exemplis refertus est liber Eisendecheri (Ueber die Entstehung, Entwickelung und Ausbildung des Bürgerrechts im alten Rom. Hamburg 1829). Exempli loco sufficere potest, quod

214 secure adscita, quorum multa ipse postea repudiavit, et olim tradita non bene permiscuerunt[1]); in multis, ut, quod sentio, dicam, desidero subtiliorem sermonis veteris cognitionem et ad eius leges scriptorum locos caute explicandi tractandique artem. Omnino autem, quæ sit utiliter opinandi in antiquissimi temporis institutis ratio, parum considerasse videntur. Ea est enim demum recta opinatio, quæ, profecta ab evidenti refutatione vulgaris narrationis plerumque iam ipsius discrepantis et testimoniis convictæ, collectis et ponderatis testimoniis, quæ certa esse et antiqui aliquid continere videantur, et indiciis obscuris, primum hæc et singula probabiliter explicat et inter se conciliat, tum ab rerum natura et eius, de qua agitur, ætatis ingenio non aberrat, deinde subsecuti temporis institutorum naturalem originem ex illa vetere forma et progressum vestigiaque relicta demonstrat, tum ita universi status antiqui rationem habet, ut non unum ab altero discrepet, postremo ostendit, qui factum sit, ut aliter vulgo traderetur.

215 Iam si exempli causa una aliqua nec parva pars antiquitatis Romanæ nominanda est, cuius cognitio ita recentiorum disputationibus adiuta sit, ut tamen et restent non pauca quærenda et universa rei explicatio, sublatis abolitarum opinionum reliquiis, novis inventis inter se conciliatis et amplificatis, quasi componenda sit, occurrit ipsa imperii Romani sub unius populi dominatu, servato partium discrimine, coalescentis conglutinatio, hominumque et locorum, quibus id constabat, diversa condicio et ius.

---

initio disputationis suæ (p. 26) eorum, qui *civibus* iure inferiores, servis tamen et *peregrinis* superiores essent, hæc quinque genera ponit hoc ipso ordine, *Municipes, Latinos, Italicos, Colonos, Provinciales.* Quum Ammianus Marcellinus (XVI, 5) leges XII tabularum commemorans aliquid de axonibus, in quibus scriptæ erant leges Solonis, dixisset, hic *populum Assonum* effecit (p. 105). Similia cetera. Non attigissem, nisi hunc librum Heerenius, V. Cl., scripta præfatione commendasset et alii iam citarent, ut plures ad tempus in eo legendo vel etiam refutando perdendum invitari videantur.

[1]) Fit id sæpe in eo libro, quem in comment. de loco Ciceronis in libro IV de R. P. commemoravi supra p. 73. [Non deerat hoc loco nova querendi materies, etiam de iis, qui a Niebuhrio dissentientes aliis rem modis aggressi sunt; sed ea nunc non utor. 1834.]

Huius loci, quem post Manutium et Sigonium comprehenderat Spanhemius (in libro, quem *orbem Romanum* inscripsit)[1], alias partes Savignius tractavit et commutavit, iuris Latii et iuris Italici notione tum etiam ipsius civitatis constituta accuratius, ita tamen, ut inferioris ætatis instituta fere respiceret[2], alias Niebuhrius, quum de varia ratione, qua antiquissimis temporibus peregrini populo Romano adiungerentur aut in eius civitatem reciperentur, et de coloniis quoque ita dissereret, ut multa expediret, multa commoveret[3]; quædam partes intactæ aut pæne intactæ manserunt. Nam qui nuper fere totum hoc argumentum tractandum sumpsit[4], parum ad id paratus ac- 216
cessit, ut qui, collectis post alios, Sigonium maxime et Freinshemium (in supplementis Livianis), scriptorum testimoniis de singulis oppidis populisque ad imperium populi Romani adiunctis aut in civitatem receptis, in iis, quæ de condicionis et iuris diversitate quærenda erant, fere totus a Sigonio pendeat, quædam ab Ottone (in libro de ædilibus municip. et coloniarum) sumpserit. Ne Spanhemium quidem aut Heineccii notissimum librum adhibuit; Niebuhrii disputationibus (in priore edit. hist. Rom. et in priore vol. edit. sec.) ad quærendum non est excitatus; Savignii scripta, quod iure in Borusso mireris, plane ignorasse videtur, quæ tamen vel ex Creuzeri epitomæ priore editione (1824) cognoscere potuit.

Hunc igitur locum, qui ad universam historiam rerum gestarum populi Romani intelligendam plane necessarius est, interest eorum, qui in antiquitate Romana versantur, ita aliquando pertractari, ut quæstio per omnes partes omniaque rei publicæ Romanæ, maxime quidem liberæ, tempora æqualiter

[1]) Trekelli *Selectarum Antiquitatum Romanarum pars prima* (1744) eodem pertinet, accurate scripta, sed in minuta aliorum opiniorum refutatione et additamentis exilibus nimis hærens.

[2]) In commentationibus, quas inscripsit *Ueber die Entstehung der Latinität als eines eigenen Standes im Römischen Staate* et *Ueber das ius Italicum* (in scriptis Acad. Berol. et in Zeitschrift f. geschichtliche Rechtwiss. V, 2). Alia attigit in hist. iur. Rom. per mediam ætatem vol. I.

[3]) Maxime in secundo vol. hist. Rom. ed. 2 p. 43—93.

[4]) Staatsrecht der Unterthanen der Römer. Nach den Quellen bearbeitet v. I. C. W. A. Hopfensack. Düsseldorf 1829. Eo nomine cives quoque in municipiis et coloniis viventes comprehendit.

circumducatur confirmeturque materia, quæ ad rem pertineat, omni congesta et disposita. Nam hoc quoque fieri, quoties maiores antiquitatis loci comprehendantur, valde refert, ne propter unam et alteram rem partemve materiæ semper sit ad libros parum alioquin nostræ ætatis usui aptos recurrendum et commenta opinionum pridem reiectarum devoranda, quo alitur præterea pravissima consuetudo fragmenta repugnantia undique contrahendi et in iis acquiescendi. Atque huius operæ navandæ subinde me ipsum impetus cepit, quum has res scholis academicis exponerem; quod consilium exsecuturusne totum aliquando sim, nescio, nunc quidem nondum omnia videntur satis perquisita, et alioquin aliam scriptionis formam postulant; unam
217 huius loci partem, in qua, quum non raro hinc extollendæ prudentiæ Romanæ materia petatur[1], tamen relictæ videntur opiniones et rerum historiam et institutorum Romanorum naturam constantiamque obscurantes, et quæ per se pertractari posse videtur, hoc tempore, collectis, quæ ad rem pertinere arbitror, nec tamen omnium opinionibus anxie conquisitis et expositis, explicare decrevi, de coloniarum populi Romani generibus et cum populo coniunctione. Nam quæ ad ritus coloniarum deducendarum et ad internam earum formam pertinent, omitto, illa, quia vulgaria sunt, hæc, quia ab universa re municipali disiungi non possunt. Erit autem necessarium intelligentiæ causa nonnulla communia aut ex proximis antiquitatis partibus attingere, quod faciam breviter, et, quantum fieri poterit, nisi concessa aut ab aliis iam confecta aut suapte natura perspicua non adhibebo, ne novæ disputationis necessitas imponatur.

In Italia, quemadmodum in plerisque aliis gentibus, antiquissimo tempore fere, qui communem urbem agrumque adiectum tenebant, aut, si vicatim regio aliqua incolebatur, qui tantum agri tenebant, ut commode convenire in locum religione aliave re insignem resque suas ipsi agere possent, iidem suam habebant rem publicam a reliquis seiunctam, nec alia erat urbis, alia populi civitas, nec ulla urbanarum rerum administratio ab universæ rei publicæ administratione discreta nec

---

[1]) Cfr. Heynius de Romanorum prudentia in coloniis regendis (Opusc. Acad. T. III) et all.

rursus ulla urbanarum ab rusticis seiuncta.[1]) Si qua urbs erat, id caput et sedes civitatis habebatur nomenque ei dabat, ceterum domicilium aliquis in urbe an in agro vicoque haberet, 218
non solum vetustissimo tempore nihil intererat, sed omnino hoc discriminis genus a iure antiquorum populorum alienum erat; tantum, qui in urbe sedentario quæstu vitam sustentabant, inter homines agri colendi et belli studiosos inferiore existimatione erant.[2]) Omnes autem, qui civitatis participes erant, ipsi publicorum negotiorum agendorum loca temporaque obibant. Ceterum ubi plures erant eiusdem stirpis populi (nam populi appellantur), linguæ, morum institutorumque similitudine coniuncti, civitatibus discreti, nec tamen singulari aliquo casu divulsi, primum alterius populi homines apti erant ad munera civium privata in rei familiaris negotiis in altera civitate obeunda, nec contaminari stirps putabatur matrimoniis mutuo initis; nam eadem erant sacra, quibus solennes ritus nitebantur, idem ius privatum.[3]) Itaque *commercium* et *connubium* inter se habebant. Deinde plerumque hæ civitates publico 219

---

[1]) Apud Græcos ἡ πολιτεία dicitur ἀπὸ τῆς πόλεως.

[2]) Hinc igitur *urbis* appellatio postea quoque in una urbe, tanquam plures non essent unius populi, mansit; hinc, quorum oppidorum cives in populi Rom. corpus recepti erant, non res publica modo, sed *civitas* esse desinebat (Cic. fragm. init. orat. in Pison. *nam tum erat civitas*); hinc singularis illa *urbis* veneratio ea quoque ætate, quum late fusa esset civitas; illa in duplici patria, civitatis et originis, nominis ambiguitas (Cic. de Legg. II, 2), ex qua olim discrimen aliquod iuris excogitatum est. Ad notionum earum, de quibus loquor, apud Romanos cognationem declarandam pertinent Ciceronis loci de R. P. I c. 26, pro Sest. 42, 91. Definiuntur civitates *conventicula hominum*, urbes *domicilia coniuncta*.

[3]) Ius privatum commune veterum populorum Latinorum, quod sublatum est, quum lege Iulia in civitatem recepti sunt, commemorat Gell. IV, 4, auctorem citans Servium Sulpicium, qui sponsaliorum ius inde excerpserat. Mirum est, hunc locum neglectum fuisse a plerisque in ea controversia, quæ propter absurda (Rothii et Niebuhrii vocabulo utor) eiusdem Gellii verba (XVI, 13) agitata est, retinuerintne municipia suas leges et ius an in Romanum transierint. In qua, ut exemplo confirmem, quæ paulo ante dixi, tantus fuit error, ut ipse Montesquius non solum putarit, municipes, qui de legibus populi Rom. privatarum rerum suffragia ferrent easque constituerent, ipsos plane alio iure usos esse, verum id non absurde institutum fuisse, conatus sit ostendere. Ita abutuntur

fœdere sociatæ communia concilia cum communione aliqua sacrorum publicorum coniuncta obibant, maximeque bella coniunctis viribus gerebant, ut præda in commune cederet; nec tamen singulæ civitates impediebantur, quo minus sua seorsum consilia caperent, ut multa Latinorum exempla ostendunt. Nam Latinorum et Hernicorum civitates hoc modo coniunctas fuisse notissimum est[1]); ceterum et ad Etruriæ populos hoc pertinet et late hoc genus patet per omnem Italiam. Extra hæc fœdera autem singulæ civitates plane ab aliis diremptæ et quasi circumcisæ erant. *Peregrini* homines, qui antiquitus iidem *hostes* appellabantur, tanquam diversæ naturæ, in privatis rebus ad eas iuris formas actionesque non admittebantur, quæ cuiusque civitatis propriæ erant ad suæ cuiusque rei custodiam. Itaque communi quadam æquitate defendebantur, qua paucos antiquissimo tempore confisos esse probabile est, ita ut raro omnino res rationesque inter diversarum civitatum homines contraherentur. Postea hæc in certiorem formam redacta et nova iuris instituta hinc apud Romanos orta sunt. Nec familiarum nexus iuste, id est, ita ut liberi patrem sequerentur interque eos patriæ potestatis, tutelæ, hereditatis iura constarent, cum peregrinis contrahebantur. Fieri tamen poterat, ut fœderibus ineundis inter civitates non eo modo, quo Latinas dixi,
220 iunctas communio aliqua maior iuris privati concederetur, quo spectare videtur hospitium publicum a Romanis cum Cæritibus initum (Liv. V, 50). Multo id magis factum videtur, quum civitas aliqua pluribus iam inter se fœdus habentibus ex æquo adiungeretur, velut quum Roma non una ex Latinis civitatibus facta est, sed ex altera fœderis parte omnibus Latinis æquata.[2])

---

acumine vel ingeniosi homines, qui rei non satis notæ laudationem suscipiunt.

[1]) [De Latinæ gentis populis civitatibusque discretis nihil opus est dici; de Hernicorum gentis populis conferantur, quæ Gronovius ad Liv. V, 34, 5 collegit.]

[2]) Multa horum similia apud Græcos fuisse, quorum tamen populi longe minus diversi origine institutisque erant quam Latini, Etrusci, Umbri, Samnites, notum est. Ceterum hæc eo magis summatim attigi, quod totam Niebuhrii de isopolitia et municipio disputationem accuratius limandam puto et magnam eius partem reiiciendam, de quo paulo post

Hæc quum ita communia essent Italorum instituta, ut eadem esset Romanorum inter alios, quæ inter Romanos peregrinorum, condicio, populi Romani hoc unum est proprium, quod ex pluribus stirpibus ita coniunctus, ut nulli adhæreret, nulli eiusmodi, quale descripsi, populorum fœderi immixtus solus per se excrevit, interiectus inter illorum populorum, quibuscum aliqua ex parte cognatus erat, fœderatas civitates. Hinc quum alia repetenda sunt, quemadmodum in coloniis patebit, tum illud, quod dicam. Quum paulatim Romanorum victoriis effectum esset, ut ceterarum singularum urbium in Italia civitates unius urbis populo parerent, concilia autem fœderaque plurium civitatum inter se tollerentur[1]), et quum 221
post bellum sociale omnes Italiæ populi in universæ rei publicæ et imperii societatem partemque venirent, non est hoc neque ad exemplum nominis Latini similiumque fœderum ita factum, ut singulæ civitates manerent, sed commune quoddam haberent concilium et summam rem, tantummodo artius adstrictæ inter se, ut sunt Helvetiorum et Americanorum res publicæ, nec ita, ut una constitueretur nova communis res publica, ab omnibus urbanis institutis seiuncta; sed ceteræ sublatæ sunt civitates, ut tantum oppida manerent, omnes autem homines in *urbis* Romanæ civitatem recepti sunt, quemadmodum iam antea in iis populis factum erat, quibus singulatim civitas data erat, eiusque urbis et rei publicæ vetera instituta ad totam illam populi molem subito traducta.[2]) Itaque ea iam effecta est res publica, quæ vel optimis moribus stare nullo modo posset.

---

dicam. Sed ad connubium ex antiquissimo fœdere spectat narratio Livii de nuptiis Octavii Mamilii Tusculani et filiæ Tarquinii (I, 49) et Dionysii Halic. (VI, 1) de uxoribus remissis ante pugnam ad lacum Regillum, quæque Livius (IV, 3) Canuleium dicentem facit: *Connubium petimus, quod finitimis externisque dari solet.* Ex eo, quod Dionysius aliquoties Romanos et Latinos *συγγενεῖς* appellat, nihil efficitur.

[1]) Hoc de Latinis et Hernicis Livius tradit (VIII, 14, IX, 43); sed idem in Etruria, Samnio, alibi factum esse, natura rei et insequentis ætatis historia ostendit. Omnis eius historiæ, quæ Italiæ ad imperium Romanum adiunctionem continet, nullus paulo copiosior et probabilis auctor superest (ab a. Ch. 293 ad initia belli Punici primi).

[2]) Cfr. supra p. 218 n. [Dio Cass. LII, 19, ubi Agrippam suadentem Augusto inducit, ut civitatem Romanam per omnes provincias pervulget: *ὥσπερ*

nulla iam parte publicorum institutorum ad hanc formam conveniente, nec vere ad rem publicam administrandam omnibus Italis admissis, qui obire comitia Romæ non poterant, sed tantum vilissima populorum fæce, quæ undique in sentinam
222 urbis confluebat.[1]) Et tamen adeo hæc propter insitam antiquitus animis Romanorum notionem rei publicæ non animadvertebantur, ut Cicero (in libris de R. P. et de Legg.) aliquid se acturum et salutis inveniendæ viam monstraturum crederet, si huic populo eam formam publicorum institutorum, quæ ante Scipionem et Lælium fuisset, proposuisset et commendasset. Nec semper recte satis de his temporibus a recentioribus iudicatur.

Sed ab his, quæ etsi nec nova sunt nec difficilia videntur, tamen, quia hinc enascitur omnis intellectus eorum, quæ disputanda erunt, comprehendenda breviter putavi, veniendum est ad ipsius rei propositæ quæstionem, quum dixero, præterquam quod in aliquot partibus historiæ populi et imperii crescentis monumentis plane destituimur, non esse omnino ita a scriptoribus antiquis, quorum libri supersunt, traditam historiam, ut de iure publico et de varia hominum condicione admodum quærerent. Nam, ne commemorem insitas opiniones de perpetua populi Romani dominatione, tum scripserunt, quum interiecto post bellum sociale longo temporis spatio veteris rei publicæ formæ et memoria obscurata et cura imminuta erat. Velleii quidem Paterculi negligentia nullo fere loco magis apparet quam in iis, quæ de civitate populis data et coloniis de-

τινὰ μίαν τὴν ἡμετέραν πόλιν οἰκοῦντες, καὶ ταύτην μὲν ὄντως πόλιν, τὰ δὲ δὴ σφέτερα ἀγροὺς καὶ κώμας νομίζοντες εἶναι.]

[1]) Eius in partem negotiorum publicorum veniendi rationis, quæ constat alios suo suffragio ad ea tractanda mittendo (repræsentationem appellant), in singulis veteribus rebus publ. plane inusitatæ, vestigia aliqua et initia erant in illis plurium civitatum fœderibus conciliisque; videturque huiusmodi aliquid Italis populis observatum esse in ea rei publ. forma, quæ bello Marsico Corfinii constituta traditur, maxime apud Diod. Sic. exc. lib. XXXVI p. 538 Wess. Nec sane hoc civitatis accipiendæ modo, quo data est Marsis, Samnitibus, ceteris, ipsos, quum semel ad memoriam veteris libertatis excitati essent, contentos fuisse, ostendere videtur belli socialis historia, etsi valde exiliter et confuse ab iis scriptoribus, qui supersunt, tradita. Quod de institutis dixi, exemplo esse potest præter suffragii lationem censuræ universa ratio.

ductis scripsit et parum plene et perturbata temporum ratione et confusis rerum generibus; nam ne ad civium quidem et Latinarum coloniarum discrimen attendit.[1])

Populis victis, non solum qui suas civitates retinebant, 223
verum etiam, qui plane subiecti imperio Romano subdebantur, antiquitus a Romanis pars agri, depulsis possessoribus, adimebatur. Is ager aut publicus populi manebat aut venundabatur
aut viritim civibus assignabatur. Tertia fere pars subactis 224

---

[1]) Lib. I, 14 et 15. Non recte Niebuhrius (II, 689 not.) Velleium *civium* colonias omnino exclusisse dicit; multas enim civium commemoravit. Dionysium Niebuhrio, quum alibi sæpe rhetorem Græculum iure reprehendat, in hac re et cautum appellare placuit (II p. 57 *bei dem umsichtigen Schriftsteller*) et religiosum (ibd. *gewissenhaft*) et in verborum ad res accurate significandas delectu diligentem (ibd. *der auch in seinem Ausdrück höchst sorgfältige Gelehrte*). Ipse ad hanc laudem tuendam, quum Dionysius apertissime sibi contradicat, miram ab ipso Dionysio factam historiæ iam elaboratæ interpolationem excogitat, quæ si esset facta, saltem simul falso narrata diligens homo mutasset. Omnino Dionysius, quum loquacissimo genere historiam ita scriberet, ut simul suam prudentiam civilem ostentaret et Romanos extollendo Græcos doceret, ex altera autem parte (neque enim carebat Græcula vanitate) omnia Romanos a Græcis habuisse demonstraret, iuris veteris et institutorum incertas et parum accuratas notiones comprehendit et aut fere generalibus tantum nominibus significavit (quale est *τῶν ὑπηκόων*) aut ad has res significandas Græcis appellationibus usus est neque diligentissime delectis neque constanter servatis, qualis est *ἰσοπολιτεία*; nam non solum, quos isopolitas appellat, eosdem *πολίτας* dicit VIII c. 77, sed eandem isopolitiam IV, 58 datam dicit Gabinis, quibus regem a Tarquinio impositum narrat. Itaque ex appellationibus rerum et ipsius verbis et ex iis coloribus, quibus ipse, suas opiniones secutus, res ieiune a prioribus traditas pingit et extendit, nihil unquam concludi potest; ex ipsis gestarum rerum indiciis, quatenus ea non obscuravit, omnia efficienda sunt. Livius saltem certo cuidam usui verborum magis erat, ut Romanus, assuetus, et quum uterque ex suæ ætatis notionibus ad antiquitatem multa transferret, Dionysio accessit nova perturbatio ex Græcarum rerum imaginibus in animo inhærentibus, ob quas compagem Romani imperii ex variis membris coniuncti, cuius nihil erat in Græcia simile, plane animo complecti non poterat. Itaque de iis, qui extra ipsam urbem erant, inconstantissime scribit, ut ex multis exemplis patebit vel in hoc uno genere colonorum. [Simili errore Hernicos cives factos narrat a Sp. Cassio tertium consule VIII, 69 (et XI, 2), postea *συμμάχους* appellat IX, 5, 35, 67. In *ἰσοπολιτείας* nomine eadem est confusio apud Plutarchum Coriol. 30.]

erepta narratur[1]); confirmantque, quæ de antiquissimis temporibus traduntur. ea, quæ postea facta sunt, ut, etsi de oppidulis iis, quæ a Romulo subacta narrantur, nihil singulatim affirmari possit, insitam hanc rationem victoria utendi in more quum Romanorum tum communi veterum Italorum fuisse pateat.[2]) Incolæ veteres partim Romam abducebantur, oppidis deletis, ut de Albanis traditur et de aliis (apud Liv. I, 33), aut transmigrabant (Liv. I, 11. Dionys. Halic. III, 1), partim in suis sedibus relinquebantur (Dionys. II, 35 de Cæninitis et Antemnatibus)[3]). Verum loca hostibus erepta et opportune sita plerumque tuenda erant multoque magis incolæ oppidorum subactorum observandi et coercendi. Id efficiebatur parte civium publice eo missa iisque agro, qui ab hoste captus erat, diviso, ut ibi perpetuum constitueretur præsidium, cuius hoc unum erat genus, nullodum perpetuo milite. Eaque est et naturæ consentanea et scriptorum testimoniis tradita coloniarum Romanorum origo[4]), quæ ut in loca habitata plerumque deducerentur, rei natura efficiebat; aliter ad ipsam vim coloniæ id
225 pertinuisse, quod Niebuhrius (II, 49, 50) statuit, vix Servii auctoritas facit, ut credam; et dissentit de Signia Dionysius IV, 63. Eæ porro, quoniam non ad tempus cives ibi militabant, sed cum familiis habitabant, formam aliquam rei com-

---

[1]) Dionys. Halic. II, 35 (de Cænina et Antemna), 50 (de Cameria), 53 (de Fidenis).

[2]) Cfr. Privernatium exemplum, quibus a. 341 a. C., *præsidio valido imposito, agri partes duæ ademptæ sunt* (Liv. VIII, 1). Nec is mos obsoleverat belli Punici tempore (Cic. in Verr. III, 6, 13). [Duas partes iam Hernicis ademptas scribit Liv. II, 41.]

[3]) *Ὁ δὲ Ῥωμύλος τριακοσίους μὲν ἄνδρας εἰς ἑκατέρας ἀποίκους ἀπέστειλεν, οἷς ἔδοσαν αἱ πόλεις τρίτην κατακληρουχῆσαι μοῖραν τῆς ἑαυτῶν γῆς. Καινιτῶν δὲ καὶ Ἀντεμνατῶν τοὺς βουλομένους μεταθέσθαι τὴν οἴκησιν εἰς Ῥώμην γυναιξὶν ἅμα καὶ τέκνοις μετήγαγε κ. τ. λ.*

[4]) Dionysius *φυλακήν* appellat et *φρουράν* (II, 53 et 54) et colonos *φρουρούς* (VI, 32 et 34); idemque de Crustumerinis (III, 49): *τοῦ δὲ μηδὲν ἔτι παρακινῆσαι χάριν ἐποίκους αὐτοῖς κατέλιπε Ῥωμαίους.* [*Φύλακας τῶν πεπολεμηκότων* Romanos in colonias missos et agro capto donatos appellat Appianus in Bruti oratione (Civ. II, 140.] Cfr. Nieb. II, 51. Omnino de his antiquissimis coloniis, ut plena sint initia disputationis, ponenda sunt complura a Niebuhrio iam expedita; facile apparebit, ubi oriatur dissensus. Cfr., quos locos idem iam laudavit (p. 53), Dion. VII, 13. Liv. II, 34, IV, 11. Add. Dionys. VI, 32.

munis et quasi publicæ habere debebant eaque ab universo populo, ex quo deducebantur, ordinari. Itaque constituebantur, ut ait Gellius (XVI, 13), *quasi effigies parvæ simulacraque populi Romani*[1]), quod pertinet non solum ad agrorum limitationem[2]), verum etiam ad ius, rerum administrationem, 226
magistratus quosdam. Colonorum numerum, quoniam et antiquitus trecenti sæpius missi dicuntur et postea, renovato colonias civium mittendi more, idem numerus missus in plures est[3]), ratione aliqua ad antiquam populi Romani distributionem

---

[1]) Aliæ pleniores coloniarum definitiones ab antiquis grammaticis sumptæ, altera etiam Latinas complectens, apud Servium (ad Virg. Æn. I, 12 in cod. Fuld.) exstant (cfr. Nieb. II, 49): *Sane veteres colonias ita definiunt. Colonia est cœtus eorum hominum, qui universi deducti sunt in locum certum ædificiis munitum, quem certo iure obtinerent. Alii: colonia est, quæ Græce ἀποικία vocatur; dicta autem est a colendo; est autem pars civium aut sociorum missa, ubi rem publicam habeant ex consensu suæ civitatis aut publico eius populi, unde profecti sunt, consilio. Hæ autem coloniæ sunt, quæ ex consensu publico, non ex secessione sunt conditæ.* De coloniis antiquis universe Dionys. Halicarn. II, 16: *Τρίτον ἦν ἔτι Ῥωμύλου πολίτευμα τὸ μήτε κατασφάττειν ἡβηδὸν τὰς ἁλούσας πολέμῳ πόλεις, μήτε ἀνδραποδίζεσθαι, μηδὲ γῆν αὐτῶν ἀνιέναι μηλόβοτον, ἀλλὰ κληρούχους εἰς αὐτὰς ἀποστέλλειν ἐπὶ μέρει τινὶ τῆς χώρας, καὶ ποιεῖν ἀποικίας Ῥωμαίων τὰς κρατηθείσας, ἐνίαις δὲ καὶ πολιτείας μεταδιδόναι.* Nec male Siculus Flaccus (de condic. agror. p. 2 ed. Goes.): *Coloniæ inde dictæ, quod populus Romanus in ea municipia miserat colonos, vel ad ipsos priores municipiorum populos coercendos vel ad hostium incursus repellendos.* Municipia dixit inferioris temporis more oppida.

[2]) Nolim in hac descriptione cum Romani agri divisione comparanda hariolari, quod Niebuhrius facere videtur (II p. 55); qui quod semel tradi dicit (de iis, qui Anxur deducti sunt a. 329), bina singulis iugera data, idem in Lavicanis colonis (a. 418) Livius scribit (IV, 47). Sed Satricanis (a. 384) bina iugera et semisses assignatos tradit (VI, 16). [Bina iugera data solita testatur Siculus Flacc. p. 15 G, p. 153 Lachm.] Postea Parmenses octona, Mutinenses quina iugera acceperunt (a. 183; Liv. XXXIX, 55). A. 395 Livius (V, 24) consilium captum narrat deducendæ in Volscos coloniæ, in qua terna iugera et septunces darentur.

[3]) Trecentos Dionysius (II, 35 et 53) Cæninas, Antemnas, Fidenas missos narrat; totidem a. 329 a. Ch. Anxur Livius (VIII, 21), totidem a. 194 (consilio capto a. 197) Vulturnum, Liternum, Puteolos, Salernum, Buxentum (XXXII, 29, XXXIV, 45. Cfr. Nieb. II, 55). Tamen et Lavicos a. 418 Livius (vid. not. prox. sup.) mille quingentos colonos, qui cives

in curias convenisse, non negarim (cfr. Nieb. II p. 261). Iure autem Niebuhrius observat (II, 52), in his antiquissimis coloniis coloniæ nomen proprie pertinuisse tantum ad cœtum hominum deductorum, a veteribus incolis in parte agri et oppidi relictis secretum. idque præter definitiones coloniarum sequuntur etiam aliquatenus historiæ scriptores, qui quanquam oppida universe colonias appellant, tamen *colonos* a ceteris incolis sæpe distinguunt (v. c. Dionys. VIII, 14: *ἐπὶ Κιρκαίαν πόλιν, ἐν ᾗ κληροῦχοι Ῥωμαίων ἦσαν ἅμα τοῖς ἐπιχωρίοις πολιτευόμενοι*). Nam quæ nullos haberet veteres incolas, inter has antiquas una commemoratur Ostia, maritima (de quo genere paulo post dicam), ad Ancum Marcium non deductorem, sed conditorem relata (Liv.
227 I, 33, Cic. de R. P. II, 18, Polyb. VI, 2, 9, Dionys. Halic. III, 44, Steph. Byzant. cet.). Itaque ea nunquam defecisse narratur; ceterarum veteres incolæ frequenter libertatem vindicare conati traduntur, quibus narrationibus ut singulatim, maxime in iis, quæ de Camerinis ceterisque Romuleis traduntur, nulla fides sit, universa res satis est certa, factumque idem postea iam mutata aliquantum forma rerum. Coloni eiiciebantur aut
228 interficiebantur[1]), ut multum errent, qui hos ipsos defecisse

videntur fuisse, missos scribit, et a. 384 Satricum duo millia civium, qui numerus postea (a. 183) Mutinensium et Parmensium colonorum civium fuit. Sed hæc ad illa tempora non pertinent, quibus vigebant curiæ, et ad aliam formam coloniarum spectant. Plutarchi, qui Fidenas a Romulo MMD colonos missos scribit (Rom. c. 23), iure ratio non habetur.

[1]) Camerini deficientes *τοὺς μὲν ἀπέκτειναν τῶν ἐποίκων, τοὺς δ' ἐξέβαλον* (Dionys. II, 54). Itaque Romulus victis præter tertiam partem agri ante ademptam alteram tertiam partem ademit (cfr. Plut. Rom. 24, qui, quum iam duæ partes agri colonorum essent, *τῶν ὑπομενόντων Καμερίων διπλασίους ἐκ Ῥώμης κατοικισθῆναι* narrat). Veientes (Dionys. II, 54) a Romulo postulant, ut Fidenis præsidium (*τὴν φρουράν*) educat agrumque prioribus dominis reddat. (Cfr. simile Auruncorum postulatum apud Dion. VI, 32.) Fidenæ ab Etruscis captæ narrantur *στασιασάντων πρὸς ἀλλήλους τῶν ἐν αὐτῇ* (Dion. III, 57), ex quibus nonnulli erant *ἔποικοι καὶ φρουροί* (ibd. 58 extr.). Postea aliquoties captæ narrantur, nulla adiecta coloniæ mentione; deinde colonia nova deducta traditur (V, 43). Iisdem Fidenis postea (a. 428), quum paulo ante post defectionem, in qua legati Romani interfecti erant, subactæ essent Liv. IV, 17), parumque iis crederetur, *colonorum additus numerus agerque iis bello interemptorum assignatus* (Liv. IV, 30). Idem accidebat

putant[1]), ex quo falsæ oriuntur opiniones de universo statu et iure horum hominum.

De hoc enim iure deinceps dicendum est, nec potest ea quæstio eo usque differri, quoad omnia coloniarum genera percursa breviter sint, quorum origo explicari non potest, nisi hic aliquantisper substiterimus. Putant enim plerique, cives Romanos, qui in colonias proficiscerentur, ea civium iura, quæ ad rem publicam administrandam pertinebant, amisisse (suffragiorum et honorum), in quam sententiam quum Sigonius[2]) incidisset, quod non satis attendens ad veterem civitatis notionem, in homine, non in domicilii loco hærentem, testimonia in ea re desiderabat, in qua satis erat, nulla esse testimonia contraria, postea nescio quomodo assensi sunt præter alios Spanhemius, Heineccius, Bellefortius, Heynius, Rothius, Hopfensackius; Trekellus rem incertam relinquit.[3]) Atque hi omnes de antiquissimis coloniis parum cogitantes duplex hominum genus in iis habitantium non distinxerunt. Niebuhrius quoque vulgari opinioni assentitur, sed ita, ut multa magis artificiose quam vere componens valde rem implicet.[4]) Contra ego nihil

---

postea in Latinis coloniis in aliorum oppidis, ut Sora (a. 315) ad Samnites defecit *interfectis colonis Romanorum* (Liv. IX, 23, coll. Diod. Sic. XIX, 72 et de Satrico XIV, 102). Hinc igitur de ceteris similibus defectionibus iudicandum, et, ubi coloni nominantur, pinguius scriptores locutos putandum, velut Dionysium VI, 55 in oratione, cui repugnat ipsa narratio in libro secundo; etsi idem Dionysius (X, 20 et 21) pluribus verbis cum Antiatibus Volscis colonos Romanos defecisse narrat et capta urbe punitos esse. Cfr. Niebuhr. II p. 52. Excipio Satricanos, qui soli videntur oppidum tenuisse et post cladem Caudinam timore Samnites in id recepisse. Itaque ipsi Samnitium expellendorum adiutores fiunt (Liv. IX, 16). Ipsos colonos intelligi, ostendunt, quæ tradit Livius XXVI, 33.

[1]) V. c. Wachsmuth. Röm. Gesch. 174, 394.

[2]) De ant. iure Ital. II c. 3 p. 1472 Græv.: *De iure autem suffragiorum ferendorum aut magistratuum Romæ petendorum, quoniam in hoc vetera prope muta sunt monumenta, facile adducor, ut credam, nullum ullis colonis ante legem Iuliam patuisse.*

[3]) Spanh. Orb. Rom. Exerc. I c. 9 p. 51 sqq. ed. 2, Heynius in comm. supra laudata, Rothius de re municip. p. 5 not., Trek. Antiqq. sell. c. V s. 2 p. 255, Hopfens. libr. laud. p. 12. Hic postea p. 146 deductorum in colonias civium iura paulatim obsolevisse putat.

[4]) I p. 635 not. colonias Romuleas ius Cæritum habuisse aperte scribit. Idem dicit II p. 69, ubi de omnibus incolis id accipi iubet. Ita simi-

229 certius esse puto, quam cives Romanos in colonias profectos, quæ civium essent, et antiquitus et postea plena civitatis iura tenuisse; quod ut evincam, paulo est altius res repetenda et simul alia quædam aperienda.

Antiquissimos Romanos facillimos fuisse in novis civibus optimo iure recipiendis, vulgaris est opinio inde a Dionysio, qui rem valde exaggerat libr. II, 17, severe et alios Græcos et Athenienses, civitatis suæ parcos largitores, reprehendens, quos sui oblitus III, 11 Romanis exemplum præbuisse dicit. Eam opinionem firmant verbis Ciceronis in orat. pro Balbo 13, 31, oratorie nec cum historiæ cura elatis, et frequentibus exemplis eorum, qui a regibus Romanis undique Romam, oppidis aut deletis, ut Albani, Politorienses, Tellenenses, Ficanenses[1]), aut in coloniæ formam redactis, ut Cæninenses, Antemnates, Crustumini, Camerini[2]), Romani traducti et cives facti narrantur. Si tamen discesseris ab illa stirpium coniunctione, non peregrinorum receptione, e qua nata est res publica Romana, non solum per se mirum est, victos hostes et agrorum iactura oppidorumque ruina afflictos in societatem administrandæ rei
230 publicæ ab iis victoribus, a quibus alii sub corona venundarentur[3]), adscitos esse, verum veterum civitatum naturæ plane repugnat. Non enim id spectandum est, parvæ initio rei publicæ civitatem nullum singulare commodum habuisse, quod aliis exclusis servandum esset (nam totum hoc de commodis civitatis pertinet ad alia tempora), sed considerandum,

---

lem civium deductorum et incolarum subactorum condicionem facit, quos antea ipse diligenter discreverat, illosque detrudit in eum locum, quo hos fuisse dixerat p. 56, multo Latinis inferiores. Et tamen p. 51 populum coloniæ constitisse tantum ex colonis deductis scribit, quibus p. 55 plebem ex veteribus incolis addit, et p. 52 illos longe meliore condicione fuisse significat; in qua re, non dixit; nam legum lationem omnemque libertatem his coloniis adimit p. 69. Quæ autem p. 53 posuit, omnino non intelligo; nunquam enim ex colonia civium facta est Latina; plane hæ aliæ erant.

[1]) Dionys. III, 37, 38.

[2]) Liv. I, 28, 29, 33, 10, 11; Dionys. II, 36, III, 1, 34 extr., 51. Dionysius etiam curiis adscriptos tradit, II, 35 (*εἰς φυλὰς καὶ φράτρας κατέγραψε*) et 55.

[3]) Dionys. Halic. III, 49, 50, Liv. I, 39. Postea eadem Veientum fortuna fuit (Liv. V, 22).

totam rem publicam accurate descriptam (curiis, gentibus) terminatamque quasi quandam possessionem communem civium servatam respuisse omnem peregrinitatem, omninoque eiusmodi civitates, quales Italicæ illæ fuerunt, quum primum se a ceteris seiunxerint, quamdiu adolescant, omnibus etiam nunc civibus vere rei publicæ administrandæ participibus, acriores esse suæ proprietatis custodes. Verum tamen, quum ita essent illi homines subacti, ut eorum res publica et civitas tolleretur, suis institutis et iure privati Romanis legibus uti cogebantur nec aliam habebant civitatem quam Romanam, et hactenus cives erant Romani, sine ulla parte rei publicæ administrandæ. Atque hinc et præterea ex advenis, qui singulatim aggregarentur, antiquissimam plebem Romanam ortam esse et populo ex patriciis clientibusque constanti adiunctam, probabilis est sententia, ita ut propter singularem causam, quam nunc frustra investiges, Albanorum Romam traductorum aliquot gentes in patricios statim allectæ putari debeant, ea autem, quæ de patriciarum gentium numero a Tarquinio Prisco aucto traduntur, pertinere ad partem aliquam huiusmodi civium in plenum civitatis ius receptam.[1]) Sed ex quo plebs descripta est et rei 231
publicæ particeps esse cœpit, ne in eam quidem facile peregrini recipiebantur; nam Claudiæ tribus singularis est ratio.

[1]) Liv. I, 30; Dion. III, 29, qui de his recte (III, 31): *ταῖς Ῥωμαίων φυλαῖς καὶ φρατρίαις ἐπιδιεῖλεν.* Patet, Niebuhrianam me fere sententiam de plebis origine sequi et ideo brevius dicere. Sed huic quoque sententiæ multa ita adiunxit, ut et sibi parum constaret et aliorum consensum impediret, velut illud (II p. 506), in omnibus Italiæ civitatibus plebem a patriciis seiunctam fuisse, rem neque testimoniis firmatam neque convenientem initiis, unde erat profectus; neque enim omnes Italiæ civitates eo, quo Roma, modo excreverunt finitimis subactis. Ortum hoc ex communi illo fonte, quem supra commemoravi: bella distributio ad omnes populos transferenda videbatur. Simile est, omnes patricios equo, omnes plebeios pedites militasse post Servium Tullium; cuius instituti ne ratio quidem excogitari possit, nisi statuas Romanorum initio nullum fuisse peditatum. Sed placebat, ordines per omnia disiungi. Plebem ex his adscitis civibus crevisse vel Dionysius scribit II, 62: *ἦν δέ τι τοῦ δημοτικοῦ μέρος οὐκ ὀλίγον ἐκ τῶν νεωστὶ προσεληλυθότων τῇ πολιτείᾳ, ὃ διὰ τὸ μηδενὸς συνάρασθαι τῷ Ῥωμύλῳ πολέμου παρημελημένον ὑπὸ τοῦ ἡγεμόνος οὔτε γῆς εἰλήφει μοῖραν οὔτε ὠφελείας.* Huic turbæ Tullus Hostilius agrum divisisse et Cælium montem, pomœrio adiectum, sedem dedisse narratur III, 1.

quæ, quum esset stirpis cognatæ Sabinæ, ab universæ gentis fœdere se disiunxit et Romanæ urbi per amicitiam adiunxit. Illud autem factum est Servio Tullio regnante, cuius eo spectant omnia instituta, census maxime et centuriata universi populi, patriciorum et plebeiorum, comitia (comitiatus maximus). Itaque is etiam agri publici certe emendi plebem participem fecit (Dionys. IV, 10 et 13), nec, quod magni momenti est, post eum pomœrium prolatum est (Dionys. IV, 13). Quo magis mira est Niebuhrii opinio, qui multo post hoc tempus solos patricios in colonias missos putat, plebeiis non admixtis (II p. 261, 278, 488, 508). Et tamen idem colonos illos suffragio exclusos putat, id est, plebeiis inferiores factos. De scriptorum testimoniis nihil dicam, nimis etiam coloniarum deductiones tenuissimæ plebis commodi causa factas narran-
232 tium. Sed tamen Dionysii tantopere antea laudati obliviscitur, qui et VI, 44 contraria scribit (*ὠνείδισται δέ μοι καὶ ἡ τῶν κληρούχων εἰς Οὐολούσκους ἐκπομπή, ὅτι γῆν πολλὴν καὶ ἀγαθὴν οὐ τοῖς πατρικίοις οὐδὲ τοῖς ἱππεῦσιν ἐχαρισάμην, ἀλλὰ τοῖς ἀπόροις ὑμῶν διένειμα*) et VI, 46 *ἐκ τῶν φρουρίων*, id est, ex coloniis, homines se ad plebeios, qui in montem sacrum secessissent, aggregasse narrat. Neque hæc tanquam argumenta oppono rei non solum nullis argumentis firmatæ, sed valde improbabiliter fictæ; sed inconstantiam noto et studium inventi ultra rectos fines persequendi; quo fit, ut ea, quæ de patriciis primam illam rem publicam tenentibus egregie disputarat, ipsa in suspicionem falsitatis veniant, quum hæc de aliis temporibus annectantur.

Sed si quis non omnia illa, quæ de civibus ex oppidis subactis Romam traductis diximus, probare audet, quoniam nunc eius rei disputationem non persequimur, contenti erimus eo, quod res ipsa cogit, illos, qui in suis oppidis ita remanerent, ut coloniæ imponerentur, quos tam sæpe defecisse a Romanis legimus, inferiore iure vixisse. Atque eos tamen cives factos esse eo, quo iam dixi, modo, iidem, qui de hominibus Romam traductis eius rei auctores sunt, scriptores tradunt[1],

---

[1]) Dionys. III, 49 de Crustumerinis: *συνεχώρησεν τῆς Ῥωμαίων πολιτείας, ὡς πρότερον, μετέχειν*; Liv. I, 11 de Antemnatibus. Dionysius tamen VI, 19 extr., urbem et civitatem confundens, alios colonos factos, alios, qui Romam migrare maluissent, cives dicit; cfr. VI, 55. Ad minus

et posterioris temporis similis ratio confirmat. Erat enim hæc ipsa, quamdiu inter populos Italiæ mediæ pugnabatur, propria et ab ipsa natura institutorum profecta condicio eorum, qui 233
prorsus subigebantur et in potestatem redigebantur, ut iis *civitas* victoris populi *sine suffragio daretur*. Sed hoc nomine quid significaretur, obscuraverat iam Livii et Dionysii tempore opinio ex inferioris ætatis rebus concepta, quasi semper beneficii loco civitas data iurisque aliquam præstantiam complexa esset[1]: isque error ad recentiores propagatus est, quorum plerique tantum minus fuisse antiquo tempore beneficium quam postea, minus, si sine suffragio, quam si cum suffragio daretur, putant. Niebuhrius (II p. 67, 68) verum vidit, sed et breviter attigit et valde incertis immiscuit.

Iis igitur, quibus isto modo civitas dabatur, primum sua res publica ita adimebatur, ut, ne in alterius quidem administrandæ societatem recepti, nullius de summa rerum consili ullo modo participes essent, quod quale fuerit, ex hominum democratiæ assuetorum et ex illius temporis iudicio æstimandum

---

iam remotam ætatem pertinet, quod Livius (VI, 21) Veliternos, qui defecerant, cives appellat et aliquanto post (VIII, 14) *veteres cives*.

[1]) Ideo Livius, præterquam quod in multis civitatem sine suffragio datam et suffragium postea adiectum plane non commemoravit, ex quo fit, ut non ubique appareat, quod apparere debebat et apparet interdum (velut VI, 5, VIII, 17), quæ civitatis incrementa tribuum novarum adiiciendarum necessitatem attulerint, præter hæc, inquam, non diligenter satis distinxit civitatis datæ genera; velut in Arpinatibus et Trebulanis (X, 1 coll. XXXVIII, 36) non addidit *sine suffragio*, quod in aliis adiecit. Idem addere sine dubio debebat in Privernatibus (VIII, 21 coll. c. 1). In Tusculanis, qui a. 380 se dediderunt, Camillo urbem tenente, et Livius (VI, 26) et Dionysius (Excerpt. Vales. p. 2310 R., 231 Tauchn. [XIV, 6 Kiessl.]) et Dio Cassius (Fr. Peir. 32) hoc annotare neglexerunt, admirantes Romanorum magnanimitatem, quæ potius stultitia appellanda esset, iis, a quibus proditos se putarent, beneficium tribuentium, quod fidelibus nec his nec aliis tribuerent. Res non dubia manifesta fit ex bello Latino, in quo Tusculani veterem libertatem recuperare studuerunt. [Quæ Plinius H. N. VII, 136 de L. Fulvio scribit, quum Tusculanorum rebellantium consul fuisset, eodem anno (a. Chr. 322) ad consulatum Romanum evecto, magnum sine dubio errorem et rerum confusionem habent. L. Fulvius vetus Romanus senator bona videtur habuisse Tusculi et ibi, ut fiebat non raro, municipalem magistratum suscepisse.]

est, quum, nondum ubique populo Romano dominante, undique
234 cingerentur liberorum populorum civitatibus. Ac ne fœderis quidem umbra et certa condicio parendi relinquebatur; ceterum militia tributaque non minus exigebantur. Deinde pro suis institutis legibusque Romani iuris usus imponebatur atque ad id exercendum magistratus Romanus (nam hæc præfecturarum
235 origo est)[1]), quo præsente vix oppidanarum rerum admini-

[1]) Romani iuris usus sequitur civitatem Rom. non minus hic quam in iis, qui suffragium accipiunt (cfr. sup. p. 218 not.); et aperte suarum legum ademptio commemoratur in Hernicis in civitatem receptis a Livio IX, 43. Interdum tamen aliquanto post civitatem datam in certum ordinem hæc redigebantur. Itaque, quum Campanis et Antiatibus hoc genus civitatis a. 338 datum esset (Liv. VIII, 14), a. 318 Livius (IX, 20) refert *præfectos Capuam creari cœptos, legibus ab L. Furio prætore datis* (nam ita in optimis quibusque codd. legitur, exquisitiore quoque orationis structura, quam firmat, quod dicitur *colonos Capuam scribere* et similia) et *Antiatibus quoque, qui se sine legibus certis, sine magistratibus agere quererentur, datos a senatu ad iura statuenda ipsius coloniæ patronos.* (Intelligenda hæc esse de ceteris, non de colonis eo a. 338 deductis, satis patet; colonia enim ordinata erat, quum deducta est.) Ius igitur dicebat præfectus Roma missus. Iam qui præfecturarum nomina apud Festum inspexerit, reperiet oppida pleraque, quorum incolis civitatem sine suffragio datam constet, Capuam, Cumas, Suessulam, Formias, Fundos (Liv. VIII, 14), Acerras (Liv. VIII, 17), Anagniam (Liv. IX, 43), Arpinum (Liv. X, 1), Reate, Nursiam (inter Sabinos), nullum, de quo contrarium constet. (De coloniis aliquot ibi nominatis mox ratio reddetur.) Sed his omnibus data suffragia sunt, Capua et paucis fortasse aliis exceptis, longe ante bellum sociale, ut Cumanis a. 215 (Liv. XXIII, 31), Fundanis, Formianis, Arpinatibus a. 188 (Liv. XXXVIII, 36; de Atinatibus idem patet ex Cic. pro Planc. 8, 19), et in tribubus locus concessus, quem cives sine suffragio, extra corpus civitatis relicti, non habebant, ita ut hæc oppida postea municipia essent et dicerentur, velut Arpinum apud Cic. de Legg. II, 2, alia alibi non raro; præfecturæ tamen nomine idem Cicero de his oppidis sæpe utitur. Præfecti tamen dignitas in municipiis huiusmodi postea quoque plerumque mansit, etsi Roma missum non puto. Hinc in novissima lege Galliæ Cisalpinæ scribitur: *II vir, III vir, præfectus eius municipii.* Arpini tamen Ciceronis tempore soli *ædiles* creabantur. Vera igitur reperitur, quod ad civium condicionem et *id tempus, quo vere præfecturæ erant*, pertinet, vulgaris de præfecturis sententia, falliturque hactenus Savignius, cuius causa hæc dixi (Gesch. des röm. Rechts im Mittelalt. I, pag. 40, 41), et qui eum sequuntur; sed vulgo errant, quod lege demum Iulia præfecturis suffragium datum putant aut etiam postea deteriorem earum fuisse condicionem. Ceterum oppi-

stratio libera erat. Postremo a suæ gentis populis, qui in eandem condicionem redacti non erant, omni communione sublata, commercio connubioque, quod civibus cum peregrinis non erat, interdicto, avellebantur.[1]) Itaque hactenus hæc con- 236 dicio, etsi non omnium plane eadem fuit, eorum condicione, quorum postea extra Italiam civitates in provinciarum formam redactæ sunt, quibusque ob discrepantiam morum non ius Romanum obtrusum est, sed lex provinciæ data, melior erat, quod antiquo illo tempore Romani mitius parentibus imperabant, præsertim nondum licentia illa proconsulum proprætorumque nata, quæ in longinquis provinciis crevit, et quod Itali illi, cognatæ plerumque Romanis stirpis, facile cum iis coalescebant postque aliquod tempus ad suffragia admittebantur.[2]) Rectius igitur de hoc beneficii genere Livius (IX, 45) sub persona Æquorum iudicat, quam ubi ipse res narrat, mire se implicans, ut, cur id beneficium datum sit, reperiat, quemad-

danarum rerum administrationem sæpe retinebant, nec æque duris legibus omnes adstringebantur; nam Hernicis (Liv. IX, 43) interdictum est magistratibus; contra aliis suæ rei publicæ species aliqua relicta est. Veliternorum senatores nominantur (Liv. VIII, 14) et Fundanorum post civitatem illo modo datam (Liv. VIII, 19). Sic etiam Arpinates illos ædiles ex antiquitate retentos puto, rerum oppidanarum curatores, quum præfectus ius diceret, et, dato suffragio, in præfecti locum successisse. De Campanis paulo post dicetur. Ex præfecturæ denique nomine cum ipsa historia deditionis conficitur, quod in nota proxima dixi, *Privernatibus* primum civitatem sine suffragio datam. [Quum meam sententiam de præfecturarum origine et statu et iis, quæ his coniuncta sunt, satis et disputando et testimoniis confirmasse videar, non puto singulatim refellenda esse, quæ Niebuhrius, opinationi indulgens, in volumine III hist. Rom. p. 338 sqq. de ea re scripsit. 1834.]

[1]) Liv. IX, 43 Hernicorum tribus populis, quibus suæ leges relictæ, non civitas data est, *connubium inter ipsos, quod aliquamdiu soli Hernicorum habuerint, permissum* scribit. Contra *Anagninis quique arma Romanis intulerant, civitas sine suffragii latione data, concilia connubiaque adempta*, videlicet cum Hernicis liberis. Eodem igitur modo interpretanda videntur Livii verba VIII, 14 de Latinis: *Ceteris Latinis populis connubia commerciaque et concilia inter se ademerunt*, ut inter Latinos cives et non cives connubium non fuerit. [Conferantur, quæ de connubio et commercio inter Macedones subactos et quadrifariam divisos sublato narrantur apud Livium XLV, 29.]

[2]) V. pag. 234 not.

modum facit etiam libr. VIII c. 14 in populis Latinis subactis.[1]) Nec me fallit, Niebuhrium (II p. 56, sed maxime p. 65 sqq.) in quibusdam populis eo trahere civitatis sine suffragio mentionem, ut hoc nomine et interdum municipii antiquitus significata sit ἰσοπολιτεία quædam mutuo instituta inter Romanos et civitates *æquo fœdere adiunctas.* Sed nec auctoritatem ea sententia habet nec argumenta probabilia et erroribus valde
237 implicata est. Utitur primum duobus Festi locis.[2]) Sed Festus s. v. *municipium* tantum abest ut res publicas cum Romanis coniunctas, non parentes, significet, ut neque vetus Latinorum fœdus neque Hernicorum neque similia exempla ponat, sed singulos aliquot populos, quos prorsus constat *subactos* magno bello Latino civitatem sine suffragio accepisse (Tusculanos,

---

[1]) [Ex eodem errore nata est apud Dionem Cassium fr. Vat. p. 158 M., vol. I p. 29 Bekk. admiratio clementiæ Romanæ in Latinis, quos subegerant, in civitatem adsciscendis. Quid Fundani de civitatis illo modo datæ beneficio senserint, ostendit rebellio a. 330 facta; ipsa hæc rebellio qualis fuerit, declarat Claudii narratio de supplicio sumpto, quam Livius, ut interdum facit, post rem suis coloribus pictam addit VIII, 19 extr.]

[2]) Alter hic est in fragmentis: *Municipium id genus hominum dicitur, qui, quum Romam venissent, neque cives Romani essent, participes tamen fuerunt omnium rerum ad munus fungendum una cum Romanis civibus, præterquam de suffragio ferendo aut magistratu capiendo; sicut fuerunt Fundani, Formiani, Cumani, Acerrani, Lanuvini, Tusculani, qui post aliquot annos cives Romani effecti sunt. Alio modo, quum id genus hominum definitur, quorum civitas universa in civitatem Romanam venit, ut Aricini, Cærites, Anagnini. Tertio quum id genus hominum definitur, qui ad civitatem Romanam ita venerunt, uti municipia essent sua cuiusque civitatis et coloniæ* (scr. *municipes essent suæ cuiusque* cet.), *ut Tiburtes, Prænestini, Urbinates, Nolani, Bononienses, Placentini, Nepesini, Sutrini, Lucrenses.* Alter est partim in Pauli epitoma (p. 96 Lindem. [p. 131 Müll.]), partim plenior in fragmentis: *Municeps* [*est ut ait Ælius Gallus* Fr.] *qui in municipio liber natus est. Item qui ex alieno genere hominum munus functus est. Item qui in municipio a servitute se liberavit a municipe. Item municipes erant, qui ex aliis civitatibus Romam venissent, quibus non licebat magistratum capere, sed tantum muneris partem* [*At Servius filius* (*Servilius*) *aiebat initio fuisse, qui ea condicione cives Romani fuissent, ut semper rem publicam separatim a populo Romano haberent* Fr.], *ut fuerunt Cumani, Acerrani, Atellani, qui et cives Romani erant et in legione merebant, sed dignitates non capiebant.*

Lanuvinos, Fundanos, Formianos, Cumanos; vid. Liv. VIII, 14); et, ne dubium sit, de hac eum condicione loqui, additur: *qui post aliquot annos* (ab initio eius condicionis) *cives Romani effecti sunt.* Eorum duplex distinguit genus, quorum alteri aliquam speciem suarum rerum administrationis retinuissent (itaque Tusculi et Lanuvii postea supererat vetus magistratus nomen, dictatoris), alteris prorsus sui magistratus adempti essent; itaque in hac parte Anagninos recte ponit.[1]) His eos, qui postea vulgo municipes appellabantur, adiungit, qui nunquam civitatem sine suffragio habuissent.[2]) In altero loco quum expositum esset, quotuplici ratione aliquis municeps alicuius municipii ex vulgari illo genere esse posset, 238
adiungitur ex alius iurisconsulti libro fragmentum ad altera illa municipia civium sine suffragio pertinens; in quo quum tria sint exempla, duo eadem atque in altero loco sunt (*Cumani, Acerrani*). Sed hic aperte a Servilio *cives* illi homines appellantur, qui altero loco cives non fuisse dicuntur, eadem nimirum inconstantia, quæ in hoc hominum genere appellando frequentissima est, in iis saltem, qui speciem illam suæ rei publicæ retinebant.[3]) Itaque ex Festi locis hoc unum efficitur, etiam subacta et parentia civium sine suffragio oppida municipia appellata esse. De Dionysii usu vocabuli ἰσοπολιτείας iam dixi, qui etiam Formianis Fundanisque aliisque bello Latino subactis ἰσοπολιτείας μεταδοθῆναι scribit (in Excerpt. p. 245 Tauchn. [XV, 7 Kiessl.]), quod quale sit, ex Livio intelligitur et ex ipsius narratione. Nam sollicitatos eos tradit ad iugum Romanum excutiendum. Quod deinde Niebuhrius (p. 72, 76 not.) Velleii Paterculi testimonio utitur de civitate *Campanis et parti Samnitum* data T. Veturio Calvino, Sp. Postumio coss. (a. 334),

---

[1]) Liv. IX, 13, supra p. 234 not.

[2]) Patet, prorsus necessario receptam esse scripturam *Urbinates*; nam *Arpinates* ad primum genus pertinebant.

[3]) Antiates, quos Livius ipse a. 338 civitate donatos scribit, ad a. 318 (IX, 20) *socios* appellat; Romanos Campanorum, qui iam cives sine suffragio erant (VIII, 14), socios nominat IX, 6, 7, Campanos universe socios XXIII, 5. Contra Acerranos, quum eodem civitatis genere donati essent, *Romanos* factos scribit VIII, 17. Itaque nunc suffragium datum intelligit, et, a iurisconsultis illis discrepans, cives sine suffragio municipum nomine excludit. Tenetur inferioris ætatis, quum nulli essent eiusmodi cives, loquendi inconstantia, nihil aliud.

de Campanis Velleius, ut est temporum rationis in toto illo loco negligens, huc rettulit, quod Livius ad annum 338 refert: certe iis, qui quattuor ante annis subacti erant, illa iuris
239 æquabilitas et isopolitia concessa non est; Samnites non magis liberos intellexit, sed parva quædam oppida fortasse Samnitum in Campania circa idem tempus capta. Et eodem anno Cales colonia præsidii causa in illa loca deducta est. Ceterum iam supra dixi, me illam ipsam isopolitiam, hoc est, inter duarum rerum publicarum liberarum cives privati iuris communionem, non prorsus tollere; sed ad longe alia tempora et ad alios homines, maxime ad Latinos et Hernicos antiquo Sp. Cassii Viscellini fœdere cum Romanis coniunctos et ad antiquissimos Cærites, ea pertinet, neque his usquam nominibus civitatis et municipii appellatur, aliter quoque paulo constituta fuit, quam
240 Niebuhrius putavit[1]); eiusque in eorum sociorum fœderibus,

[1]) [Indignor, tantum virum, ut aliquod opinioni semel conceptæ præsidium undecunque conciliaret, abusum esse corrupto Livii loco in libr. XXVI, 15: *num communicassent consilia cum aliquibus sociorum Latini nominis municipiorum, et num ope eorum in bello forent et municipiorum adiuti.* Intelligi vult illas urbes, quæ isopolitiam haberent. Itaque iam eas belli Punici secundi tempore in Italia superfuisse credemus, a sociis seiunctas, quo tempore tota Italia ita Romanis parebat, ut, quum infinitis locis Italis imperatum legamus, nusquam nisi Latinorum et sociorum mentio fiat, et, quo tempore non dubium est quin municipii nomen proprie in oppidis civium Romanorum hæserit, tamen miram hanc tertii generis peregrinorum sociis et Italis adiecti appellationem usitatam dicemus. Omnino, si ulli superfuissent isopolitæ istiusmodi, inter socios tamen fuissent, et maxime quidem inter Latinos. An Fundanos, Formianos, Acerranos (hi enim sunt in illo Festi loco, quo usus erat, et præterea Lanuvini et Tusculani pridem, Cumani brevi ante illum annum, de quo Livius narrat, suffragio donati), an hos, inquam, Latinorum appellatione comprehendi non putavit? Adeo nihil circumspiciebat vir eximius in huiusmodi locis ad opiniones suas accommodandis, et, ut vetustissimorum institutorum formam, quam animo conceperat, vestigiis inferioris temporis confirmaret, illam ipsam corrumpebat. Nihil apertius est, quam *municipiorum* ortum prava geminatione esse ex *NUMOPEEORUM*, vocabulumque corruptum proximo quoque versu repetitum esse, ubi additamentum arguit vetustissimus codex Puteaneus, in quo scribitur: *forentdadmunicipiorumadiuti*, bis posita prima vocis *adiuti* syllaba. [Cfr. Emend. Liv. p. 374 ed. alt.] Perversius etiam (II p. 61) istiusmodi oppida apud Appianum significari putavit (Civ. I, 10), ubi is *cives* Romanos *ex municipiis et coloniis*,

qui postea æquissimis legibus populo Romano parebant, reliquiæ quædam fuerunt. Nec (ut eo redeam, unde digressus sum) Cæritum exemplum, quo plerique utuntur, ut civitatis sine suffragio condicionem optabilem fuisse ostendant, ut quæ illis gratiæ referendæ causa data sit, ullam habet vim. Ad alia enim longe tempora quam hospitium (vid. supr. p. 220) cum Cæritibus post incendium urbis Gallicum factum pertinet civitas sine suffragio iis data, hoc est, subactis imposita.[1]) Una præterea urbs Campanorum dubitationem afferre videtur, tam opulenta tamque obstinate bello Punico secundo adversus Romanos pugnans. Sed splendor ille et opes tantum eam vim habebant, ut minus ferenda videretur ista publica condicio, et hæc ipsa odii causa fuit. (Itaque iam ante suspecta sæpius Romanis Capua fuit, ut a. 314; Liv. IX, 26.) Quod magistratus senatumque suum habuit, qui in historia belli Punici 241
secundi sæpius commemorantur, ne id quidem mirum per se est.[2]) Verum erat sane singulare aliquid in ea urbe, sed quod non ad nostram disputationem convellendam, sed ad eam confirmandam valeat. Nam parti alicui Campanorum sine dubio plena civitas data erat. Campanis enim equitibus mille et

agri publici possessores, in urbem convenientes, ut de T. Gracchi lege agraria *suffragium* ferrent, commemorat. 1834.]

[1]) Ceterum eodemne tempore, quo Livius VII, 20 iis inducias centum annorum datas narrat (a. 353), cives facti sint, incertum est. Add. Dio Cass. fragm. 142, [33 p. 27 Bekk., Strab. V, 2, 3 p. 220 C.]. Memoriam alibi obscuratam conservavit etiam scholiast. Cruquianus ad Horat. Epist. I, 6, 62: *quæ* (sacra) *quum servassent integra, pro eo beneficio Cærites civitate donati sunt municipesque facti. At posteaquam sunt ausi Romanis rebellare, eis devictis iterumque civitate donatis ius suffragiorum ademptum est* (hoc non accurate scriptum est) *censusque eorum in tabulas relati et a ceterorum censibus remoti sunt.* Itaque Cære præfectura fuit (vid. Fest. s. v. *præfectura*). Confusionis Gellius auctor est (XVI, 13).

[2]) Cfr. p. 235 not. Dionysius (Excerpt. Ursin. p. 242 sqq. Tauch., [XV, 5 Kiessl.]), res a. 327 gestas commemorans, Campanos ὑπηκόους τῶν Ῥωμαίων appellat. Campanos milites, qui Rhegio (a. 281) potiti sunt, Valerius Max. II, 7, 15 *cives Romanos* appellat, et Polybius I, 7 Ῥωμαίους, eo nimirum more, quo Livius Acerranos, sine suffragio cives (vid. paulo ante p. 238 not.). [Cumani quoque, haud dubii cives Romani (Liv. XXIII, 31), senatum suum habebant et aliquo modo cum reliquis Campaniæ incolis cohærebant (ibd. 35).]

sexcentis Livius (VIII, 11) a. 340, quod contra reliquum populum cum Romanis sensissent, civitatem datam ita narrat, ut vere præmium fuisse appareat, eosque plane a Campanis ceteris, qui tributa iis pendere iuberentur, seiunctos et quasi præsidii causa non minus, quam alibi colonos videmus, impositos. Iam hos, quum ceteris subactis duobus annis post civitas daretur sine suffragio, eodem loco fuisse, minime est probabile, sed, quoniam sua tolleretur libera et summa res publica, ad Romanæ partem vocatos. Itaque ad eos pertinet, quod Livius Terentium Varronem consulem post cladem Cannensem apud Campanos dicentem facit (XXIII, 5): *Civitatem nostram magnæ parti vestrum dedimus communicavimusque vobiscum*, quod mirum videri potest post illa, quæ ad a. 338 (VIII, 14) ipse narravit.[1]) Intelligenda est plena civitas, tenendumque, quod paulo ante satis exposui, interdum scriptores minus accurate
242 locutos esse, ut, qui sine suffragio cives essent, civium nomine excluderent.[2]) Nec mirum est, hos tamen Campanos cum reliquis, qui suffragia non haberent, consensisse ad defectionem, [quanquam senatum desciscentibus repugnasse præter Livium Zonaras tradit IX, 2 p. 420 Paris.,] quum, quo minus plane cum Romana re publica coalescerent, propriæ cogitationem et memoriam deponerent, præter urbis magnitudinem ipsa ceterorum condicio prohiberet. Sed ex hac civium cum suffragio et suffragio carentium coniunctione maior quædam in hac opulenta urbe quam in aliis præfecturis libertatis species oriebatur[3]), eaque fortasse Livium movit, ut, ubi a. 211 omnem

---

[1]) Aliter Nieb. II, 76 not. 136 de civibus Romam migrantibus et ibi privato civium iure utentibus interpretatur. Sed civi sine suffragio, ut hoc iure uteretur, minime necesse erat Romam migrare. Connubium, quod erat civitatis, Livius multas familias claras ac potentes Romanis miscuisse tradit (XXIII, 4, ut Pacuvios Calavios ibd. 2), quæ sane non Romam migrarant. [Ex iis, quæ apud Livium XXXI, 31 in oratione leguntur, nihil conficias.]

[2]) Itaque Livius XXIII, 46 (a. 215) equitem Campanum nobilem, Cerrinum Iubellium Tauream, *civem indidem* appellat; Romanum intelligit; nam Campanum nihil opus erat dicere.

[3]) Quum civium sine suffragio longe numerosissimi Campani essent, horum copiæ apud Polybium (II, 24) in recensione copiarum, quas Italia a. 226 a. Ch. Gallis opponere posset, seorsum, discretæ et a Romanis et a sociis, sed cum Romanis nominantur. [Apud Orosium IV, 13 etiam

Campanorum rem communem sublatam narrat (XXVI, 16), præfecti missi tanquam novæ rei mentionem faceret, contra ac rei natura supra explicata et ipsius alter locus (IX, 20) postulant, Velleiumque, ut tum præfecturam factam Capuam scriberet (II, 44).[1])

Postremo dicendum est, civium sine suffragio condicionem, 243 præter magis minusve liberam administrationem oppidanarum rerum, fortasse in eo quoque variasse, quod non semper iis, qui suam civitatem amisissent, integra et plena saltem privata civium Romanorum iura darentur; nam de connubio dubitari potest; patriciorum quidem, quamdiu eo plebs careret, datum non esse, satis patet.[2]) Nec prohibebat hic status, quo minus

Campani seorsum nominantur, sed Romanis adiunguntur, a sociis separantur.] De eorum legionibus recte puto statuere Niebuhrium (II p. 66). Quod apud Orosium IV, 3 legio illa Campana *octava* nominatur, de mendo suspectum mihi est; nam neque ea admodum apta est ratio legionis significandæ, omisso Campanæ nomine, neque legiones eius ætatis, quæ non perpetuæ erant, sic in historia numeris notari poterant.

[1]) Superest, quæ minus ad nos pertinet, difficultas aliqua in verbis Livii in hac parte historiæ propter incuriam veteris iuris publici obscurius scripta, in qua etiam eandem rem bis varie narrat; nam quæ XXVI, 16 traduntur, non sane statim Capua capta confecta sunt, sed illa senatus consultatione, quæ XXVI, 33 commemoratur (vid. Glarean. ad priorem loc.). Quum enim alibi per totam defectionis et pœnæ narrationem de Campanis tanquam de sociis loquatur, posteriore loco narrat, *per senatum agi de Campanis, qui cives essent, non potuisse*; ideo, quemadmodum olim de Satricanis factum esset (vid. p. 227 not. extr.), ad populum latum, ut id fieri liceret. Id accipiendum videtur, ut accepit Wachsmuthius (Röm. Gesch. p. 458 not.), de iis, qui suffragium habebant, ut propter eos de universa re ad populum latum sit, etsi Livium hæc animo distinxisse verbisque distinguere voluisse non puto; certe de eo genere civitatis intelligendum videtur, quod decretum narrat, ut Campani aliique, qui in eadem causa erant, *liberi essent ita, ut nemo eorum civis Romanus aut Latini nominis esset.*

[2]) Campani, non veteres illi, qui dispersi erant, sed incondita illa turba, quæ urbi frequentandæ retenta est (Liv. XXVI, 16), cuique nullum certum ius datum erat, nisi quod, quum ipsorum *nullum corpus civitatis esset*, cives Romani sine suffragio erant, quare a. 189 Romæ censeri iussi sunt (non in tribubus), a. 188 petierunt, tanquam re dubia, *ut sibi cives Romanas ducere uxores liceret, et, si qui prius duxissent, ut habere eas; et ante eum diem nati uti iusti sibi liberi heredesque essent*, et impetrarunt (Liv. XXXVIII, 36). Cic. pro Sest. 4, 9 illam

singulatim pœnæ causa gravia incommoda a Romanis imponerentur.

Hoc igitur civitatis genus acceperunt vetustissimo tempore ii, quibus in sua sede manentibus præsidii causa coloniæ impositæ sunt. Atque his quoque præfectos Romanos ad iura reddenda missos esse, præterquam quod per se probabile est, eo spectare videtur fama, quæ de Collatia subacta Egerioque,
244 quem Dionysius Tarquinium Aruntem appellat, ibi in præsidio relicto conservata est, quod innexa erat narrationibus de familia regum Romanorum; nam præsidium eo deductum (φρουρὰν Dionysius dicit) coloniam esse intelligendam patet.[1]) Sed certius est argumentum ex eo, quod ea oppida Italiæ inferioris, in quæ brevi post bellum Punicum secundum a. 194 ita coloniæ civium missæ sunt, ut ex numero trecentarum familiarum, pro quo alias illa ætate multo maior mittebatur, revocatam vetustissimorum præsidiorum formam appareat, præfecturæ fuerunt, veteribus incolis sine dubio in civitatem sine suffragio receptis.[2]) Ceterum eundem inter colonos et inter reliquos ius dixisse, veri est simile.[3]) Ceteris, quæ exposuimus, consentaneum est, ut hos homines seorsum a Romanorum legionibus

---

præfecturam, quum nullam haberet rei publicæ speciem, *conventum* appellavit. Cfr. de Leg. agrar. I, 6, 19, II, 32, 88.

[1]) Liv. I, 38, Dionys. III, 50. Quod ἀρχὴν διὰ βίου datam Arunti Dionysius scribit, convenit ei tempori, quo omnes Romani regi parebant. Similia sunt, quæ de Tito et Arunte Tarquiniis Circeiis et Signiæ præpositis narrat Dionysius IV, 63.

[2]) Vulturnum, Liternum, Puteolos, Salernum, Buxentum Livius nominat (XXXII, 29, XXXIV, 45); ex his Vulturnum, Liternum, Puteolos Festus ponit inter eas præfecturas, in quas præfecti a populo creati mitterentur; non omnes se præfecturas enumerare, ipse dicit. Hunc Puteolanorum statum bello demum sociali, ut videtur, mutatum significavit Cicero in orat. II de Leg. agrar. 31 extr., de quo loco et alii et Garatonius ad Cic. pro Cæl. 2 p. 384 parum recte disputarunt, civitatem fœderatam post legem Iuliam in Italia fuisse putantes. Verum vidit Rothius de re munic. p. 19 not.

[3]) [Sic melius intelligi videbatur, quomodo postea, altera incolarum parte ad plenam civitatem admissa, ex utroque genere unum effectum esset corpus, præfectum Roma accipiens. Nunc tamen, etiam ob ea, quæ p. 234 not. de Antio scripsi, credo, colonos suum sibi magistratum creasse, sed, quum longe sine dubio plerumque pauciores essent quam alteri resque fere cum iis contractas haberent, quum hi ad suffragia

neque tamen inter socios militasse dicamus[1]); quam sententiam et Festus apertis verbis tuetur et Campanorum exemplum.

Iam quod ad hanc condicionem, quæ quam tota subactorum bello cognatæ stirpis populorum fuerit, vel ex eo patet, quod postea nunquam data ullis hominibus legitur, cives Ro- 245
manos, qui firmandi imperii causa in colonias mittebantur, detrusos esse dixerunt eisque longe prælatos permultos, quibus ex peregrinitate in civitatem receptis civitas cum suffragio dabatur, quam esset id per se mirum, ne illos quidem ipsos, qui id affirmarunt, fallere potuit.[2]) Itaque, ut rationem aliquam redderent, fæcem populi in eas exhaustam commemorarunt[3]), obliti, fæcem populi iuris amissione offensam non sane bonam aliorum tranquillitatis custodem futuram fuisse. Sed totum hoc ad ea tempora, quibus coloniarum deducendarum ratio orta et constituta est, ab iis temporibus traduxerunt, quibus Ti. et C. Gracchi colonias condebant. Quanquam ne hi quidem ita plebi infimæ consulere potuerunt, ut tanquam fæcem contentam esse commodo agelli cum imminutione dignitatis iuberent. Antiquitus pauperes plerumque, sed boni milites, spe vitæ facilius sustentandæ, etsi cum labore (nam ex agro non ita magno colendo victus quærebatur), invitabantur, ut communi rei publicæ sede relicta inter aliorum morum homines infidosque habitarent; poterantque deligi publice ad id militiæ genus rei publicæ præstandum.[4]) Nec tantum illud mirum est. 246

---

admitterentur, in eorum corpus transisse. Sed tota res in coniectura posita est. 1834.]

[1]) Vid. p. 242 not. 2.

[2]) Fuerunt tamen, nec indocti alioquin homines, quos ita nihil horum turbaret, ut etiam, quum lege Iulia civitas daretur sociis et Latinis, solas colonias civium exclusas putarent, quod apud scriptores earum in illa re nulla fieret mentio (hoc quidem verum est; dari enim, quod habebant, opus non erat); vid. Garat. ad Cic. pro Cæl. loco paulo ante citato.

[3]) Velut Rothius de re mun. p. 5 not., Hopfensackius p. 13 not. Utuntur in ea re nonnulli Livii locis III, 1, V, 24, ubi ne id dicit quidem. [Iidem interdum, ut Walter, sui obliti, ex firmis veteranis colonias constitutas narrant. 1834.]

[4]) Quum Velitras pestilentia vastatas coloni scripti a. 492 ire nollent, decretum est, ut sorte ex universo populo coloni ducerentur, gravi

custodes cum iis, quos custodire deberent, iunctos et æquatos, sed omnino universæ iuris veteris naturæ repugnat vehementissime talis civitatis non amissio, sed imminutio in eo, qui plenam eam antea tenuisset; nec ullum præterea eius vestigium est, nisi in pœna censoria eorum, qui tribu movebantur, ex qua ipsa comparatione de tota re iudicari potest. Illud præteriri non debet, antiquis temporibus ab illa ipsa plebe, quæ tantopere rei publicæ administrandæ maiorem partem petebat, eiusque tribunis postulatas esse agrorum assignationes coloniarumque deductiones (cfr. Liv. IV, 11, 47, 58 (ubi veteres editiones necessaria emendatione habent: *memor libertatis coloniarum aut agri publici aut suffragii libere ferendi consilia agitet*), V, 24, VI, 16, alibi). Neque ulla eius instituti causa excogitari potest. Nam quod ab urbe aliquantum discedebant, minus fortasse commode ius suum omnes exercere poterant; ceterum antiquissimæ coloniæ civium non longius aberant quam municipia suffragio donata, nec tam multa tum comitia; paulatim longius deducebantur; verum eodem modo municipia propagabantur, et, crescente re publica, minus iam aut omnes aut maior pars civium, quibus licebat, intererant rebus agendis. Quid, quod sæpius iam antiquis temporibus ager satis longinquus civibus, militibus maxime, dividebatur et ii in eum deducebantur, nulla constituta colonia? quos nemo suffragio privatos putavit, quum tamen prorsus eodem loco haberi deberent (Liv. XXXI, 4, 49). In his autem apparet similitudo *τῶν κληρούχων* apud Græcos, maxime Athenienses; hi enim cum Romanis coloniis comparandi sunt, non coloniæ Græcorum a sua origine disiunctæ. His tam perspicuis argumentis, quibus testimonia postea adiicientur, opponunt primum silentium scrip-
247 torum; quod contra ipsos valet. Mutationem enim in civium condicione factam par erat commemorari; nunc simpliciter cives ex urbe ductos scriptores narrant; nec ii, quos sociorum nomine de civibus suffragium non habentibus usos videmus, unquam ita de civibus coloniarum, nisi de veteribus incolis, loquuntur. Nec ullum institutum iuris ad eos cives, quorum

addita pœna, si quis non isset (Dion. Halic. VII, 13, Plutarch. Coriolan. 13).

ita mutatam condicionem putant, spectans commemoratur.[1])
Deinde aliis argumentis utuntur nihilo melioribus, quæ breviter
attigisse satis erit.[2]) In quibus hæc est communis et pæne
incredibilis pravitas, quod, quum ex temporum lege Iulia po-
steriorum rebus fere petantur, ita ut eæ quoque civium
coloniæ, quæ post eam deductæ sunt, sine suffragio fuisse
credantur, sequitur, ut L. Sulla putetur paucis annis post,
quam acerrime contra socios civitatem petentes pugnarit nec
impedire, quo minus acciperent, potuerit, victorem suum exer-
citum pæne totum in inferiorem locum detrusisse, meliusque
consuluisse infinitis illis Corneliis, quos manumissione fecerat,
quam veteranis, similique iniquitate ceteri triumviri usi esse
credantur, qui militares colonias deduxerunt. Iam quid per-
versius quam ex eo, quod Cicero (in Catil. II, 9, 20) eos, quos
Sulla in Etruriæ oppida deduxerat, colonos appellat, concludere,
eos suffragio caruisse? quum præsertim Cicero paulo ante uni- 248
versos optimos cives dixerit.[3]) Nec melius ex eo, quod Dio
Cassius (XLIII, 39) Cæsarem in Hispania aliis oppidis πολιτείαν,
aliis ἀποίκους τῶν Ῥωμαίων νομίζεσθαι concessisse narrat, Span-
hemius conficit, inter civitatem plenam et ius civium in colonias
deductorum aliquid interfuisse, quum intelligantur coloniæ La-

—

[1]) Exspectares saltem inter capitis deminutionis genera hoc numerari, quoniam et qui civitatem plane mutabant, et qui, in ea manentes, gentem, capite deminuebantur.

[2]) Exposuit ea Spanhemius Orb. Rom. I, 9 p. 49 sqq. ed. Hal. Nullam vim habere, intellexit Trekellius (Antiqq. Rom. sel. p. 249—254), nec tamen ausus est veritatem sequi. Recentiores, qui eandem sequuntur sententiam, nihil addiderunt argumenti, nisi quod Hopfensackius p. 147 ex eo, quod coloniæ Romanæ participes fuerint certaminis de civitate Romana, eas eam non plenam habuisse liquere putat. Scilicet illud ipsum, quod ad colonias civium attinet, totum est fictum; ne Latinam quidem puto repertum iri, quæ non in bello sociali a Romana parte steterit. [Æsernia et Alba coloniæ Latinæ Romanam partem defendentes a sociis expugnatæ narrantur Liv. epit. 72; Venusia tamen ad Iudacilium transiit (App. Civ. I, 42).]

[3]) In eodem loco nuper Beneckius glossema ineptum (*Fæsulas*) male defendere conatus est. Aliud est veterem coloniam novis incolis additis renovare et augere, aliud simul duas in eodem oppido constituere, quod erat ridiculum; nec de Fæsulis ibi Cicero loquitur, sed de universo genere illarum coloniarum per Etruriam sparsarum; ipse Cicero pro Mur. 24, 49 Arretinos addit.

tinæ, quæ non minus, ipso Spanhemio fatente, et erant et appellabantur Romanorum et tum, præter militares, solæ erant[1]), aut ex eo, quod Plinius in oppidis provinciarum recensendis municipia et colonias (militares) distinguit oppidorumque civium Romanorum singulare genus colonias facit (lib. III, IV, V pluribus locis, de quibus postea, quum ad imperatorum tempora historiam coloniarum deduxero, dicam accuratius, quoniam Trekellus quoque rem perturbat), ex eo, inquam, concludit, colonias inferiore iure fuisse. In qua re ita se implicat, ut, quum suffragio antiquitus caruisse coloniarum cives ostendere velit, iis utatur argumentis, quæ si quid valerent, cives neque fuisse neque appellatos esse probarent, et ad ea tempora decurrat, quibus discriminis inter cives cum suffragio
249 et sine suffragio pridem omnia vestigia deleta erant, et ad eas colonias, ex quibus homines ad honores summos evecti nominatim excitari possunt. Quædam nimis prava post Trekellum refutare nolo; unum, in quo et Spanhemius valde nititur et Trekellus graviter errat, mox apertissime contra illam sententiam pugnare ostendam. Nec ea hoc loco refellam, quæ alii scripserunt, miro errore colonias Latinas, quæ in belli Punici secundi historia commemorantur apud Livium (XXVII, 9, 10, XXIX, 15), aut omnes aut certe octodecim pro civium coloniis habentes et ex eo argumenta ducentes, de qua re postea dicendum erit. Illud fortasse non alienum erit monuisse, quod populi nomen de civibus coloniarum semel et iterum ponitur (velut apud Livium XXVII, 38, XXXVI, 3 de maritimis, quas omnes civium fuisse patebit), non significari, eos iuris discrimine ab universo populo discretos fuisse, sed tantum cœtum quendam proprium et oppidum habuisse; eoque modo id nomen etiam de municipiis dicitur in similibus locis, id est, ubi de uno eorum tanquam de parte aliqua a ceteris seiuncta agitur; velut *Tusculanus populus* nominatur apud Livium VIII,

---

[1]) Minus recte Trekellus, qui tamen iam veram rationem attigit, et Garatonius (ad Cic. pro Balb. 21 p. 200) putant intelligi posse, omnibus civitatem cum suffragio datam, sed ut alia oppida municipia essent, alia, etsi nullis deductis colonis, coloniæ, quale discrimen ludendi tantum causa excogitare Cæsar poterat.

37.[1]) Ciceronis verba in oratione contra Rullum secunda (c. 27) non opinor nunc quemquam in eam sententiam pervertere, ut de suffragii amissione eorum, qui in colonias irent, capiantur, quum oratorie enumerentur urbis commoda, quibus minus frui possint cives longinqui; inter quæ erant sane suffragia.[2]) 250
Non est, opinor, diutius in his argumentis refellendis morandum; illa videamus testimonia, quæ id, quod ex ipsa rerum natura sequi ante ostendimus, auctoritate non tacita confirmant. Ex quibus illud omitto, quod apud Dionysium Halicar. (VI, 63 et VII, 53) positum in orationibus Appii de revocandis in urbem colonis (*τοὺς ἐκ τῶν φρουρίων μεταπεμπώμεθα καὶ τοὺς ἐν ταῖς ἀποικίαις ἀνακαλῶμεν*) multo sane melius huc traheretur, quam quo Niebuhrius traxit I p. 635 ed. 2. Nam illis Dionysii orationibus in quæstione historica uti plane non licet.[3]) Nec illo utor, quod Dionysius in priore oratione Appii (VI, 63) colonos censu civium Romanorum comprehendit. Nam adeo est ipse inconstans, ut, ius hominum ex eo tantum metiens, utrum in urbe an extra eam habitent, alibi eosdem (*τοὺς ἐν Κρουστομερίᾳ*

---

[1]) Veritus sum, ne quis argumentum sumeret ex verbis Rothii (de remun. p. 18 not.) de ipsa re, quam tractat, verissime positis: „Cum *populos* dixit Cicero, exclusit eo ipso vocabulo et segregavit municipia; hæc enim populi Romani sunt.“ Dixit enim plurali numero et *populos socios*. Eodem modo *res publicæ* municipiorum sæpius nominantur, velut Cic. ad Fam. XIII, 11.

[2]) *Vos vero, Quirites, retinete istam possessionem gratiæ, libertatis, suffragiorum, dignitatis, urbis, fori, ludorum, festorum dierum, ceterorum omnium commodorum.*

[3]) Omnino Livio, Latine scribenti, etsi veterum illorum decemvirorum tribunorumque et aliorum orationes non ex reliquiis nescio quibus verarum orationum componebantur, quas litteris nemodum consignabat, sed ipsius ingenio fingebantur, tamen accidere poterat et accidit sæpe, ut propria quædam verba, veteris instituti memoriam conservantia, ex commentariorum et annalium libris repetita poneret, nec Romano homini tam proclivis erat a probabilitate aberratio. Dionysius, rhetor et Græcus, incredibiliter in illis orationibus ineptit. Exemplo sint Metti Fuffetii et Tulli Hostilii orationes Græca eruditione refertæ III, 10 et 11. Ipse interdum id sentit et colcrem aliquem inducere studet (cfr. XI, 14). Non libenter insector veterem scriptorem, quem multa excusant; sed eorum est culpa, qui, qualis est, talem haberi nolunt, quoties ipsis commodum est. [Niebuhrius III p. 614 not. etiam rhetoricis artificiis Dionysium abusum negat. 1834.]

251 *φρουρούς*) *τοῖς ὑπηκόοις* annumeret (VI, 34).[1]) Sed certiora sunt ipsarum rerum testimonia. Quorum ut antiquissimum primum ponamus, vetus fama de historia familiæ Tarquiniorum tradi eo modo, quo est tradita, non potuisset, si apud Romanos cives in colonias missi a suffragiis honoribusque exclusi fuissent. Neque enim Egerius neque eius filius L. Tarquinius Collatinus cum Lucretia in colonia domicilium habuisse narraretur: coloniam enim Collatiam fuisse, supra demonstravi.[2]) Deinde etsi, quorum commodorum cupiditate et quo tempore primum commoveri cœperit civitatis Romanæ consequendæ studium, infra melius dicetur, id tamen hoc loco poni potest, vix homines ex civitatibus liberis Latinis condicionem longe deteriorem civium sine suffragio ambituros fuisse. Et tamen Ferentinates, qui ex iis Hernicis erant, quibus a. 306, ceteris subactis et in civitatem sine suffragio receptis, suæ leges relictæ erant, ut essent civitates Latinæ fœderatæ (Liv. IX, 43), a. 194 tentarunt, si possent nomina coloniis civium Romanorum, quæ tum forte deducebantur, dando ipsi cives fieri: et adscripti sunt, sed re animadversa senatus cives non esse iudicavit.[3]) Sed quod illi fraude tentarunt, populus interdum,

[1]) Itaque etiam in militia separat *τὰ ἐξ αὐτῆς τῆς πόλεως καταγραφέντα τάγματα* et *τὴν χεῖρα τὴν ὑπὸ τῶν ἀποίκων τε καὶ ὑπηκόων ἀποσταλεῖσαν* (IX, 5 coll. IX, 13).

[2]) Hinc oritur vera explicatio cognominum antiquissimarum quarundam gentium patriciarum ab oppidis, in quibus coloniæ traduntur fuisse, ductorum (qualia sunt Camerinorum, Medullinorum), quæ qui primi acceperunt, ex iis coloniis (inter colonos sive præsidiarios) fuerunt. Eiusdem a locis ductæ originis, antiquæ simplicitati convenientis, multa alia sunt nomina, ut Cœlimontanus, Capitolinus, Vaticanus.

[3]) Liv. XXXIV, 42: *Novum ius eo anno a Ferentinatibus tentatum, ut Latini, qui in coloniam Romanam nomina dedissent, cives Romani essent. Puteolos Salernumque et Buxentum adscripti coloni, qui nomina dederant; quum ob id se pro civibus Romanis ferrent, senatus iudicavit, non esse eos cives Romanos.* (Interpunxi plenius post *dederant*, ubi vulgo comma ponitur, ex quo fit, ut nova res de aliis hominibus hac periodo narrari videatur; et sic multos accepisse opinor, ut accepit Spanhemius et inde effecit, colonos in coloniis civium Rom. omnino non fuisse cives. Sed recipi debebat integra scriptura codicis Moguntini, ex quo pronomen *qui* editores sumpserunt, *et quum*.) Vix credibile est, quam perverse de hoc loco disputatum sit a Sigonio, Spanhemio, Dukero, Trekelio, Hopfensackio (p. 141 et 158), aliis, qui rem

ut aliqua ex parte fieret, permittebat, dato iis, qui ad colonias 252 civium deducendas creati essent, hoc iure, ut paucos quosdam peregrinos cives facerent: ut Mario, quum lege Apuleia (sive a. 102 sive a. 100; nam utroque anno L. Saturninus trib. plebis fuit) data esset coloniarum deductio, permissum est, ut in singulas ternos cives Romanos facere posset; quo is iure usus, etsi ipsæ coloniæ deductæ non sunt, L. Matrinium, ex colonia Latina Spoletinum, et alios civitate donavit, iique, etsi in iudicium res vocata est, civitatem retinuerunt (Cic. p. Balb. 253 21, 48).[1] Iam facile intelligitur, huius rei nullam aliam fuisse rationem, quam ut ii inter colonos scripti eodem, quo illi, iure cives essent, et simile esse hoc eius, quod antea claris imperatoribus (vid. Cic. pro Balb. 22), postea Cn. Pompeio datum est, ut præmii loco civitatem Romanam dare possent, in qua re de civitate sine suffragio nemo, quantum scio, cogitavit, quod nimis ridiculum erat futurum. Et quæ tandem Matrinii et aliorum illorum condicio fuisset, quum, coloniis non deductis, cives sine suffragio facti ad nullum cœtum hominum pertine-

apertissimam, Ferentinates, qui non cives essent, civitatem arte aliqua petisse, ita obscurarunt, ut ex hoc loco patere putarent. *Ferentinum fuisse coloniam civium Romanorum.* Verum vidit Fergusonius (Hist. Rom. I p. 103, 104 interpret. Germ.) et, ne philologi omnes in culpa sint, Garatonius ad Cic. pro Balb. 21 p. 209. Per se patet, non esse eos deductos, qui iudicio senatus cives non essent. [Walter p. 204 mirifice hinc concludit, si re vera deducti fuissent, cives futuros fuisse: id ius habuisse Latinos, ut in coloniam civium proficiscendo cives fierent. Non erant tam stulti Ferentinates illi, ut sola nominum professione, quum non profecti essent, aliquid se consecuturos sperarent: sed sibi profiteri et in coloniam proficisci licere volebant; decretum est, non posse eos, qui cives non essent, in civium coloniam nomen dare. Res tam est aperta, ut pigeat pæne testimonii loco commemorare tributam per exceptionem Mario lege Apuleia potestatem exiguo Latinorum numero gratificandi. 1834.]

[1] Etiam in hoc loco incredibiles sunt errores, Spanhemii maxime, nec multo minores Trekelli; quos in re aperta refellere inutile est; velut quod Spanhemius narrat, quum coloni deducti suffragium amitterent, Mario datum esse, ut ternis plenam civitatem restitueret: id appellari *cives facere.* Ceterum quod et Spanhemius et Trekellus et Garatonius hic etiam de coloniis Latinis aliquid cogitant, præterquam quod eæ, ut rem exposui, excluduntur, nemo debebat dubitare, quin tribunus seditiosus post Gracchos et M. Drusum de coloniis civium Romanorum deducendis, non de Latinis, legem tulisset.

rent? Sed est eiusdem generis antiquius aliud exemplum, ab omnibus in hac quæstione neglectum, quod illius de Mario narrationis interpretationem plane confirmat. Nam Cicero in Bruto (20, 79) scribit, Q. Fulvium Nobiliorem Q. Ennium poetam, qui cum patre eius in Ætolia militaverat, civitate donasse, quum triumvir coloniam deduxisset. Triumvir is cum Q. Fabio Labeone et M. Fulvio Flacco a. 184 Potentiam et Pisaurum colonias deduxit, quarum alteramutram aut potius utramque civium fuisse, hinc cognoscitur. Iam privata illa commercii connubiique iura poetæ data quis putet potius, quam eum in eius populi cœtum, cuius res cecinisset, vere receptum?
251 de quo gloriatus est ipse noto versu.[1]) Simile horum, sed in immensum auctum, Cæsaris in colonia Latina institutum postea commemorabo.

Satis hoc est argumentorum et testimoniorum undique concurrentium, quibus accedit extremo loco auctoritas Appiani, qui apertis verbis a. 133 cives ex coloniis et municipiis Romam ad comitia et ad suffragia de lege agraria Ti. Gracchi ferenda concurrisse narrat.[2]) Itaque sublato iam errore, qui nescio quomodo inveteravit in philologia et historia Romana, primum cives, qui in colonias civium Romanorum deducerentur, nullam passos esse iuris imminutionem certum putamus[3]); neque in

[1]) *Nos sumus Romani, qui fuvimus ante Rudini* (Cic. de Orat. III, 42).

[2]) Civ. I, 10 (commemoravit ante cives urbanos): *πλῆθος ἄλλο, ὅσον ἐν ταῖς ἀποίκοις πόλεσιν ἢ ταῖς ἰσοπολίτισιν ἢ ἄλλως ἐκοινώνει τῆσδε τῆς γῆς, δεδιότες ὁμοίως ἐπῄεσαν, καὶ ἐς ἑκατέρους αὐτῶν διεμερίζοντο κ. τ. λ.* De Niebuhrii errore supra dixi. [Quas hic Appianus *ἰσοπολίτιδας πόλεις* appellat, hoc est municipia, ibd. 65 *πολίτιδας* nominat. Quod Plutarchus T. Flaminin. 2 Flamininum in petitione consulatus a colonis Narniensibus et Cosanis, quos deduxerat, adiutum narrat, admonemur, quam caute utendum sit his Græculorum testimoniis. Nam Narniam et Cosam Latinas fuisse colonias novimus, quæ in comitiis populi Romani nihil, quod agerent, habebant. Contra recte Zumptius in censura aliqua huius commentationis annotavit civium in coloniis viventium plenam iuris possessionem confirmari iis, quæ apud Ciceronem de Or. II, 71, 287 scribuntur de M. Antistio equite Romano equo publico ex colonia Pyrgis.]

[3]) Unus ex iis, qui has res accuratius attigerunt, P. Manutius cives in colonias deductos suffragium habuisse sine exceptione dixit (in libris postumis de civitate Romana p. 16 tom. I Thes. Græv. et de comitiis p. 188 ibd.), sed ita graves errores adiuncti erant, ita sibi aperte con-

eo ullum temporum discrimen facimus, neque in quærendo eius rei rationem habuimus, quod et argumenta ex rei natura petita et auctoritates per omnes ætates conspirant nec ullum est mutationis indicium: deinde civitatis sine suffragio perpauca vestigia, ut fortasse Capuæ et in coloniis illis Campaniæ ulterioris, ad legem Iuliam superfuisse dicimus, ceterum singularem eius fuisse originem et causam, ut neque data unquam populis beneficii causa sit neque singulis hominibus dari ullo modo 255
potuerit.[1])

Atque hæc optime conveniunt naturæ universæ rei Romanæ, qualem ab initio fuisse diximus, non plura membra laxiore quodam fœdere complectentem, sed omnes partes uno vinculo eiusdem civitatis continentem. Iam deinceps alterius rationis per fœderatas civitates imperii propagandi susceptæ et in coloniis novi generis constitutæ origo contemplanda erit et historia coloniarum ab illis vetustissimis, a quibus digressi supra sumus, ulterius persequenda. Illud addendum est, quod ad has vetustas colonias maxime pertinet, dato paulatim iis, qui sine suffragio fuerant, suffragio, quemadmodum in aliis eiusdem condicionis populis postea factum est, sublatum esse incolarum discrimen præsidiique impositi notionem. Deinde, quoniam ex hac notione præsidii perpetui civium omnem harum coloniarum naturam repetivimus, iam hoc loco ponimus, propter hanc ipsam causam civibus eo deductis antiquitus alius militiæ vacationem fuisse; de qua re infra dicemus.

Communem Italorum, non proprium Romanorum hunc fuisse dixi victoria utendi morem, ut victis pars aliqua agri adimeretur, qui ager aut publicus victoris populi maneret aut 256

tradixerat (in ipso libro de Civ. Rom. p. 30), ut pro indictis illa fuisse non sit mirum.

1) Ad quæstionem de suffragio civium Rom. in coloniis liberæ rei publicæ non pertinet, quod Augustus multo post legem Iuliam, quum ipse iam, ut suffragia nullius prorsus momenti essent, effecisset, libertatisque sensus exstinctus esset, ex coloniis militaribus, quas deduxerat, decurionum tantum de magistratibus urbicis suffragia Romam deferri voluit (Sueton. Aug. 46, cuius loci scripturam sollicitandam non esse plane assentior Savignio, Gesch. d. Röm. Rechts im Mittelalt. I p. 22). Neque coloni neque decuriones illa ætate Romam comitiorum causa ventitassent, quorum paucis annis post umbra sublata est. Sed supererat ius honorum.

civibus in eum locum deductis assignaretur. Itaque hactenus Latinis aliisque populis eadem fuit colonias constituendi causa, quæ Romanis; nam illis quoque hoc simul unum erat præsidium, quo parta tuerentur et defenderent.[1]) Sed tamen ubi plures populi civitatesque, ut Latinorum, Etruscorum, Samnitum aliorumque, communi quodam fœdere tenebantur coniunctimque bella gerebant, necessario aliter, atque a Romanis factum vidimus, coloniæ illæ constituebantur. Quum enim in eas deducerentur homines diversarum civitatum, prædam communem tenentium, novus colonorum cœtus non uni alicui ex populis tanquam pars adhærebat, sed universæ populorum coniunctioni (quam si confœderationem appellem, magis ad nostrum morem accommodate dicam), ita ut illa ratio non omnia unius civitatis ex una urbe profectæ et aptæ vinculis comprehendendi, quod Romanorum proprium fuit, sed plures civitates fœdere complectendi etiam ad colonias pertineat. Quanquam in communibus conciliis plane has novas civitates, quæ coloniis deductis constituerentur, veteribus æquatas fuisse, affirmari nequit, præsertim quum ea, quæ ad rationem fœderis et coniunctionis Latinorum accuratius describendam pertinent, pleraque incerta sint aut ignorentur; in sacris certe ceterisque, in quibus antiquitatis memoria dominatur, dubitandum non videtur quin principatum quendam antiqui populi tenuerint. Ac coloniarum quidem frequens est mentio in iis, quæ de Albanorum Latinorumque rebus traduntur; sed ea et fabulosa sunt nec ad nostram rem pertinent; quærimus enim de coloniis a
257 Latinis tum, quum iam ipsi suas civitates fœdere iunctas tenerent, deductis. Harum nulla memoria superest ante Latinos cum Romanis coniunctos, nisi forte apud Festum[2]), nec omnino Latini ipsi fines suos late protulerunt. Sed ex quo Roma, quæ extremi regis tempore Latii magnæ parti imperaverat, Sp. Cassii fœdere Latino nomini ita est adiuncta, ut communia essent bella, communis præda, atque Hernici quoque in id

---

[1]) Æquorum coloniam Bolam Livius nominat IV, 49, Tuscorum V, 33; Samnitum, Etruscorum alibi; interdum tamen minus proprie migrationes populorum significantur.

[2]) *Priscæ Latinæ coloniæ appellatæ sunt, ut distinguerent a novis, quæ a populo dabantur* (p. 241 Muell.). Sed hoc incertum.

fœdus recepti sunt[1]), eadem ratio, sed paulo implicatior, ad colonias ab Romanis, Latinis, Hernicis missas transferretur, necesse erat, quas quidem communi consilio deducerent; nam multa a singulis tribus populis (Latinos enim pro uno hoc loco numerare licet et itidem Hernicos) extra illam coniunctionem bella gesta esse, atque adeo inter ipsos hos populos gesta esse, satis est notum. Neque Romanorum neque Latinorum neque Hernicorum eæ esse poterant coloniæ, sed novæ civitates eorum fœderi adiunctæ et parentes, quæ Latinæ appellari quodam modo et tum poterant, quod stirps Latina, ad quam maximam partem Romani quoque pertinebant, præcipua erat, et multo magis postea, quum, sublato Hernicorum nomine, Latii et Latinorum appellatio amplius patebat.[2]) Verum Romani, unitate virium potentes, ab initio nitebantur, ut, sublata fœderis æqualitate, Latinos et Hernicos in potestate potius quam amicos haberent, idque consilium sæpius tentatum et ob ipsorum Romanorum calamitates, velut incendium Gallicum, ita intermissum, ut Latini et Hernici plane a Romanis disiungi
viderentur, perfectum est in Latinis circa annum 338 a. Chr. 258
n., in Hernicis, si recte omnia traduntur, aliquanto post, circa a. 306. Simul partim interna discordia partim externis hostibus urgentibus, ad extremum Romanorum opera, facilius singulos quam coniunctos subigentium et regentium, horum populorum societates quasi dissuebantur et concilia tollebantur.[3]) Hæc ex quo fieri cœpta sunt, primum nihil intererat admodum inter illas, quas dixi, colonias seorsum constitutas et reliquas civitates Latinas, nisi quod in illis veteres incolæ non Latini remanebant turbasque excitare poterant. Deinde, crescente imperii Romani potentia, orta est nova ratio in regionibus oppidisque subactis, quæ hominum alius atque Latinæ stirpis essent, non Romana præsidia, sed novas civitates hominum cognati generis constituendi, agro a Romanis prædæ dominis assignato, quæ eodem iure et fœdere Romanis parerent, quo

---

[1]) De his fœderibus nihil nostræ rei causa opus est dici post Niebuhrii disputat. Hist. Rom. II p. 43—48 et p. 93 sqq.

[2]) Ferentinates, qui Hernici proprie erant, postea, ubi condicio et ius notatur, simpliciter Latini appellantur Liv. XXXIV, 42.

[3]) Cfr. supra p. 220.

veteres in ipso Latio civitates sensim subactæ parebant. Sed difficile est in huius generis antiquissima historia singulos quasi gradus persequi inde a Romanis cum nomine Latino coniunctis usque ad Latinos subactos, quæque coloniæ ab ipso nomine Latino, quæ a Romanis Latinisque et Hernicis, quæ denique iussu Romanorum Latinæ deductæ sint, distinguere. Hoc tantum patet, has populi Romani colonias Latinas tum demum deduci potuisse, quum iam aliqua pars Latinorum Romanis pareret. Primum de antiqua condicione coloniarum, quæ a Tarquinio Superbo deductæ dicuntur, Signiæ et Circeiorum (Liv. I, 56, Dionys. IV, 63), quanquam inferiore ætate utraque Latina populi Romani fuit, nihil posse affirmari apparet, quod Signia a. 496 suppleto colonorum numero iterum deducta nar-
259 ratur (Liv. II, 21), Circeios autem, unde Coriolanus a. 489 colonos Romanos, qui iidem Latini intelligi possunt, quoniam Livius hæc genera raro distinguit, expulisse Volscisque urbem tradidisse fertur (Liv. II, 39, Dionys. VIII, 14), novam coloniam a. 393 missam, Diodorus Siculus auctor est (XIV, 102). Livius a. 382 eam defectionem molitam scribit (VI, 21). Sed nihil prohibet, quominus Tarquinii tempore, quo quam late patuerit Romanorum auctoritas, fœdus cum Carthaginiensibus primorum consulum anno ictum demonstrat[1]), eodem fere modo, quo postea, colonias Latinas Romanorum deductas putemus.[2]) Deinde in rebus anni 503 narrandis Livius Coram et Pometiam colonias Latinas ad Auruncos defecisse narrat, quarum deductarum nullam mentionem fecit. Ei testimonio nescio cur Niebuhrius (II p. 24) Virgilii anteponat, inter Albanas colonias illas recensentis (Æn. VI, 776), quum ipsa defectio ostendere videatur, oppida Auruncorum coloniæ præsidio occupata fuisse, quo oppresso veteres incolæ ad suos redierint; nisi id eum movit, quod Dionysius iam Tullo Hostilio regnante Coranum aliquem Latinis præfuisse narrat (III, 34). Atque has equidem suspicor Latinorum, non Latinas Romanorum colonias fuisse[3]);

---

[1]) Polyb. II, 22. Cfr. præter Heynium in Opusc. Academ. Niebuhrius I p. 556 sqq. ed. 2.

[2]) Dion. V, 58 Signiam a Sexto Tarquinio exsule et Latinis oppugnatam scribit, quos *οἱ φρουροί* reppulerint.

[3]) Idem suspicatur Niebuhrius, a se ipse dissentiens, II p. 123.

quanquam quod postea inter colonias populi Romani non nominantur (nam apud Livium XXVII, 9 pro *Coræ* nomine substituendum esse *Soræ*, post patebit), ea quoque causa esse potest, quod coloniæ in oppidula recepta non iterum deductæ sint; Pometia quidem eversa plane videtur (Liv. II, 25); Coranorum nomen apud Plinium ponitur (H. N. III, 63), vicum 260
sine dubio parvulum habitantium. Coloniæ a Romanis Latinisque et Hernicis communiter deductæ vestigia Niebuhrius scite repperit in iis, quæ a Dionysio Halicarnassensi (ad ann. 467 a. Chr. n.) de Antio narrantur[1]); nam quominus perspicue de ulla huiusmodi colonia traderetur, obstabat in scriptorum animis inhærens opinio de Latinis iam tum eodem, quo postea. modo imperio Romanorum parentibus. Non nego fieri aliquo modo potuisse, ut huiusmodi colonia universæ societatis nomine deducta postea, Latinorum viribus fractis, ita in Romanorum potestatem veniret, ut populi Romani colonia haberetur appellareturque; et possit hoc aliquis suspicari de una et altera ex antiquissimis coloniis Latinis, velut de Norba, quæ proximo post fœdus Spurii Cassii anno (492) in ipso Latio constituta est (Liv. II, 34). Magis tamen inclinat animus, ut eiusmodi oppida a Romanis eodem loco habita putem, quo reliquæ civitates Latinæ veteres habebantur; ex quo sequitur, ut, quæ. deductæ ante Latinum nomen plane subactum, postea ab ipso populo Romano in publico virium imperii recensu coloniæ appellatæ sint (a quibus oppida Latina fœderata, Tibur, Præ- 261
neste, alia distinguebantur), eas omnes ab initio eius solius auctoritate deductas credam. Hæ sunt autem præter Signiam, Circeios, Norbam, quas iam commemoravi, Ardea (a. 442),

[1]) Lib. IX, 59: *ὀλίγων ἀπογραψαμένων ἔδοξε τῇ βουλῇ, ἐπειδὴ οὐκ ἀξιόχρεως ἦν ὁ ἀπόστολος, ἐπιτρέψαι Λατίνων τε καὶ Ἑρνίκων τοῖς βουλομένοις τῆς ἀποικίας μετέχειν.* Livius (III, 1) de Latinis et Hernicis plane nihil dicit. Manebant præter coloniam Latinam sive potius mixtam Volsci veteres incolæ, ut ait idem Dionysius (IX, 60): *τά τ᾽ ἀπομερισθέντα σφίσι καὶ τὰ ὑπὸ τῶν κληρούχων ἀφορισθέντα κτήματα γεωργοῦντες ἐπὶ ῥηταῖς τισι καὶ τεταγμέναις μοίραις.* Hinc Livius, perpetuo veteres incolas cum colonis confundens, colonos Volscos additos tradit. [Horum veterum incolarum a colonis dissensionem et in eos Romanosque odium ipse Livius satis aperte significat (III, 4 et 10).] Civium colonia anno demum 338 Antium deducta est, veteribus incolis colonisque in civitatem receptis, sine dubio sine suffragio (Liv. VIII, 14).

Sutrium (a. 384 teste Velleio), Nepete (a. 382), Setia (a. 378), quarum deductio, si Ardeam excipimus, in ea tempora incidit, quibus vetus illa Romanorum, Latinorum Hernicorumque societas iam multis modis infracta erat, aliis Latinorum in potestatem redactis, aliis post calamitatem Romanorum Gallicam veterem libertatem vindicantibus, ut hæ quidem communes coloniæ esse nullo modo potuerint. Setiam tamen eo anno, quem posui, *novos* colonos adscriptos Livius narrat. Ceterum, quanquam hæ populi Romani coloniæ erant, tamen, quæ veteribus Latinis populis finitimæ erant, si quando hi a Romanis graviter dissidebant, facile videntur allici potuisse, ipsa hominum cognatione eo trahente, ut nomen Latinum sequerentur. Itaque quum, quo anno magnum illud Latinum bellum susceptum est (340), nomen Latinum prætores habuerit Setinum et Circeiensem (Liv. VIII, 3), possit aliquis ipsas illas colonias in fœdus Latinorum receptas in partem belli venisse putare, etsi id de his non aperte traditur, sed de Velitris et Signia.

Ab hoc tempore certior historiæ lux res gestas demonstrat et simul latius spargi multiplicarique huiusmodi coloniæ cœptæ sunt, Romanis a finibus ipsius Latii longius arma victricia circumferentibus. Cuius universi generis natura ut intelligatur tollaturque admiratio quærentium, qui potuerit populus Romanus per aliquot sæcula nationis subactæ nec in suum corpus receptæ auxilio alias gentes subactas continere, quive factum sit, ut ne belli quidem socialis Latini, qui tamen Romanæ civitatis spei proximi fuisse videantur, auctores et principes
262 fuerint, primum tenendum est, colonos Latinos deductos esse in regiones hostiles, a quarum incolis diversæ stirpis non solum propter societatem Romanam, sed moribus, disciplina, sermone ita discreparent, ut undique initio periculis cincti necessario in Romanorum consanguineorum auxilio niterentur in eorumque fide manerent, abhorrerent vero a finitimorum societate.[1])

[1]) Antiquissimæ coloniæ Latinæ in Volscorum et Æquorum oppida deductæ sunt, qui si minus aliquanto a Latinæ stirpis natura abhorrebant quam Etrusci, Galli, alii, suberant vicinitatis odia exacerbata perpetuis bellis; proximæ Etruscis impositæ sunt, deinde aliæ per Samnium, Campaniam, Umbriam, Lucaniam, Galliam sparsæ. In ipso Latio nul-

Deinde, quibus stimulis ad alienas leges spernendas vindicandamque plenam sui potestatem populi commoveri solent, ii, fracta semel veteris Latii societate, hebetati erant, nec facile in coloniis magno locorum intervallo separatis renasci poterant. Omnino autem post annum 338, compluribus Latinorum oppidis in civitatem Romanam primum sine suffragio receptis, deinde suffragio donatis, nominis Latini appellatio, si Tibur et Præneste excipimus, vix ullum aliud paulo nobilius veterum Latinorum oppidum comprehendebat, sed præter Hernicorum quædam oppida et Volscorum Æquorumque, qui paulatim in eadem, quæ Latinis subactis relicta erant, iura recepti Latium novum usque ad Lirim patens tenebant, solas illas colonias sensim propagatas. Tum agri assignatio populi Romani victoris iussu facta pro vero beneficio accipiebatur. Postremo reliquorum Italiæ populorum a Romanis subactorum deterior condicio et iniquiora fœdera Latinos Romanis conciliabant, a ceteris seiungebant.

Hæ sunt igitur coloniæ illæ Latinæ, quarum propago
Latinum sermonem Latinaque instituta trahens per Italiam 263
longe serpsit, communis originis, disciplinæ, condicionis, nullo autem publico vinculo inter se coniunctæ, quum singulæ Romanis parerent. Atque ad has præcipue pertinere, quæ in proximorum sæculorum historia de coloniis populi Romani Italiam tenentibus subsidiaque imperio subministrantibus traduntur, adeo est certum, ut interdum hæ solæ coloniarum populi Romani appellatione comprehendantur. Civium enim coloniæ per aliquot sæcula usque ad belli Punici secundi finem, nisi singularis cuiusdam generis, deduci fere desitæ sunt. Eius rei causa aperta est. Ipsos Romanos, quorum coniunctionis vincula laxari minime oporteret, longius ab urbe spargi sedesque tenere, unde ad munera urbana discedere vix possent, cœtusque separatos habere, et publice incommodum erat et privatim ingratum, nec, ut id fieret, efficere poterat nisi aut præsidii imponendi necessitas, quam extra Latium minuebat Latinarum coloniarum usus, aut civium paupertati subveniendi. Verum ad cives aliis quoque modis commoda ex imperii finibus pro-

---

las præsidii causa a Romanis constitui potuisse nisi civium colonias facile patet, nisi quod oppidum Latinum Volscis aliisve eripuerant.

latis perveniebant, subactis populis onera publica magna ex parte sustinentibus agroque, qui iis adimebatur nec colonis assignabatur, primum quidem possessores ditante, sed tamen ita, ut eæ divitiæ per totum populum aliqua ex parte spargerentur; licebatque singulis civibus tuto inter universos populos subactos versari commodissimaque condicione quæstum persequi. Postremo permissum erat pauperibus Romanis civitatis honorem et ius cum privatis commodis coloniæ Latinæ permutare, quod non paucos fecisse, minuente præsertim magnitudine rei publicæ singulorum civium momentum, probabile est (Cic. pro Cæc. 33, 98). Ardeæ Livius (IV, 11) a. 442 etiam ipsos triumviros remansisse narrat; erat autem Latina. Itaque post
264 antiquissimas illas sub regibus deductas quattuor omnino civium coloniæ in loca a mari remota deductæ commemorantur, in agros non valde ab urbe remotos, Lavici (a. 418), Satricum (a. 384), tertia, cuius nomen ignoratur, sed fortasse Vitellia fuit (a. 395), Æsulum (a. 246 teste Vell.).[1] Colonorum numerus in his tantus commemoratur, ut videri possint non solum præsidia imposita veteribus incolis relictis, sed tota oppida ex colonis Romanis constituta. Lavicos enim mille quingentos colonos scriptos Livius tradit, Vitelliam, si id nomen fuit, tria millia, Satricum duo millia. Reliquæ omnes civium coloniæ per hæc sæcula maritimæ fuerunt, impositæ oræ Italiæ ad utrumque mare. Hoc genus coloniarum Livius duobus locis commemorat, lib. XXVII, 38, ubi belli Punici secundi tempore a. 207, quum propter inopiam iuventutis milites dare cogerentur, septem ex iis senatum adisse dicuntur, sacrosanctam se vacationem habere affirmantes, quam tamen nisi in Ostiensi et

[1]) De Lavicis auctor est Livius IV, 47 (coll. Diod. Sic. XIII, 6); civium eam fuisse, non solum ex Livii verbis (*coloni ab urbe missi*) concludo (coll. Niebuhrio II, 489), sed maxime ex eo, quod belli Punici secundi tempore certe inter Latinas non fuit; de Satrico Livius VI, 16; hanc, a Prænestinis et Volscis expugnatam (VI, 22), a. 348 restitutam Livius scribit, colonis ab Antiatibus, id est, Antio, quo confugerant, deductis sive potius reductis (VII, 27). De eius defectione ad Samnites a. 320 (Liv. IX, 12, 16; XXVI, 33) cfr. supra p. 227. Tertiam illam Livius V, 24 commemorat; Vitelliam fuisse Niebuhrius (II, 550) ex Liv. V, 29 suspicatur. Æsulum (Vell.) inter Latinas in bello Punico non numeratur.

Antiati observandam non censuit senatus, quamdiu hostis in Italia esset, et XXXVI, 3, ubi in bello Antiochico a. 191 octo ex iis, partim eædem, partim aliæ, militiam navalem detrectasse narrantur; ex quibus locis constat, præter antiquissimam 265
Ostiam in hoc numero fuisse Antium, quo novi coloni cives deducti sunt a. 338 (Liv. VIII, 14), Anxur s. Tarracinam (ded. a. 329 teste Livio lib. VIII, 21; Velleius enim ad a. 327 refert), Minturnas et Sinuessas (ded. a. 296; Liv. X, 21), Castrum Novum et Senam (ded. inter a. 300 et initium belli Punici primi)[1]), Alsium et Fregenas (ded. a. 245, teste Vell., in cuius codice scriptum erat *Fregellæ*, coll. Liv. epit. XIX), Pyrgos (incertæ ætatis). Nec plures quam has ipsas fuisse probabile est; certe ex iis, quæ apud scriptores nominantur, huc referri nulla potest. Civium autem omnes fuisse, patet primum, quod, quo loco Livius, ut statim dicetur, Latinas colonias recenset, quæ belli Punici secundi tempore erant, has ita omittit, ut non tanquam singulare genus excipiat, deinde, quod coloni civili auxilio usi sunt, tribunos plebis adversus prætorem ad militiam cogentem appellantes (Liv. XXXVI, 3), postremo ex hoc ipso, quod Romani magistratus delectum colonorum habuisse narrantur; nam Latinis coloniis, ut reliquis 266
sociis, imperabatur militum numerus, quem ipsæ conficerent.[2])

---

[1]) In epitoma Livii libr. XI Castri, Senæ, Hadriæ deductio coniunctim notatur, bellum autem, quod contra Gallos Senonas a. 283 gestum est, in epitoma libri XII. Polybius (II, 19) Senam victis Gallis deductam scribit, id est, a. 283 aut proximo anno, quod verum sine dubio est. Castrum Velleius initio primi belli Punici colonia occupatum scribit una cum Firmo. Intelligo *Castrum Novum* agri Piceni et apud Livium et Velleium propter adiunctam apud illum Adriæ, apud hunc Firmi mentionem, et errasse de tempore Velleium puto. Hopfensackius (Staatsr. der Röm. p. 156) apud Velleium, Freinshemium secutus, intelligit Picenum, deinde coloniam maritimam ponit Castrum Novum ex Livii libr. XXVII, 38; verum etiam Picenum illud oppidum *Novi* cognomen habebat (Plin. H. N. III, 44). Si præter maritimam altera fuisset colonia Castrum novum, inter Latinas a Livio XXVII, 9 et 10 nominata esset.

[2]) Fuerunt, qui non situ maritimo has colonias a ceteris distinctas putarent, sed nescio qua, cuius ne minimum quidem est vestigium, religione; nam religio advocatur a nonnullis, ubi dicere aliquid cupiunt nec habent, quod dicant. Ad situm accedit certum deductionis con-

Illam autem militiæ vacationem, quam ante hoc tempus vulgo hos colonos habuisse satis patet, significavi iam supra, mihi non ad maritimas colonias proprie pertinuisse videri. Neque enim ulla alia eius datæ causa excogitari potest, quam quæ ibi a me commemorata est: verum ea valebat nihilo minus in ceteris coloniis, quæ antiquissimo tempore præsidii causa deducebantur. Sed usque ad illud tempus, quo illam causam Livium actam narrat, in solis maritimis præsidii notio permanserat, in ceteris antiquis pridem sublata, omnibus circum pacatis incolarumque discrimine exstincto. Nec contenderim, in iis coloniis, in quas, Romanorum imperio iam magis confirmato, maiorem civium numerum deductum commemoravi, Lavicis, Satrico, Vitellia, ab initio præsidii notionem eodem prorsus modo valuisse atque in reliquis; quo ipso fiebat, ut pæne in oblivionem veniret, colonias eas esse. Nec constat, ea vacatio, quæ propter belli Punici necessitatem in solis Antiatibus et Ostiensibus observata est, quamdiu his servata sit aut num quando ceteris reddita, quod vix crediderim.[1])

267 Verum hæc, quæ de usu infrequenti coloniarum civium diximus, ex quo Latinæ deduci cœptæ sint, et de Latinis præcipue Italiam occupantibus, omnia nituntur maxime loco aliquo Livii, de quo iam dicendum est. Is enim (XXVII, 9 et 10) in historia belli Punici secundi (ad a. 209 Q. Fabio Max. V, Q. Fulvio Flacco IV coss.) triginta tum colonias populi Romani fuisse scribit, ex quibus illo anno duodecim, quarum nomina ponit, milites pecuniamque Romanis se dare posse negarint,

---

silium et tempus. At non omnes ad mare sitæ maritimæ fuerunt, ut Circeii et Posidonia. Verum eæ ne civium quidem erant.

[1]) Multa necessario in tam antiquis rebus in medio relinquenda sunt, quæ ad singulas alicuius instituti partes pertinent, velut hoc loco, quæ colonis necessitas imposita fuerit domicilium in colonia habendi. Stationem prope perpetuam Livius appellat, de Minturnis loquens (X, 21). Fortasse simile aliquid erat eius, quod Cæsar in coloniis militaribus instituit, ne quis agros in colonia assignatos intra vicesimum annum venderet (Appian. Civ. III, 2 et 7). [Etiam Ti. Gracchi et Sullæ legibus colonos vetitos esse agros assignatos vendere apparet ex App. Civ. I, 10 et 27 et ex Ciceronis or. II de leg. agr. 28, etsi certus temporis terminus non commemoratur, et Appianus id caput legis Semproniæ postea abrogatum dicit, Cicero in Cornelia post aliquod tempus non observatum.]

octodecim, quas item nominat, dederint. Atque has triginta colonias, quarum numero et magnitudine valde obscurantur maritimæ illæ, quæ ad hoc tempus nullum militem dabant, omnes Latinas fuisse, certum est; quo non animadverso plerique veram huius de coloniis quæstionis expediendæ rationem plane perturbarunt.[1]) Qui primum incredibilis negligentiæ et oblivionis Livium, quem omnes colonias Romanorum, quæ tum essent, enumerare voluisse putant, tacite arguunt, qui alias novem partim in eodem libro, partim in libro tricesimo sexto commemoret; nominatim utique eæ excipiendæ erant, si, quum aliquas hoc loco eiusdem generis, id est civium, numeraret, illas tanquam separatæ condicionis omitteret. Sed ipsa commemoratio pecuniæ et militum ex formula (c. 10) imperatorum et exactorum satis ostendebat, de sociis coloniis suas civitates habentibus agi, quum præsertim Livius totam narrationem huius rei ita orsus esset, ut, nisi de Latinis cogitare nemo posset. Dixit enim, propter milites in Siciliam transportatos, 268
quorum maior pars *Latini nominis sociorumque* esset, fremitum inter *Latinos sociosque* in conciliis ortum; deinde hinc natam coloniarum recusationem narravit. Itaque, etsi apertius paulo locutus esset, si nomen eius generis, quod hic commemoraret, addidisset, tamen parum accurate scripsisse videri non potest. Ac ne dubitemus, lib. XXIX, 15, ubi pœnam coloniis duodecim impositam narrat, plane eas appellat Latinas[2]), ceterarum homines autem bonos atque obedientes socios. Omnino si ulla iuris et condicionis diversitas inter non obedientes et obedientes aut aliquas harum fuisset, satis patet, hanc ante omnia Livium

---

[1]) Livii mentem [vel potius quæ Livii mens esse debuerit], quam ne alios quidem omnes fefellisse opinor, certe intellexerunt Savignius (in commentatione, quæ inscribitur: Ueber die Entstehung und Fortbildung der Latinität cett.) et Niebuhrius, qui tamen quo loco eam rem commemorarit, nunc non memini. Sed uterque tantum breviter et simpliciter Livii verbis in hanc sententiam acceptis usus est.

[2]) Ex hoc altero loco patet, libr. XXVII, 9, ubi est *Cora*, scribendum esse *Sora*. Id oppidum a. 345 a Romanis Volscis ademptum Livius narrat VII, 28; coloniam eo deductam non commemorat. Sed IX, 23 (a. 315) *Soram ad Samnites defecisse, interfectis colonis Romanorum*, scribit, idemque Diod. Sic. XIX, 72 tradit. Iterum a. 303 quattuor millia colonorum eo missa (Liv. X, 1). Coræ nulla est mentio post prima liberæ rei publicæ tempora.

commemoraturum fuisse, ex qua facile causa diverse agendi appareret. His tam perspicuis argumentis, quibus addi vix opus est, in nonnullis ex octodecim coloniis Latinitatis testimonia alibi satis clara exstare, ut de Spoletio apud Cic. pro Balb. 21, de Fregellis apud multos, opponi non potest, quod Livius IX, 26, ubi Luceriam deductam commemorat, homines abhorruisse *a relegandis tam procul ab domo civibus inter infestas gentes* scribit; *vicisse tamen sententiam, ut mitterentur coloni.* Nam eadem negligentia, quod inferioris ætatis homini, cuius tempore etiamtum coloniæ militares civium, Latinæ olim nullæ deducebantur, coloniæ imago ob oculos posita civium ex
269 urbe deductorum notionem afferebat, lib. VI, 21 narrat, ut plebs alacrior ad bellum cum Veliternis gerendum esset, triumviros Nepete coloniæ deducendæ creatos; atqui eam Latinam fuisse, ipse XXIX, 15 testatur. Ceterum fieri sane potest, quemadmodum supra exposui, ut Romani in eas nomina dederint, sed civitate deposita.[1]) Itaque casu accidit, ut non prorsus falso dictum videatur, si de parte accipiatur, quod Livius sane parum considerate declamatorioque more consules dicentes inducit apud legatos coloniarum, quæ pecuniam et milites non dabant, *non Campanos neque Tarentinos esse, sed Romanos; inde oriundos, inde in colonias atque in agrum bello captum stirpis augendæ causa missos.* Romanas autem et Romanorum colonias appellari Latinas, ne quid omnino omittam, ita est vulgatum, ut ineptum sit testimonia colligere[2]); et erant totæ populi Romani. Ceterum prætermittendum non videtur hoc loco, Latinitatis notam certam in coloniis videri posse municipii nomen post civitatem lege Iulia datam de iis positum, ut quæ ex peregrinitate in civitatem receptæ coloniæ naturam deposuissent, quod in civium colonias non ceciderit. Atque id stante re publica et antiquo loquendi usu ita observatum puto, ut tamen propter singulares causas scriptores interdum in La-

---

[1]) Multo minus reprehendi huiusmodi confusio in Diodoro Siculo potest, qui XIX, 105 a Romanis Interamnam *πολίτας εἰς ἀποικίαν* missos narrat, quæ Latina erat (Liv. XXIX, 15).

[2]) Liv. VIII, 3: *Prætores tum duos Latium habebat, L. Annium Setinum et L. Numisium Circeiensem, ambo ex coloniis Romanis, per quos præter Signiam Velitrasque, et ipsas colonias Romanas, Volsci etiam exciti ad arma erant.*

tinis coloniæ appellationem retinuerint, originem oppidi notantes; postea minus hæc ad vetera tempora spectantia nominum discrimina tenebantur.[1])

Latinæ populi Romani coloniæ lege lata a triumviris Ro- 270
manis, quibus imperium dabatur (Liv. XXXIV, 53), deducebantur et constituebantur.[2]) Sed in iis ab initio id spectatum videtur, ut non præsidia tantum imposita oppidis essent, sed novæ civitates, quæ florentes et numerosa subole auctæ imperium pecunia et militibus iuvare possent. Livius (XXVII, 9) stirpis augendæ causa missas dicit. Itaque non, ut in Romanas plerasque, exiguus colonorum numerus, sed magna multi-
tudo mitti solebat. Cales a. 336 duo millia et quingenti coloni 271
deducti sunt (Liv. VIII, 16), Luceriam a. 314 idem numerus (id. IX, 26); contra Anxur a. 329 trecenti cives in coloniam maritimam missi; Interamnam et Casinum (sed Casinum civium

---

[1]) Cicero Philipp. XIII, 8, 18 *lautissimum oppidum, nunc municipium, honestissimorum quondam colonorum*, Suessam appellat, quæ Latina fuerat; Cales Cicero municipium nominat de leg. agr. II, 31; Thurios Cæsar (B. C. III, 22), quæ Latina fuerat colonia, a. 194 deducta (Liv. XXXIV, 53); Festus denique inter exempla municipiorum vulgaris generis ponit Bononiam, Placentiam, Nepete, Sutrium, quæ omnes coloniæ Latinæ fuerant. Brundusium Cicero pro Sest. 63 coloniam appellavit, quod diem, qui eius natalis erat, commemorabat, et N. D. III, 19 Circeios (*coloni nostri Circeienses*). Contra ubi civium coloniam municipium appellarit, non reperio; nam pro Planc. 9, positis cum contemptu trium oppidulorum nominibus (Lavicorum, Gabiorum, Bovillarum), ex quibus duo municipia erant, operæ pretium non putavit genera distinguere, idemque fecit fortasse paulo ante, *Casinum* inter plura municipia ponens. Itaque vel ex municipii nomine apud Cic. Verr. V, 16, 40 tuto concluditur, Vibonem Latinam fuisse coloniam, etsi Livius id non dicit (XXXV, 40). Sed Asconius, et doctus et accuratus homo, in initio commentarii ad Cic. orat. in Pison. valde miratur, cur Cicero Placentiam municipium appellet, quum esset colonia; fuerat autem Latina. Recte igitur Asconii errorem notant Garatonius et Niebuhrius (Hist. Rom. II p. 2), quem tamen in reliqua re male Asconium reprehendere infra patebit. Vel hoc, si opus esset, inter argumenta poni posset, cives coloniarum suffragium habuisse; alioquin enim etiam illæ lege Iulia statu mutato municipia facta essent. [Apparet parum recte Spanhemium Orb. Rom. I c. 2 et Norisium ad Cenotaph. Pis. I c. 1 p. 15 de hac re disputasse, quos Drak. ad Liv. VIII, 14 citat.]

[2]) Exempla apud Livium sunt omnibus iis locis, quibus huiusmodi coloniarum deductiones narrat.

erat) 4000 deducta Livius scribit (IX, 28), Albam 6000, Soram 4000 (X, 1), Carseolos 4000 (X, 3), quibus numeris si adduntur feminæ et liberi, satis valida oppida efficiuntur. Ex his colonis constituebatur civitas socia, fœdere vel potius *formula* coloniæ, qua, quid præstaret, præscriptum erat, cum Romanis coniuncta, nominis Latini, cuius tamen nullum erat commune concilium, pars (Liv. XXVII, 9), nec publica condicione a veteribus Latii civitatibus imperio Romano parentibus diversa. Itaque indiscrete populi Latini ubique commemorantur[1]); nec, ubi de eorum rebus agitur, ulla ratio habita unquam traditur, qui veteres civitates, qui colonias tenerent, velut in iis, quæ de Latinis in civitatem Romanam fraude irrepentibus a Livio XXXIX, 3, XLI, 12 et 13 narrantur. Nec aut in bello sociali aut in legis Iuliæ beneficio ullum diversitatis vestigium est. Quocirca quum de proprio coloniarum iure hoc loco disputemus, nihil ad nos universa de iure Latii quæstio pertinere videtur. Sed tamen ut eam aliqua ex parte attingam, facit rei obscuritas.

Niebuhrius ea, quæ de isopolitia Latinorum antiquissimorum æquo fœdere cum Romanis coniunctorum disputarat[2]),
272 ad Latinos quoque bello victos et ad colonias Latinas transtulit. Itaque iis et civitatis Romanæ usum, si Romam migrassent, tribuit, certe privati civium iuris, et connubium cum civibus, etiamsi Romam non migrassent (Hist. Rom. II, 88 sqq.).[3]) In quo mirum est, virum tam acutum non animadvertisse, totum illud de migratione alienissimum esse a Romanis institutis.

---

[1]) Cic. de Orat. III, 11: *Nostri minus student litteris quam Latini.* Deinde Valerium Soranum ex colonia commemorat. Idem Brut. 46: *Apud maiores nostros video disertissimum habitum ex Latio L. Papirium Fregellanum, Ti. Gracchi, P. F., fere ætate; eius autem oratio est pro Fregellanis coloniisque Latinis habita in senatu.*

[2]) Cfr. supra p. 236 sqq.

[3]) Minus peritorum causa fortasse non inutiliter addiderim, et, qui commercium iure Quiritium non haberet, tamen et multa inter cives possidere potuisse et negotia omnis generis cum iis contrahere, ut postea peregrini provinciales faciebant, et, inter quos connubium non esset, eorum nuptias tamen esse potuisse, etsi iure non valerent; eæ tamen rarissimæ necessario erant non solum ob alias causas, sed ob iuris patrii et hereditatis et universi familiæ status perturbationem.

Nam commercium sive facultas nexa iure Quiritium faciendi in personis hærebat, non in locis; nec qui, ut hoc exemplo utar, heres civis Romani institui potuerat, quamdiu Romæ habitabat, minus poterat, quum domicilium alibi posuerat. Sed nullam huiusmodi Latinis datam fuisse civitatis Romanæ possessionem, ut tantummodo usus eius condicione aliqua certæ habitationis adstringeretur, satis patet ex eo, quod a. 187 Latini populi, quibus decrescente civium multitudine nihil remittebatur ex iis, quæ ex formula fœdereve præstanda erant, suos cives, qui Romæ per fraudem in censum irrepserant, repetierunt et, ut redirent, obtinuerunt (Liv. XXXIX, 3), posteaque sæpius socii et Latini Roma exire iussi sunt (Cic. pro Sest. 13, 30, coll. de Offic. III, 11, 47), et, qui ex iis pro civibus se gesserant, in suas civitates redacti sunt, velut notissima illa lege Licinia Mucia (a. 95), qua T. Matrinius, quem ex colonia Latina Spoletio civitate C. Marius donarat, accusatus est, quum Marii beneficium in dubium vocatum esset. Atque hæc, quæ sunt notissima, non opponerem Niebuhrio, nisi is usque ad civitatem lege Iulia (a. 90) Latinis datam illa iura mansisse putasset. 273
Facile autem patet, qui fraude civitatem peterent, Romam migrasse, ut, quod, si in sua colonia mansissent, facere nullo modo possent, id Romæ in turba facerent, vetere census diligentia in tam magna civitate iam senescente. Itaque tantum legum quarundam beneficio data erat Latinis certa condicio non utendi aliqua parte civitatis, sed plenam consequendi. Velut ex iis, quæ a. 177 acta a Livio narrantur (XLI, 8), patet, illis temporibus (neque enim perpetuam eam legem fuisse certum est) Latinos cives Romanos fieri potuisse, si stirpem ex se domi reliquissent; in qua re quum fraus multiplex versaretur, ut stirpe nulla relicta civitatem mutarent, populi Latini a senatu postularunt consecutique sunt, ut illis artibus obviam iretur. Pluribus legibus præmium Latinis hominibus civitatem constitutam fuisse, ex Ciceronis verbis apparet in orat. pro Balb. 24, 54; ex quibus una erat Servilia de repetundis, lata Marianis temporibus ante a. 100, qua Latino accusatori, qui reum damnasset, civitas dabatur (Cic. ibd.).[1]

---

[1]) Ex fragmentis legis Serviliæ [vel potius Aciliæ], quæ supersunt (edita seorsum a Klenzio Berolini a. 1825), id, quod ad hanc rem spectat,

274 Præcipuum tamen huius generis beneficium fuisse videtur, quod, qui magistratus in colonia Latina gesserant, cives Romani fiebant, si ipsi voluerant, de cuius rei testimoniis statim dicam. Prævertendum est enim ad alteram Niebuhrii sententiam, hos Latinos socios connubium cum Romanis habuisse. Præter obscura vetustissimi temporis vestigia, quæ ad Latinos bello subactos et colonias eodem iure a populo domino missas nihil pertinent, velut narrationem Dionysii de uxoribus ante pugnam Romanorum et Latinorum ad lacum Regillum utrinque remissis (VI, 1)[1]) et argumentum ex connubio Campanis dato, quod ad Campanos civitate Romana donatos pertinuisse ostendi[2]), utitur maxime Diodori Siculi fragmento nuper reperto et ad historiam belli socialis pertinenti, in quo milites C. Marii et Q. Pompædii tristes fuisse scribit, quum utrique in castris oppositis multos cognatos haberent propter connubii legem (*συχνοὺς οἰκείους καὶ συγγενεῖς κατενόουν, οὓς ὁ τῆς ἐπιγαμίας νόμος ἐπεποιήκει κοινωνεῖν τῆς τοιαύτης φιλίας*).[3]) Sed et valde malus auctor est de institutis antiquis Romanorum Diodorus, et totus locus recte scriptus esse potest et tamen non ad Romanorum et Latinorum connubium pertinere, sed ad Latinorum et aliorum sociorum et ad horum inter se; nam et Latini multi et aliquot alii socii, qui in fide manserant, in Romano exercitu pugna-
275 bant.[4]) Nullum autem Latinis cum Romanis connubium fuisse,

---

hæc verba habet (p. 91): *Sei quis eorum, quei ceivis Romanus non erit, hac lege alteri nomen* . . . . Hinc Klenzius concludit, præmium ad omnes peregrinos pertinuisse, Ciceronem tantum de Latinis locutum esse, quod Cornelius Balbus ex fœderata civitate esset. Sed cur de Latinis potius quam de fœderatis omnibus dixerit, quum præsertim Balbus non ex Latina civitate esset, non apparet; ipsa Ciceronis verba: *Latinis, id est, fœderatis*, ostendunt, legem de Latinis fuisse, Ciceronem autem dicere, quum Latinæ civitates fœderatæ fuerint, inde aliquid, quod omnino ad fœderatas pertineat, elucere. Itaque aut alibi in lege aliquid positum erat aut omnino in iure institutum, quo latius legis in illo loco vocabulum ad solos Latinos adstringeretur. Equidem aliis peregrinis aditum ad accusatoris partes in iudicio peragendas datum vix putem.

[1]) Vid. supra p. 220.

[2]) Supra p. 241 not.

[3]) Excerpt. de Sentent. XXXVII, 10 p. 130 ed. Dind.

[4]) Commemorandus est etiam Festi locus s. v. *Numerius: Fabius, qui unus post sex et trecentos ab Etruscis interfectos superfuit, inductus*

quod contra peregrinitatis notionem per exceptionem datum esset, ostendere mihi primum videntur, quæ de Latinis et Hernicis subactis a Livio scribuntur (VIII, 14, IX, 43), quæ quomodo interpretanda putem, ante dixi, etsi ipsum Livium obscure locutum de re parum intellecta credo[1]. deinde grave in tali re omnium Latinorum et Græcorum præter Diodorum silentii testimonium, ex quibus nemo, quum frequentissime nexum Romanorum et coloniarum commemorent, huius coniunctionis mentionem fecit, neque ubi universe eius rei occasio erat, ut in omnibus iis, quæ de excitato in sociis inde a Gracchorum ætate studio civitatis consequendæ, de Romanis nonnullis huic studio faventibus, de sociis urbe exire iussis traduntur, aut in iis, quæ Livius de coloniis Latinis in belli Punici secundi historia dixit, neque ita ut aliquis rem eo pertinentem casu attingeret in alicuius hominis rebus narrandis.[2]) Firmissimum est tamen mea sententia argumentum, quod ex iis hominibus ducitur, quorum status postea ad coloniarum 276
Latinarum condicionem similitudine aliqua compositus est. Sed hoc paulo longiorem disputationem et ad inferiora, quam quæ adhuc attigimus, rei publicæ Romanæ tempora descendentem postulat. Quum omnes veteres Latinæ coloniæ lege Iulia (a. 90) in civitatem Romanam receptæ essent, proximo anno Cn. Pompeius Strabo consul lege lata oppida aliquot Galliæ Transpadanæ in coloniarum nomen et ius traduxit, non novis colonis

---

magnitudine divitiarum uxorem duxit Otacili Maleventani, ut tum dicebantur, filiam, ea condicione, ut, qui primus natus esset, prænomine avi materni Numerius appellaretur. Verum quod quis ex hac narratione forsitan concludat, evertitur, quod post cladem Cremerensem (a. 477) aliquanto plus quam sæculum intercessit, antequam ullum inter Romanos et Maleventanos fœdus esse posset, ut, si modo aliquid veri subest, singulare aliquid necesse sit in illo Otacilio acciderit.

[1]) Vid. supra p. 235. Possit tamen aliqua cum specie dici, inter eos, qui cives sine suffragio fieri coacti essent, et eos, a quibus avulsi essent, tolli connubium potuisse, ut sensim disiungerentur, et tamen idem inter cives Romanos suffragium habentes et eos populos, qui suas res publicas retinerent, relinqui.

[2]) M. Antonius, M. triumviri pater, Numitoriam, filiam Q. Numitorii Pulli, Fregellani, qui patriam a Romanis deficientem prodidit, uxorem habuit (Cic. Philipp. III, 6, 17); sed Numitorium post proditionem civem factum esse, dubium non est.

deductis, sed ita, ut veteribus incolis manentibus ius daret Latii, ut ait Asconius (initio comment. ad Cic. orat. in Pison.), *ut possent habere ius, quod ceteræ Latinæ coloniæ, id est, ut gerendo magistratus civitatem Romanam adipiscerentur.*[1]) Eandem vim iuris Latii, pro quo etiam simpliciter *Latium* dicitur et *Latinitas*[2]), Appianus (Civ. II, 26) et Strabo (IV p. 187) commemorant, quorum tamen alter id addit, quod caput erat, liberam civitatis sociæ formam.[3]) Hoc ius deinde primum ad alia oppida in eadem regione condita traductum est, ut ad Novum Comum, quod Appianus illo loco nominat, mox late
277 per provincias sparsum ab imperatoribus, de quo hoc loco non agimus.[4]) Coloniæ valde improprie huiusmodi oppida appellabantur. Nec qui ullum eius generis oppidum ipsum extra Italiam coloniam appellarit, reperio; in Transpadanis illis, quæ mox Cæsaris beneficio civitatem acceperunt, coloniæ nomen ponitur a Suetonio (Cæs. 8) [et iam a Cæsare B. C. III, 87 in oratione Labieni]. Præterea imperatorum temporibus notissimum est genus libertinorum civitate carentium, quorum status, ortus lege Ælia Sentia Augusti ætate, postea significabatur nomine *Latinorum Iunianorum*, altero nomine tracto a lege Iunia Norbana, Augusti aut Tiberii principatu lata, qua accuratius eorum condicio ordinata erat. Ii commercium iure Quiritium habebant, connubio carebant, sæpiusque a iurisconsultis veteri-

---

[1]) Ubi *gerendo magistratus* posui, in prima editione est *petendi magistratus*, in edd. interpolatis *petendi magistratus gratia.* Res certa est Appiani et Strabonis testimoniis, quibus accedit Ciceronis, ad Attic. V, 11 de Novocomensi virgis cæso sic scribentis: *Etsi ille magistratum non gesserat* (ut civis esset), *erat tamen Transpadanus* (hoc est, Latinus, ut ab eius tergo virgæ remotæ esse deberent lege Livia; vid. Plutarch. C. Gracch. 9).

[2]) *Latium* apud Tacitum, Plinium Maiorem et Minorem (Panegyr. 37), ut minime Gaius primus nobis sit Latinus huius usus auctor; *Latinitas*, quod de libertinorum Iunianorum condicione frequentius dicitur, de illo iure civitatibus concesso ponitur apud Ciceronem et Suetonium. Vid. lex. Schelleri.

[3]) *Διὰ δὲ τοῦτο οὐδ᾽ ἐπὶ τοῖς πράγμασι τῶν ἐκ τῆς Ῥώμης στρατηγῶν ἐστι τὸ ἔθνος τοῦτο.* De Nemauso in Gallia loquitur.

[4]) Cfr. Savignii commentt. supra iam citatæ *Ueber Entstehung und Fortbild. der Latinität* et *Ueber das Ius Italicum.*

bus Latinis coloniariis assimulati dicuntur.[1]) De ipsis autem his coloniariis tam pauca dicuntur, ut eos ullos fuisse eo tempore, quo Iuniani erant, id est imperatorum, et proprium in iure Romanorum locum tenuisse dubitare possit, qui obliviscatur, scripta iuris Romani, quæ nos habemus, ex ea esse ætate, qua civitas ubique per provincias sparsa hæc discrimina nisi in libertinis sustulerat. Sed tamen et Gaius nominat cum Iunianis tanquam diversos et tamen eiusdem temporis, et Ulpianus iis commercium cum civibus tribuit.[2]) Neque illi alii esse possunt quam earum civitatum homines, quibus ius 278
Latii datum erat, ductum a coloniis Latinis. Iam Niebuhrius Latinorum Iunianorum statum accommodatum putat ad coloniarum illarum Transpadanarum, harum autem ipsarum ius deterius quam veterum Latinorum ante legem Iuliam fuisse, quod connubio careret et isopolitia illa, appellatumque in loco quodam manco Gaii, quem supplere studet, *Latium minus*, ut maiori contrarium esset.[3]) In quo præterquam quod alius

---

[1]) Omitto in his, quæ vulgata sunt, testimoniorum commemorationem. Quod ad nomen attinet, *colonarii* appellantur in Ulpiani et alterius iurisconsulti fragmentis, quæ mox citabo, *coloniarii* a Gaio sæpius, veriore, ut opinor, forma, a *colonia*; altera, ab eo quod est *colonus*, ab aliis scriptoribus inferioris ætatis de iis ponitur, quæ ad colonos, id est, rusticos pertinent.

[2]) Gai. I § 29: *minores triginta annorum manumissi et Latini facti si uxores duxerint vel cives Romanas vel Latinas coloniarias vel eiusdem condicionis, cuius et ipsi essent* cet. Ulpian. Fragm. XIX, 4: *Mancipatio locum habet inter cives Romanos et Latinos colonarios Latinosque Iunianos eosque peregrinos, quibus commercium datum est.*

[3]) Locus, qui est lib. I § 96, in editione Gœschenii ex codice, præcedente lacuna, sic scribitur: — — — *magistratum gerunt, civitatem Romanam consequuntur, minus latum* (Blumius in cod. legit *lattum*) *est, cum hi tantum, qui vel magistratum vel honorem gerunt, ad civitatem Romanam perveniunt.* Id is ita fere supplendum putat: *Maius Latium vocatur, cum quicunque Romæ munus faciunt, non hi tantum, qui magistratus gerunt, civitatem Rom. consequuntur; minus Latium est* cet. [Nunc Gaii locus e codice a Studemundo sic suppletus est: *Aut maius est Latium aut minus; maius est Latium, cum et hi, qui decuriones leguntur, et ei, qui honorem aliquem aut magistratum gerunt, civitatem Romanam consequuntur; minus Latium est, cum* cet. Apparet totum hoc pertinere ad discrimen aliquod illorum, quibus Cæsaris et imperatorum temporibus Latinitas coloniaria dabatur, quum aliis amplior, aliis an-

valde memorabilis Gaii loci oblitus est, quem paulo post afferam, primum non animadvertit, Pompeii Strabonis lege, quæ turbata Italia bello sociali sine dubio ad avertendum Transpadanæ etiam regionis motum lata est, minus honestum statum, quam verorum Latinorum fuerat, offerri non potuisse; deinde, ut illa de isopolitia vera sint, quæ falsa sunt, ita tamen se implicat, ut exitum non reperiat. Nam quos minus Latium habuisse dicit, perpetuo commercium tenuerunt, illi, quos maius habuisse putat, eius opinione tum demum acceperunt, si Romam migrarant; et tamen ipse ex hoc commercii usu, non ex connubio, quod veteribus Latinis dat, civium appellationem pependisse vult, ut civitati propiores fuerint, quos inferiores putat. Itaque
279 illo quidem sensu minus quoddam Latium tum institutum plane negamus, et ex eo, quod hi Latini connubium non habuerunt, ne illos quidem, qui uno anno ante Transpadanam Latinitatem Latini esse desierunt, habuisse concludimus. Ceterum facile patet, in ista Transpadana Latinitate constituenda neque necessario retentum fuisse, si quod præmium singulari aliqua lege aliquando ante veteribus Latinis datum esset, velut Servilia illa (quod fortasse iam ante. abrogata tota lege Servilia et aliis de repetundarum crimine latis, sublatum erat), et rursus, si aliquot coloniarum Latinarum condicio propter singulare aliquod beneficium præstantior esset quam reliquarum, eam ad Transpadanas transferri potuisse. Id in commercio factum esse videtur, de quo magna est dubitatio, quod ad veteres populos Latinos ante bellum sociale attinet.[1]) Non solum hos, sed omnino socios Italos commercium iure Quiritium habuisse, concludi forsitan posse videatur ex duobus Livii locis, ubi eo modo negotiorum cum civibus contrahendorum participes fuisse narrantur, quo, nisi commercium haberent, non videantur potuisse. Primum enim XXXV, 7 sic scribit: *quum multis fenebribus legibus constricta avaritia esset, via fraudis*

---

gustior civitatis Romanæ consequendæ via concederetur, a Niebuhrii coniecturis longissime disiunctum esse. De ipso illo discrimine aliunde prorsus nihil constat.]

[1]) Commercium Latinas colonias habuisse putat post Ottonem et alios Hopfensackius (Staatsrecht der Römer p. 150), nullo ex iis argumentis usus, quibus aliquam ei sententiæ defensionem parari posse ostendam.

inita erat, ut in socios, qui non tenerentur iis legibus, nomina transcriberent; ita libero fenore obruebant debitores. Transcriptionem nominum vir iuris consultissimus[1]) aut contractum litteralem antiquum intelligi putat, qui stricti iuris civilis proprius fuerit, aut, si tantummodo translatio nominis significetur, 280
eam in hac re nisi *per novationem* fieri non potuisse (coll. Gaii Inst. II, 38); quum autem æs alienum illa ætate maximam partem nexi obligatione contrahi solitum esse probabile sit, non potuisse illo modo ius creditoris ad alium transferri, nisi qui mancipare posset. Verum Livium non nomina, quæ iam facta essent, deinde ad socios translata significare puto (nam omnino fieri nomina leges tanta usura vetabant), sed ab initio ita facta, ut pro cive creditore fingeretur et substitueretur socius, qui rursus vero creditori debitor fieret; ad quam rem commercio opus non erat. Nec in historico verba ambigua ad certum iuris usum revocanda esse credo. Alioquin, si creditori civi successisset socius, iisdem legibus pecunia ei deberetur, quibus civi; itaque nihil opus fuisset contra eum petitorem nova lege, quæ nunc demum sancta est, ad ipsum contractus initium aperte spectans, *ut cum sociis ac nomine Latino pecuniæ creditæ ius idem, quod cum civibus Romanis, esset.* Alter est locus lib. XLI, 8: *Lex sociis ac nominis Latini, qui stirpem ex sese domi relinquerent, dabat, ut cives Romani fierent. Ea lege male utendo alii sociis, alii populo Romano iniuriam faciebant. Nam et, ne stirpem domi relinquerent, liberos suos quibusquibus Romanis in eam condicionem, ut manumitterentur, mancipio dabant, libertinique cives essent, et, quibus stirps deesset, quam relinquerent, ut ** cives Romani fiebant.* (Excidisse verba, quibus alterum fraudis genus notaretur, Creverius recte intellexit.) Manumissione civem eum tantum fieri iurisconsulti docent, qui alicuius ex iure Quiritium fuerit: iam ut illi sociorum liberi servi fierent ex iure Quiritium, mancipatione opus fuisse, is, quem dixi, iurisconsultus disputat. Ea quoniam certe locum non habuerit nisi inter eos, quos inter commercium esset,

---

[1]) [Collega amicissimus, P. G. Bang, qui me, in iuris privati cognitione parum versatum, post primam huius dissertationis editionem de his locis admonuit et ipse de hac re dixit in Institutionum iuris Romani Danice scriptarum Vol. I p. 72 sqq. 1834.]

281 sequi, ut id illo tempore (res pertinet ad a. 177) socii habuerint. Sed huic disputationi habeo, quæ opponam; quæ si vera est, homines illi, quum etiam nunc pro sociis se gererent, liberos mancipasse putandi sunt. Atqui id fieri omnino non poterat; nam stirpem relinquere debebant tum, quum in civitatem Romanam transibant; itaque liberos antea mancipando eripuissent sibi civitatis mutandæ facultatem et coacti essent ad alteram fraudem confugere eorum, qui liberos non haberent. Itaque quum iam pro civibus erant, liberos in patria relictos mancipabant aliis civibus. At, dicat aliquis, cives facti liberos in Latina civitate relictos iam non in patria potestate habebant. Nempe hic fraus facta ad condicionem legis subterfugiendam a Livio narratur, quam nec filii nec cives illi, qui sequestres et ministri erant, impedituri erant; alii autem neque in libertatem illos servos vindicaturi nec manumissioni intercessuri erant. Omnino vereor, ut liceat diligentem illam curam manumissionis circumscribendæ, quæ a lege Ælia Sentia cœpit, ad antiquiora tempora opinione transferre.[1]) Sed hac dubitatione ad illam causam obtinendam opus non est. Itaque his Livii locis nihil effici videtur. Quod autem ad ipsius populi Romani commodum et ad augenda rerum pretia pertinuisse putatur, ut socii commercium haberent, ob agrorum maxime servorumque ita tradendorum, ut domini ex iure Quiritium eos tenerent, facultatem, primum multo plura in antiquis illis institutis vel potius omnia, quibus populi singuli se a reliquorum communione seiungebant, ad nostras opiniones considerata parum utilia videntur; ipsaque illa cura rerum permutationis adiuvandæ a veterum Romanorum ingenio abhorret, stabilitati, in agrorum
282 maxime possessionibus, faventium. Deinde maior pars incommodi vel totum incommodum socios premebat. Tum vero aliam rem non animadvertunt viri docti. Nam fundi Italici eandem, quæ post bellum sociale fuit, condicionem iam antea fuisse putant. Sed quamdiu sociorum sua erant iura privata (ut verbi causa de fenore, quæ in altero illo Livii loco commemorantur), etiamsi commercium verbi causa inter Romanos et

---

[1]) Magna mihi difficultas esse videtur, si id fiat, in iis servis, qui emebantur a peregrinis, quibuscum commercium non erat.

Tiburtes esset, tamen, si quis civis Romanus prædium in Tiburti agro possideret, eius non ex iure Quiritium dominus esset, sed ex iure Tiburtium. Hæc est enim commercii vis (reciproca) inter populos fœderatos.[1]) Sed ut plerisque Latinis et sociis antiquis commercium non fuisse putem, certe non plenum (nam in una et altera re exceptionem aliquam singulari lege constitutam fortasse fuisse non nego), ut id, inquam, putem, movet me, qui alios movit, Ciceronis locus in oratione pro Cæcina c. 33, 102[2]), ubi quum nonnullos per exceptionem commercium habuisse dicat, vulgo non habuisse apparet. (Nam ad commercium pertinet totum hereditatum et testamentorum ius, eamque eius partem ibi Cicero commemoravit, quod de ea agebatur in Cæcinæ causa.) Neque Sulla Ariminenses in lege nominasset neque Cicero ita dixisset (*XII coloniarum fuisse et hereditates capere potuisse*), si non singulare hoc fuisset et a communi Latinorum sociorumque iure diversum. Quænam sint autem illæ duodecim coloniæ et unde orta earum præcipua condicio, ignorare me fateor. Savignius[3]) eam præmii loco iis 283
coloniis datam opinatus est, quæ in bello Punico in obsequio manserunt, inter quas Ariminum fuit; itaque pro *duodecim* (XII) apud Ciceronem scribendum putat, non magna mutatione, *octodecim* (XIIX); ab his ad Transpadanos et reliquos, quibus postea ius Latii datum est, et ad Latinos Iunianos id beneficium propagatum. Dubitari tamen posse videtur, num commercii ex iure Quiritium accipiendi illa ætate coloni peregrinæ originis ab urbe et civium negotiis remoti valde cupidi fuerint, ut id pro præmio esse potuerit, præsertim nulla accedente ex connubio et necessitudinibus inde ortis causa eius optandi: nec negligendum videtur, Livium, qui pœnam coloniis minus obsequentibus impositam narrat (XXIX, 15), præmii ceteris dati mentionem non facere, gratiæ a Romanis relatæ in re clara

---

[1]) Prorsus alia ratio fuit Latinorum inferioris ætatis in provinciis.

[2]) *Iubet enim* (Sulla Etruscos, quibus civitatem adimit,) *eodem iure esse, quo fuerint Ariminenses, quos quis ignorat duodecim coloniarum fuisse et a civibus Romanis hereditates capere potuisse?* Dicit *fuerint*; nam illo tempore lege Iulia Ariminenses et reliqui cives erant.

[3]) In comment. de Latinitate (Zeitschr. für gesch. Rechtswissenschaft V, 2 p. 237).

sine dubio disertum laudatorem futurum.[1]) Sed quæcunque fuit præcipui huius nonnullarum coloniarum iuris origo, earum condicio ad Transpadanas colonias translata est et deinde, iuris Latii nomine, ad alia oppida; atque hæ quum solæ superessent Latinæ civitates tum, quum Latinitas Iuniana constituta est, ea quoque commercium complectebatur, eo magis, quod ii,
284 quibus illa dabatur, libertini generis, nullos habebant suos cœtus et oppida, sed inter cives vivebant. De his tamen singulariter Gaius scribit, sed ita, ut iurisconsultus illius ætatis, qua publica instituta et historiam populi Romani liberi non valde curiose tractabant, fortasse minus apte locutus videri debeat.[2])

Quod reliquum est de hac re, colonias Latinas, quoniam singulæ civitates erant, non unius civitatis partes, suæ integritatis ipsas custodes fuisse, cives suos censuisse, quæque similia sunt, per se patet.[3])

---

[1]) Excluditur Livii, pœnam narrantis, silentio eorum coniectura, qui, cum Savignio XIIX apud Ciceronem scribentes, omnes commercium habuisse, sed duodecim eius amissione multatas coniectarunt. [Aliam coniecturam infeliciorem de duodecim illis coloniis infra commemorabo. Id quidem Savignio opponi non debebat, quod illa res ex belli Punici memoria repetita remotior esset, quam quæ tanquam nota a Cicerone commemorari posset. Cicero non originem iuris commemoravit, sed ius ipsum, quod non ita multo ante sublatum erat. 1834.]

[2]) III, 56: *Latinos ideo* (appellatos dixi), *quia lex eos liberos perinde esse voluit, atque si essent cives Romani ingenui, qui ex urbe Roma in Latinas colonias deducti Latini coloniarii esse cœperunt.* Eadem fere leguntur in fragmento incerti iurisconsulti, quod Pithœus post collationem legis Mosaicæ edidit (Schulting. Iurisprud. Anteiustin. p. 805): *Fiunt Latini Iuniani, quoniam lex Iunia, quæ libertatem eis dedit, exæquavit eos Latinis colonariis, qui tunc erant cives Romani et nomen suum in coloniam dederant.* Videntur cogitasse, in colonias Latinas cives ex urbe semper missos. Si accurate locuti sunt, res hinc cognoscitur minime mira, singulorum civium Romanorum, qui Latini fierent, hanc habitam esse curam, ne nexa resque iure Quiritium contractæ turbarentur, amisso commercio. [Suspicatus eram antea, duodecim colonias Latinas fortasse ita constitutas fuisse, ut, quum inter colonos magnus civium numerus esset, perpetua iis concederetur commercii possessio; nam in singulis illis ipsorum morte exstinguebatur. Eam coniecturam iam minus probabilem puto. 1834.]

[3]) Extra ordinem Narnienses a. 199 Romæ questi sunt, quosdam non sui generis pro colonis se gerere (Liv. XXXII, 2). Pœnæ causa impositum

Redeo ad ea, quæ de coloniarum deducendarum instituti historia expedienda restant; nam de generibus et iure fere satis est dictum. 285

Finito bello Punico secundo, quum concussa vehementi motu Italia firmanda esset, revocato post longum intervallum veteris temporis more (nam ne maritima quidem per quinquaginta annos post Fregenas ulla erat deducta), in ea loca, quæ diu Hannibal tenuerat, anno 194 complures civium maritimæ coloniæ præsidii causa missæ sunt, antiquo quoque numero trecenarum familiarum scripto, Puteolos, Vulturnum, Liternum, Salernum, Buxentum, Sipontum, Tempsam, Crotonem.[1]) Quam parum constantes socios harum regionum incolas Romani experti essent, notum est, exstatque de odio et vindicta a Romanis de Bruttiis sumpta testimonium memorabile apud Gellium.[2]) Itaque eodem anno latum, ut Latinæ quoque coloniæ altera in Bruttios, altera in Thurinum agrum deducerentur 286
(Liv. XXXIV, 53), et duobus annis post Vibonem tria millia

---

est coloniis duodecim in bello Punico, ut a suis quidem censoribus, sed ex formula a Romanis data censerentur tabulæque Romam deferrentur (Liv. XXIX, 15). Sæpius expetebatur novorum colonorum adiectio, quum parum frequentes oneribus delectuum et tributi ex formula impositis non sufficerent, ut a Narniensibus et Cosanis a. 199 (Liv. XXXII, 2).

[1]) Liv. XXXIV, 45. Lex de Puteolis, Vulturno, Literno, Salerno, Buxento, in quibus numerum Livius annotat, iam a. 197 lata a. C. Acilio tribuno plebis erat, triumvirique, qui per tres annos magistratum eum haberent, creati (Liv. XXXII, 29), ut videantur multa præparanda fuisse. A. 186 Sp. Postumius consul renuntiavit, peragrantem se utrumque litus Italiæ desertas colonias Sipontum et Buxentum invenisse; itaque iterum deducti coloni sunt (Liv. XXXIX, 23). Velleius, commemorata sive Lunensi sive Lucensi colonia, quam a. 178 deductam ponit, *Eodem*, inquit, *temporum tractu, quanquam apud quosdam ambigitur, Puteolos Salernumque et Buxentum missi coloni.* Apparet error ex Livii narratione, hæc distincte ad suos annos et certos homines referentis. Reliquas Velleius omittit.

[2]) Lib. X, 3 de ministris magistratuum, qui *Bruttiani* dicebantur: *Postquam Hannibal Italia decessit, superatique Pœni sunt, Bruttios ignominiæ causæ non milites scribebant nec pro sociis habebant, sed magistratibus in provincias euntibus parere et præministrare servorum vicem iusserunt.* Idem a Festo narratur [et a Strabone V p. 251 Cas., ubi Salernum coloniam Picentium parti ad mare inferum traductæ custodiæ causa impositam narrat].

septingenti pedites, trecenti equites Latini missi sunt (Liv. XXXV, 40).[1]) Equitum peditumque discriminis ad bellicam coloniarum originem spectantis, ex quo simul patet, ne in Latinas quidem inconditam turbam exoneratam, mentio fit apud Livium etiam in Bononiæ deductione (a. 189, XXXVII, 57) et in Aquileiæ (a. 181, XL, 34, coll. XXXIX, 55) et apud Asconium Pedianum (init. comm. ad Pisonian.) in Placentia ante Hannibalis in Italiam adventum (a. 218) deducta. Neque tamen eadem in agro distribuendo proportio servata est; nam Vibone pedites quina dena iugera, duplex equites accipiebant, Bononiæ, quo tria millia deducta sunt, equites septuagena, ceteri quinquagena, Aquileiæ peditum tria millia quinquagena, centuriones, qui alibi non nominantur, centena, equites centena quadragena.[2])

Ab inferiore Italia patet ad superiorem et ad Galliam conversam esse Romanorum curam, in quam præter has Latinas etiam, quod, nisi forte Casinum excipiendum est, per duo sæcula factum non erat, civium plures coloniæ mediterraneæ missæ sunt, binorum millium singulæ, Potentia et Pisaurum a. 184 (Liv. XXXIX, 44), Mutina et Parma a. 183 (Liv. XXXIX, 55), sive exhaustis Latinis populis nec civibus libenter in Latinas proficiscentibus, sive quod digna civium præsidiis Gallia
287 videbatur[3]); in quibus unum est, quod mireris. Nam his civibus, inter quos equites non commemorantur, sive quod scriptores omiserunt sive ob proprietatem aliquam instituti, multo minus agri quam Latinis illis assignatum traditur, pæne ad antiquam parsimoniam, quum bina ternave iugera dabantur, Potentianis et Pisaurensibus sena iugera, Mutinensibus quina, Parmensibus octona. Vix agri bonitate tanto maior Aquileiensium et Bononiensium mensura compensari poterat, ut alia quadam ratione nobis ignota hæc exæquata putem; nam ne id

---

[1]) Ex superioribus altera tria millia peditum, trecentos equites habuit (Liv. XXXV, 9).

[2]) [Accedunt hæc prope ad proportionem stipendii et prædæ distributionis; vid. Polyb. VI. 39, Duker ad Liv. X, 46, 15. Ea proportio postea in militaribus coloniis servabatur. Vid. Walter Hist. Iur. Rom. I p. 272 n. 53. 1834.]

[3]) Velleius Parmam, Mutinam, Saturniam quoque plane omittit.

quidem sufficit, quod gravia onera Latinis coloniis imponebantur. Paulo maior mensura agri commemoratur, dena iugera, in Saturnia, quæ eodem anno (183) in Etruriam deducta est (Liv. XXXIX, 55), minor in Graviscis, quina iugera (id. XL, 29); eamque et propterea, et quod in Etruria erat, civium coloniam fuisse puto. Sed duobus millibus civium Romanorum, qui a. 177 Lunam deducti sunt, quinquagena et singula iugera et semisses agri dati sunt, ingenti discrimine (Liv. XLI, 13, al. 17).[1]) Ea colonia Liguribus opposita est loco opportunissimo.

Iamque, Italia, cui Gallia Cispadana adiuncta erat, undique 288
munita et coalescente, antiqua coloniarum deducendarum consilia pæne finem habuerunt. Nam præter Auximum, quam coloniam in Picenum a. 156 aut 157 deductam Velleius scribit (triennio ante Cassium Longinum censorem, id est, ante a. 154, fere ducentis annis ante quam ipse a. 783 u. c. (30 p. Chr. n.) opusculum composuit), vix reperio, quas vetere instituto conditas putem, nisi forte Dertonam, in Liguribus, de cuius deductæ anno non constat[2]), et Eporediam, quæ a. 100 condita est inter Vagiennos in Gallia Transpadana, *Sibyllinis*, ut Plinius

---

[1]) Est aliqua in hac colonia difficultas. Nam apud Livium in editione prima est *Lunam*; quod Kreyssigius, qui codicem, qui unus superest, adhibuit, *Lucam* edidit, Drakenborchii id commendantis rationes secutus esse potest. Apud Velleium autem a. 178 (189—11) *Luca* deducta dicitur, quam apud Livium substituunt. Sed quominus ea civium esse potuerit, obstat, quod Cicero (ad Famil. XIII, 13) municipium Lucense nominat, et Festus (s. v. *Municipium*) inter exempla eorum, qui ad civitatem ex peregrinitate pervenerint, Lucenses ponit. Itaque Lunæ nomen eo magis restituendum puto Velleiique textum potius ex Liviano emendandum, quod apud Liv. XLV, 13 *Lunenses* coloni Romani a. 168 cum Pisanis controversiam de agro habuisse narrantur, qui quod remotiores a Pisanis Drakenborchio videntur, nescimus, quam late regio circumiecta in dicione Pisarum, florentissimæ in hac Etruriæ parte civitatis, fuerit. [In codice Vindobonensi scribitur *et una colonia*.] A. 180 Pisani Romanis agrum polliciti sunt, quo *Latina* colonia deduceretur; atque ad eam rem triumviri creati sunt (Liv. XL, 43); ea ubi sedem habuerit, nescio; nam mutato consilio Lunam civium pro Latina deductam fuisse, vix crediderim.

[2]) *De Dertona ambigi*, Velleius scribit inter Carthaginis (a. 123) et Narbonis (a. 118) mentionem.

scribit, *iussis.*[1]) Nam Carteia in Hispania a. 171 singulari modo constituta est ex Hispanis Semiromanis, quibus ex pluribus Hispaniæ partibus eo deductis Latinæ coloniæ ius datum ita est, ut veteres incolæ, qui vellent, coloni adscriberentur (Liv. XLIII, 3). Est hoc non dissimile eorum, quæ de Transpadanis postea Cn. Strabonis lege instituta supra narravi.[2]) Nec obscurum est, cur coloniæ veteres intra Italiam se continuerint. Accommodatum erat hoc institutum, paulatim præ-
289 sidia longius proferens, ad regiones non nimis longinquas, quæ sensim in potestatem veniebant, et ad eos populos, quibus ipsis societas et libertatis aliqua pars relinquebatur. Longinquæ terræ et transmarinæ aut Alpibus disiunctæ, gentium barbararum, non a Romanis tantum, sed ab Italis plane abhorrentium, quibus in provinciæ formam redactis magistratus Romani imponebantur, aliis modis retinendæ initio erant.[3])

Itaque sequuntur Gracchanæ coloniæ hoc solo consilio constitutæ, ut agro assignato, ubicunque fieri posset, paupertati civium subveniretur. In quibus quoniam nihil novi iuris constitutum est, nullum habent singularem in nostra quæstione locum. Tantum notanda Velleii exaggeratio, qui C. Gracchum novis coloniis replevisse aut saltem replere conatum provincias scribit (*replebat*, II, 6); ipse enim (I, 15) præter Italicas, Fabrateriam (quæ a. 124 deducta est), Scylacium, Minervium, Tarentum, Neptuniam, quæ quo loco fuerit, ignoratur, unam Carthaginem commemorat (cfr. Appian. Civ. I, 24, Liv. ep. 60), quam ipsam Plutarchus (C. Gracch. 9) Rubrii lege constitutam, sed a Graccho deductam scribit. Idem Plutarchus (c. 8) de colonia Capuam deducenda Gracchum tulisse legem narrat, quæ certe exitum non habuit, nec dixerim, reliquæne omnes

[1]) H. N. III, 123, ubi in vulgaribus editionibus est: *Sibyllinis libris a populo Romano conditum iussis*, nec Silligius ullam discrepantiam annotavit. Glossam, qua oratio prorsus turbatur, apud Harduinum sublatam video. *Sibyllina iussa* dicuntur ut *Sibyllina remedia* XI, 105.

[2]) [In Corsicam coloniam a C. Mario deductam testis est Seneca Cons. ad Helv. 7, 9; Marianam appellant Plin. H. N. III, 80 et Pomp. Mel. II, 7.]

[3]) Ab Transpadanis coloniis et illis, quæ postea in provinciis constitutæ sunt civium militares, Tacitus (Ann. IV, 5) colonias *antiquitus Romanas* seiungit et cum *vetere Latio* coniungit.

vere deductæ sint [quod negat Appianus Civ. I, 35: Carthaginem quidem, de cuius deducendæ consilio omittendo eo ipso tempore, quo C. Gracchus occisus est, comitia habita Appianus l. c. scribit, non deductam esse etiam ex eiusdem Pun. 136 (ἀνέσχεν ἡ βουλὴ τοῦ συνοικισμοῦ) intelligitur, quanquam repugnante Eutropio IV, 21]. Livii Drusi lex de XII coloniis trinorum millium (Plutarch. C. Gracch. 9. Appian. Civ. I, 23), lata ad plebis animos a Graccho avertendos, ut effectum non habuisse 290
cum Savignio putem, quamvis Plutarchus οἰκιστῶν ἔκπεμψιν commemoret (c. 10, in lege videlicet scriptam), facit Velleii Paterculi silentium, in tam propinqua ætate tot colonias non omissuri. Fortasse una et altera deducta est, ut illæ Italicæ quinque, quæ apud Velleium nominantur, non omnes Gracchanæ sint, deinde, Graccho victo, tota res abiecta. Civium autem intelligendas omnes has colonias patet; nam plebis Romanæ commodis prospiciebatur, nec probabile ullo modo est, ex solis civibus integras colonias Latinas constitutas esse, illa præsertim ætate, qua iam socii et Latini vehementer civitatem Romanam petere cœpissent et Gracchum aliosque faventes suis conatibus haberent.[1])

Coniuncta quodam modo cum illis Gracchanis conatibus videtur fuisse Narbonis Martii deductio, quam coloniam populari lege constitutam esse, a senatoria factione improbatam, ex Ciceronis aliquot locis intelligitur.[2]) Itaque ab initio civium fuit, ut appellatur a Cicerone (pro Font. 5, 13), non lege Iulia municipium. Ea enim lex triginta fere annis post et veterum coloniarum Latinarum statum mutavit et eas deducendi institutum penitus abolevit, nullis relictis populis, ex quibus propagarentur; in cuius locum iuris Latii donandi morem successisse supra diximus.[3]) Civium colonias Gracchano more, ita 291

---

[1]) [Walter Hist. Iur. Rom. I p. 203 not. 82 Latinas has fuisse colonias statuit, et has esse XII illas apud Ciceronem; nec movetur, quod Ariminum longe antiquior est colonia; nam in alias quoque novos esse deductos colonos. Sed tamen aliud est colonia nova, aliud supplementum colonorum. 1834.]

[2]) Pro Cluent. 51, 140 coll. Brut. 43, 160 et de Orat. II, 55, 223. Deducta est a. 118 (Vell., Eutrop. IV, 23, al. 10).

[3]) Iam ex iis, quæ de Transpadanis diximus, patet, quam vera sit interpretatio loci Dionis Cassii a nobis supra p. 248 posita. *Latinos veteres*

ut agri tantum plebi dividendi ratio haberetur, deducere quidam postea tentaverunt, ut Capuam M. Brutus incerto tempore (Cic. de Leg. agrar. II, 34, 92) et postea alias plures P. Rullus, cuius legi restitit Cicero consul. C. Cæsar consul pervicit, ut Campanus ager hoc modo divideretur coloniaque ibi constitueretur, deductaque sunt viginti hominum millia ex iis, qui tres liberos habebant (App. Civ. II, 10, Vell. II, 44, Suet. Cæs. 20. Dion. Cass. XXXVIII, 7, Frontin. de colon.), et ager a vigintiviris assignatus (Plin. H. N. VII, 53, Sueton. Aug. 4, Cic. Epp. ad Attic. II, 6 et alibi). Sed hæc fuit sola huius generis et plane extraordinaria largitio.[1]) Extraordinarium illud quoque, quod idem in Gallia Transpadana Novum Comum coloniam Latinam lege Vatinia (a. 59) condidit media quadam ratione inter antiquam et Pompeii Strabonis; nam vere deducti coloni sunt, sed non soli Latini (etsi fortasse plurimi, Transpadani) nec cives, sed multi peregrini.[2]) Pro veteribus igitur civium coloniis ortæ sunt solæque in usu manserunt militares, militibus, quorum emerita stipendia erant, in agros, quos præmii mercedisque loco haberent, deductis, cuius rei primum exem-
292 plum Sullam dedisse constat.[3]) Quod quum triumviri cum gravissimis sæpe iniuriis et vexationibus Italiæ, quam fastidiosi tum victores milites non fere excedebant, secuti essent, imperatorum ætate, perpetuis iam exercitibus per provincias castra tenentibus, in certam formam hoc militum post missionem sustentandorum genus redactum et per omnes provincias propagatum est. De quo universo genere nihil est quod plura

Plinius hos in Hispania appellat et *Latio antiquitus donatos* (H. N. III, 7), quod nuper universa Hispania a Vespasiano Latio donata erat (III, 30).

[1]) Velleius, Eporedia commemorata, *Nec facile*, inquit, *memoriæ mandaverim, quæ, nisi militaris, post hoc tempus deducta sit.* Oblitus igitur Capuæ videtur aut eam non pro nova colonia numeravit.

[2]) Parum diligenter Suetonius (Cæs. 28, ex quo legis latorem novimus) ita scribit, tanquam civitas colonis data sit; recte et explicate Appian. Civ. II, 26 (cuius fidem Cic. ad Attic. V, 11 confirmat). Civitatem etiam Strabo (V p. 213 C) appellat, ubi quingentos Græcos nobiles adscriptos narrat; causa est, quod paucis annis post Transpadanis civitas Romana a Cæsare data est. Græcorum illorum unus nominatur a Cicerone ad Fam. XIII, 35.

[3]) App. Civ. I, 96, 100, II, 140, 141; Liv. epit. 99, al.

dicam; nam civium iura hos colonos habuisse, quæ quidem illo tempore superessent, antea[1]) dixi; forma autem rei municipalis quæ imperatorum temporibus fuerit, institutave militaria non expono. Atque hæ sunt, quæ, ut Siculum Flaccum et Frontinum omittam, a Plinio recensentur coloniæ; qui quod interdum colonias et civium Romanorum oppida, quibus, quum peregrina fuissent, data erat civitas, ut in Hispania multis iam ab Iulio Cæsare, separatim nominat, velut III c. 3, 4 § 18 seqq. in recensu oppidorum Hispaniæ citerioris (nam de ea re dicturum me promisi)[2]), id non ad inferius coloniarum ius publicum pertinere, sed tantum ad distinguenda oppida, quod non inutile erat, quoniam in interna suæ rei administratione aliquid fortasse proprii habebant coloniæ militares, patet ex eo, quod semper, dignitatis ordine oppidorum genera disponens, colonias primo loco ponit (ut illo ipso loco: *continet oppida* 293
CLXXIX, in iis colonias XII, oppida civium Romanorum XIII, Latinorum veterum XVIII, fœderatorum unum, stipendiaria CXXXV). Ipse de Hispania Bætica accuratius loquitur, pro oppidis civium Romanorum magis proprie *municipia* appellans, coloniis tamen præpositis. Unum fortasse addendum est, ne in his coloniis militaribus scrupulus remaneat ex Gellii loco (XVI, 13), cuius reliqui errores sublati tota hac disputatione sunt, quæraturque, qui tandem fieri potuerit, ut imperatorum tempore municipia interdum coloniæ fieri, alia oppida in municipiorum formam redigi cuperent. Oppidis senescentibus invalidisque exoptata esse poterat novorum robustorumque civium accessio, quibus non suo damno (nam ea vis cum bellis civilibus sublata erat), sed de publico agri pararentur[3]); nec difficile est suspicari, has veteranorum colonias, in provinciis maxime, minus interdum provinciarum præsidum iniuriis expositas fuisse quam municipia peregrinæ originis. Rursus fieri poterat, ut, quibus non petentibus additi huiusmodi coloni essent, eorum superbia gravarentur, tum instituta municipalia vetera integra quam paululum colonis adiectis mutata mallent.

---

[1]) P. 247.
[2]) Supra p. 248.
[3]) Cfr., quæ de Puteolis, Tarento, Antio Tacitus scribit Ann. XIV, 27.

Expletum est fere, quod in suscipienda hac quæstione spectaveram. Nam de publico tantum coloniarum iure et cum populo Romano coniunctione et de universi instituti natura et
294 mutationibus dicere propositum erat[1]), non de deductionis cærimoniis et agrorum assignationibus similibusve rebus.

Quod si qui iudicabunt, ut nonnulla hac disputatione rectius certiusque constituta, ita simul multis modis in unius instituti exemplo apparere, quam sit difficile ex fragmentis historiæ Romanæ ab iis scriptoribus traditæ, qui saltem non studiosissimi institutorum publicorum veteris ætatis investigandorum aut in iis notandis diligentissimi fuerint, perspicuam plenamque rei publicæ Romanæ eiusque vicissitudinum imaginem conficere, quamque sit caute iis fides adhibenda, qui ad veteris prudentiæ civilis comtemplationem et admirationem homines vocant seque viam monstraturos pollicentur. contra hos ego quæ dicam, non habeo.

Visum est huic quæstioni earum coloniarum, in quibus huius instituti proprietas maxime cernitur, hoc est, quæ ante legem Iuliam per populos fœderatos sparsæ sunt, sub unum conspectum adductarum indicem subiungere, in quo iam pleræque eorum ope, quæ disputata sunt, ad suum genus certius revocabuntur. reliquaque emendatius ponentur quam in superiorum indicibus.[2]) Ab regibus igitur primis quæ deductæ tra-
295 duntur coloniæ, eas, quia postea e numero sublatæ sunt, in

---

[1]) Nescio an nonnulli, si aliorum similis argumenti libros evolverint, unum alterumve locum veteris scriptoris desideraturi sint, quem ego omiserim, quod nihil ad rem pertinere videretur; talis est Festi locus in epitoma de *Sanatibus*, tam lacer et corruptus, ut, si temeraria supplementa tollantur, nihil plane sit, quo quis in hac quæstione utatur. Quod coloniarum Italicarum mentionem nullam feci, ratio reddenda non est post ea, quæ Savignius (de iure Italic.) dixit et ego ipse in comment. de Ascon. Ped. p. 48. (Eandem rem Niebuhrius II, 91 attigit.)

[2]) Indicem coloniarum populi Romani usque ad bellum Punicum deductarum confecit Sigonius ad Liv. XXVII, 9; omnium usque ad legem Iuliam idem in libro II de antiquo iure Italiæ, Panvinius Imp. Rom. c. 11 in tomo I Thesauri Græviani, Bellefortius in operis de re publ. Rom. libr. VII cap. 4; alium, Sigonium et Freinshemium secutus, Hopfensackius Staatsrecht der Römer p. 152. Quæ Eckhelius ex nummis protulit (Doctr. Numm. vol. IV c. 23 p. 465 sqq.), fere ad colonias militares pertinent.

indicem non refero. Cæninas, Antemnam, Crustumeriam, Medulliam, Cameriam (postea deletam, Dion. V, 49), Fidenas, Collatiam, de quibus Dionysii et Livii testimonia supra adscripsi; solæ Fidenæ postea superfuerunt, quæ a. 438 ad Veientes defecisse narrantur (Liv. IV, 17), a. autem 435 receptæ (ibd. 22) et a. 428 novis colonis firmatæ esse (ibd. 30); a. 426 rebellantes captæ et pæne deletæ sunt nec ultra nomen in historia habent (ibd. 31, 34).[1]) Deinceps reliquæ hoc ordine constitutæ sunt aut primum commemorantur:

1. *Ostia* in Latio ab Anco Martio, maritima civium (vid. supra p. 226 et 264).

2. 3. *Signia* et *Circeii* in Latio Volscos versus a Tarquinio Prisco, postea restitutæ (p. 258 coll. Dion. VI, 43 init.), Latinæ, Signia inter octodecim, Circeii inter duodecim in bello Punico secundo (p. 267 sqq.). [Diodorus Sic. XIV, 102 extr. deductionem Circeiorum cum Satrico coniungit.]

4. 5. (*Cora* et *Pometia*, in Latio in Volscos versus, Latinorum, non Romanorum; p. 259).

6. *Velitræ*. Hæc a. 494 deducta est in agrum Volscorum (Liv. II, 31 (*ab urbe*), Dionys. VII, 13) et a. 492 aucta (Liv. II, 34). Cives Livius appellat etiam in defectionis narratione a. 382 (VI, 12, 17, 21). (Dionysius civium facit et iam ante colonos habuisse scribit, sed idem de Norba affirmat, quam Latinam fuisse constat.)[2]) Post multas rebelliones a. 340 belli 296
Latini contra Romanos particeps a. 338 durissimis condicionibus parere coacta (Liv. VIII, 14), postea non commemoratur, sine dubio quod in civitatem sine suffragio recepta est.

7. *Norba* in Pomptino Volscis finitima a. 492 (Liv. II, 34, Dionys. VII, 13), Latina, inter 18.

---

[1]) De Fidenatibus paulo post reges exactos deficientibus et subactis vid. Dion. V, 40 et 43, deinde 52 et 60 (ubi ampliantur colonorum agri, veteribus incolis parte suorum adempta). Liv. II, 19 Fidenas obsessas scribit; defecisse antea non narravit, nec postea subactas.

[2]) [Diodorus XIV, 34 extr. Olympiade 94 a. 4 (sed tribunis iis, qui a. 404 fuerunt) Velitris colonos additos scribit; quanquam codices *Οὐέντρας*.]

8. *Antium* a. 467, initio sine dubio Latina civitas a Romanis, Latinis, Hernicis constituta (supra p. 260), postea a. 338 civium maritima (p. 265).
9. *Ardea* in Latio, Rutulorum antea civitas, a. 442 (Liv. IV, 11, Diod. Sic. XII, 34), Latina, inter 12.
10. *Larici* in Latio a. 418, civium (supra p. 264).
11. *Vitellia* in Volscis fortasse a. 395, civium (ibd.).
12. *Satricum* in Volscis a. 384, civium (ibd.).
13. *Sutrium* in Etruria a. 383 secundum Vell. (*post septem annos, quam Galli urbem ceperunt*), secund. Diod. Sic. XIV, 117 iam ante incendium Gallicum, Latina, inter 12. [Socii Sutrini appellantur apud Livium VI, 3 et Zonaram p. 358 Par. et posteriore ætate apud Livium IX, 32 et 35.]
14. *Nepete* in Etruria a. 382 (Liv. VI, 16; secund. Velleium decem annis post Sutrium)[1]), Latina, inter 12.
15. *Setia* in Pomptino a. 378 novos colonos accepit, teste Liv. VI, 30; sec. Vell. anno proximo post Sutrium deducta; Latina, inter 12.
16. *Cales* in Campania a. 336 (Liv. VIII, 16, sec. Vell. a. 334), Latina, inter 12.[2])

297 17. *Anxur* s. *Tarracina* in Volscis a. 329 (sec. Vell. septem annis post Cales), maritima civium; vid. p. 265.
18. *Fregellæ* ad Lirim, inter Volscos et Sidicinos a. 328 (Liv. VIII, 22), Latina, inter 18; a. 125 hanc civitatem defectionem molientem deletam esse, notum est. Fregellani socii appellantur a Cic. de Leg. agrar. II, 33.
19. *Luceria* in Apulia a. 314 (Liv. IX, 26; sec. Diod. Sic. XIX, 72 a. 315, sec. Vell. 11 annis post Cales), Latina, inter 18. [᾿Αποικία Ῥωμαίων Polyb. III, 88.]

---

[1]) Hoc modo Velleius tempus notare solet, raro consules ponit; multa in numeris scribæ fortasse mutarunt.

[2]) [Quo pertineat, quod Diodorus Siculus XV, 27 extr. Olymp. 100 a. 3 quingentos colonos ἐπὶ ἀτελείᾳ Sardoniam missos scribit, propter nomen corruptum ignoratur.]

20. *Suessa Aurunca* in Campania a. 313 (Liv. IX, 28, sec. Vell. 3 annis post Luceriam, 14 post Cales), Latina, inter 12.

21. *Pontiæ*, insulæ Volscorum litori obiectæ, eod. anno (Liv. ibd.), Latina, inter 18. [Diod. Sic. XIX, 101 extr.]

22. *Saticula* in Samnio vel potius in Campania Samnitum, eodem anno (Fest. sub hoc nomine p. 340 Muell., qui consules diemque natalem Kal. Ianuarias notat; Livius coloniæ deductionem non annotavit, captum oppidum a. 315 narravit: apud Velleium male interpungendo huius nomen a Suessæ divellitur), Latina, inter 18.

23. [Quam hoc numero posueram, Casinum, adscripto Livii testimonio (IX, 28), tollitur nunc emendata illius loci scriptura. Nam Frontini testimonium p. 232 Lachm. ad coloniam militarem inferioris ætatis pertinet.]

24. *Interamna* (*Succasina*) in Volscis a. 312 (Liv. IX, 28, Diod. Sic. XIX, 105; sec. Vell. duobus annis post Suessam, 16 post Cales), Latina, inter 18.

25. *Sora* in Volscis in agro a Samnitibus possesso a. 303 iterum constituta (supra p. 268 not.; sec. Vell. decem annis post Interamnam, 26 post Cales), Latina, inter 12.

26. *Alba* in Æquis eodem anno, quo Sora (Liv. X, 1 et 298
Vell.), Latina, inter 12. [Appian. Hannibal. 39.]

27. *Carseoli* in Æquicolis in Marsos versus a. 298 (Liv. X, 13; nam a. 302 Marsi prohibuerant, Liv. X, 3; secund. Vell. duobus annis post Albam). Latina, inter 12.

28. *Narnia* in Umbria a. 299 (Liv. X, 10), Latina, inter 12. [Suppleta post bellum Punicum teste Plutarch. Flamin. 1.]

29. 30. *Minturnæ* et *Sinuessa*, in Campania a. 296, maritimæ civium (supra p. 265; sec. Vell. a. 295 Q. Fabio V, Decio Mure IV coss.).[1] [De Sinuessa vid. etiam Liv. XXII, 14.]

---

[1]) Huiusmodi unius duorumve annorum discrepantiæ ortæ ex eo esse possunt, quod alter scriptor annum, quo lex lata, alter eum, quo vere

31. *Venusia* in Apulia prope Lucaniæ fines a. 291 (teste Vell. et Dionys. Halic. in Excerpt. Vales. XVII et XVIII, 5 Kiessl.)[1]), Latina inter 18. Exhausta bello Punico secundo supplementum colonorum accepit a. 200 (Liv. XXXI, 49). [Hor. Sat. II, 1, 35 sqq.][2])
32. *Sena* in agro Gallico ad mare superum circa a. 282, maritima civium (supra p. 265 not.).
33. *Hadria* in Piceno circa hæc tempora, anno incerto, Latina, inter 18 (supra p. 265 not.).
34. *Posidonia* s. *Pæstum* in Lucania a. 273 (Vell. coll. Liv. ep. 14), Latina, inter 18.
35. *Cosa* in Lucania eod. anno (ibd.), Latina, inter 18.[3]) Huic post bellum Punicum laboranti coloni mille adscripti (Liv. XXXIII, 24).

299 36. *Ariminum* in Gallico agro a. 268 (Vell. coll. Liv. epit. 15), Latina, inter 18. De eius quodam iure vid. supra p. 282.
37. *Beneventum* in Samnio eodem anno (ibd.), Latina, inter 18. [Ῥωμαίων ἀποικία Polyb. III, 90.]
38. *Firmum* in Piceno initio primi belli Punici (supra p. 265 not.), Latina, inter 18.

---

deducta colonia sit, posuerit; eas res ne Livius quidem satis discernit.

[1]) Dionysius viginti millia colonorum missa scribit, inauditum et incredibilem numerum.

[2]) [Civium colonia belli Samnitici tempore Nuceriam deducta significatur apud Suet. Vitell. 1, sed incerta admodum auctoritate scriptoris cuiusdam genti Vitelliæ blandientis.]

[3]) Hanc vulgo (ut Hopfensackius, Zumptius in Annalibus, [C. O. Müller Die Etrusker I p. 126]) Cosam Etruriæ intelligunt, præeunte Freinshemio in suppl. Liv. XIV, 29, a quo iure dissentit Ruhnkenius ad Vell. quum propter adiunctam Posidoniæ mentionem, tum quod nihil omnino hac ætate in Etruria gestum est, in Lucaniam et inferiorem Italiam omnia versa. Secutus est Freinshemius, quod apud Plinium legitur (H. N. III, 51): *Cosa Volcientium a populo Romano deducta, Graviscæ, Castrum Novum, Pyrgi.* Verum ibi vix dubium esse potest, quin scribi debeat: *Cosa Volcientium, a populo Romano deductæ Graviscæ* cet. Cosam stirpis Etruscæ fuisse significavit addito Volcientium nomine; huic contrariam posuit Graviscarum originem.

39. *Castrum Novum* in Piceno circa eadem tempora, maritima civium (supra p. 265 not.).

40. *Æsernia* in Samnio anno post Firmum (Vell. coll. Liv. epit. 16), Latina, inter 18.

41. *Æsulum* in Latio annis 22 post Æserniam (Vell.), fortasse civium (supra p. 264 not.).

42. *Alsium* in Etruria eodem anno, maritima civium (supra p. 265).

43. *Fregenæ* duobus annis post Alsium, maritima civium (supra p. 265).

44. *Brundusium* in agro Sallentino anno post Fregenas, Torquato Semproniоque coss., id est 244[1]), (Vell. coll. Liv. epit. 19), Latina, inter 18.

45. *Spoletium* in Umbria triennio post Brundusium 300
(Vell. coll. Liv. ep. 20), Latina, inter 18 (supra
p. 268).

†) *Valentiam* biennio post deductam scribit Vell., nusquam alibi nominatam, ne in belli quidem Punici historia. Quæ si ulla fuit diversa a Vibone (vid. infra) nec ex confusione orta est, ignobili oppido in Calabria imposita et mox sublata est.

46. 47. *Cremona* et *Placentia* in Gallia ad Padum a. 218 Cornelio et Sempronio coss. (Ascon. ad Cic. in Pison. init., Polyb. III. 40, 3, Liv. epit. 20)[2]), Latinæ, Placentia Asconio teste, utraque inter 18. Quum Gallorum incursionibus attritæ essent (Liv. XXVII, 11, XXXI, 10. 21), a. 190 sex millia familiarum a triumviris eo deducta sunt (Liv. XXXVII, 46).

---

[1]) Hinc regrediendo per numeros Firmum et Castrum Novum referemus ad a. 270, id est, ante Ariminum et Beneventum ponemus; apparet, aut has colonias non recte ordinatas esse a Velleio aut numeros valde perturbatos. [Zonaras VIII p. 380 Par. brevi post Pyrrhum Italia summotum coloniam Brundusium missam tradit.]

[2]) His, non prioribus coss., deductas media æstate, Placentiam prid. Kal. Iun. ostendi in App. crit. disp. de Ascon. p. 20 et 21. Quod Asconius tradidisse putatur, hanc coloniam quinquagesimam tertiam deductam esse, in quo Heynius et alii hærent, in eo nihil adiumenti aut impedimenti quæstionis positum credet, qui Asconii textum ex una principe editione corruptissima pendere norit.

48. *Pyrgi* in Etruria incerto anno ante bellum Punic. sec., maritima civium (supra p. 265).

49. *Castrum* incerto loco in Campania, a. 199, maritima, ut videtur, civium.[1])

301 50. 51. 52. 53. 54. 55. 56. 57. *Puteoli*, *Vulturnum*, *Liternum*, *Salernum* in Campania, *Buxentum* in Lucania, *Sipontum* in Apulia, *Tempsa* et *Croton* in Bruttiis a. 194 (supra p. 285), maritimæ civium. (Puteoli colonia et eius decuriones commemorantur, quo tempore Sulla mortuus est, Val. Max. IX, 3, 8.) [In nobili inscriptione Puteolana de pariete faciundo (Bruns, Fontes p. 192 ed. 3) consules a. 105 a. Chr. nonagesimo post coloniam deductam anno assignantur.]

58. Ignoto nomine in Bruttiis a. 194 (vel potius ex lege hoc anno lata), Latina (Liv. XXXIV, 53).

59. *Thurii* eodem anno in Lucania, Latina (Liv. ibd.), [Latino nomine *Copiæ* testibus Strabone VI, p. 263 extr. et Stephano Byzant. s. v. Θούριοι.][2])

---

[1]) Livius XXXII, 7: *Censores P. Cornelius Scipio Africanus et P. Ælius Pætus Castrum* [sic Bambergensis aliique codices, non, ut vulgo edebatur, *Castrorum*] *portorium, quo in loco nunc oppidum est, fruendum locarunt, colonosque eo trecentos* (*is enim numerus finitus a senatu erat*) *adscripserunt.* Ex hoc loco a Sigonio (De ant. iur. Ital. II, 5) inter colonias male relatum esse *Castrum Portorium*, nemo non videt; sed coloniam in locum, qui tunc quidem Castri [non Castrorum] nomen habuerit, deductam, non minus patet. Quæ quod a censoribus constituta est, nihil habet admirationis, quum præsidium vectigalis novi instituti missa sit, fuerintque censores proprii descriptionis civilis curatores. Nam cives intelligi, et ex re et ex numero, quem sæpe iam vidimus, intelligitur. [Sed reliqua de hac colonia obscura et incerta sunt. Coniecturas posui Emendatt. Liv. p. 476 sqq. ed. 2, ubi in huius locum fortasse Vulturnum successisse suspicatus sum.]

[2]) Ex his duabus alterautra vere deducta traditur a. 193 apud Liv. XXXV, 9; nam inter triumviros nominatur *Q. Ælius Tubero, cuius lege deducebatur*; is porro legem de illis tulerat; sed ibi legitur in cod. *in castrum Ferentinum*, quod temere prorsus editores mutarunt, ut esset *in agrum Thurinum*, obliti, eius, quæ ut in Bruttios deduceretur latum legimus, nomen traditum non esse, itaque eam sine dubio significari obscuro

60. *Vibo Valentia* in Bruttiis a. 192, Latina (supra 302
p. 270 not.).

61. *Bononia* in Gallia Cispadana a. 189 ante diem tertium Kal. Ianuarias, Latina (Liv. XXXVII, 57 et Vell. Apud Livium XXXVII, 47 narratur, a. 190 senatum censuisse, ut duæ novæ coloniæ in agrum, qui Boiorum fuisset, deducerentur).

62. 63. *Potentia* in Piceno et *Pisaurum* in Umbria (agro Gallico) a. 184, civium (p. 253; iidem triumviri deduxerunt).

64. *Aquileia* in Galliæ Transpadanæ parte ulteriore a. 181 (Liv. XL, 34) ex lege lata a. 183 (XXXIV, 55, secund. Vell. a. 182), Latina.

65. 66. *Parma* et *Mutina* in Gallia Cispadana, ex lege a. 183 lata, civium (supra p. 286), quapropter etiam Cicero Philipp. V, 9 *coloniam*, non *municipium* Mutinam appellat (supra p. 270 not.).

67. *Saturnia* in Etruria eodem tempore, civium (Liv. XXXIX, 55).

68. *Graviscæ* in Etruria a. 181 (Vell. 182), ut videtur, civium (supra p. 287).

69. Ager a Pisanis a. 180 oblatus, in quem Latina colonia 303
deduceretur (supra p. 288 not.).

70. *Luna* (non *Luca*) in extrema Etruria a. 177, civium (supra p. 287 not.).

71. *Carteia* in Hispania a. 171, Latina (supra p. 288).[1])

---

illo nomine; ac si incredibile videtur, fuisse in Bruttiis castrum Ferentinum, cuius memoria post deductam eo coloniam trium millium peditum, trecentorum equitum prorsus evanuerit, quod ne mihi quidem probabile videtur, quum tanta diligentia Plinius aliique oppidula Italiæ enumerent, quærendus est in Bruttiis locus, cuius nonem pro illo substituatur, similius quoque scriptura quam Thurinum. Mihi *Terina* occurrebat, situm oppidum commodissime ad sinum maris, ut etiam Hannibal, quum retinere in potestate non posset, delendum putarit (Strab. VI, p. 256 Cas.).

[1]) [Carteiæ mentioni adiungenda, quæ de aliis quibusdam Hispaniæ oppidis longe ante bellorum civilium tempora ita narrantur, ut coloniæ aut

72. *Auximum* in Piceno a. 157, incerti generis (Vell.).

73. 74. 75. 76. 77. 78. *Fabrateria* in Latio 124 (Vell.), *Scylacium* in Bruttiis, *Minervium* et *Tarentum* in Calabria, *Neptunia* incerti loci, *Carthago*, secundum Velleium prima extra Italiam, a. 122 sec. Appian. Civ. II, 23, a. 123 sec. Vell., civium (supra p. 289).[1]

79. *Aquas Sextias* trans Alpes in Gallia a. 123 conditas coloniam appellat Livii epit. lib. 61; ut dubitem, Plinius facit, qui (H. N. III, 36) Latinum oppidum appellat, quod lege Iulia civium Romanorum factum esse oporteret; neque enim legis Iuliæ vim Italiæ fines circumscribere poterant.

80. *Dertona* in Liguria incerti anni et generis (Vell.).

81. *Narbo Martius* in Gallia provincia a. 118 (supra p. 290).

82. *Eporedia* in Gallia Transpadana a. 100, incerti generis (Vell.).

---

ipsum nomen ponatur aut saltem imago oboriatur. Appianus Hispan. 38 P. Scipionem belli Punici secundi tempore Italicam condidisse scribit sauciis militibus sedem; etsi coloniam non appellat, ipsum nomen de colonia Latina ex sociis Italis et Latinis constituta cogitare pæne cogit. Certius idem in Corduba Strabo III p. 141 C. significat his verbis: *Κόρδυβα, Μαρκέλλου* (M. Marcelli consulis a. 152) *κτίσμα . . . . . ᾤκησάν τε ἐξ ἀρχῆς Ῥωμαίων τε καὶ τῶν ἐπιχωρίων ἄνδρες ἐπίλεκτοι· καὶ δὴ καὶ πρώτην ἀποικίαν ταύτην εἰς τούσδε τοὺς τόπους ἔστειλαν Ῥωμαῖοι.* Postrema hæc quemadmodum cum iis, quæ de Carteia et Italica traduntur, concilianda sint, dubium est. Nam *οἵδε οἱ τόποι* Hispania tota intelligi videntur. Idem Strabo III p. 167 sqq., ubi Palmam et Pollentiam a. 123 a Q. Metello in Balearibus conditas scribit, hæc addit: *εἰσήγαγε δὲ ἐποίκους τρισχιλίους τῶν ἐκ τῆς Ἰβηρίας Ῥωμαίων.* Tantum civium Romanorum numerum illo tempore ex Hispania confici potuisse miror.]

[1]) Plutarch. C. Gracch. 9 tradit, Gracchi lege iussos, qui agros in coloniis acciperent, vectigal rei publicæ solvere. Id non tributum universæ coloniæ, sed vectigal agro, qui publicus fuisset, impositum intelligendum est.

Præter has in historia belli socialis Nola colonia appellatur 504
in epitoma libri 73 Livii, incerta fide, in historia autem turbarum Marianarum Aricia et Lanuvium in epit. libri 80, errore aperto, quoniam hæc oppida inde ab anno 338 municipia fuerunt.

IX.

De aliquot lacunis codicum Lucretii.[1])

305 Enarrabam proxima hieme scholis academicis partem Lucretii carminis de rerum natura. In ea enarratione sæpe admirari subibat, quantopere recentissimorum huius operis editorum et interpretum operæ in rebus sententiisque explicandis præstaret non solum Dionysii Lambini industria et doctrina, sed etiam Th. Creechii, viri alioquin non subtilissimi ingenii nec magnæ eruditionis, in disputationis ordine persequendo accurata diligentia, quamque falso vulgo et ab editoribus et ab aliis crederetur, recentissimo tempore in emendandis et ad integritatem revocandis Lucretii verbis permultum profectum esse, maxime G. Wakefieldii studiis.[2]) Is enim quum in scriptoribus Græcis edendis coniectandi temeritate et inscitia nomen suum inter philologos infamasset, in Lucretii carmine edendo codicum auctoritatem extollens et in eorum libidinem invectus, qui pro
306 Lucretii verbis audacissime sua supposuissent, fidem nimis facile invenit apud eos, qui in superioribus editionibus multa nimis sane audacter interpolata videbant. Sed Wakefieldius (præter-

---

[1]) Programma scriptum a. 1832 ad indicendum cœtum academicum, in quo medicinæ doctor rite inauguraretur.

[2]) Eichstædtius Wakefieldii editione effectum esse iudicabat, „ut nunc demum, quem librariorum stupor atque editorum audacia nobis pæne eripuisset, Lucretium in Lucretio agnosceremus.“

quam quod ipse codices meliores non adhibuit et codicibus antiquisque editionibus parum diligenter usus est) nihil sibi aliud proposuisse videtur, nisi bonam futuram esse editionem. in qua pauca verba legerentur, quæ non in uno alterove codice exstarent. ac ne hoc quidem constanter. Ita expulit ille quidem aliorum interpolationes, sed nec quales omnino essent Lucretii codices, quæsivit, ut appareret, possetne stari eo textu, qui in codicibus esset, an is tantum ideo restituendus esset, ut necessaria emendatio certo fundamento niteretur, an esset ille quidem mendosus, sed ita, ut emendationis spes abiicienda esset, nec quos codices sequi vellet, constituit. sed pro arbitrio, quod ubique oblatum erat, arripuit, ita ut sæpe codicum et meliorum et præter unum omnium bonæ scripturæ novandi causa menda apographorum recentissimorum præferret, ex plurium apographorum diversis erroribus novas scripturas componeret, ubique partim ex levissimis mendis coniecturarum perversissimarum causam peteret, partim eas sine eiusmodi causa aut in notis profunderet aut in textu poneret. Atque hæc omnia ita egit, ut sermonis Latini legum parum curiosus esset, sæpe sententiarum grammaticam formam et communem loquendi morem negligeret, sæpissime vim et mentem et cohærentiam orationis et Epicuream rationem. Itaque ubi hæc in commentario explicanda erant, aut coacervatione exemplorum non aptorum aut imitationibus investigandis aut declamando et ad omnia alia exspatiando res agitur. Nec difficile erat hoc modo codices sequi. Genus est omnino id criticæ et philologiæ, quod huius artis nomen in contemptum adduxit, in verbis et syllabis hærens, sententiam negligens, atque ob id ipsum ne verba 307
quidem assequens. Atque Wakefieldii editionem Eichstædtius expressit, recentissimus editor, Forbiger, et in textu plerumque (nam coniecturas Wakefieldii aliquot expulit) et in notis sequitur.[1]) Itaque ita se res habet in Lucretio, ut nunc cum

---

[1]) Exemplo esse possunt. et quomodo Wakefieldius scripturas, quas alii confessi se non intelligere mutarant, defenderit, et quam secure talia propagentur, duo loci libri primi, in quibus particula *quoniam* ita ponitur, ut nullius rei causam reddat. V. 754 [753 ed. Bernays.], aliquot argumentis contra eos, qui plura rerum primordia esse ponebant, prolatis, additur: *Huc accedit item, quoniam primordia rerum Mollia constituunt, quæ nos nativa videmus Esse et mortali cum corpore funditus:*

specie religionis. sed sæpe absurde erretur, quum olim licentius, sed interdum cum aliqua specie veræ sententiæ erraretur. Neque id reprehendendum est, scripturam corruptam potius servari quam temerariam interpolationem, quod religiosi est critici, sed defendi tanquam rectissimam, quod est verba pro sententiis amplectentis. Quare sæpius, quam volebam, me illæ scholæ interpretationis causa ad criticas quæstiones avocabant.
305 in quibus plane intellexi. quam incerta essent critica subsidia in Lucretii libris. quamque horum scriptura multis locis dubia Ex his quæstionibus nata sunt, quæ hac oblata scribendi occasione ita proferre constitui de duobus maxime Lucretii locis, ut simul ad codicum Lucretianorum universam condicionem perspiciendam pertineant.

I. C. Orellius ante aliquot annos scripsit, omnes Lucretii carminis codices nobis notos, fortasse uno excepto Gottorpiensi. qui tantum librum primum et partem secundi continet nec satis accurate collatus est. ex uno aliquo codice descriptos esse sibi videri.[1]) Difficile est de his codicibus rationem reddere. quod ne Lugdunenses quidem, post Gottorpiensem optimos. Havercampius diligenter adhibuit, Lambinus autem de suis codicibus pro illius ætatis more parum accurate tradidit. de superiorum vero editorum codicibus plane nihil constat. Sed tamen in locis corruptis ita conspirant et conspirant in iis mendis. quæ tantum ex communis archetypi scriptura aut

---

atqui Debeat cet. Superiores pro *quoniam* scripserant *quod iam*, non bene, quod tacite, nec per se recte. Sed Wakefieldius „probe declarari posse“ alterum sic putat: „His etiam *alia* accedit *difficultas, quum iam*,“ ut omiserit scilicet Lucretius id. quod dicere vellet, posuerit perversam particulam. (Mendum situm est non in *quoniam*, sed in *atqui* v. 756 [755 B.], ubi ponendam esse particulam *ut*, relatam ad verbum, quod est *accedit*, patet ex codd., in quibus est *ut qui*; ultimam versus vocem et syllabam non reperio.) Alter est locus in v. 1082 [1083 B.], ubi est in codd. *Præterea, quoniam non omnia corpora fingunt In medium niti, sed terrarum atque liquoris.* Superiores scripserant, a Lambino admoniti: *Præterea quoque iam.* Sed Wakef. explet sensentiam: „*Præterea alia insuper difficultas rationibus eorum adversatur,*“ *rel:* „*Hoc etiam, quo sibi minus constare videantur, illis potest obiici.*“

[1]) In Iahnii Annalibus Philol. III, 4 p. 86 not.

ad legendum difficili aut iam corrupta orta putari possint, ut verum illud esse dubitari nequeat, nullaque sit causa Gottorpiensem excipiendi, cui ex ceteris proximus est Lugdunensis is, qui Z littera apud Havercampium notatur.[1]) Verum ex iis codicibus, qui ab illo primo fonte derivati erant, quorum alii magis integram illius scripturam servabant, ut Gottorpiensis et 309
alter Lugdunensis et ex Lambinianis nonnulli, alii minus integram et iam hic illic coniecturis, ut fieri poterat, mutatam, quorum est alter Lugdunensis (apud Haverc. litt. Y notatus) et Bodleianus, unus aliquis admodum male habitus circa tempora renascentium litterarum in manus hominum doctorum in Italia venit, ex quo nova profluxit apographorum propago, quod Lucretii carmen, pridem propter difficultatem lectitari desitum, tum propter antiquæ orationis maiestatem celebrabatur, et in his apographis libere grassata est ea licentia, qua homines nonnulli brevi ante typographiam inventam aut pervulgatam codices mendosos et lacunosos temerariis coniecturis et interpolationibus sarcire studebant.[2]) Nota est res nunc e codicibus Ciceronianis et elegiacorum poetarum Latinorum. Et hi sunt illi codices, ad quorum fidem magna ex parte revocatum habemus a Wakefieldio Lucretii textum, et ex quorum apicibus ille coniecturas suas ducebat, quum Lambini aliorumque inter-

---

[1]) Apertissime res perspicitur ex versu libr. I, 658 [657 B.], qui in cod. Gottorp. et Lugd. Z sic scribitur: *Sed quia multa sibi cernunt contraria, mu*, ita ut pateat, extremam vocem in archetypo legi non potuisse: inde in ceteris codicibus factum est *musæ*, correctum ab editoribus *mussant*, quo facto cogebantur in fine versus 659 [658 B.] particulam *et* addere; in recentissimo autem apographo Pooriano (apud Wakef.) et in edd. vett. est *inesse*, quod Wakef. in textu posuit, ne aptum quidem verbum (ipse interpretatur *contraria esse*).

[2]) Cognatio et stirps cognoscitur ex lib. I, v. 1067 [1068 B.] sqq., ubi in his apographis et in editionibus antiquis, quæ ex similibus ductæ sunt, desunt extremæ voces quinque versuum deinceps positorum (in codd. Vindobon. Alteri, Pooriano, Cantabrigiensi, tribus Musei Britannici apud Wakef., edd. Brixiensi, Veron., Veneta), nisi quod in Catabrig. tentamina quædam supplendi apparent, quæ Havercampius ex alio cod. notata habet. Non est annotatum ab iis, qui varietatem scripturæ collegerunt, quis primus integros versus ediderit ex aliquo alterius generis codice.

polationes expulisset, ad sensum tamen aliquem a Lucretii opinionibus et disputatione non alienum plerumque accommodatas. Primum igitur patet, hanc omnem varietatem horum codicum negligendam esse; deinde autem, etiamsi diligentius collati fuerunt codices Gottorp., Lugdun., quique similes reperiri poterunt in Gallia Italiave aut alibi, quod sane suscipiet, qui operæ pretium in Lucretio recensendo facere volet, tamen re vera unius tantum neque satis integri codicis scriptura habebitur. Sed horum utrumque, et ex uno codice omnes etiam meliores esse derivatos et illum non integerrimum et ad legendum difficilem fuisse, maxime apparet ex eo, quod iisdem in locis omnes, qui noti sunt, codices lacunas habent. Velut in libro primo, ubi de Anaxagoræ ὁμοιομερείᾳ disputatur, in codicibus hi versus leguntur (859, 860, 862—865):

Præterea, quoniam cibus auget corpus alitque,
Scire licet, nobis venas et sanguen et ossa
. . . .
Sive cibos omnes commixto corpore dicent
Esse et habere in se nervorum corpora parva
Ossaque et omnino venas partesque cruoris,
Fiet, uti cibus cet.

Sed quum perspicuum esset, deesse prioris apodoseos partem, ad hiantem orationem explendam excogitatus est et ab omnibus receptus versus ad sententiam rectus (861):

Et nervos alienigenis ex partibus esse.

Is versus in uno apographo sæculi XV exstat, ceterum ne in primis quidem editionibus. Similis est locus in libro III, ubi de immortalitate animæ hi versus in codicibus leguntur (830 [817 B.] sqq.):

Quod si forte ideo magis immortalis habenda est,
Quod vitalibus (letalibus) ab rebus munita tenetur,
Aut quia non veniunt omnino aliena salutis,
Aut quia, quæ veniunt, aliqua ratione recedunt
Pulsa prius, quam, quid noceant, sentire queamus,
. . . .

Præter enim quam quod morbis tum corporis ægrit[1]), 311
Advenit id, quod cet.

Apparet, deesse apodosin respondentem protasi (*quod si* cet.). cui apodosi annectantur rationes (*Præter enim*). Itaque additus est versus huiusmodi:

Scilicet a vera longe ratione remotum est;

isque in antiquis edd. male ponebatur post illum versum: *Quod vitalibus* cet., inde a Lambino suo loco; quem quod Wakef. et Forbiger spurium putant, quis non videt, nullam eum habere auctoritatem? quod autem „prorsus superfluum". nemo credet, qui inanem sonum a sententia verbis comprehensa distinguet.[2]) In sexto libro, quo loco Lucretius a terræ motibus commemorandis transit ad alia naturæ miracula explicanda, ne Wakefieldius quidem negavit, ante versum 609 [608 B.] (*Principio mare mirantur non reddere maius Naturam*) necessario statuendum esse aliquid in codicibus, qui hunc versum versui 607 subiiciunt, excidisse. Nihil enim habent illa *principio mirantur*, quo referantur. Itaque additur iam inde 312
ab editione Iuntina v. 608. Sed, ut dicam, quod sentio, plura ibi exciderunt, quam quæ illo uno versu dicuntur. Certe ne illo quidem supplemento addito recte ponitur *principio*; significat enim in iis, quæ præcesserint, plures res comprehensas. ex quibus primum poeta maris naturam expediat. Itaque horum et similium locorum (ex quibus nunc succurrit III, 614 [612 B.], ubi recentissimi editores ad nominativum *anguis* non

---

[1]) Versus hic corruptus est; particula enim *tum* plane aliena est; nec. quam auctoritatem habeat *ægrit*, constat; nam Havercampii silentio de codd. Lugdd. credi non potest. Sensus patet.

[2]) Ceterum rectissime Lambinum pro *vitalibus* scripsisse *letalibus*, satis. opinor, ostendunt ea, quæ adiiciuntur. Non quæritur, cingantne animam et muniant *res vitales*; et quæ hæ intelligerentur? sed, habeantne accessum ad eam, quæ vitæ infesta sint, necne. Forbiger, retenta cum Wakefieldio librorum scriptura, conferri iubet testes, sane supervacaneos, qui ostendant Latine dici *munire ab aliqua re*, ne id quidem cogitans, illos ostendere, hoc dici pro eo, quod est *contra aliquam rem*, quod pertinet ad Lambini scripturam; ipsi citandi erant, qui ostenderent, *munitum a vallo* dici pro eo, quod est *munitum vallo*; ac sane non sine causa testes anquisivisset; neque enim credo Latinum id esse.

attenderunt) ea est ratio, ut versus illos non ab ipso Lucretio scriptos esse satis constet, sed tamen huiusmodi aliquid desiderari manifestum sit, quum omnes codices ob communem originem manci sint.[1]) Iam hæc disputatio ad ea transferetur, quorum causa hæc præparavi. Ostendam enim in uno loco libri primi, altero secundi lacunas esse complurium versuum, quibus non animadversis ratio sententiæ et verborum reddi nullo modo recte possit. Disputatur in aliqua parte libri primi, Omne (*τὸ πᾶν*) infinitum esse, corpore et spatio inani quoquoversus sine limite patentibus, idque, ut solet fieri in Epicuri disciplina et apud Lucretium sæpissime, agitur iisdem argumentis parum subtiliter, quasi diversa sint, in aliam atque aliam formam conversis. Hoc loco hi versus ponuntur (1007 [1008 B.] sqq.):

Ipsa modum porro sibi rerum summa parare
Ne possit, natura tenet, quia corpus inani,
Et quod inane autem est, finiri corpore cogit,
Ut sic alternis infinita omnia reddat.
Aut etiam alterutrum nisi terminet alterum eorum
Simplice natura pateat tamen immoderatum
Nec mare nec tellus nec cæli lucida templa
Nec mortale genus nec divom corpora sancta
Exiguum possent horaï sistere tempus.

313 Et primorum quidem quattuor versuum sententia obscura non est; ex Epicuri enim doctrina, quum omnis natura ex atomis (corpore) et inani separatis constaret, si natura finita esset, ea pars eius, quæ corpore constaret, finiretur inani; hoc autem ipsum, ut esse finitum posset, haberet, quo finiretur; id esset necessario corpus; iam hoc corpus, quod inane finiret, iterum ipsum finiretur inani; exsisteret igitur vicissitudo perpetua, infinita omnia reddens. Verum de duobus proximis versibus eorumque cum iis, qui eos excipiunt, coniunctione valde dubitatur; itaque nulla interpunctionis signa posui. Affirmat Lambinus, si quis locus in hoc libro difficilis sit et obscurus, hunc

---

[1]) [Nominativum recte Lachmannus defendit, non item zeugma durum in *conquereretur*.]

esse. Sed tamen, de qua re agatur, nec eum nec alios superiores interpretes fefellit; est enim et per se apertum et comparatis Epicuri verbis in epistola ad Herodotum (apud Diog. Laert. X, 41, 42) magis etiam patet. Relinqui in illo argumento Epicurus putabat, ut diceret aliquis, non tamen utramque naturam infinitam esse, sed aut corpus (atomorum multitudinem) inani finiri, ita ut inane infinitum pateret, aut inane finitum corpore sine fine patenti claudi; itaque neutrum horum fingi posse demonstrabat.[1]) Sed apud Lucretium quum versu 1013 (*Nec mare nec tellus* cet.) et proximis aperte contineatur altera pars sententiæ hypotheticæ, describaturque, quid futurum sit, si finita corporis multitudo cingatur infinito inani, hærebant, quum huius sententiæ protasin, hypothesin continentem,
ex illis duobus versibus *Aut etiam* cet. elicere studerent. Et 314
iure hærebant; neque enim in eam partem eorum versuum verba detorqueri possunt; nec conatus interpretum refellam, quorum unus Creechius sua interpretatione confidebat, quum minus quam ceteri videret, quid eam everteret. Nam *alterutrum* quum sua natura disiunctivum sit et quum aperte hunc sensum faciat: „si aut corpus inani, aut inane corpore non terminetur," ille pro definito sumpsit, quum ita exprimeret circumloquendo: „*si vero alterutrum non terminet eorum alterum* (*Corpus videlicet Inane*)"; deinde et is et ceteri, quum versum *Simplice natura* cet. superiori coniungerent aut addita, ut Lambinus, aut intellecta, ut Creechius, particula *et*, ex negativa tamen particula condicionali (*nisi*), ad hanc sententiæ partem affirmativam (*si*) pertinere voluerunt, quod fieri non posse patet. Sed lubet videre, quam facile se et recentiores Wakefieldius expediverit. In uno recentissimo apographo (Britann. 3) et in vulgaribus aliquot editionibus repperit in v. 1012 *et* post *natura* supplementi, ut dixi, causa additum. Ex eo quum

---

[1]) *Καὶ μὴν καὶ τῷ πλήθει τῶν σωμάτων ἄπειρόν ἐστι τὸ πᾶν καὶ τῷ μεγέθει τοῦ κενοῦ· εἴτε γὰρ ἦν τὸ κενὸν ἄπειρον, τὰ δὲ σώματα ὡρισμένα, οὐδαμοῦ ἂν ἔμενε τὰ σώματα, ἀλλ' ἐφέρετο κατὰ τὸ ἄπειρον κενὸν διεσπαρμένα, οὐκ ἔχοντα τὰ ὑπερείδοντα καὶ στέλλοντα κατὰ τὰς ἀνακοπάς· εἴτε τὸ κενὸν ἦν ὡρισμένον, τὰ δὲ σώματα ἄπειρα, οὐκ ἂν εἶχε τὰ ἄπειρα σώματα, ὅπου ἂν ἔστη.*

fecisset *ut*[1]), „tanta se luce totum locum perfudisse" putabat, „ut nihil clarius aut facilius intellectu desiderari posset"; ita enim declarari poetæ sensum: „Hoc si neges, nec natura hoc modo, finibus scilicet alternis vacui ac corporis, ita simpliciter res omnes terminet, neque hac condicione terminet, ut vacui vel corporis perpetua sit extensio, et spatium undique sine limite alius cuiuslibet generis propagetur; hoc, inquam, ni fiat, nec mare nec tellus cet." Opinor, non postulatur refutatio eorum, quæ nemo, non dico, quo modo ex Lucretii verbis
315 efficiantur, sed quem omnino sensum habeant, intelligere potest. Quid est enim, naturam terminare omnes res? (Lucretius negavit, rerum summam sibi modum ponere posse;) et terminare simpliciter? et terminare ita, ut sit perpetua extensio? Satis patet, ne in mentem quidem venisse quærere, quid ageretur poetæ disputatione; et ex hoc exemplo intelligi potest, qualis sit illa restitutio integritatis Lucretii carminis, ad quam nec cognitionem rerum a Lucretio tractatarum nec curam sententiæ nec verborum ipsorum diligentem et subtilem interpretationem valde pertinere Wakefieldius putasse videtur.[2]) Sed, ut ad rem

---

[1]) Forbiger videtur hanc omnium codd. et edd. scripturam putasse et omnino locum tanquam apertissimum tacitus præterit.

[2]) Addam unum ex infinitis huius pæne incredibilis inscitiæ in sententiis et argumentis poetæ percipiendis exemplum, ut pateat non solum, quam nullam opem locis difficilibus hæc et superstitiosa et temeraria critica attulerit, sed etiam, quam sana et facilia corruperit. Non longe a principio libri secundi Lucretius atomos præter naturalem motum ponderis et plagæ tertium quendam habere liberiorem, declinandi, demonstrat; id patere ex libera animi ex atomis subtilissimis compositi voluntate, qua corpus regat (v. 251 sqq. Cfr. de re nota Cic. de Fat. 10); multum enim interesse inter corporum nostrorum motum extrinsecus et vi ortum et hunc ab animo profectum (arbitrarium); itaque concludit disputationem his versibus (284): *Quare in seminibus quoque idem fateare necesse est, Esse aliam præter plagas et pondera causam Motibus, unde hœc est nobis innata potestas, De nihilo quoniam fieri nil posse videmus.* Quid apertius? Quoniam nos liberum habemus motum, nosque sumus ex atomis, nec quicquam ex nihilo oritur, in atomis iam sit ille motus necesse est, et inde nos eum habeamus. Et consentiunt codices. At Wakefieldius, quum in veteribus quibusdam editionibus repperisset *ollis* pro eo, quod est *nobis*, recepit, „rem ipsam ad ravim contra alterum vociferari" testatus. Secutus Forbiger negat se videre, quem iustum sensum altera scriptura efficiat. Nimirum is

redeamus, duo illi versus satis sunt perspicui, si seorsum considerantur, seposita aliquantisper eorum, quæ sequuntur, 316
cura, ipsumque illud continent, quod maxime dicendum erat, si non ita, ut dictum esset, alternis corpus exciperet inane, inane autem corpus, alterutrum tamen, aut corpus aut inane, infinitum patere, altero non terminante, ut simplex quoddam esset infinitum; tantum post *alterutrum* interpungenda oratio est:

> Aut etiam alterutrum, nisi terminet alterum eorum,
> Simplici natura pateat tamen immoderatum.

Hæc divelli nullo modo possunt. Sed et res et Epicuri verba et ea, quæ subiiciuntur, aperte declarant, ex iis, quibus ostendendum erat, neutram huius disiunctionis partem veram esse posse, omissa esse ea, quæ pertineant ad inane finitum corpore infinito terminatum, quæ cur ab Lucretio, qui studiosissime Epicuri argumenta persequitur et dilatat, omissa sint aut qui omitti potuerint, ratio reddi non potest, deinde ex iis, quæ ad alteram partem pertinent, ipsius hypothesis propositionem, ad quam referantur proximi versus. Verissime igitur Tanaquillus Faber versus aliquot excidisse suspicatus est; neque enim uno et altero omnia illa comprehensa esse poterant; eamque suspicionem, ab ipso breviter positam, hac accuratiore disputatione satis confirmatam puto. Itaque ad alterum venio locum, de quo nemo huiusmodi quicquam suspicatus est, etsi ipsi codices ad rem reperiendam duces sunt. Nam in secundo libro eius loci, quo celeritas singularum atomorum commemoratur et cum solis radiorum cursu comparatur, hic est in editionibus exitus (v. 160 [161 B.] sqq.):

> Debent nimirum (atomi) præcellere mobilitate
> Et multo citius ferri quam lumina solis,
> Multiplexque loci spatium transcurrere eodem
> Tempore, quo solis pervolgant fulgura cælum:
> Nam neque consilio debent tardata morari, 317

demum bonus est sensus, habere atomos debere liberam potestatem se movendi, ex qua illis ea potestas orta sit.

Nec persectari primordia singula quæque,
Ut videant, qua quidque geratur cum ratione.

Sequuntur deinceps versus, quibus in eos poeta invehitur, qui nisi divino numine mundum tam accommodate ad humanas rationes gubernari non posse credant. Miror in his neminem valde hæsisse, quæ infinitam habent reprehendendi materiam, explicandi nullam rationem. Cur atomi celerius irent quam solis lumina, satis erat ante expositum, quod neque per aeris undas obstantes, sed per inane moverentur, neque connexæ plures inter se retraherentur (149 [150 B.] sqq.). Sed tamen subiiciuntur novæ causæ *Nam neque consilio* cet. Verum hæc causarum mentio quam est absurda! Non tardantur consilio. Quis id aut in atomis suspicatus est aut suspicari potuit aut in ulla re simili, cuius cum celeritate illarum cursus compararetur? an solis radii consilio tardabantur? Deinde non coguntur persectari primordia singula quæque, id est, semetipsas, ut videant, qua ratione res gerantur. Quæ est tandem hæc insania, ideo atomos celerius ferri dicere, quod id non faciant, quod non magis aut solis lumina aut ulla alia res faciat, et quod id non agant, quod vix ridendi causa cuiquam aut Epicureo aut alii in mentem venire possit ut atomis tribuat, curam videndi, quid mundo fiat? Hæc, si quis attendit, tam sunt absurda, ut vix in tali causa mentione dignum esse videatur, ea, quæ sequuntur, perinepte subiici. Nam quam habet coniunctionem atomorum celeritatis et divinæ providentiæ mentio? aut quid habet contrarii, atomos celerius ferri quam solis lumina, et mundum regi deorum providentia? Sequitur enim: *At quidam contra hæc* cet. Sed, ut dixi initio, ipsi
318 codices indicium faciunt rei per se apertæ. Nam versus ille (164): *Nam neque consilio debent tardata morari,* in nullo est codice nisi in apographis Musei Britannici, de quorum auctoritate hinc iudicium fieri potest, et ne in antiquis quidem editionibus omnibus. Itaque locus sic scriptus est:

Tempore, quo solis pervolgant fulgura cælum.
. . . .
Nec persectari primordia singula quæque,
Ut videant, qua quidque geratur cum ratione.

Iam nemo leviter admonitus non videt, ea, quæ his duobus extremis versibus continentur, pertinere ad deos et ad describendam Epicureo more infinitam illam molestiam et indignam tanta maiestate curam, quam Epicurus eos habituros docebat, si immiscerentur administrationi mundi. Atque hoc ipsum erat, quod præcessisse clarissime ostendebant illa in proximo versu: *At quidam contra hæc.* Patet igitur, ante hos versus excidisse fortasse plura, sed certe locum complurium versuum, in quo commemorata esset rerum origo ex illo fortuito motu et celeri atomorum sine divino numine, ita ut eius loci nunc tantummodo extrema pars supersit. Eam lacunam nescio quis ita explevit misello illo versu, ut ad atomos traductis, quæ de dis dicta erant, locum pæne omnium, qui in Lucretii carmine corrupti pro sanis leguntur, ineptissimum effecerit. Intelligitur autem nunc, repertis reliquiis initii huius loci, quod maximam partem intercidit, quam inanis sit suspicio Forbigeri (in dissert. de Lucretii carmine (Lips. 1824) p. 40) totum locum interpolatum opinantis, quod Lucretii more extremi versus (177-181 [178—182 B.]) in libro quinto (196—200) repetuntur. Iam sive in illo codice, ex quo nostri descripti sunt, pars aliqua folii perierat, sive scriptura situ et vetustate evanida legi non 319
poterat, facile intelligitur, eam labem etiam ad proxima pertinere potuisse. Et sunt in iis versibus, qui sequuntur, plura corrupta (*At quidam contra hæc ignari, materiai Naturam non posse deum sine numine reddi Tantopere humanis rationibus admoderate*); nam neque omissio verbi finiti, quod est *dicunt*, aut similis alicuius in huiusmodi sententia defendi ullo modo potest, nec natura redditur *admoderate*, sed *admoderata*; itaque ut audax est eorum ratio, qui *rentur* pro *reddi* legunt, ita eorum prava superstitio, qui sana hæc putant. Deinde, ut omittam, dubitari posse de coniunctione initii versus 171 et superiorum, et in versu 173 incertissimum esse adverbium hoc uno loco lectum *blanditim*, quod codicum optimorum corruptæ scripturæ *blanditur* supposuerunt, quum tamen non blande mortales sæcla propagent, sed blanditiis illecti, quod illo vocabulo non exprimitur, — sed ut hæc omittam, versus 181 unus est ex iis, qui plurimi sunt in Lucretii libris, ubi codices integriores, id

est, ut dixi, apographa antiqua primi illius communis codicis, propter evanidam sine dubio eius scripturam verba quædam et syllabas omiserunt, versu fracto non minus quam senten-
320 tia.[1]) Nam quum in cod. Gottorpiensi et utroque Lugdunensi scriptum sit:

Naturam mundi: quanquam prædita culpa,

expletum hoc est in alterius illius recentioris stirpis apographis: *quanquam hæc sint* (*sunt*) *prædita culpa.* Superiores editores, intellecto et per se et ex loco libri quinti, quæ esset Lucretii sententia, substituerant: *quæ tanta est prædita culpa*; nec poterat poeta hæc verba variare, quæ ipsum continent caput sententiæ Epicureæ utroque loco positæ, ex pravitate naturæ mundi perspici, non divinitus eum esse creatum. Sed eos Wakefieldius, illa apographorum supplementa amplexus, graviter reprehendit mirificamque excogitat interpretationem: „licet in hominum reprehensionem hæc philosophia incurrat, quasi scelestis et impiis ex elementis constituta". Neque pronomine *hæc* in medio cursu explicationis rerum nude posito significari philosophiam Epicuream posse, neque *præditum esse culpa* esse *in reprehensionem incurrere*, non est, quod ostendam; nec illi quasi de nubibus cadenti invidiæ remotioni hic locus est, quæ in quavis pagina æque commode, id est, incommode poneretur. Ea suum locum habet in procemio libri et carminis (I, 81 [80 B.] sqq.).

Hæc lacunarum omnibus codicibus communium demonstratio, quarum origo satis aperta est (nec improbabile est, si, quod nondum facere potui, perattente omnes ceterorum li-

---

[1]) Huiusmodi est, ut unum ex multis afferam, libri primi v. 1032, in codd. sic scriptus:

solis terra vapore
Fota novet fetus, summaque (summa qua) gens animantum.

Substituit nescio quis editor *summissaque gens animantum*; audacter; quis enim neget? Sed Wakefieldius „modestius" scripsit *summā quoque*, hac apposita interpretatione: „ita floreat, ut summa eius consistat sine interitu toto, id quod aliter eveniret". Hoc est *summā florere*!

brorum corrupti loci examinentur codicumque vestigia notentur, complures similes repertum iri), simul magnam vim habet ad aliam quæstionem de Lucretii carmine motam. Quum enim ex eo, quod grammatici aliquot antiqui, maxime quidem Servius eo modo, ut erroris et confusionis nominum suspicio tollatur, versus quosdam Lucretii commemorant, qui nunc in
hoc carmine non exstant, satis constaret, pleniores eos habu- 321
isse codices Lucretii, quam nostri sunt, de duplici huius carminis recensione antiqua suspicio orta est, quam opinionem post Eichstædtium (in commentatione de Lucret. vit. et carm. ante eius editionem) nuper Forbiger (in *dissertatione de Lucretii carmine a scriptore serioris ætatis denuo pertractato*) ita exornare studuit, ut tamen illius recensionis neque rationem neque causas satis explicaret. Iam autem patet, illos locos in nostris codicibus propter eandem causam desiderari atque eos, quorum initia aut exitus superesse videmus, quum reliqua exciderint, propter eius codicis, ex quo omnes nostri ducti sunt, condicionem. Velut quod Servius ad Virg. Georg. II, 42 sqq. et ad Æneid. VI, 625 sqq. (*Non ego cuncta meis amplecti versibus opto, Non, mihi si linguæ centum sint oraque centum, Ferrea vox* cet.) scribit, Lucretii esse versus, sed eum *aeneam vocem*, non *ferream* dicere. perspicuum est, huiusmodi versus optime locum habere potuisse in iis, quæ ante v. 610 libri sexti excidisse dixi, poeta ad miraculorum mundi diversissimi generis rationem reddendam accedente. Verum simul hac nostra disputatione quasi obiter aliquot exemplis aliqua ex parte patefactum esse puto, qualis sit totius huius carminis critica condicio, quamque frustra, si paucissima exceperis et fere minuta, recentiores sibi gratulati sint de eius emendatione, quum partim pro coniecturis Lambini et aliorum substituissent non minus auctoritate destituta et multo peiora commenta hominum, qui sæculo XV recentissimos codices interpolarunt, partim simpliciter tanquam sana defendissent et intelligi posse putassent menda codicum communia, sensum nullum habentia, quæ eatenus tantum cum corruptionis nota revocanda erant, ut, quum
certa emendatio non suppeteret, ne luderemur temerariis 322
coniecturis. Atque huius generis loci multi ubique sunt,

plurimi in extremis libris, ubi codices mendosiores sunt quam in primis.[1])

[1]) [Tractavi postea servatam in bibliotheca universitatis nostræ, cui præpositus sum, ipsam accuratam M. Gudii codicis Gottorpiensis collationem. Nihil ex ea præter ea, quæ iam nota sunt, magnopere exspectandum est. Recentiorum interpolationes tolli possunt. Cetera in Lucretii carmine aut coniectura efficienda sunt, quæ multis locis, vestigiis codicum insistens ac Wakefieldiana prudentior, opem ferre poterit, aut desperanda. 1834.]

X.

De locis aliquot Ciceronis orationum Verrinarum dissertatio critica.[1])

Menda librariorum ex veterum scriptis tollere per aca- 323
demicæ scriptionis opportunitatem et antea studui et nunc idem facere ingredior et sæpius, opinor, posthac hoc scribendi argumentum sumam. Est enim eiusmodi, quod particulatim tractari possit factaque intermissione statis temporibus repeti; et quum multa mihi huius generis materia ex frequenti veterum monumentorum tractatione collecta sit et subinde crescat, nulla est commodior via eam sine ulla alienorum admixtione ad usum eorum, qui in iisdem monumentis occupantur, promendi quam hæc secundum scriptores et libros, ad quos pertinet, disposita per quandam seriem explicatio, mihi præsertim, qui ab editionibus veterum scriptorum curandis voluntate studiisque alienus sim et ab externo eius rei instrumento remotus nec quicquam minus probandum in litteris philologicis putem quam editionum, quæ singulæ exiguum aliquid proprii habere videantur, inconsideratam multiplicationem.

Hoc tempore quasi spicas colligere decrevi et ad opus, in 324
cuius emendatione nuper magna facta est progressio, emenda-

---

[1]) Edita bipartito 1832 et 1833, prior pars ad indicendam sollemnem duorum medicinæ doctorum inaugurationem, altera, quum natalicia regis agenda essent.

tionis supplementa conferre; nam Verrinarum Ciceronis orationum locos aliquot expolire in animo est, quas orationes C. T. Zumptius, vir doctissimus. ita recensuit, ut eandem auctoritatem eandemque rationem sequeretur, quam ipse probaveram (in epist. crit. ad Orellium et in disputationis de Asconio Pediano appendice crit. a. 1828 editis). sed et multo maiore uteretur apparatu et, quod ego tantum in extremis libris accuratius in præcipuis locis persequi potueram, quia in reliquis instrumentum criticum deficiebat, ad priores quoque et ad omnem textum transferret.[1]) In quo negotio quum, suis iam compositis et pæne typographo traditis, mea quoque compararet, suis plerumque consentanea, in paucissimis locis dissentiens, tamen, nescio quo casu, in uno et altero loco etiam ex iis, qui in epistola maturius ad eum allata tractati sunt, eorum, quæ a me exposita erant, rationem non habuit, quum tamen neque dissensum significaret neque, ut opinor, dissentiret in omnibus certe; nimis enim est in nonnullis perspicua res; in uno quidem loco, etiamsi nemo de ea re dixisset, tamen editori aliquid erat annotandum. Nam in libr. V, 16, 40 pro eo, quod scriptum erat *responsum nullum dedisti*, scribendum esse *responsum dedisti*, quanquam iis argumentis evici (epist. ad Orell. p. 41), ut contra dici vix queat (et obsecutus est Orellius in editione singulari libri quinti), tamen, si dissensit Zumptius, casu factum esse debet, ut hanc codicis eius familiæ,
325 quam sequitur, præstantissimi et Leidensis memorabilem scripturam omnino non annotaret, quam ego vix adducor quin in Guelferbytanis quoque codicibus eum reperturum fuisse credam, certe in altero eorum. Nec dubitare possum, quin Zumptius, nisi casu admonitionem neglexisset, intellecturus fuerit, in libr. IV, 64, 143 transpositione Victoriana contra omnes codd. facta: *quem ne nudus quidem filius* (pro *ne quem nudus quidem filius*), quam reliquos editores sequens certissimam coniecturam appellat, prorsus everti et orationis formam et sententiam, quod et Garatonius sensit et ego demonstravi in ep. ad Orell.

[1]) Nitebar ego una collatione codicis Parisiensis ab ignoto homine facta et iis, quæ alii parum diligenter ex similibus codicibus enotaverant.

p. 56.[1]) In primi quidem libri c. 57, 149, quem locum rectiore interpunctione sine ullius litterulæ mutatione expedivi in ep. ad Orell. p. 89, quum contrarium prorsus menti Ciceronis sensum in editionibus habeat, Lambini correctionem, quo idem incommodum, a reliquis non animadversum, tollere volebat, Zumptius ita reiecit, ut sententiam ne eum quidem perspexisse pateat. Testes dicit esse et accusatoris et rei. At rei sunt testes, qui ab eo pro sua causa producuntur; qui igitur dici potest, nihilo *apertiorem* fore fraudem, etiamsi *reus* uno minus teste ad se defendendum utatur? Nec Habonio teste Verres usus est, sed eius silentium, ne a Cicerone produceretur, emit.[2]) Similem casum non possum non suspicari accidisse in libr. V. 326
5, 11 (vid. ep. ad Orell. p. 89) et III, 28, 69 (ibd. p. 91), quorum locorum alterum de coniectura Zumptius mutavit, obstante etiam Vaticani cod. nova auctoritate et usu sermonis; nam *quam rem* ita adiungitur, ac si formula sit: *adversus edictum facere aliquid*, quum dicatur absolute: *adversus edictum facere*, ut addi debeat, quemadmodum est in cod., aut ablativus aut præpositio. Ex iis, quæ in Asconianis nostris serius ad eum perlatis de locis aliquot librorum primorum disputata sunt, quum iis abstineret, quæ a sua ratione et iudicio de subsidiis criticis discreparent aut novam disputationem requirerent,

---

[1]) Argumentum brevissime absolvi potest. Pro eo, quod est: *ne filii quidem nudi conspectus quemquam movet*, si quis circumlocutione utitur (*nemo est, quem — moveat*) et negationis duplicatione Latina, ut priorem excipiat et intendat altera *ne — quidem*, necessario *ne* præponi debet circumlocutioni per relativum factæ, *nemo est, ne quem filii quidem consp. moveat*.

[2]) In transcursu Arusiani Messi grammatici locus emendandus est, qui in editione Lindemanni (Corp. Gramm. Lat. I) p. 248 ita scribitur: „*Mille librarum mutuo dedit. Terent. Heaut.: Cui drachmarum hæc argenti mille dederat mutuo. Cic. de Prætur. Urban.: Verris et uno minus teste haberet ab homo.*“ Ciceronis locum, quem editores non invenerunt, patet hunc esse, quo de agimus, verum ad illam elocutionem, cuius exemplum ponitur, non pertinere. Sed in cod. Guelf. ante est: *hæc argenti minus habet uno.* Coaluit duplex elocutio; altera cum exemplo suo hæc est: *Minus habet uno. Cic. de Prætur. Urban. Verris: Ut uno minus teste haberet Habonio.* (Hæc nominis forma et hinc confirmatur et ex Asconii edit. principe ad I, 54, 141.) [Eandem correctionem postea fecisse Hœvenum video apud Keilium VII p. 494.]

tamen, quoniam nonnulla excerpsit, nescio cur alia etiam in
appendice omiserit, quæ ad ipsius annotationem confirmandam
aut supplendam aut corrigendam pertinebant. Velut quod lib.
I. 15. 39 pro *non modo non exsistit* coniecturam suam secutus
vere edidit *non modo exsistit*, eandem ego emendationem coniectura a me repertam in disputat. de Ascon. p. 45 not. ostendi
confirmari a prima et incorrupta Asconii editione, cui auctoritati iam addo Augustini, qui hunc locum recte scriptum citat
327 de Civ. Dei lib. 19, 5, tantum quod ibi est *non solum*; et quod
ad lib. I, 47, 122 recte eodem, quo ego p. 116, modo M. Palicanum (quem frustra et contra nummos codicesque Quintiliani Lollium fuisse negavi) a. 683, non 682, tribunum fuisse
ostendit, ego præterea (p. 117) non hunc, sed alium illo loco
significari dixi, ubi sine dubio res a. 680 gesta, Verre prætore
urb., commemoretur, quam suspicionem iam confirmat ab ipso
Zumptio in appendice posita scriptura codicis palimpsesti Vatic., ex antiquissima annotatione post *tribunus plebis* addentis
Quintius. Is est L. Quintius, cuius in illum ipsum annum tribunatus vehemens et popularis incidit, notissimus ex oratione
Cluentiana. Verum hoc totum leve est, nisi quod moleste fero,
quum tot bona illa editio habeat, desiderari aliquid, quod ad
eius absolutionem ipse editor mihi additurus fuisse videatur,
nisi aut casus aut descriptionem institutam turbandi metus
obstitisset, supplementaque aliunde petenda esse, etiamsi a me
ipso petantur. Sed sunt alia quædam, de quibus in his prioribus libris a Zumptio universe dissentio (priores dico Divinat.,
Act. I, Act. II. lib. I; nam in mediis, II et III, paucissima addere possum), ex quo factum est, ut, licet hic quoque in multis
ex iis locis, quos attigeram, eandem, quam ego probaram, rationem sequeretur, tamen sæpius diversam teneret, tum alios
quoque nonnullos locos aliter, atque oportuisse credo, trac-
328 taret.[1]) De hac re generatim hic exponere visum est, etsi

---

[1]) Uno quidem loco non tam dissensit, quam minus firme veritatem inventam tenuit, I. 50, 130, ubi, quod ego dixi (de Asconio p. 102 not.) verba aliquot excidisse, ipse pæne suspicatur, nisi *verumtamen* sit semet ipsum post orationis interruptionem revocantis. Atque aliter sane intelligi illa particula non debet; sed orationem, ut nunc legitur, non esse interruptam nec quicquam alieni interpositum, nemo non videt, et hoc est ipsum indicium lacunæ. Nam ne quis credat Ciceronem

necessario frequenter in ea incurram, quæ singulatim antea dixi, unamque et alteram præterea emendationem proponere. Primum igitur Zumptius auctoritatem codicum Ciceronianorum auctoritati veterum grammaticorum anteposuit (cfr. ad Divinat. 19, 62), iure quidem, quatenus de ipsis horum codicibus parum interdum constat et de citandi diligentia; sed in ea re paulo longius progressus, nimis in aliquot locis illam auctoritatem sprevit. Ostendi iam, scripturam coniectura excogitatam (I, 15, 39) Asconii (qui dicitur) et Augustini auctoritate firmari: alibi (Act. I, 6, 16, Lib. I, 33, 83, al.) ipse Zumptius Asconii auctoritatem codicibus præposuit. Similiter codicum scripturis præstare scripturam apud grammaticos repertam evincit nunc cum his faciens codex Vaticanus in libr. I, 47, 123 (*iste* pro *is*) et 48, 125 (*in eas hereditates* pro *ad eas*) et 52, 138 (ex quo loco præter Priscianum etiam Pompeius grammaticus *inhumaniter* citat); idemque lib. I, 42, 109 prorsus eam scripturam confirmat, quam in disput. de Ascon. p. 46 not. ex Asconii editione sumendam dixi, quacum in verborum ordine, quod caput hoc loco est, consentiunt Priscianus, Stephanus, Lambinus, codicesque, ni fallor, Guelferb. prior et Leidensis: cur necessaria sit, ibi dixi; in Zumptii scriptura, quam miror etiam cognita Vaticani scriptura eum probasse, languidissima est generalis affirmatio et falsa; nam debebant omnes ante acta rata esse pati, non pati omnes, Verris scelus exemplo erat. Itaque nondum abiicio in libr. I, 56, 147 scripturam Asconii *manupretii machina*, etsi a Vaticano non confirmatam, 329
quam Zumptius, ut Orellius, improbavit, quod in corruptis Asconii editionibus *machinæ* legi videbat, unius autem machinæ mentionem loci sensum postulare. Mihi quidem genitivus prorsus necessarius videtur ad structuram post illa *tantum operis, quantum operæ mercedis tulerunt*, interiecta particula *et*, nominativus contra plane non procedere; genitivi a vocabulo regenti disiuncti facilis erat corruptio.[1]) In Divinat. denique c. 14,

---

figurate rem aliquam illis solis verbis *ut — cognovistis* significasse et tum, quasi commemorare nollet, omisisse, nec ulla sufficiens significatio est in iis verbis et eius figuræ aliæ sunt formæ et *verumtamen* postulat, ut aliquid cœperit dicere, ad quod redeat.

[1]) Paulo ante sententiam illam: *Lapis aliqui cædendus et apportandus fuit machina sua*, Zumptius non recte adversus Ernestium tuetur, diffi-

46 ut nihil mutandum fuerit contra codd., præsertim in insolenti structura orationis, tamen tantum aberat, ut dubium esse
330 deberet, quin aliter vetus enarrator legisset, cuius veram scripturam (*orationi*, ut est in ed. I, non *orationis invidiæ*, ut ex Ciceronis contextu interpolarunt) Grævius ex suo apographo annotavit, ut pro certissimo ponendum esset, grammaticorum veterum ætate vulgo in codicibus fuisse *orationi*. Nam sic præter Nonium, quem alii citant, Zumptius negligit, legit etiam Arusianus Messus (p. 259 Lindem. [VII p. 507 Keil.]; mendose scribitur: *Poteris eis oratione subire*, sed lemma est: *Subeo illi rei*). Ac video, quid dici possit; *invidiam orationis* (ut alibi *fœderis Numantini*) esse eam, quæ ex oratione invidiosa in ipsum oratorem excitetur; eam *subire* esse audere id dicere, quod invidiam habeat, quod in hunc locum non cadit. Dicetur contra, locutionem esse ambiguam; grammaticos (nec id non alibi fecerunt) ex levi mendo, omissione litteræ *s* ante alteram *s*, inducta falsa interpunctione figuram syntacticam finxisse.

Altera est et latius patens a Zumptio de compluribus locis dissentiendi causa, quod is inter codices melioris familiæ

---

cultate non satis animadversa nec vi verborum perspecta. *Lapidem cædere* non esse lapidem veterem loco detractum leviter expolire et reponere, ostendit sane usus loquendi et lapicidinæ vocabulum; nec is lapis, qui iam in loco erat, *apportandus*, sed reponendus erat. Itaque prorsus contrarium dicitur, ac dici debet, rectumque esset, si ironice dixisset: *Lapis aliquis, credo* cet., non subiecto *nam*. Atque aut huiusmodi sententiam ironicam aut interrogationem, fueritne aliquid veri operis faciendum, aperte postulant priora ex cod. Vaticano suppleta: *Hoc opus bonum suo cuique facito. Quid est suo cuique?* Neminem enim fore opinor, qui hæc quattuor verba subditicia putet ac non potius necessaria ex Ciceronis more verbis edictorum tabularumve huiusmodi particulatim propositis interrogationem de sensu observationemque aliquam annectendi; cur exciderint in reliquis codd. (meliores hoc loco deficiunt omnes), patet. Sed Ernestii ratio ferri nequit; Orellii distinctio antea dura videbatur; nunc, cognita Vaticani scriptura, *machina sua* in illa distinctione ablativo casu accipio, ut ridicule respondeatur illi interrogationi, quid sit *suo cuique*. Illud Vaticani codicis supplementum quam esset egregium, Zumptius non satis attendit; similis præstantiæ, quod Zumptius vidit, et ad orationis integritatem necessitatis alterum habet III, 29, 70: *Si damnatus eris, atque adeo quum damnatus eris (nam dubitatio damnationis illis recuperatoribus quæ poterat esse?)*. Cfr. pro Rosc. Amer. 35, 100.

in his primis libris principatum detulit priori ex Guelferbytanis, quem equidem, etsi est altero paulo antiquior et minus mendose et imperite descriptus, tamen in hac parte aliquot locis exemplaris iam interpolati et mutati eodem modo, quo longe frequentius in deteriore codicum familia factum est, aut interpolantis et mutantis librarii indicia aperta habere iudico; ex quo factum est, ut Zumptius nec aliis libris in interpolationibus aliquot tollendis obsequeretur et nonnulla ex illo codice iniuria in textum inferret. Neque enim is ei visus est codex, in quem interpolationis suspicio caderet (ad Act. I, 2, 5). In eum errorem aliqua ex parte incidisse videtur, quod antiquitatis externa specie captus ab initio diligentius priorem adhibuerit, ita ut aliquot locorum a se probatas scripturas non minus in altero exstare postea demum animadverteret (vid. 331
App. ad Div. 1, 1; 2, 4; 13, 41; Act. I, 10, 32; lib. I, 6, 15; 38, 98; contra menda, quæ non putarat, in priore quoque esse deprehendit Div. 13, 42, lib. I, 25, 65). Sed ipsa res demonstranda est comparatione facta, in qua Vaticani codicis nullæ sunt partes, ut cuius fragmenta ab eo ipso loco incipiant, ubi deficit Guelferbytanus prior. Nihil dicam de minutis quibusdam eius mendis, quæ e corrigendi et explicandi studio orta videntur, quale est, quod Act. I, 5, 13 pro *indicta causa* habet *inaudita causa*, et lib. I, 36, 91 asyndeton in narrationis celeritate aptissimum (*reliqua vendidit, pecuniam exegit*) tollit, *et* interposito. Magis patet res in Divinat. 21, 70, ubi pro *ægrotæ ac prope desperatæ rei publicæ*, quod a Guelf. 1 confirmatur, codd. Leid. et Guelf. 2 *ægrotanti* habent (alter quidem mendose *ægrotante*), quorum vocabulorum utrum vulgarius et correctioni propter sequens *desperatæ* similius sit, vix dubitari potest. Sed sunt alii loci apertiores. Nam quod Act. I, 2, 5 Zumptius ex illo codice edidit: *Quod si, quam audax est ad conandum, tam esset astutus in agendo*, quum in reliquis et bonis et deterioribus esset: *obscurus in agendo*, si auctoritate, de qua quæritur, seposita ipsam rem contemplamur, non potest dubium esse, quin, si *astutus* librarii repperissent, vulgatissimum vocabulum, non mutaturi fuerint in id, quod de homine tecto raro nec tamen non recte dicitur (de Offic. III, 13, 57, ex quo loco facile patet de occultis malitiæ artibus dici); contra alteri hoc facile aliquis substituere potuit. Quem autem

unum locum Zumptius hic singularis huius codicis integritatis testem dat, quæ multo erat pluribus indiciis indubiis demonstranda, Divin. c. 17, 56, in eo et codex Leidensis, nuper a Bakio diligentius collatus (post I. G. Sluiteri Specimen Acad.
332 in M. Tullii Cic. Divinat. in Cæc. Lugd. Bat. 1832), quod Zumptius ignorabat, et Paris. D et Guelf. 2, id est, excepto Stephaniano, si is a Par. D diversus est, omnes, quibuscum Guelf. priori contentio est, eandem habent scripturam; nam quod Guelf. 2 (non Leid. nec Paris. nisi in nota margin.) per *διττογραφίαν* vulgatam adiunctam habet, id in Guelf. priorem convertitur statim 18, 58, ubi, quod Zumptius iure præfert *denique*, in Gu. 2 et cod. Steph. (et duobus aliis) est, in Gu. 1 *denique vel deinde*, addita vulgari scriptura. Restat unus locus, in quo sine additamento a ceteris codd. Guelf. 1 discedat paulo notabilius, lib. I, 39, 100, ubi Zumptius ex eo edidit *homo callidissimus*, ceteri omnes habent *homo castissimus.* Sustulit igitur ironiam aptissimam, qua orator secundum Verris tabulas litis æstimationem factam ridet, substituta mentione calliditatis. quæ nulla esse poterat, quum simpliciter in tabulis mentitus esset. At integritatis, non castitatis mentio fieri debebat. Scilicet castitatis nomen late patet de animo omni labe cupiditatis et periurii et fraudis libero, ut pro Rosc. Comœd. 7, 21: *periurum castus fraudasse dicitur*, et pro Font. 14, 32: *vestræ mentes tam castæ, tam integræ*, et de Invent. II, 11, 36: *eam causam putare, quæ homines audaces in fraudem rapere soleat, castissimum quoque hominem ad peccandum potuisse impellere*, quodque maxime huc pertinet, pro Flacc. 28, 68: *castissimum hominem atque integerrimum.* Itaque religio et sanctitas Verris laudatur, ob quam testimonio creditum sit. Pro Sest. quoque 43, 93 *homo castus ac non cupidus* ironice appellatur Gabinius, luxuriosus et rapax. [Add. pro Rosc. Comœd. 6, 17 et 16, 47 et Philipp. V, 5, 12.][1]) Parum certa in his locis codicis

[1]) Omitto locos duos, ubi non interpolationem, sed scripturæ menda huius codicis Zumptius probasse videtur. Lib. I, 5, 13 edidit: *de iure enim libertatis et civitatis suum putat esse iudicium et ratione putat*; reliqui *recte putat*; commutantur hæc alibi quoque; sed *ratione* est *considerate et cum iudicio* (contrarium *temere*); ubi probatur simpliciter, quod quis facere sentireve dicitur, quæ sit legitima forma, perspicitur ex Verr. lib. III, 72, 168: *ferendum non putant, et recte non putant*; add. V, 44,

auctoritas multo minus iis firmatur, in quibus addit aliquid, 333
quod in ceteris non est. Horum additamentorum levissimum
est, sed manifestum, in Divin. 3, 8, ubi vulgo scribitur: *id iam
populare atque plausibile factum est*, melioris familiæ codd.,
perpetua permutatione, habent *et plausibile* (de Guelf. 2 vid.
Append.), Zumptius e Guelf. 1 edidit *atque etiam plausibile*,
quum tamen nullus sit orationis ascensus, sed translati voca-
buli ad proprium adiunctio, quæ semper simplici particula fit.
Gravior est corruptela (neque enim aliter appellare possum)
ex hoc codice et Stephaniano illata in Act. I, 4, 12, ubi vulgo
erat: *quam iste per triennium ita vexavit ac perdidit*, consen-
tientibus codd. Guelf. 2 et Leid. et edit. Lamb. Asconioque in
lemmate annotationis, Zumptius autem edidit: *vastavit, vexavit
ac perdidit*, coniunctione verborum non uno modo vitiosa. Nam
et *vastare* est verbum diversæ et generalis significationis, ut in
hac coacervatione et ascensu orationis locum, præsertim primum,
tenere non possit; effectus enim vexandi et perdendi est vasti-
tas regionis; et peccatur in consuetudinem Latini sermonis
huius ætatis perpetuam, qua in huiusmodi orationis forma, sive
ea vera est diversorum enumeratio sive rhetorica coacervatio,
dummodo æqualia sint et una serie procedant membra[1], nun-
quam extrema membra particulis coniunctivis *et, atque, ac* vin- 334
ciuntur, prioribus dissolutis. Quam regulam qui negant obser-
vatam esse, quia nulla eius sit causa necessaria, ne illi
quomodo sermonis usus constituatur, ignorant; nam quum no-
tiones huiusmodi seriei ubique coniunctæ animo concipiantur,
tamen in iis efferendis usu fit, ut in aliis linguis ad eam con-
iunctionem significandam ubique particula repetatur, ut in He-
bræa, in aliis, omissa ante, extremis interponatur, ut fere in
nostris, in aliis et asyndeton sit et particulæ repetitio. Is usus

---

115 et de Finn. II, 8, 23. In altero loco Act. I, 10, 29 quem locum habeat præsens tempus in consideratione rei futuræ inter longam seriem futurorum, sane non video.

[1]) Sic enim pridem huius legis fines constitui in Append. crit. disput. de Ascon. p. 8. Cfr. Hand. Tursell. II p. 470. Spaldingii errorem positum fuisse in eo, quod usum particulæ adiunctivæ et colligentis *que* non segregaret, dixi ep. ad Orell. p. 39. Zumptius de ea consuetudine ipse post Spaldingium ceteros admonuit, sed rem paulo minus firmiter comprehendit.

quia nulla naturæ sic loqui iubentis necessitate constat, sed
ipsa vi consuetudinis, qua nititur intellectus. mutari sensim in
singulis linguis potest; sed apud antiquos Latinos, Ciceronis
ætate et aliquanto post, certe ab ipso Cicerone, variatum in
hac re non esse, non tam infinita exemplorum observatæ legis
multitudine efficitur, quam quod, in quibus locis variatum esse
videtur, ii aut ad aliam formam pertinent, non ad hanc æqua-
lium enumerationem, aut manifesta mendi sunt, magnam par-
tem optima auctoritate emendandi.[1]) Qua de re quæ sæpius
sparsim annotavi, sub unum conspectum adducam. Non attendi
ita ad hanc tam minutam rem in omnibus Ciceronis scriptis,
ut nulli me loci fugerint, sed in orationibus Verrinis, duodecim,
quas ante biennium edidi, selectis, in iis præterea, quæ sunt
pro Cluentio, Plancio, Sestio, Cælio, Cornelio Balbo, in Vati-
nium, de provinciis consularibus, tum in libris de oratore et,
quem nuper percurri, Catone, fragmentis quoque, nihil me
prætermisisse puto. Verrinarum quattuor locos in epist. ad
335 Orellium p. 39 indicavi, quorum tres summo consensu omnium
bonorum codicum ego et Zumptius emendavimus, etiam aliis
de causis emendationis egentes; quartum quum mendosum esse
aliis vestigiis ostendissem coniecturaque emendassem, quia in
extrema parte libri primi nulli erant boni codices, Zumptius
autem violentius paulo tentasset, nunc meam emendationem
codex Vatic. ita confirmavit, ut ex eo, quod scribi volueram
summo pudore et summo officio, tantum particulam detraheret.
Quintum locum ex Act. I, 18, 55, ubi est *interrogando, argumentis
atque oratione*, in append. disput. de Ascon. p. 35 posui et
perspicuis rationibus, quam esset mendosus, quod etiam Hoto-
manus senserat et Garatonius, quamque necessario ob senten-
tiam tollendum vocabulum *interrogando*, ostendi, eamque dispu-
tationem non possum non iudicare plane confirmari Zumptii
contra Hotomanum vulgatam scripturam tuentis argumentis;
nam ita disserit, ut, si vera ea esset, Cicero in media crimi-
num singulorum explicatione, quæ argumentis orationeque *per-
petua* fieret, interrogasse testes putaretur et id fecisse, *antequam
testes ad crimen accommodaret*. Satis aperte Cicero in duas

[1]) [De Livio vid. Emend. Liv. p. 82 sqq. ed. 2, de poetis M. Hauptius
Oservv. Critt. p. 31 sqq. (Opusc. I p. 104 sqq.)]

partes actionem distribuit, alteram argumentis et oratione comprehensam, priorem, alteram subsequentem, testium interrogationem.[1]) In duodecim illis orationibus tres erant huius generis loci, quorum primum, qui exstabat in Catil. II, 13, 29, ipse Zumptius in appendice, animadversa insolentia scripturæ a se inductæ, ad eam tuendam attulit; ibi pro *precari, venerari atque implorare* edidi *precari, venerari, implorare*, secutus et codicem aliquem et C. Stephanum et editiones a. 1472 et 336
1480. In Catil. IV autem c. 2, 3, ubi erat *exanimata uxor, abiecta metu filia et parvulus filius*, ex cod. Erfurtensi et ex iisdem veteribus editionibus *et* adieci ante *abiecta*; necessario, quod fit particula addita, in singulis membris magis insistitur; ostendunt adiecta ab oratore participia. In eiusdem orationis c. 4, 8 quam necessaria propter alias causas esset Lambini unam litteram duplicantis emendatio (*et dignas scelere* pro *et digna scelere*, ut a *sancit* novum membrum oriatur), ostendi in comm. de emend. locorum aliquot Cic. oratt. (supra p. 172). Nam pro Mil. 33, 91 tantum admonendi erant lectores, ne vocabulum *singulari* divellerent a *fortuna*. In reliquis illis orationibus omnibus unum memini esse, quod contrarium videatur, exemplum, pro Sest. 65, 137; sed videtur tantum; nam *bonis viris* pro uno esse vocabulo, cui adiectiva adiungantur (*sapientibus et bene natura constitutis*), ordo ipse vocabulorum demonstrat. Nam pro Balbo 6, 16 (*præsens, experta atque perspecta*) in numerum omnino non refero, ut ubi codd. non interpolati habeant tantum *atque perspecta*, unius, non duorum vocabulorum defectu mendosi. In libri I de oratore c. 43, 194 (*quam verus, iustus atque honestus labor honoribus, præmiis, splendore decoratur*) quid sit pravi, expositum est meo admonitu in Henrichsenii mei annotatione; qui quod ex codicum varietatibus nihil eo loco concludi posse dicit, quia omnes ex uno Laudensi fluxerint, id tamen concluditur, non constare, quid in illo fuerit. Occultaret partem mendi, qui ex quattuor codd. scri-

[1]) De annotationibus quibusdam ex margine aut spatiis interlinearibus in textum omnium codd. huius partis receptis infra dicam. Causam falso explicandi et deinde interpolandi ostendi esse in eo, quod sequitur inverso ordine coniunctim: *interrogandi facultas, argumentandi dicendique.*

beret *verus et iustus atque honestus.* Catonis nullus est locus in hoc genere mendosus in editionibus, etsi c. 19, 67 vel boni codices in illis *Mens enim et ratio et consilium* prius *et* ob
337 similitudinem compendii vocis *enim* omittunt.[1]) Fragmentum denique Cornelianæ orationis apud Asconium p. 101 Hot., in quo editur nunc *diuturnæ captivitatis, turpitudinis et servitutis*, primo vocabulo nec Ciceroniano nec apto, quasi omnes gentes captivæ prædonum fuerint, in editione autem prima est *cupiditatis, turpitudinis* cet., satis, opinor, manifesto interpolatum est (cfr. Append. Ascon. p. 7). Ex aliis scriptis succurrit nunc locus Philipp. VII c. 7, 20, commemoratus a Krarupio (Observv. critt. in Cic. lib. de Re Publ. Haun. 1827 p. 6), quum contra Maium scripturam manus prioris codicis Vat. in lib. I de Re Publ. c. 7 ab huiusmodi secundæ manus corruptela tueretur; illic e Vatic. restitutum est *monebo, prædicam, denuntiabo, testabor*, quum esset: *et testabor*. Etiam in orat. pro Mil. 27, 74 quod erat: *materiem, calcem, cæmenta atque arma*, optimorum codicum auctoritati cessit. Itaque restat et repugnat unus, quem nunc memoria teneam, locus de Offic. III, 20, 81, et ipse a Krarupio excitatus, ubi est *species, forma et notio viri boni*; nam quod Orellio vocabula *forma et notio* pro uno membro alteri adiuncta commode intelligi posse videntur, præterquam quod hæc ipsa per asyndeton inæqualis compositio inusitata est, nec *forma* et *notio* magis quam *species* et *forma* coniuncta sunt, immo minus, nec quicquam inest præter unius rei, quam Cicero uno et proprio vocabulo comprehendere non poterat, circumlocutionem. Alterum ex prioribus vocabulis, quibus Cicero ea, quæ hic est, significatione promiscue utitur,
338 tollendum est.[2]) Laudat tamen Zumptius in appendice præter illum ex orat. II in Catil. locum alium de Senect. 10: *agris, vicis atque oppidis*; verum is locus neque in illo libro legitur neque reperiri a me potuit; tum ex his ipsis Verrinis lib. I, 15, 39: *hoc occultum, intestinum ac domesticum malum* et IV,

---

[1]) In eiusdem libelli c. 13, 44 (*vinolentia et cruditate et insomniis*) perspici ex minus bonis codd. potest librariorum ad priorem particulam omittendam proclivitas.

[2]) Victorii *in ea specie*, nisi mendum typographicum est, prorsus nec Latinum est nec sensum habet.

45. 99: *illius fani antistitæ, maiores natu, probatæ ac nobiles mulieres.* Sed in horum neutro tria sunt membra; in priore voci *occultum* adiungitur altera notio, sedis et loci odii, duobus vocabulis comprehensa (*intestinum ac domesticum*); in altero manifestum est, duos quasi gradus esse; primum mulieres erant *maiores natu*, deinde ne hæ quidem sine discrimine, sed *probatæ ac nobiles* (*aeltere Frauen von gutem Rufe und ansehnlicher Familie*). Huiusmodi locorum ab illo genere alienorum ac specie tantum similium exemplum posui in append. disp. de Ascon. p. 8 Divinat. in Cæc. 22, 72, ubi uni notioni rhetorice tribus verbis sine coniunctione expressæ (*conservare, tueri, confirmare*) respondet altera uno comprehensa (*ac recuperare*). Addo de Orat. II, 38, 159, ubi in his verbis: *exile, aridum, concisum ac minutum*, particula duas tantum extremas voces unam notionem a prioribus diversam complexas iungit. Similis est, quem Handius citat, locus in Paradox. VI, 3, 49: *signa, tabulas, supellectilem et vestem infinite concupiscenti*; coniunxit tanquam a superioribus, quæ artis erant, diversa et unius generis, quæ ad vitæ domesticæ usum et elegantiam spectabant.[1]) Omnino, ubi quattuor sunt membra, sæpe singula paria per se contraria efferuntur, velut apud Tacitum Ann. I, 21: *invidiam, misericordiam, metum et iras.* Satis igitur, opinor, constat, ut iam ad Verrinarum codicem redeamus, non scripsisse Ciceronem in eo loco, a quo digressi sumus, *castavit, vexavit atque perdidit.* Ac videor etiam causam interpolationis deprehendisse; nam nescio quo modo notabilem visam esse 339
nonnullis hoc loco *vexandi* vocem cum *perdendi* coniunctam, ex Asconio constat. Ei igitur adscriptum est illud *vastavit.* Atque hæc propria erant codicis Guelferbytani prioris aut cum uno simili communia; alia sunt, in quibus cum deteriore familia codicum a reliquis melioribus addendo discedit. In quo

---

[1]) [Similes locos, ubi extremum membrum et sua natura et adiectione aliqua verborum a prioribus separatur et extra ordinem ponitur, Siesbyeus hos collegit: Div. in Cæc. 14, 46 (*quum commiserari, conqueri et ex illius invidia deonerare aliquid et in te traiicere cœperit*), pro Sest. 9, 21, Phil. XII, 4, 10, de Orat. III, 29, 113, ad Fam. XVI, 11, 2, ad Qu. Fr. I, 1, 12, 36, Tusc. III, 2, 3, V, 5, 12. Universam disputationem, quod ad Ciceronem attinet, supplevi ad Cic. de Finn. IV, 56 p. 562 sqq. ed. 3.]

qualis sit, iam ex Divin. 19, 61 fere intelligi potest, ubi edunt nunc omnes: *ego, si superior ceteris rebus esses, hanc unam ob causam te accusatorem repudiari putarem oportere*; sed apud Stephanum et in cod. Leid. et Guelf. 2 est *omnibus rebus*, quod quin verum sit, nemo admonitus dubitabit, qui attenderit ad pervagatam consuetudinem, qua, ubi toti pars ita subiungatur, ut eam excipiendam esse per se pateat, ea exceptio non significetur addito ad id, quod est *totus* sive *omnes*, aut ad universale nomen eo, quod est *reliquus* sive *ceteri*, librariorumque hunc defectum supplendi et, quod falso dici videretur, corrigendi studium noverit. Dixi de ea re in Emendatt. in Cic. libros philosoph. p. 197 propter locum Lælii c. 2, 7, ubi eiusmodi supplemento utuntur librarii, laudavique auctores Gronov. et Drakenb. ad Liv. III, 25, 4.[1]) Iam Guelf. prior *omnibus* retinuit, sed, quod deteriores substituerunt, addidit (*omnibus ceteris rebus*). Plane autem cum deterioribus consentiens et a Zumptio probatus obstitit, quominus ceterorum meliorum auctoritate additamentum tolleretur manifestissimum ex Divinat. 4, 15, ubi nemo non sentiet, post ea, quæ proxime præcedunt (*At enim cur a me potissimum hoc præsidium petiverunt?*),
340 quantopere vis rhetorica, posita in arguta contrariorum relatione, quæ ipsa brevitate feriat aures (*petissent necne, cur petissent*), imminuatur trium verborum in priore membro adiectione (*petissent a me præsidium necne*), quæ in codd. Steph., Leid., Guelf. 2 et edit. Lamb. omittuntur. (Cfr. Append. Ascon. p. 32.) Itaque hæc, quanquam deest Guelferb. prioris auctoritas, non minus hinc tollentur, quam ea accedente sublata similia sunt (a me quoque damnata Append. Ascon. p. 33) ex Act. I c. 3, 7, c. 15, 43, et ex lib. I c. 12, 32, c. 34, 87 (in quo extremo loco Zumptius in append. demum deleri iubet, exspectato Guelf. 1 consensu), nec repugnabitur, quominus eisdem codd. obediatur in aliquot singularum vocum additamentis tollendis. Notavi (Append. ad Ascon. p. 32) Divin. 4, 11, ubi de Guelf. 2 vid. Zumpt. append., *diu*, et 5, 19 *fuit*,

[1]) Similis est frequentissima omissio eius, quod est *alius*, quum dicitur *quum multi, tum L. Crassus* (pr. Cluent. 51, 140), *quum multa, tum etiam hoc* (Verr. IV, 66, 147), *quum sæpe, tum* infinitaque eiusmodi.

cuius addendi causa patet; in c. 7, 23 (*is*) obstat Arusianus Messus (p. 244 Lindem. [VII p. 490 Keil.]). Addo Divin. 17, 55 *omnia* et lib. I, 36, 92 *eum*; simulque lib. I, 10, 28 ex omnibus melioribus codd. (de Gu. 2 vid. Zumpt. app.) restituendum esse aptum celeritati narrationis asyndeton *argenti, vestis stragulæ*, et c. 29, 72 tollendum esse supplementum Guelf. prioris *esse*. Contra Act. I, 8, 21 restituenda est vox *pueros*, nullam aliam ob causam omissa, nisi quod posset brevius quoque et generalius dici; librarius *homines*, summum *servos*, non tam Latine *pueros* addidisset. Iam, opinor, nihil impediet, quominus ex solo Guelf. 2, a quo dissentire Leidensem ex silentio concludere non licet, restituatur Act. I, 11, 32: *capiam fructum ex accusatione; perficiam* cet. (cfr. Emendatt. in Cic. libros philos. p. 182), et lib. I, 38, 97 ex Guelf. 2 et Lagomars. 29 *cognosset* pro vulgato *cognosceret*; non quod hoc loco ferri hoc nullo modo possit, sed quod perpetua est librariorum alterum illud cum hac forma commutandi consuetudo, 341
propter quam ad eandem correctionem in c. 7, 18, ubi necessaria est, faciendam sufficit auctoritas solius istius codicis Lagomarsiniani.[1])

Commemoranda est deinceps tertia quædam huiusmodi ad libros priores Verrinarum pertinens dissensio. Puto enim antiquas aliquot interpolationes hic latere per omnes codices pervagatas, ortas ex notis marginalibus et interlinearibus inter verba oratoris receptis, quas si non tollere, demonstrare tamen et notare tuto liceat, ad eamque rem Zumptium minus attendisse. Quam vetus hæc sit librorum corruptela, patet quum ex illo, quod ante commemoravi, codicis Vaticani additamento in libr.

---

[1]) Ex iisdem tribus melioribus codd., dissentiente Guelf. 1, in Divin. 17, 55 scribendum puto: *ut præfecto illi religionem Veneris nomine obiiceret.* Vulgatam scripturam *religionem Veneris nomenque*, quam vel exquisitior verborum ordo tueri videri possit, in eo vitiosam iudico, quod graviori *religionis* vocabulo inane ac leve *nomen* superaddit. Ignoratum credo, quid esset *religionem obiicere*, ideo *religionem Veneris* intellectam, inde mutationem ortam. Ex Gu. 1, ut hoc extremum addam, Zumptius in libr. V c. 47, 125 eam scripturam induxit, qua vulnus vix occultetur, nedum sanetur. Nam nec verborum positus permittit, ut genitivi illo loco a voce *ius* pendeant, nec dicitur *obtinere hoc ius cognationis, ut deprecemur* pro eo, quod est: *iure cognationis obtinere.*

I, 47, 122 (*Quintius*; cfr. Zumpt. p. XXXVIII), tum ex iis, quæ de loco libr. I c. 22, 60 iam in enarratoris, qui Asconius appellatur, codice interpolato exposui in disput. de Asconio p. 100. (Nam de altero loco libr. I, 54, 142 Ernestii suspicionem improbare debebam, ut improbavit Zumptius; verissime Grævius *bona* ipsius redemptoris intellexisse videtur.) Sed eam labem ad reliquos quoque eos codices, quos Zumptius recte ex aliquo integrius, quam est Vaticanus, descripto originem habere
342 putat, exigua ex parte pervenisse, ostendere primum videtur locus in append. disp. de Ascon. p. 34 tractatus, lib. II. 6, 17, ubi pro verbis incommode adiectis (*in Siciliam*) præter Metelli codicem etiam alter in hoc libro princeps, Lagomarsinianus 42, *Siciliæ* habet, adscriptum, ut post Gulielmum dixi, præcedenti *provinciæ*. Dixi supra de Act. I c. 18, 55. Nec possum, quin in ea permaneam sententia, quam in illo libello p. 33 posui, in Act. I, 18, 53 nominativum pendentem (*Siculi*), non interpositis, quæ structuram perturbarent, sed accuratissime relativa et demonstrativa sententiæ parte conformata, a Cicerone profectum non esse, quum præsertim rhetorico artificio repugnet, etsi video Zumptium eo exemplo utentem ad III, 71, 165. Nam Bremius, quem citat, huius generis nulla habet. Certissimum etiam est, de quo in disp. de Ascon. p. 102 dixi, ex Asconii annotatione, nec tantum ex lemmate annotationis, ad lib. I, 34, 87, quam Zumptius ne commemoravit quidem, patere, in eius codice fuisse tantum *a Dianio ad Sinopam*, ubi editur *a Dianio, quod in Hispania est, ad Sinopam, quæ in Ponto est.* Iam, quemadmodum utraque sententia excidere potuerit, multo difficilius explicatur, quam quemadmodum addi. Si Cicero adiectione aliqua distantiæ locorum memoriam animo obiicere voluisset, gravioribus verbis, non tam exili repetitione, usus esset.[1]) In Act. I, 13, 38 nemo fere post Grævium dubitat, quin vitiosissima verborum redundantia (quum universe in istis *nullo iudice equite Romano*

---

[1]) Memorabilius integræ sententiæ ex commentario inter verba Ciceronis receptæ exemplum, in quo nunc veritas summis auctoritatibus confirmatur, ex orat. pro Flacc. 20, 46 posui in disputat. de locor. aliqu. orat. Cic. emend. supra p. 148, ne quid dicam de rhetorica annotatione in multis codd. orat. pro Cluent. 22, 59.

iudicante adiectis post illa *quum equester ordo iudicaret*, tum 343
multo maxime in ridicula hac coniunctione *iudice—iudicante*)
hanc habeat originem; quanquam non sola redundantia vitiosa
est (dico propter eos, qui omnia solent defendere, non sen-
tientes, in quo sit mendum, quod plerumque non uno modo
arguitur); nam qui Latine sciunt, intelligent ablativos illos aut
hanc habere sententiam: *quum nullus eques Romanus indicat*
(*iudicaret*), ut si dicamus damnatum aliquem esse nullo equite
iudicante, aut hanc: *nunquam, quum eques Romanus iudicat*
(*iudicaret*), quasi unus aut solus aut cum aliis alius ordinis id
munus habuerit, ut si dicamus, nullo patricio consule hoc aut
hoc accidisse; atque hoc incommodum tollitur leni mutatione,
reliqua manent. Sed nec qui unum illud *iudicante* tollunt, ut
Garatonius, ullam ineptissimi additamenti causam afferre pos-
sunt, nec qui, quattuor verbis deletis, *nulla* scribunt; nam si
hoc modo Cicero scripsisset, nec ulla omnino fuisset addendi
quicquam causa, nec *iudice — iudicante* quisquam adscrip-
sisset. Sed quum esset, ut opinor, scriptum: *in nullo iudice
ne tenuissima quidem* cet. (præpositionem Zumptius addidit), id
ut plane declararetur accommodate ad superiora neve quis
putaret, alios simul iudices fuisse et simul significari, adscribi
poterat, *iudicem* esse *equitem R. iudicantem*. Minus iam, quum
hæc viderimus, rationibus evidentibus repugnabimus in lib. I
c. 15, 41, ubi unus Zumptius Cn. Dolabellæ nomen tuetur
contra reliquos a Naugerio inde editores. Sed nec attulit quic-
quam, quo ostenderet, pronomine *ille* in ipso sententiæ initio
posito ad personam demonstrandam addi ipsum nomen posse,
nedum tribus verbis interpositis sententiæ interruptæ interiici,
tanquam metueret orator, ne parum perspicue dixisset, et in-
stituta rectiore verborum coniunctione effecit, ut multo minus
divelli debuisse videatur prior sententiæ pars obscurarique id, 344
in quo oppositio esset (quum iam proditione istius et testi-
monio miser esset, tum cet.). Nam ut quinque potius quam
tria vocabula interessent inter repetitam vocem *quum* in eo
membro, quod iisdem particulis subdivideretur, quibus tota
sententia iungeretur, Cicero perverse locutus non est. Non
possum, quin, antequam hanc additamentorum vetustissimorum
investigationem relinquam, de duobus locis, altero libri quarti,
altero quinti, dicam, quos in eodem genere mendosos puto.

Priorem, qui est c. 47, 104, commemoratus breviter a me in epistola ad Orell. p. 47 (*legibus ac iudiciali iure*), Zumptius infirmis argumentis tuetur, qui receptam ex optimis codd. disiunctivam particulam (*aut iud.*) inter voces similis et coniunctæ notionis, quæ rhetoricam tantum duplicationem habent, defendi putat ex eo, quod in negativa sententiæ forma dirimi eæ possint et ad utramque, tanquam diversæ significationis, propter eandem vim rhetoricam, ex usu Ciceronis negatio repeti.[1]
345 Deinde *iudiciali iure*, quod et per se molestum est et in hac coniunctione rhetorica legum et iuris, referri putat ad ius belli, quo Cicero Verrem persequendum significet. Sed neque ius belli hoc loco in furtorum commemoratione animis occurrebat, sed omnino in tanta scelerum manifestorum impudentia statim supplicium esse sumendum, nec in illo uno vocabulo *iuris*, sed in omnibus tribus interrogationibus hæc significatio inest. Itaque quum accedat in codice optimo aliud mendi vestigium (*iudicialiiure*), veram scripturam opinor esse *legibus ac iure*, reliqua orta esse ex annotatione vulgaris formæ, quæ est *iudicio persequi*. In quinti autem libri c. 42, 108 quod vulgo edebatur: *Eum quum illa auctoritate et miseria videres præditum*, id Zumptius verissime et per se pravum esse iudicat, quum res dissi-

[1]) Cfr. exempla posita a Zumptio ad III, 94, 220 et a me in epist. ad Orell. p. 66, quibus addo Div. 9, 29 (*non modo non adesse neque tecum tuas iniurias persequi*) et de Orat. III, 30, 121 (*non enim solum acuenda nobis neque procudenda lingua est*) [et N. D. III, 35, 86]. Id ipsum, quod proprium est negativæ sententiæ, ut singulatim ac disiuncte negentur, quæ coniuncte affirmantur, transferri ad contrariam formam non potest; nec ea interrogatio, quæ hoc loco est, ullo modo ex genere negantium est; esset, si dixisset: *huncine ego persequar?*; tum negaret, se facturum; nunc affirmat et miratur. Deinde incaute Zumptius ad III, 24, 60 ita scribit, quasi nusquam in negativa forma simplex copula intercedere possit duabus notionibus cognatis in unam generaliorem coniunctis [cuius generis exempla sunt de Div. I, 19, 37, de imp. Pomp. 20, 59, pro Mil. 5, 13]: nam quod ipse excipit, si illo loco *non obscurus* pro uno vocabulo esset, id huc non pertinet; tum enim universa sententia negativa non esset. Deinde *aut* et *neque* eodem loco habet (etiam ad III, 94); sed, ubi plane rhetorica tantummodo est dissolutio, *aut* locum vix habet, sed tantum *neque* ex præcedenti negatione ortum. Non accidere potuisse puto, ut Cicero pro eo, quod dixit IV, 55, 123: *qui non Honori neque Virtuti* (templum *Honoris et Virtutis* significat), diceret *Honori aut Virtuti*.

millimæ coniungantur (aliud enim longe esset, si orator dixisset verbi causa: *hominem tanta apud suos auctoritate præditum in miseriis videres*; etsi omnino *auctoritas* parum apte commemoratur, nobilitas et splendor apta essent), nec ipsa auctoritas quæ sit, dicatur, et eo coargui, quod in melioribus codd. omnibus (etiam Vatic.) copula omittitur. Sed quod ipse edidit, coniecturam secutus ex Lambiniana ortam, *illa ætate miseria* cet., verum esse non potest. Nam præterquam quod omnino nihil huiusmodi unum apte hic addi potest miseriæ nomini, quod ea, quæ facere deberent, ut hac miseria Verres magis commoveretur, partim ante posita sunt, partim sequuntur, velut ipsa senectus (*non senectus, non hospitii ius* cet.), nec recte dicitur *illa ætate*, quum ætas antea significata non sit, nec idem pronomen recte a vocabulo *miseriæ* divellitur; langui- 316
dum est enim generale illud *miseria præditum*, grave *illa*, id est, tanta, quanta demonstrata est, *miseria*. Relinquitur, ut iudicemus, quum olim scriptum esset: *Eum quum illa miseria videres præditum*, offensum aliquem insolentia locutionis, quæ nescio an apud neminem Cicerone posteriorem deprehendatur, coniecturam fecisse de contrarii generis vocabulo substituendo; eo ex annotatione inter verba recepta in melioribus codd., quorum bonitas vel hinc elucere videtur, manifesta διττογραφίας vestigia mansisse, in deterioribus suppleta particula iuncturam aliquam effectam esse et veritatem occultatam.

Sed redeo ad libros priores, in quibus quum ipse melioris codicum familiæ fons paulo minus integer quam in extremis libris fuisse videtur, tum eius scriptura minus bene conservata esse. Restat enim præter minora quædam emendandus coniectura, sed, ut opinor, certa et codicum vestigiis nixa, locus interpolatus et corruptus in libr. I c. 8, 21, ubi Cicero suas in hoc iudicio partes pæne expletas esse dicit: *Meum fuit cum causa accedere ad accusandum: quæ causa fuit honestior quam tam illustri provincia defensorem constitui et deligi? rei publicæ consulere: quid iam rei publicæ honestius quam in tanta invidia iudiciorum adducere hominem, cuius damnatione totus ordo cum populo Romano et in laude et in gratia posset esse? ostendere ac persuadere, hominem nocentem adductum esse: quis est in populo Romano, qui hoc non ex priore actione abstulerit . . .?* Patet, et sensit Zumptius, in secundo membro ei, quod effi-

ciendum fuisse proponitur (*consulere rei p.*), ita male respon-
dere, quod effectum dicitur, ut ab oratore ita scriptum non
esse certum sit; nam tollitur instituta artificiose orationis figura;
347 neque enim *honestum*, sed *utile et salutare rei p.* fuisse, quod
egisset, dici debebat; et quid est per se in ista re, quod hono-
rem et laudem afferat rei publicæ? Utilitas affertur, sublato
discidio civium. Ipsa repetitio eiusdem vocis (*honestior* — *ho-
nestius*) in duobus ex tribus membris vitiosissima est. Tum
particula *iam* in hac interrogatione inanem habet sonum, præ-
terea nihil; nec additur in primo nec in extremo membro. Et
pro ea Zumptius, quod in codd. melioribus est *tam*, in Gu. 1
tamen, substituit *tandem*, nihilo aptiorem; neque enim hæc
interrogatio singularem habet admirationem aut contentionem
tanquam contra dissentientes, præsertim si cum præcedenti et
subsequenti comparatur. Verum in codice Guelf. 2 est *quod
tu re p.*, in Guelf. 1 *tamen res publicas*, e Steph. et Lagom. 29
notatur tantum *tam*. Credo me omnibus peritis persuasurum,
hæc esse proxima vestigia eius ipsius, quæ requiritur, locu-
tionis: *quid tam e re publica quam* cet. Ea sive corrupta iam
sive non intellecta desideratum est adiectivum et ex superiore
sententia repetitum.

Subiungam huic emendationi minoris momenti, partim non
novas, observationes de aliis tribus locis. Primum in Divinat.
14, 46 plane necessaria mihi videtur Iac. Gronovii lenissima
mutatio, ut scribatur: *commemorare quæstoris cum prætore ne-
cessitudinem, constitutam more maiorum, sortis religionem* pro
eo, quod editur: *constitutam, morem maiorum*. Quæ enim a
Garatonio advocatur cumulandi figura, locum non habet. Nam
neque recte generale illud *mos maiorum* interponitur specialibus
et proprie ad rem pertinentibus, nec a speciali ad generalia
transitur; *sortis* enim *religio* speciatim quæstorem sorte datum
prætori coniungit; ultimo loco ferri aliquo modo posset illud
per se positum; deinde ne Latine quidem dicitur per se *neces-
348 situdo quæstoris cum prætore constituta* pro eo, quod est nude
necessitudo qu. cum prætore, recte autem dicitur adiecta appel-
latione originis et fundamenti. Apte et graviter asyndeto
bimembri huiusmodi, quod eandem rem duplici nomine signet,
clauditur enumeratio. Deinde, quod olim mentione indignum

iudicaram, iam dicam breviter, quod Zumptium quoque eam rem fefellisse video, simul ut errorem aliquem meum confitear. in libro I male separatum esse caput 45 a præcedenti, ita ut superiori disputationi de capite edicti Verris ad legem Voconiam pertinenti, quæ finiri debet gravissimo illo epiphonemate: *Hoc populus Romanus non manu vindicasset, nisi te huic tempori atque huic iudicio reservasset?* ut ei, inquam, annectatur languida et subito abrupta demonstratio iniquitatis Verris in iure mutando. Ac tamen hæc ipsa tota inepta est. Quid enim ad illud, quod præcessit, crimen de Annii filia pertinebat, quo ordine honorum possessio dari soleret, si tabulæ testamenti non proferrentur, quum Annii testamentum prolatum esset ac ne everteretur quidem ita, ut ad successionem ab intestato res rediret, sed ut ad hereditatem vocaretur, qui secundo loco in testamento scriptus erat, L. Annius (41, 105). Contra, quod sequitur crimen de hereditate Minucii, caret expositione eius capitis edicti, quod ante fuisset, ex quo genti Minuciæ bonorum possessio dari deberet. Ea his ipsis verbis ita continetur, ut, postquam dictum est, quo iure superiores prætores usi sint, idque æquum esse, excitentur iudices (*cognoscite hominis* cet.) ad cognoscendam huius iuris perturbationem Verris edicto factam. Iam intelligitur, ea verba, quæ post Hotomanum ceteri deleverunt, me quoque, quod nollem factum, probante (disput. de Ascon. p. 103 not.), Zumptius autem ita restituit, ut rationem tamen falsam redderet, *si is intestato mortuus esset*, quam necessaria sint, quam non eorum, quæ 349
præcedunt, repetitionem habeant. Agitur enim de testamento, quo quis se heredem ab aliquo scriptum dicat et probare conetur, quum id tamen proferre non queat (115); tum superiorum edicto ita bonorum possessio dabatur ac si eum intestato mortuum constaret; Verres Minucii bonorum possessionem non genti Minuciæ tanquam ab intestato, sed novo edicto ei, qui testamentum factum dicebat nec proferebat, dedit. Asconii autem, qui nominatur, auctoritas, quam Hotomanus adhibet, Zumptius spernit (quoniam pertinet ad ea, quæ dixi ante de interpretum et grammaticorum scripturis, de ea re moneri), esset sane gravis, si verum esset, eum verba illa in suo codice non habuisse et pro interpretatione adscripsisse; sed falso

creditum esse ego certe intelligere debebam, quum reliquam huius commentarii interpolationem aperiebam.[1])

In eiusdem libri I c. 54, 142 (quem locum intelligebam in disp. de Ascon. p. 102 not., ubi mendose expressum est 55, 143) magis confirmare possum eorum suspicionem, qui mendosum ex defectu locum iudicarunt, cuius a Zumptio nulla ratio habita est, quam certum remedium afferre. Editur enim ita: *Locatur opus id, quod ex mea pecunia reficiatur: ego me refec-*
350 *turum esse dico: probatio futura est tua, qui locas: prædibus et prædiis populo cautum est: et, si non putas cautum, scilicet tu, prætor, in mea bona, quos voles, immittes? me ad meas fortunas defendendas accedere non sines?* Demonstratur re singulatim exposita, cur ad redemptionem Iunius pupillus non solum admitti, sed præcipuo loco haberi debuerit. Incommode igitur ea sententia, qua iniquitas novi edicti in tali re interpositi comprehenditur, uni ex superioribus membris annectitur per *et*; ipse usus particulæ *scilicet* postulat, ut hæc vehemens interrogatio per se efferatur. Deinde autem, quod gravius est, huic ipsi interponitur aliquid, quod planissime Ciceronis menti repugnet: nam unam rem, quæ confirmanda maxime erat, non confirmat, si forte satis cautum non visum esset, potuisse amplius caveri, nec eam omittit, sed ipse Verri exceptionem et defensionem subiicit, ut omnia iure egisse videatur. Nam si non satis cautum putabat, qui poterat Iunium admittere? Ridicule ergo prorsus interrogatur. Patet, illa: *et si non putas cautum* ita dici a Cicerone, ut vel hoc extremum effugium Verri occludatur; itaque, quemadmodum illa: *probatio futura est tua* statim (c. 55, 143) hoc modo repetuntur: *at erat probatio tua*, sic hæc pars ita effertur: *at erat, et esset amplius, si velles, populo cautum prædibus et prædiis.* De mendo igitur constat, cuius vestigium esse videtur, ad veritatem reperiendam

[1]) In edit. prima est ita: *Tum uti proximum quemque potissimum heredem esse oportet: et si is intestatus mortuus esset: ita secundum potissimum daretur quasi ab intestato agnati eius succederent quamvis diceretur testamentum fecisse si tamen tabulæ non proferentur.* Patet, verba, quibus de agimus, lemmatis partem, non interpretationem esse (*oportet et* pro *oporteret*). Recte ita interpretatur, ut ad ea, quæ de Municio sequuntur, traxisse appareat. Confirmat denique scripturam Vaticani *intestatus* pro *intestato*.

sane tenue, in eo, quod codices omnes pro *cautum* habent *cauta*, nisi quod Maius de Vaticano silet; nam reliqui meliores hic deficiunt; senserat iam Ursinus, solita levitate codicis ficti remedium adhibens, tum Muretus, Garatonius. Videtur hoc loco in omnibus codicibus idem accidisse, quod in reliquis bis factum esse ex Vaticano demonstratum est supra (p. 329 not.), ut propter similitudinem verborum sive unius verbi membrum 351
orationis intercideret, quum scriptum in hunc similemve modum fuisset: *et, si non putas cautum, amplius cavebitur.*[1])

Ad libros medios ne prorsus nihil conferam, primum dicam, in libr. II c. 15, 38 male vulgo verba distingui, quod iure mirere in loco ab hac quidem parte apertissimo. Scribitur enim: *Adversarii postulant, ut in eam rem iudices dentur ex iis civitatibus, quae in id forum convenirent. Electi, qui Verri viderentur.* Extremum hoc ita dicitur, quasi Cicero narret, factum, quod postularent (electos esse). Atqui tum scribi primum debebat *videbantur*. Deinde sequitur *Heraclius contra*, omisso verbo, ut *postulat* repetendum sit; ergo alia sententia, hoc quidem in contextu, interiecta esse nulla potest. Postremo hic tantum postulata utriusque partis exponuntur: interpositis deinde aliquot verbis de vetere et exercitata Verris improbitate, tum demum exitus rei narratur (16, 39): *quinque iudices, quos commodum ipsi fuit, dedit.* Tollenda est igitur interpunctio maior ante *electi*.[2]) Paulo insignior emendatio facienda est 352

---

[1]) Quoniam fere attingendi hic rursus fuerunt inter ceteros ii primorum librorum loci, quos iam in Asconianis commemoravi, annotabo, improbari a me nunc probatam ibi (Append. p. 36) in Divin. 1, 2 scripturam cod. Leid., quam reliqui boni, tum mihi ignoti, redarguunt, et Div. 18, 60 (vid. ibd. p. 37) satisfacere mihi Zumptii defensionem nixam loco simillimo. Contra nihil certius videtur, quam Act. I, 14, 41, etsi ne Zumptio quidem ulla suspicio subnata est, scribendum esse *nocentissimi victoriæ*, quod librarii in iis, quæ iuxta ponuntur, prave coniungendis sæpissime errantes mutarunt, nec possum abiicere, quod de lib. I c. 54, 141 suspicatus olim sum (de Ascon. p. 103 not.).

[2]) Controversiam de iudicibus in Heraclii causa constituendis quam obscure Cicero hoc loco exposuerit, demonstravit Zumptius. De maiore etiam obscuritate eius loci, in quo universe de re iudiciali exponitur, c. 13, 34, dixi in app. disp. de Ascon. p. 43; attigit etiam Zumptius ex aliqua parte; qui quod in verbis *selecti e conventu* Siculos tantum

eiusdem libri c. 49. 121. ubi de senatoribus in Siciliæ civitatibus pretio a Verre factis hæc leguntur: *cognoscere potuistis ...., quicunque senator voluerit fieri, quamvis puer, quamvis indignus, quamvis ex eo loco, ex quo non liceret, si is pretio apud istum fieret idoneus, ut vinceret, factum esse semper.* Offendit primum ipsa verborum redundantia: quid est enim aliud *idoneus fieret, ut vinceret*, nisi *vinceret*? is, quem Zumptius inesse putat, lepos inesset, si, omissis istis *ut vinceret*, esset: *pretio apud istum fieret idoneus* (magistratui, cui capiendo alioquin non esset idoneus). Deinde hic locus est unus in Ciceronis scriptis, in quo *idoneus ut* dicatur: nam orat. pro Dom. c. 51 extr. propter *ut* in codicibus omissum in numerum non refero: quanquam is locus singularem habet causam, propter quam ita dictum videri possit. Nec *dignus* ita ponitur apud Ciceronem, etsi est apud Livium. Ad hæc quum accedat, ut in optimis codicibus, Nanniano, Metelliano, Lagomarsiniano 42, neque *fieret* neque *ut* legatur (in Vaticano *fieret* omittitur, sed pro *ut* scribitur *et*, in tribus, qui aliquam cum melioribus cognationem habent, certe *ut* abest), quum hoc, inquam, accedat,
353 non potest de interpolatione dubitari, quam in cod. Lagom. 42 secunda manus induxit. Et *idoneus vinceret* nihil est. Nam *idoneus* spectat ad ea, quæ in senatore legibus requirebantur; ea in homine non erant, et tamen senator fiebat. Scribendum igitur puto, una littera mutata in optimorum codicum scriptura, *idoneos vinceret*. Mendo inductum nominativum primum *fieret* secutum est, aptius vocabulum quam *vinceret*, deinde, ut verba coirent, *ut*.

Ex tertio libro unus hic commemorandus est locus, non tam ut magni ad sententiam momenti emendatio tentetur,

---

intelligi putat, recte fortasse putat. Et fieri potest, ut comprehendantur hac significatione etiam ii, qui inter homines non eiusdem civitatis iudicarent. Sed reprehendendus Cicero est, qui tam ambiguo vocabulo, quo paulo ante ipse de civibus Romanis usus erat, rem significarit. Offendit etiam, quod, quum supra *selectos iudices proponi solere* dixerit, hic ea verba disiungit (*selecti e conventu aut propositi*). Sed gravissimam offensionem ea habent, quæ deinceps sequuntur, maxime repetitio ista, de qua Zumptium nihil dixisse miror: *De conventu ac negotiatoribus iudices nulli.* Hic quidem et interpolationem et mendum subesse etiam nunc suspicor.

quam ut apta orationis forma restituatur et simul. quam sit codicum vestigiis ubique insistendum in tollendis mendis. quæ interpolando occultata sunt. novo exemplo ostendatur. Nam c. 24. 60 editur: *Atque ab Apronio, iudices. homine in dedecore nato, — equitem Romanum scitote biduum cibo tectoque prohibitum* cet. Res iam iis, quæ proxime antecedunt, breviter comprehensa erat (*Leontinis in publico biduum tenuit*): sed repetit idem orator. ut gravioribus verbis et plenius re descripta hominibusque notatis dicatur. qualis quali iniuriam attulerit. Ergo *atque* non. ut Zumptius ait. potest abesse. sed debet prorsus in tali forma. Deinde in hac Apronii personæ notatione plene utique appellandus est. addito. ut semper in huiusmodi oratione fit. prænomine. Iam *ab* præpositio abest a plerisque. si non omnibus. codd.. etiam minus bonis (Lagom. septem. Parisiensibus): in *Atque Apronio* latet ipsum: *A Q. Apronio.* pervagatissimo mendo corruptum: conficit rem Vaticani eodem ducens mendum *Quo Apronio.*

Venio ad libros duos extremos. in quibus post ea. quæ 354
olim annotavi et quæ per universum contextum orationis Zumptius pleniore usus apparatu emendavit[1]). nec multa supersunt. de quibus dicam. nec admodum pleraque magni momenti. Sed tamen operæ pretium erit breviter eos locos percurrere. in quibus aut aliquid relictum a Zumptio videtur. quod effici potuerit. aut. ut fit. paulo minus recte administratum. quod quum faciam. simul eos locos attingam. de quibus a me Zumptius. ita dissensit. ut mihi tamen ea sententia. quam ante habui. rectior videatur.[2]) Nonnulla leviora minus recte administrandi causa fuit. quod codicibus Guelferbytanis. quos ipse adhibuit. obsecutus est aliquoties contra eiusdem optimæ familiæ principem. regium Parisiensem. ex aliena et iterum descripta col-

---

[1]) Ex genere locorum præcipuorum. ex quibus interpolationem in epistola ad Orell. tollere decreram. unum ægre fero Zumptio relictum. quum mihi ad veritatem inveniendam codices reg. et Leid. sufficere debuissent. V. 47. 125. In V. 47, 124 quam scripturam ego restituendam ostenderam nec tamen satis certa ratione nec historiæ testimoniis expediveram, ea quo referenda esset. Zumptius adhibito Diodoro Siculo docuit.

[2]) Rectissime dissensit V. 67. 171. de quo loco monuit etiam Bakius in censura epistolæ nostræ in Bibl. Crit. Nov. vol. V.

latione notum, et alios cum eo facientes, etiam Vaticanum, ubi illi leviter iam a suæ originis integritate declinant. Nam propiore ab origine gradu regium esse, non solum ante descriptum, satis patet. Utor manifesti exempli causa, præter exitum extremi libri, eodem loco, quo antea usus sum (ep. ad Orell. p. 11): nam IV, 44, 97 in regio scribitur mendose: *hydrias grandissimi hii* (pro *grandes simili*); ex eo in Erf. est *grandissimas*, in Guelf. 1 *grandissimas hii*, quod Zumptius in regio quoque esse scribit, in altero *gravissimas*. Prior quidem Guelf.
355 hic, ut in superioribus libris, nonnulla aperta licentioris mutationis vestigia habet, velut IV, 51, 114 *vacasse* pro *interisse*, 53, 119 *ædificata* cum libris vulgaribus pro *coædificata*. Ac de plerisque Zumptius aliter statuisset sine dubio, si ipse collationem codicum Parisiensium, qui n. 7774 A et 7775 notantur, habuisset; nunc collationi Hauniensi interdum diffisus esse videtur; quanquam ea non, ut Zumptius putat, prioris ex Parisiensibus illis est, sed alius simillimi.[1]) Levissimum est ex

[1]) In eandem, quam Zumptius (præf. p. XVIII et XXII), suspicionem incidit amicus meus, N. B. Krarupius, qui illius codicis (Par. 7774 A) collationem a se factam mecum communicavit. Orellius eundem esse codicem tam certum putavit, ut in libro quinto seorsum edendo eius collationem cum Hauniensi permisceret, nec, ubi alterutra deficeret, ex utra quidque notatum esset, indicaret, ac ne ibi quidem moneret, ubi prorsus repugnarent. Habet autem res suum in aliquot locis iudicandis et ad tollendam confusionem momentum. Diversos esse codices, quantumvis speciosa illa coniectura videatur, constat ex eo, quod non solum Krarupius nonnulla notavit, quæ in altera collatione non sunt, sed in hac quoque nonnulla sunt, quæ apud Krarupium non sunt, cuius summam diligentiam novi; aliquot autem locis diversæ notatæ sunt et perscriptæ eiusdem loci scripturæ. Pleræque quidem discrepantiæ leves sunt, ut in codicibus cognatæ originis. Ne cui autem nimis mirum videatur, plus quam unum huiusmodi codicem duos solos extremos libros habentem Parisiis fuisse, sunt etiam nunc ibi duo huiusmodi simillimi codices et pæne gemelli, ut ex iis patet, quæ Zumptius ad libr. IV c. 30 et 31 et ad libr. V c. 33 et 34 annotavit, ubi tamen hos codd. (7774 A et 7775) parum distinxit, ut, uter littera E, uter F notetur, ignorem. Nec mirum hos præter ceteros etiam eiusdem familiæ consentire, ex uno proximo derivatos, non solum ex communi fonte distantiore nec per successionem. Mirificus consensus Par. illius et Haun. perspicitur, ut ex infinitis duo exempla ponam, ex V, 48, 127, ubi uterque a reliquis melioribus discedens mendose habet *quæ*, et ex V, 50, 133, ubi hi soli: *licet hii quod*. (Haun. collationem

hoc genere. sed ad codicum auctoritatem æstimandam aper- 356
tum, quod aliquot locis secutus est ordinem verborum in Guel-
ferbytanis ita a reliquis bonis discedentem, ut propius spectanti
veterem a librariis in simpliciorem et ipsis usitatiorem muta-
tum appareat, velut V, 22, 56: *cur Tauromenitanis, cur Netinis*
frumentum imperasti? e Guelf. 1 pro: *cur Tauromenitanis fru-* 357
mentum, cur Netinis imperasti? V, 52, 136: *cum diceret tibi hæc* dissolutissimis numeris pro: *tibi hæc diceret*; in pronomine isto sonus ridiculus esset; (de loco melius distinguendo dixi in epist. ad Orell. p. 127, cui admonitioni Orellius obsecutus est, non Zumptius). V, 58, 149: *quot bella arbitramini maiores nostros et quanta suscepisse* pro *quot bella maiores — suscepisse arbitramini.* Etiam V, 8, 19 verius est, quod cum codd. Lagom. habent coll. Haun. et Par. 7774 A, *meo iure enim* quam *meo enim iure*: recte particula postponitur ei, quod pro uno adverbio est. Reliqua ordine persequar, in quibus hoc de codicibus iudicium sensim confirmabitur.

Statim libr. IV c. 4, 7 coll. Haun., cui nunc Vatic. accedit, recte habet: *quæ hæc causa est, quæ ista impudentia?* Guelf. autem prior, ut Zumptius edidit: *quæ hæc causa est? quæ ista*

---

cum Guelf. consentire, Zumptius non recte scribit, cuius coniecturæ fundamentum subtrahitur, per se ob pravum verborum ordinem improbandæ.) Verum in decem primis capitibus libri V hæc discrepant: § 2. Haun. (ed. Bruti tacente Anonymo) *nere*, Par. *ne*; § 4. Haun. *at felix*, Par. (Hervag. 1540 tac. Krarupio) *et f.*, Haun. om. *constitutum*, Par. non om. (Herv. tac. Kr.); § 10. Haun. *fuerant nominati*, Par. (tac. Kr.) *nominati erant*, Haun. (B.) *palum*, Par. *palam*; § 12. Haun. (B.) *ac bellum*, Par. *et bellum*, Haun. (B.) habet *et ad palum alligatos*, P. omittit; § 14. Haun. *servo*, Par. (tac. Kr.) *servis*, Haun. *et cruciatus*, Par. (tac. Kr.) *cruciatus*; § 15. Haun. (B.), ut videtur, cum Guelff., *servorum*, Par. *servitiorum* cum Steph. et Leid.; § 18. Haun. *Apollinium*, Par. (tac. Kr.) *Apollonium*; § 20. Haun. (B.) *frugalitate*, Par. *frugalitatis*, Haun. *honestissime maxime*, Par. *honestissimæ maximæ*, Haun. (B.) *oportuisse*, Par. *oportuisset*; § 23. Haun. (B.) *multo redemisse* cum Guelf. 1 et Steph., Par. *multos redimisse* (sic) cum Gu. 2, Lag. 29; Haun. (B.) *parentum*, Par. *parentium*; § 25. Haun. *ab illo indices*, Par. (tac. Kr.) *indices ab illo*; § 26. Haun. (B.) *ad tempestatum*, Par. *tempestatum*. Relinquitur quærendum, idemne sit cod. 7775 et is, cuius est collatio Hauniensis. [Huic de collationis origine a Par. 7774 A diversa sententiæ contradixit Halmius certioribus usus testibus, recte, ut opinor.]

impudentia est? molestissime cumulatis tribus interrogationibus, quæ in idem vocabulum exeant; in illa scriptura etiam alterum occultatur quodam modo pronuntiando; et in omittendo verbo consentiunt Stephanus et Lambinus.

C. 7, 14 vulgo scribebatur: *difficile est enim finem facere pretio, nisi libidini feceris*; sed coll. Haun., Guelf. 2 habent: *si libidini feceris*; id in Guelf. 1 correctum est, ut esset, quod Zumptius edidit: *si non libidini feceris*, incommode prorsus negatione præposita substantivo, quod propter oppositionem proxime condicionalem particulam sequi debet; addendum *non*, sed alio loco, ubi manifestam ob causam excidit (post *ni*): *si libidini non feceris*; optime præpositio verbo adhærens novam efficit oppositionem (*facere* et *non facere*).[1])

358 C. 9, 19 scribendum olim dixi ex coll. Haun. et ed. Lambini: *quid putasti? impetraturum te?* Zumptius ex Guelferbytanis et Leid. dedit: *qui putasti impetraturum te?* In hac una interrogatione pronomen extremo loco poni non potest, in illa duplici debet; et accessit ad Haun. Vaticanus. Magis improbandum, quod paulo post eodem capite Zumptius edidit: *quam minimum sit illis temporis*, pro: *dem illis*, ob Guelferbytanorum auctoritatem; nam quum in vulgaribus sit *dem*, in optimo regio (et Paris. altero) *idem*, patet hoc levissimum mendum in inferiore propagine melioris familiæ isto modo correctum esse.

In c. 15, 34, ubi editur: *Est boni iudicis parvis ex rebus coniecturam facere uniuscuiusque et cupiditatis et incontinentiæ*, tollendum esset bonorum librorum auctoritate prius *et*, quo addito hic non minus prave coniunctæ notionis vocabula distrahuntur, quam distrahebantur ad hoc tempus eodem mendo *amari* et *diligi* in c. 23, 51, nisi gravioris mendi suspicio ex eo nasceretur, quod optimi codices (Haun. coll., Guelf. 2) *continentiæ* habent, Guelf. 1 autem *cupiditatis continentiæ*. Vereor, ne hic quoque antiqua lateat διττογραφία, simillima eius, quam supra ex V, 42, 108 tollere conatus sum, sitque a Cicerone

---

[1]) Paulo ante (6, 12) retinuit Zumptius, quod ne in deterioribus quidem codd. est, *vendita sunt*. Non solum omnino incommoda est recta oratio Verris quasi verba præcipientis, sed tum non aptum *hæc omnia*. Itaque etiamnunc ex *vendita sed* faciendum puto *vendita esse*.

scriptum *uniuscuiusque continentiæ* (quam sit continens). ab aliquo autem. qui id ambigue dici non animadvertisset et plane simpliciter in Verrem convertendam sententiam putaret. adscriptum *cupiditatis*. quod deinde in contextum ita venerit. ut in bonis plerisque adderetur *et* (ita ut hoc quidem loco integrior sit paulo Guelf. 1). in deterioribus ulterius mutatio progrederetur.

C. 16. 36 Zumptius edidit: *Verum negas te horum anno-* 359
rum aliquid confecisse. secutus C. Stephanum et codices Guelferbytanos, quo spectare videri possit etiam coll. Haun. scriptura *aliquit*. Verum hoc mendum illam correctionem peperit. Miror enim Zumptium non attendisse. prorsus in illa sententia *quicquam* scribi debere neque hic ullam esse exceptionem excusationemve. Contra numerale. quod Zumptius vix ferri posse putat. aptissimum est; nam *horum aliquot* est. quod res postulat (cfr. I c. 23). aliquot proximorum (si ab hoc tempore (regrediendo) numeramus). quo sensu. ut initium computandi significetur. sæpissime pronomina et illi vocabulo et aliis numeralibus et infinitis et definitis addi notissimum est. nec id ad ablativum aut ratio aut usus adstringit. ut statim vulgatissimum est *ante hos tot vel tot annos*. (Eodem capite paulo post mira ellipsis (*perscripta sunt*) fingitur a Zumptio. sententiam evertens; neque enim in tabulis. quas ante provinciæ administrationem confecisset Verres. Cicero ea opera perscripta esse dicere poterat. quæ in provincia ipse erepta arguebat. Continuanda oratio est hoc modo: *Si, quas tabulas profers. in his. quæ habes, quomodo habeas, scriptum non est, horum — profers, nonne — necesse est?*)

Quod c. 24. 53 vulgo scribitur: *etiam aliquid a privato nonnunquam occulte auferebant*. mendosum esse dixi. quod hæc sententia ad crimen minuendum accommodata non esset. quod et totus locus et *tamen*, quod sequitur. postularet; nam. ut nunc ponitur, non præcipuum est, quod *occulte* abstulerint. sed quod etiam a privato aliquid. non solum. quod ferri facilius solet. de publico per magistratum. Itaque nescio. cur Zumptius optimorum codicum (Lamb.. coll. Haun.. Leid.. Guelff.). unius etiam deteriorum. scriptura se uti neget. in quibus est: 360
etiam cum aliquid. Nulla est enim facilior ellipsis quam post generalia illa *avertere aliquid de publico solebant* verbi *averte-*

bant in ea sententia, qua aliquid plus aliquando factum conceditur, addita præsertim particula *etiam*; cfr. de Legg. I, 16, 45: *Nam si opinione universa virtus, eadem eius etiam partes probarentur.*[1])

C. 24, 54 Zumptius edidit: *Eo concludit magnam hominum multitudinem*, ubi vulgo erat *conducit*; sed duplex manet orationis vitium. *Eo* enim initio sententiæ dicitur, tanquam si proxime ante locus nominatus esset, *concludit magnam hominum multitudinem*, tanquam si homines congregatos nondum dixisset; utrumque contra est; optime igitur, non mendose, ut
361 Zumptius ait, codices meliores omnes habent: *Eos concludit, magn. hom. mult.* Primum homines ad opus faciendum conclusos narrat, deinde admonet, magnam eam fuisse multitudinem. *Concludit* autem absolute dicitur, quemadmodum in diversa re de Finn. V, 20, 56: *bestiæ, quas delectationis causa concludimus.*

C. 36, 79 vulgo edebatur: *qui non obtrusit aliqua ex parte monumenta P. Scipionis*, inepto verbo; recentiores ex bonis

---

[1]) Paulo ante, 23, 51, tueri studet Zumptius codicum scripturam: *illa vero optima est*, ut audiatur *res*, quod fierine ullo modo possit, valde dubito. Neque enim huiusmodi generalis et abstractæ significationis substantiva omissa audiri possunt, sed specialis et propriæ, quæ ipsa adiuncta vocabula indicant. Et quidni dixisset, ut ferebat consuetudo, æque breviter: *illud vero optimum*? Quin intolerabilem languorem illa vox et addita et intellecta infert, certe in primi de N. D. libri c. 8, ubi de sententiis et inventis disputatur. In secundi libri Verr. c. 23 (*refert illam suam Syracusanam*) non dubito quin verbum Latinos scenæ admonuerit, omisso ex familiari consuetudine *fabulæ* vocabulo, tanquam *Syracusana* nomen esset; vid. Terent. Hecyr. prol. 2, v. 21, 30, coll. Cic. pro Cluent. 31, 86: *Te vero illud idem, quod tum explosum et eiectum est, nunc rettulisse demiror.* In Quintil. VI, 1, 4 potest pluralis generatim intelligi, subiecto particulatim: *si aliquod.* Hoc Verrinarum loco pæne adducor ut *est* recte deletum credam, Ciceronem autem plurali usum tanquam narrationem, quæ sequitur, particulatim in plura crimina distributam subiecturus, quæ nunc uno tenore continuatur, quemadmodum 59, 131 dixit: *Iam illa, quæ leviora videbuntur, ideo præteribo, quod — abstulit*, etsi ibi pluralis minus offendit, non tam arte connexus cum vocabulo *quod.* [Cfr. Philipp. V, 6, 17: *An illa non . . . . . . sunt notanda, quod . . . . . . habuerit . .?* Similiter *illa . . . quod* quasi de pluribus ponitur et tamen unum tantum subiicitur in Catil. I § 3, pro Planc. § 86, N. D. II § 147, Cat. § 49, Liv. XXXVIII, 46, 11. *Hæc . . . . quod* Cic. ad Att. VIII, 12, 3.]

codicibus ediderunt *obstruxit*, Zumptius etiam *monumentum*, sed recte intellexit, debere esse *monumento*. Ita eo magis posthac edendum erit, quod Krarupius liquido ex Parisiensi 7774 A id enotavit. Is codex paulo ante non discedit a vulgari scriptura *familiæ vestræ*, ubi ex Ursini, Lambini Guelferbytanisque codd. Zumptius edidit *tuum familiæque tuæ*. Et potest illud verius videri, quum Cicero non tam, quid Scipio sibi debeat, quam quid *generi et nomini*, exquirat. Quod autem unum Scipionem alloquens tamen, relata cogitatione ad ceteros Scipiones, dixit *vestræ*, nescio, qui offenderit Zumptium. Sed interdum ratiunculas aucupantes labimur; quid est enim illo vulgatius? Paulo post c. 37, 81 vulgo edebatur inde ab Ernestio: *næ ista præclara nobilitas desinat queri*, quod quanquam per se Zumptius non improbabat, tamen, quod codicum meliorum hoc loco mendosorum vestigia alio ducerent, e cod. Lagom. 29 edidit *Deinde ista*. Sed prius illud, ne quis reducat, locum non habet; est enim semper affirmantis, nunquam hortantis et iubentis (*desinat*). Verum ne *deinde* quidem aptum orationis vehementiæ aut coniunctioni; neque enim consecutio et ordo rei notatur. Esset saltem *Desinat posthac*. Ex Paris. cod. Krarupius notavit L̄X̄. *de ista* (Haun. *de* L̄X̄. *de*). Indignationi erumpenti satisfaceret prorsus *Tandem ista*; verum 362
quomodo tam obvium vocabulum tam mire corruptum dicam, hæreo; quod dici idem de *deinde* potest.

Minutum est, annotandum tamen propter loquendi consuetudinem, c. 44, 97 in verbis: *in supellectile C. Verris* veteri Lambini codici prænomen retinenti accedere Parisiensem a Krarupio collatum, si modo is diversus est (nam perspecta similitudine codicum Parisiensium maior est quam antea dubitatio, quo Lambinus usus sit). Et retinendum videtur ob eam ipsam, quam Zumptius in omissione reperire sibi videtur, contemptus significationem. Nam omisso prænomine nihil habet insigne Verris sæpe sic commemorati appellatio; addito notatur proprie homo (quod fieri eodem modo in claro homine potest), poniturque contrarius Scipioni aliisque claris viris, quemadmodum infra 58, 130 dicitur: *quod M. Marcellus — concesserat, — id C. Verres sustulit*. Add. 35, 78. Simillimum est hoc eius, quod supra de III, 24, 60 dixi.

C. 53. 118 a reliquis bonis, quibus accedit Paris. a Krarupio collatus consentiuntque etiam deteriores Huydecoperanus et Oxon., unus dissentit Guelf. 1, quo Zumptius confisus retinuit *una Dianæ et altera* pro eo, quod in illis est, a me defensum: *Dianæ et altera*, nec hoc redarguit.

In c. 60, 134 Zumptius incidit in errorem similem eius, quo ego quum deceptus essem in epist. ad Orell. p. 34, revocavi tamen me in Addendis. Non animadversa enim vera distinctione in optimorum codicum scriptura, necessario delendum putavit aut *apud illos* aut *apud socios*; itaque hoc posterius
363 delevit, magno sententiæ detrimento. Putat enim Græcis populis opponi, qui deteriore condicione fuerint. Verum primum tum ob ipsam oppositionem (*eos autem, quos vectigales* cet.) Græcorum condicio significanda erat, quod minime fit verbis *apud illos*; deinde quum per se inepte in hac re populi non Græci commemorantur, apud quos hæc artis studia et opera nulla erant, tum hoc loco ineptissime, quoniam causam relictorum omnino apud subactos populos artificiorum dixit fuisse, quod *Græci* mirandum in modum rebus istis delectarentur. Deinde minime Græcorum maiorem partem liberas fœderatasque civitates habuisse, ut nulli inter eos vectigales ac stipendiarii essent, sine quo corruit tota illa oppositio, ostendit, ut brevis sim, provinciæ forma et proconsul Achaiæ. Itaque scribendum est, ut in Addendis illo loco dixi: *hæc esse apud illos quam plurima; apud socios* cet., ut primum de Græcis universe, tum de duplici genere dicatur. Nam quod Zumptius ipsos vectigales ac stipendiarios appellatos esse socios obiicit, comprehenduntur interdum eo nomine, ubi mitius et honorificentius, sed pinguius loquuntur scriptores; proprie quidem quin socii fuerint, qui fœdera haberent et libertatem, nemo dubitat; et proprie Ciceronem hoc loco esse locutum, ex oppositione apparet.[1])

---

[1]) Paulo ante c. 57, 128 Zumptius edidit: *parvum illud caput pulcherrimum*, ordinem verborum e Guelff. esse dicens pro vulgato *caput illud*, in quo error est; nam *illud caput* est in vulgaribus edd. Puto in Guelff. fuisse, quod erat in Paris. 7774 A. *caput illud*. Sed *parvum*, quod in vulgaribus editionibus ante Beckium erat, unus confirmat a reliquis bonis discedens Guelf. prior, habetque, ut pleraque huius generis in hoc codice, coniecturæ librarii speciem, nec inde orta reliquorum

Quæ c. 64, 144 leguntur, quam graviter corrupta videantur, expositum est in ep. ad Orell. p. 85 sqq.; Zumptius, qui singula excusat (ut illud *commonefacere præturam*), non satis attendisse videtur, quam multa perturbationis vestigia concurrerent: qui quod voces *cuiusmodi constat*, quas codices addunt post *consumptas*, e superioribus repetitas putat, prius vocabulum supra omnino non legitur. Addo iis, quæ illic dixi, nimis operose tertium illud membrum præparari: *Hoc vero scriptum esse* cet., quum illud æque breviter ac superiora Cicero absolvat; nec, quæ dicuntur, de illa parte senatusconsulti magis quam de superioribus dici poterant. 364

In c. 65, 146 miror retinuisse Zumptium vulgatam distinctionem nec verbo tamen defendisse ineptam illam coniunctionem: *o hominem relictum a magistratu Siculo*, quasi hoc magnum et exclamatione dignum esset aut recte saltem diceretur de eo, quem non magistratus Siculus, sed omnis senatus Syracusanus non reliquisset, sed insigni iniuria affecisset. Quod autem in vera interpunctione, qua exclamationem generaliter prolatam: *o desertum hominem, desperatum, relictum* excipit explicatio rei ridiculæ, Zumptius negat patere, quem magistratum orator dicat, nescio, qui magis in altera distinctione apparere visum sit, esse, qui senatum habuisset; ab eo itaque (quoniam in eo quoque Zumptius difficultatem, quæ nulla est, excogitat), rei gestæ auctore, Cæsetius prætorem Romanum appellabat.

C. 66, 148 quum in vulgaribus libris esset mendose: *in quibus singula perscripta erant*, editum est deinde: *in quibus S. C. perscripta erant*, notis sumptis ex melioribus libris; sed 365
ii præterea omnes habent *perscripserant*, ut senatusconsultum unum intelligatur, quod apertissime tota narratio postulat. Mirum est igitur, Zumptium idem admodum licenter mutando efficere velle, ut scribatur: *perscriptum erat*. Nam quod illos monitores non ipsos scribas fuisse ait, nollem excidisset viro

---

scriptura videri potest; tum, cur parvitas primo loco notanda fuerit, parum perspicitur; ipse quoque verborum ordo, si ad fidem codicis Paris. et, ut opinor, Guelff. mutatus fuerit, illa scriptura ut improbetur, faciet. Latet reconditius aliquid, quod non reperio; nam *Parium* recte Zumptius refellit.

doctissimo; certe c. 65, 145, ubi est: *id non modo tum scripserunt*, scribas non intellexit; fecisse senatores dici patet, quod communi decreto fieri iusserint.

In ipso initio libri quinti Zumptius edidit, Guelferbytanos secutus, quibus accedit cod. Leidensis, *multo ante est mihi providendum*, quod numeros habet valde dissolutos, vel in illa frequentissima transpositione *multo mihi ante* ad simpliciorem iuncturam revocata. Et *iudices*, quod additur vulgo ante *providendum*, mendose in illis codd. deesse, ostendunt principes familiæ, coll. Haun. et Par. 7774 A., quorum uterque vulgatæ ante Lambinum et scripturæ et ordini consentit; eandemque formam, qua gravior fit oratio dirempta interposito iudicum nomine, recte ipse Zumptius restituit III, 18, 46 (*iudices, dicam* pro *dicam, iudices*) et V, 53, 140, in orat. pro Cæl. 28, 66 Orellius; cfr. pro Balb. 7, 18: *Si, quo quisque loco nostrum est, iudices, natus*.

C. 12, 29 Zumptius nihil omnino de iis argumentis dicens, quæ ex sententia loci petita postulant, ut scribatur cum optimis quibusque libris: *labor operis maxime offendit*, relatum ad servos ad motum inclinantes, pro *offenditur*, tantum, quod ad usum loquendi attinet, posuit, *offenditur* esse καταλαμβάνεται, et
366 id ipsum nude, sine exemplo, quod afferri posse et negavi et nego. Ne *deprehendi* quidem, quo verbo in interpretando utitur, dicitur labor, qui aperte fit, multo minus *maxime*; tum *laborem operis* esse vult *fervorem*, id quoque sine exemplo et ita, ut *fervorem maxime offendi* dici posse non ostendat. Deinde autem quod *et* ante *frumenti* omitti non posse putat, quod ab optimis codd. abest, eadem est ratio huius transitus a membris coniunctis ad asyndeton in extremis (quod est etiam in vulgata, sed durius et insolentius in solis duobus extremis), quæ omittendi pronominis aut particulæ in primis membris repetitæ. Vid., præter V, 51, 133 ex optimorum librorum scriptura, pro Cæl. 14, 33: *non patruum, non avum, proavum, atavum*, et pro Mil. 8, 20: *qui Drusum, qui Africanum, Pompeium, nosmet ipsos*.

C. 19, 48 Zumptius, quem sequitur Orellius, codicis Guelferbytani a reliquis discedentis infirmissima auctoritate omisit verba *id quod*, tum ex coniectura pro *et quod* edidit *id quod*. Hæsit enim in eodem, in quo etiam Bakius offendisse videtur,

quod in codicum omnium scriptura a me defensa inepte dici putabat *video, quod perspicio.* Verum optime Cicero, quum Verres rem confectam putaret tabulis Mamertinorum, opponit, etiamsi in illis tabulis nihil sit, videre se, id est, ex rei natura intelligere, *fieri potuisse* aliquid, quod deinde *factum quoque esse* dicat se perspicere ex certis vestigiis litterarum. Tantum illa, quæ sequuntur (*multas pecunias* cet.), coniungenda sunt cum verbis proximis, *perspicio et ostendam.* Nimis est enim artificiosa Bakii ratio. Sed ubi semel erratum in aliquo loco est, non facile reditur ad simplicissimam expediendi rationem.

C. 22, 56 Zumptius ex eodem Guelf. priore edidit: *At Netini quidem* pro *Ac Netini quidem*, propterea quod sequitur 367
statim in eadem sententia, ex bonis libris omnibus receptum, *ac simul*, habuitque obsequentem Orellium; iniuria. Nam *at* in simplici oppositione pro *sed* Ciceronianum non est, nec coit hoc loco cum particula *quidem*; *ac — quidem* aptissimum est orationis cohærentiæ; adiungitur enim superiori sententiæ (*quarum civitatum utraque fœderata est*), id, quod naturaliter exspectaretur, Netinos saltem fecisse. Nimis delicati sumus interdum in repetitione eiusdem particulæ vitanda, ut hoc loco, in quo diverso accentu proferebatur in initio sententiæ et in eius partibus iungendis. Sed magis improbo, quod et Zumptius et Orellius difficillimum locum, qui est in eodem capite § 57, tam leviter expediunt. Nam quod *ut in iudiciis* dicunt esse „in reliquis iudiciis, vulgaribus", unde hoc intelligitur et quæ est hæc comparatio, quasi Verris iudicium non sit? Deinde, quod totam alteram partem sententiæ („sic tibi in causa repetundarum, quum non plus una civitate invenire posses, multo honestius fuit cet.") audiri volunt, oblitum esse putant Ciceronem id dicere, quod dicere quum maxime vellet, posita comparatione et tota protasi accuratissime decurrente, ut ne in familiarissimo quidem sermone homo diligenter loquens hic orationem interrupturus fuerit; nam oblitum esse oportet; figura quidem omittendi nulla est. Nec ea, quæ sequuntur (quo spectabat Manutii conatus) comparationem habent, sed conclusionem ex iis, quæ ante dicta sunt de numero laudatorum. Confitendum est simpliciter, locum, ut scribitur maximis auctoritatibus confirmatus, expediri non posse. Mendum videtur esse antiquissimum in uno vocabulo *iudiciis*; nam quoquo te verteris,

iudiciorum comparatio inepta erit. Nec video quæsitum, quinam fuerint in aliis iudiciis laudatores, quorum certum nume-
368 rum consuetudo postularit; in privatis quidem nusquam datos reperio. Sed difficilis est, si mendum est, emendationis inventio, moris memoria fortasse oblitterata.[1])

Confirmatur iudicium meum de Guelferbytano priore in c. 26, 67, ubi pro eo, quod est in cod. reg. et Paris. 7774 A (*Virum tu archipiratam servabas: quo? per triumphum, credo* cet.), quum deteriores habeant *quem*, is quoque interpretamentum oggerit, *quam ob rem.* Non causa, sed consilium significatur. Idem codex obstitit, quominus c. 30, 78 vinceret reliquorum omnium et bonorum et deteriorum scriptura temere in edd. plerisque mutata: *Nunc, quum vivum nescio quem istum producis, tamen te derideri vides: quid, si aufugisset, si vincla rupisset, — quid diceres?* id est: quanquam non id accidit, quod accidere potuit, tamen iam nunc derideris nec invento creditur; quid si cet.? Quid apertius? Zumptius ex illo codice edidit *tantum*, secutusque est Orellius, qui in operum Ciceronis editione *tamen* tenuerat, hoc, opinor, sensu: nunc tantum derideris; si aufugisset, gravius aliquid patiendum fuisset. Debebat esse: *tantum derideri te.* Nec apta illa sententiarum consecutio est ad totam disputationem de incredibilitate, ut ita dicam, rei.
369 Eiusdem particulæ compendium infra 41, 107 in Guelff. et Leid. corruptum erat, ubi Orellius verum vidit. Paulo post c. 32, 83 et Zumptius et Orellius tuentur *populi Romani nomen attingunt* contra bonorum codd. scripturam *populum Romanum attingunt*; nec mihi tamen satisfaciunt. Zumptii expli-

[1]) Occuarrebt, una littera mutata, *ut in indiciis*, id est, quando quis ab indice publice nominatus testes probitatis et laudatores dat; sed nihil affirmo. Paulo post c. 25, 64 eadem est codicum divisio in verbis *symphoniacos homines sex*, quam tetigi aliquoties; cum vulgaribus principes meliorum (reg. et Par. 7774) retinent *homines*, quod addatur an omittatur, non multum interest. Itaque casu excidit ex illorum propagine. Hæc quum sit perpetua pæne ratio, nescio an in c. 29, 74 ex vetustiorum *horreris* potius faciendum fuerit *horreres* quam, quomodo in Guelff. emendatum est, *horrueris.* Additum a Zumptio *is* non puto necessarium nec de secunda persona in tam brevi orationis ambitu dici. Sic melius quoque perspicitur causa scripturæ librorum vulgarium *horrebas.*

cationi obstat ipsum vocabulum *cognatione*, quod iubet proprie accipi verbum *attingunt*; Orellius autem solitam περίφρασιν appellans nihil agit; nam quod dicitur illud optime aliquot locis, non tamen *nomen populi* idem significat usquam, quod *populus*, et § 97, etiamsi non rectius ipse edidisset *imperii populi R. nomen*, tamen non sane *populus R.* diceretur Syracusis fuisse. Etiam de Vaticano codice ex silentio Maii parum tuto coniectari multis indiciis patet. Causam tamen interpolationis sane non reperio.

De loco, qui est c. 38, 100, recte eatenus a me dissensit Zumptius, quod *hominum conventum atque multitudinem* non mutavit; recte enim homines præsentes vetustæ gloriæ et absentis populi Romani nomini adiunguntur; sed dativum iure requirebam, et quod defendit dici *myoparone triumphum agere*, non per se, sed redundantia vitiosum est, maxime in hac compositione: *piratico* myoparone triumphum agere *piratam*. Commode igitur subvenit addubitatæ fidei silentii collationis Haun. codex Par. 7774 A, ex quo Krarupius *myoparoni* enotavit. Interpungendum est igitur sic: *hominum conventum atque multitudinem piratico myoparoni; in portu* cet.

C. 40, 104 Zumptius, quod iam aliquoties accidisse vidimus, in dissensu bonorum codicum secutus est inferiores ex hac familia, fortasse quod principum scriptura satisne accurate notata esset dubitabat. Nam ex Guelff. et Leid. edidit: *Quid de Cleomene fiet?* Regius autem et Par. 7774 A et Lambini habent: *Quid Cleomene fiet*, ex qua scriptura ut vulgarium *Cleomeni*, ita illud *de Cl.* ortum esse addendo, quod ad plenam orationem deesse videretur, vix dubitabit, qui similia supplementa viderit ad Fam. XIV, 4, 3 (ubi in Mediceo *de* omittitur) et de imper. Pomp. 20, 59 (ubi in meliore codd. genere abest).[1] Quod Zumptius alterum „in hac significatione de prodendis ac destituendis hominibus" usitatissimum esse Ciceroni scribit, dicitur potius de exitu, fato, quod quis neglectus nec adiutus aliquave res non curata habitura sit; in ea autem significatione apud Ciceronem præpositio non adiicitur, nisi forte

---

[1]) [Etiam apud Livium XXVII, 16, 8 deteriores codices *de* addunt contra meliores.]

ad Fam. IX, 17, etsi ibi, ut ad Attic. II, 5, referri potest ad aliorum decretum et actionem, alterum sæpissime ponitur. Dativus, quam tertiam formam Orellius tuetur, in passiva constructione auctoritatem nullam apud Ciceronem habet nisi loci dubii (vid. Zumpt. ad II, 17, 40) in II Agrar. 27, nec videtur in communi usu fuisse (Ovid. A. A. I, 536). [Vid. tamen Acad. II § 27, ad Att. X, 12 init., Philipp. II § 34.]

In c. 43, 113 quum in vulgaribus libris legatur: *Non posse Verrem testes interficiendo crimina sua exstinguere*, in melioribus autem ceteris *testes interficiendo nos exstinguere*, in Guelferb. priore *vos exstinguere*, hoc *vos* Zumptius ex margine in textum venisse putat explicandi causa adscriptum, quinam illi essent *sapientes iudices*. Primum non est hoc omnino consentaneum horum codicum ingenio; deinde quis hoc adscripsisset post illud *de vobis prædicarit*? tum quomodo excidisse alterum putabimus? Itaque interpolatio manifesta est, quam Orellius eo quoque argui putat, quod *crimen* pro eo, quod est *scelus et maleficium*, contra antiquiorum usum dicatur (a quo usu primum poetæ discesserunt, Virgilio præeunte, quanquam minime in facinoris significationem statim vox transiit, præser-
371 tim apud prosæ orationis scriptores). Videntur tamen *crimina sua* aliquo modo dici posse pro iis, quæ sibi obiici possint, quemadmodum Livius XXXV, 19 *meis criminibus*, id est, me criminando, dixit, etsi tum minus aptum est *exstinguere*. Ceterum, quod id ipsum a Cicerone scriptum esse arbitratus sum, quod in Guelf. 1 legitur, et durius et brevius est nec de iudicibus tollendis cogitari poterat, sed de iis, quibus apud iudices Verres argueretur. Recte autem facinora hic nominata negavi ob sequentia, nec *noxa*, in quod vocabulum Orellius incidit (*noxas*), sic dicitur. Itaque locum attente considerans in aliam incidi coniecturam; suspicor enim in illo vocabulo latere *voces*; ita testes interfectos ex inferis vocem missuros diceret, accommodate ad ea, quæ subiiciuntur. Est tamen coniectura ex earum genere, ad quas confirmandas non ita plura concurrant, ut confidere possis. Certius emendari potest, quod proxime (44, 114) a Zumptio ex codd. vulgaribus et edd. antiquis reductum est: *in tanta re, tot hominum causa, P. Vettium ad se arcessit*, Orellio eatenus sequente, ut tamen *causa* delendum

significaret, manifesto prava variatione adiectum ad molliendum genitivum prorsus ex Ciceronis more superadditum voci *tanta* et ad idem substantivum pertinentem. Nam ex melioribus codicibus Stephan. et Guelff. (ut ex Zumptii nota suspicor) habent: *tot hominum totve civium ad se arcessit*, idemque Leidensis, nisi quod in eo est *totne*; apparet *vecivium* esse *Vectium* (*Vettium*). Restat illud *tot* et prænominis defectus. Sed in coll. Haun. est *tot hominum tot Vectium*; ex Par. 7774 A Krarupius, quod hi codices significant, enotavit: *tot hominum, t. veccium* (*T. Vettium*). Quo quid potest esse apertius? Et tamen casu fit, ut id confirmare magis possimus: nam ex libr. III c. 71, 166 con- 372
stat, huius quæstoris fratrem (72, 168) fuisse *P.* Vettium; ipse ergo quæstor aliud prænomen habuit.[1])

Ad c. 46, 121 erudite Zumptius annotat, propter Diomedis grammatici auctoritatem scribendum videri posse *lacrimaret* pro eo, quod editur, *lacrimaretur*; hoc tamen codicum consensu defendit, ex quibus soli excipiantur Lag. 29 et Huydecoperanus, et similium duarum formarum analogia, ac ne Vaticano quidem ad illos accedente calculum retrahit. Verum tamen ab illo, quo nititur, consensu absunt præterea principes familiæ melioris codices; nam in coll. Haun. et Paris. 7774 A est mendose *lacrumarum*, ut iam tollenda illa forma videatur.

Obiter cavebo, ne c. 58, 139 de vera scriptura codicum dubitetur, ad quam tuendam nihil præter ea, quæ dixi in epist. ad Orell. p. 128, allatum est; Zumptius etiam incaute illo exemplo usus est, quo abstinendum esse dixi. Sed participium, quod per se pro substantivo poni non soleat, alii participio, quod in substantivi naturam transierit, adiunctum eiusdem naturæ fieri, exemplis confirmavi in annotatione Henrichsenii ad Cic. de Orat. II, 74, 302 (*ex oratoris dicto aliquo aut responso aut rogato*, pro quo substituerant *rogatu*; de Or. II, 15, 64 *præcepta, admonita*; pro Sull. 26, 72 *huius factum aut com-*

---

[1]) Insignissimus est locus paulo infra (44, 115) ad codicis Parisiensis 7774 A et eius, cuius est collatio Haun., diversitatem et ad huius inter reliquos eiusdem generis proprietatem ostendendam; nam hic unus ex melioribus (nisi quod Lambinus quoque silet, si non eodem is usus est) non habet additamentum illud *Indigni* (*Indigne*) *ferunt*.

missum). [Cfr. quæ scripsi ad Cic. de Finn. V, 16, 44 p. 686 ed. 3.]

Verbo attingendus est etiam locus ex c. 59, 153, ubi editur: *Meum enim crimen avaritiæ te nimiæ coarguit, tua defen-*
373 *sio furoris cuiusdam et immanitatis* cet.; in quo minime me, quod Zumptius scribit, *avaritiæ* vocabulum offendit (qui posset enim?), sed leviter displicebat *nimiæ*, quum quod in hac extenuatione criminis abs re adiectum videbatur (itaque improbarem multo magis *infinitæ*, quod Zumptius coniiceret, si necesse esset), tum quod illam pæne comicam significationem, tanquam esset aliqua concessa avaritia, huic loco minus aptam iudicabam. Deinde tum illud vocabulum in nullo codice repertum putabam; nunc video esse in vulgaribus, etsi vel ibi interpolationis tenuia vestigia sunt (vid. de Lagom. 48 et 14 apud Zumpt.); in bonis non est; nam de Par. 7774 A Krarupio hoc loco diffidere cogor, quum Orellius in sua collatione regii, id est, illius codicis, dicat esse *etnite*. Iam in hoc, in coll. Haun. et Leid. (nam Guelff. *Et enim* propius ad vulgatam scripturam accedit) alterum vocabulum est ante *te*; id vocabulum compendio scriptum fuisse, ex Haun. maxime et Leid. apparet. His vestigiis convenire et sententiæ aptum esse putabam *tantum*, nec nunc improbo, nec tamen valde contendam.

Ad extremum, ne in dissensus commemoratione desinam, ad bonorum librorum scripturam in aliquo loco confirmandam, quam mecum Zumptius tenet, sed subdubitans, exempla quædam similia addam; nam quomodo c. 69, 177 (*Quam legem non is promulgavit, quo nomine proscriptam videtis*), novo nomine adscito ita definitur pronomen relativum, ut laxius cum præcedentibus cohæreat (*non is, qui id nomen habet, quo*), sic I in Verr. 38, 95 dicitur: *his nominibus, quæ res per eum gestæ sunt* (id est, his nominibus rationum, quæ ad eas res pertinent, quæ), et apud Cæs. B. C. I, 8: *reliquo sermone confecto, cuius rei causa venerat* (id est, de ea re, cuius); nam
374 minus offensionis habet Divin. 13, 41 *illius temporis, quo die*, cuius simile est pro leg. Man. 12, 34 *tam brevi tempore, quam celeriter*.

Paulo longior facta est hæc partis criticæ editionis Zumptianæ censura, quæ si minuta plerumque supplementa attulisse

videbitur. erit id indicio, non solum de universo fundamento emendationis harum orationum meum iudicium cum Zumptii consentire, sed etiam in singulis partibus ita rem mihi administratam videri, ut administrari par esset ab homine sermonis Latini, maxime Ciceroniani, rerumque veterum peritissimo elegantisque et recti iudicii.

XI.

De emendatione aliquot locorum orationis Tullianæ pro M. Cælio disputatio.[1])

375 Quattuor fere sunt anni, quum vir doctissimus, N. B. Krarupius, mihi significavit, se, quum paucis ante annis Parisiis versaretur, præter alios codices scriptorum Ciceronianorum duos præstantissimos diligenter tractasse, qui aliquot Ciceronis orationes continerent, alter Verrinarum libros duos extremos, alter, qui in bibliotheca regia 7794 numeratur, eas, quæ sunt pro P. Sestio, in P. Vatinium, pro M. Cælio, de provinciis consularibus, pro M. Cornelio Balbo, eorumque codicum scripturis a se notatis utendi liberrimam potestatem obtulit. Id mihi pergratum erat. Nam quum ad Verrinas emendandas paulo ante ipse in epistola ad Orellium usus essem scripturis egregii codicis Parisiensis ante duo sæcula excerptis, scire cupiebam, ecquid novi subsidii afferret illa sive eiusdem codicis nova pervestigatio sive alterius valde similis; neque enim statim patebat, utra verior esset opinio. Eas autem orationes, quæ in altero codice erant, satis mihi constabat neque initio ex bonis codicibus editas neque postea eorum ope constanter et perite emendatas esse, omninoque in his orationibus, quæ vulgo
376 minus studiose lectitarentur, minus etiam quam in reliquis criticæ operæ, quæ quidem fructuosa esset, positum; itaque

---

[1]) Edita bipartito 1833.

plurima et gravissima menda tolli ex iis posse, si quis codicem a recentissimis, quibus vulgares libri obsiderentur, interpolationibus immunem nactus esset. Talem autem Parisiensem illum esse non solum ipsa antiquitas ostendebat, — noni enim sæculi dicebatur esse, nec ab opinione magnæ certe vetustatis abhorrebat vocabula scribendi constans ratio. — verum etiam multorum locorum scriptura statim patefaciebat, ita a reliquis discedens, ut eorum partim aperta menda tolleret, partim occulta aut corrigeret aut argueret saltem, congrueretque fere cum iis melioris generis codicibus, quorum aut in apparatu critico Gruteriano rara admodum et parum diligens exstabat mentio, velut codicis Sancti Victoris et Gemblacensis a Gulielmo adhibitorum, aut alibi vestigia supererant, velut in editione Hervagiana, qua Orellius nuper aliquo cum fructu usus erat. Huius igitur codicis ope, cuius tamen non plane eadem est per omnes orationes præstantia [1]), adhibitis, quæ præterea sparsa hic illic erant, præsidiis, ad quæ iam tum accesserat Erfurtensis codicis collatio Wunderiana, mox adiectus est scholiastes Vaticanus a Maio editus, has orationes horis aliquot subcisivis emendare cœpi, multa quoque, ut fit in hoc genere, 377
quæ aperta testium auctoritate in melius mutari non poterant, vestigiis tamen persequi et coniectura verum reperire, in aliis necessario falsa notasse contentus. Atque initio cogitabam interdum ipsas orationes edere et emendationum rationes subiectis commentariis exponere, deinde autem plura ex simili genere adiumenta prius circumspicienda videbantur, quæ res consiliique exsecutio occasionem et tempus opportunum exspectabat. Interea intervenit orationum pro Cælio et pro Sestio editio Orelliana, cui nuper accessit nova orationis de provinciis consularibus recensio; in qua editione quum vir doctissimus

---

[1]) Krarupius annotat, plures eum scripsisse singulosque librarios pauca quædam in orthographia mutasse; unum ubique *michi*, *nichil* scripsisse, alium *c* et *t* litteras permutasse, omnes vero *t* et *d*; orationem pro Balbo multo minus accurate descriptam esse, ut videatur librarius exemplar difficile lectu ante oculos habuisse. Sane multo plus vel hoc adhibito subsidio ad eius orationis emendationem quam ad reliquarum desideratur, videturque ea oratio et antiquiorem habere interpolationem et ex depravatiore codice quam ceteræ in Parisiensem transscripta esse.

præter reliqua subsidia, ab aliis interdum neglecta aut quæ nuper accesserant, ad Cælianam emendandam quum ipsum illum codicem Parisiensem tum duos eius similes, alterum ne ætate quidem longe inferiorem, Bernenses, adhibuisset, ad Sestianam hos Bernenses, atque in illa longe plurima, in hac permulta bene restituisset, idemque nunc sine dubio fecerit in tertia illa oratione, non erat, cur propter ea, quæ restabant, nova editio susciperetur ipsarum orationum, sed alius ea in lucem proferendi modus eligi debebat. Nec Vatinianam et Cornelianam, quum præsertim ad huius emendationem minus profici posset, per se edere operæ pretium videbatur. Sed, quod dixi, ut superessent post Orellii curam haud ita pauca, quæ addi possent, primum eo factum est, quod in Sestiana præstantissimo codicis Parisiensis rei gerendæ præsidio caruit, quod Bernensibus non prorsus compensari satis ex Cæliana intelligi potest. Tum vero non solum in iis, quæ auctoritatum delectu nituntur, iudicia aliquot eius improbare cogor, sed maxime, ubi menda aut contra auctoritatem arguenda erant
378 aut, iam satis codicum testimonio convicta, ex horum obscuris vestigiis corrigenda, plura relicta animadverto, quæ videor explere posse.[1]) Hæc igitur omnia decrevi sensim academicis

---

[1]) Omnino, ne quid dissimulem, quum in Orellii editionibus singulorum scriptorum (nam corpus illud Ciceronianum alio modo iudicandum est) delectum subsidiorum et rectum plerumque iudicium verba sensu cassa spernens et multiplicem doctrinam probem, tamen acrem subtilemque investigationem veteris usus loquendi et sensum in hoc genere certum nonnihil desidero, ex quo fit, ut interpretationes locorum dubiorum interdum paulo licentius fingat in rebusque grammaticis nunc nonnullorum vanis disputationibus refragetur, qui, quid sermonis formis exprimatur, ignorant, nunc iis adhærescat; tum de scriptorum voluntate consilioque in verbis ponendis, de mendorum et discrepantiarum originibus et causis similibusque rebus interdum parum considerate et paulo festinantius iudicare videtur, non satis attendens ad rei naturam et ad ea, quæ fieri possint. Cuius rei, ne obscurum sit, quid sentiam, exemplum præcipiam ex Sestianæ orationis c. 20, § 46, ubi editur: *depugnarem potius cum summo, non dicam exitio, sed periculo certe vestro liberorumque, quam non id, quod omnibus impendebat, unus pro omnibus susciperem ac subirem?* Unus Gesnerus animadvertit (in Chrestom. Cic. p. 278), quod ego neminem animadvertisse putabam et indignabar, quum idem dicebam (in disput. de emendat. locc. aliqu. oratt. Cic. p. 144 not.), delendum esse *non*, quo adiecto ridicule pror-

aliquot libellis includere, initium facturus nunc a Cæliana, ut 379
deinceps ad Sestianam reliquasque veniam, daboque operam,
quantum efficere potero, ut, exclusa opinandi instabili levitate,
perspicuis certisque argumentis disputatio conficiatur, interdum
non ad has solas orationes spectans. Et in reliquis orationibus
omnes codicis Parisiensis discrepantes scripturas expromam; in
Cæliana nihil opus est id post Orellium fieri, nisi quatenus
paucas quasdam bonas scripturas is, qui Orellii causa codicem
contulit, prætermisit. Quocirca ea quoque, quæ de codicum
stirpibus et generibus et universo usu in his orationibus di-
cenda sunt, commodius tum exponentur, quum de Sestiana
dicetur. Atque quod in Cæliana omissas dixi nonnullas Pari-
siensis codicis scripturas, de his primum dicam; de quibus
dubitari ideo non potest, quod non silentium Krarupii sequor,
sed ea, quæ ad marginem editionis, in qua aliæ erant scrip-
turæ, annotavit. Minutum est, quod c. 8, 20 recte in eo scri-
bitur *quum sit iis confitendum* pro *his*; paulo gravius, quod
10, 23 cum Erfurtensi et Bernensibus omittit *et* ante *adiutor*,
retentum ex depravata vulgarium codicum scriptura eodemque
in genere putidæ distinctionis vitiosum, de quo dixi in dissert.
crit. de Verr. p. 358. Recte etiam c. 12, 29 habet: *Sed vestræ
sapientiæ, iudices, est,* ubi vulgo editur *est, iudices*, sublata ea
compositione, quam Ciceroni usitatam ostendi in eadem dissert.
p. 365. (Est idem in edit. Adami de Ambergau anni 1472;
in Erf. verbum plane excidit; apparent turbæ.) Tum c. 16, 37
cod. Paris., ut reliqui boni, *ferendi* habet, non *ferenda*; lepo-
rem ex imitatione sermocinationis quotidianæ habet illa quasi
confirmatio paululum variata superioris istius: *Ferrei sunt isti
patres.* Deinde unus aliquis fingitur in Cælium invehi. Sed 380

---

sus non contrarium dicitur eius, quod dici debebat, sed nihil dicitur. Tollitur enim comparatio duplicis condicionis, quæ proposita esset ad eligendum. Cuius Orellius commemorata sententia, *negatio tamen*, inquit, *manifestius significat eum id reapse fecisse.* Itane vero? Quum *potius hoc quam illud* dicendum est, manifestius erit, si *quam non illud* dixero? et reapse fecisse aliquem aliquid, manifestius erit ex negatione? Aut depugnandum Cicero sibi fuisse ait cum communi periculo aut, quod omnibus impenderet, sibi uni pro omnibus subeundum. Hoc se ait fecisse nec potuisse dubiam esse electionem. Itaque quærit, potiusne depugnaret, quam illud subiret. Quid apertius?

multo gravius est, quod c. 26, 63, ubi editur perverse et contra certam loquendi normam: *ad tradendum pyxidem*, Parisiensis quoque codex, præter Bernenses et Erfurtensem, veram scripturam habet, *tradendam*. Perversum alterum dixi. De qua re exponendum est paulo explicatius, quod mirum in modum diversa confundi video et inanibus auctoritatum nominibus rem agi. Orellius in antiquioribus codd. persæpe in talibus exhiberi gerundium, ubi recentiores falso soloecismi metu substituerint participium, scribit. Vellem locos notasset; nullos enim vere tales reperiri puto; deinde conferri Garatonium iubet. Garatonius nos remittit ad Gronov. ad Gell. IV, 9 et ad ea, quæ dixit ipse ad IV in Catil. 9, ubi, quum optime scriberetur: *ad conservandam rem publicam*, Grævius ex pessimi codicis pervagato errore: *ad conservandum populum Rom.* solœcismum effecit: *ad conservandum rem publicam*. Ibi ad Perizonium ablegamur (ad Sanctii Minerv. I, 15). Ipse Orellius ad orat. pro Rab. Post. 16, 44 Beierum ad orat. pro Scauro § 13 citat auctorem, rursus alios citantem, nihil exponentem. Iam qui Perizonii et Beieri notas perlegerit Gronoviique, qui appellari testis solet, exempla inspexerit in Observv. I, 7 posita, quique ab iis citantur alii, illud ab iis, quanquam discriminis fortasse ignaris, commemorari et firmari reperiet genus dicendi, in quo nominativi casus gerundium cum verbo substantivo coniunctum impersonaliter quodam modo ponitur accusativum regens, a quo reapse diversum non est, si quando gerundii nominativus propter orationem infinitam in accusativum transit. Hoc genus, apud vetustiores frequentissi-
381 mum, apud Ciceronem eiusque æquales prosæ orationis scriptores (Varro[1]) in scribendo quidem prioris est sæculi) et posteriores ita evanuit, ut duo omnino sint exempla in Ciceronis scriptis, in quorum utroque disiunctum gerundium est ab eo, quod regit, in Catonis c. 2 (*viam, quam nobis quoque ingrediendum sit*) et pro Scauro § 13 (*Obliviscendum vobis putatis matrum in liberos, virorum in uxores scelera*), [apud Livium nullum,] apud Quintilianum unum incertum (XI, 3, 175, ubi

[1]) [L. L. IX p. 156 Bip.: *Sic enim omnes repudiandum erit artes* et X p. 164.]

obiectum est *hæc* longius remotum).[1]) Verum longe alia res est, ubi accusativo gerundii non absolute posito, sed a præpositione recto accusativus subiiciendus erat. Ibi enim, et quod necessario ad substantivum tenditur loquendo et propter similem casum, nunquam distinetur gerundium, quin participium fiat; ac ne antiquissimos quidem scriptores isto modo dixisse memini; Cicero quidem et æquales et posteriores, ne poetis quidem exceptis, plane abstinuerunt. At exempla contraria sunt. Videamus igitur illa exempla, quæ multis millibus opponuntur.
Primum Otto (in edit. Catonis Mai. Add. p. 246), quum reli- 382
qua exempla Ciceroniana (non in præpositione, neque enim hæc discrevit, sed omnino accusativi accusativo gerundii subiecti) incerta diceret, certum tamen putavit, quod solet apud plerosque agmen ducere, sumptum ex III in Cat. 8, 20: *ad placandum deos.* Verum non solum edd. antiquissimæ (etiam a. 1472 et 1480), sed codices, de quibus quidem constat, omnes *placandos* habent, ut *placandum* nihil sit nisi error editionis alicuius ob reconditam scilicet elegantiam religiose propagatus. (Orellius etiam *male* alterum scribi annotat.) Et addit Beckius etiam defensionem, vim omnem esse in *placandum*, quod studiose repetunt et alii, et qui distinctionibus, quæ ne ad unum quidem ex multis allatis exemplis accommodari possint neque ullo modo ex loquendi generis natura et origine elici, valde delectatur, Ramshornius. Sed non dicunt, quæ ista sit præcipua dignitas vocabuli ne ad aliud quidem contrarie relati, aut quæ possit esse omnino in hac re gerundii singulare momentum; nam in verborum ordine id cerni putabam, qui

---

[1]) L. Ramshornius in Grammat. § 169 not. 1 a fecit, quod fere facere solet, ut nulla ratione menda unius alteriusve codicis aut vulgaris editionis strenue colligat. In I de Off. tamen c. 31 unus bonus codex mendum habet, ortum ex præcedenti *moriundum*, reliquis verum tenentibus. Sed Cat. 12, 42 *notandum putavi libidinem* et optimorum et mediocrium auctoritate pridem cessit. Quid de eo dicam, quod ex orat. pro Mil. 19 testimonii loco ponit, non dico peiorum codicum scripturam pridem ex optimis mutatam, sed ex illa ortum apertissimum errorem duorum codd. Oxoniensium, aut quod Pacuviano versu et ipso dubio tanquam Ciceronis verbis (de Divin. I, 57, 131) utitur? Apud Cæsarem B. G. III, 14 et longe plurimi codd. et omnes, quorum aliquod est pretium, respuunt horridam illam coniunctionem *exspectandum classem.*

constituitur rhetorica notionum dignitate; ad grammaticam orationis formam mutandam ipsa demum notionum natura et inter se ratio mutata vim aliquam habet. Scilicet quoties *ad faciendum aliquid* dicimus, semper vis, ut loquuntur, est in verbo; neque einm de re loquimur absolute, sed de hoc ipso, de efficienda re; itaque istud prorsus eodem iure fingi in omnibus eius generis participiis potest. Velut quod Ramshornius ad Liv. VII, 5 (*ad conciliandum gratiam*) annotat: „*Nicht conciliandam, zur Gunst, die erworben werden sollte, sondern zur Erwerbung derselben,*" velim scire, quod statim e contrario genere
383 ponit: *homo magna habet instrumenta ad obtinendam adipiscendamque sapientiam*, soleatne interpretari contrario modo, non: „*zur Erwerbung der Weisheit,*" sed: „*zur Weisheit, die erworben werden soll.*" Tædet in his morari. Sed ex talibus magna pars illius libri constat. Ut paulo post p. 648 in ablativo gerundii accusativum regente eodem acumine usus ad Liv. XXV, 38 (*dividendo copias*) adscribit: „*Nicht durch die Truppen* (*dividendis copiis*), *sondern durch das Theilen derselben waren sie unglücklich.*" Itaque quod proxima pagina ponit (ex Cic. de Orat. III, 10): *Omnis loquendi elegantia augetur legendis oratoribus et poetis*, interpretabitur: „*durch die Redner,*" non: „*durch das Lesen der Redner*" (legendo oratores). Neque nescio in horum usu aliquam regulam esse, sed talem, ut eadem significatione in certis vocabulorum generibus et formis coniunctionibusque altero modo potius utantur; nec Cicero *falso fatendo* pro *falsum fatendo* nec Livius *medio se gerendo* pro *medium se gerendo* (II, 27 [cfr. III, 19, XXIV, 31]) dicere poterat. Deinde affertur ex orat. pro Rab. Post. 16, 44: *ad labefactandum illius dignitatem.* Est hoc omnino perversum, quum de grammaticis rebus quæratur, iis, quæ vera comperiantur in omnibus iis libris, qui ad codices aut bonos aut saltem diligenter inspectos exacti sint, obiicere unum aliquem locum eorum scriptorum, in quibus ne unius quidem codicis scripturas constanter notatas habeamus[1]), ut a Verrinis, Philippicis, Planciana, Miloniana, nunc etiam post Erf. cod. collatum Maniliana, post Classenium Cluentiana aliisque aliquot avocemur ad ora-

[1]) De Oxoniensibus vid. quæ dixi in præfat. ad XII oratt. editionem p. 114.

tiones contra Rullum, pro Rabirio, eiusdemve condicionis alias. Sed vel sic veritas teste non caret. Nam et edd. antiquæ 384
omnes (a. 1472, a. 1480, denique Venetam Bartholomæi de Zanis de Portesio a. 1499 ipse inspexi) habent *labefactandam* et idem ex cod. uno Oxoniensi notatur.[1]) Atque hæc alii ex Cicerone. Sed ecce Ramshornius multo plura habet (§ 169, 4 a, p. 646 et not. 1 a, p. 650); primum ad Fam. V, 17: *neque ad consolandum neque ad levandum fortunam tuam.* Scilicet is 385
error est; nam codex Mediceus, ex quo ductæ illæ epistolæ sunt, perspicue habet: *neque ad consolandam neque ad levandam.* Deinde earund. epist. V, 19: *ad coeundum societatem*; est hoc Martyni Lagunæ et Schützii; nam Mediceus et omnes superiores editiones: *ad coeundam.* Sequitur ad Attic. VIII, 16: *ad vastandum Italiam*; verum non solum codex Mediceus, sed

---

[1]) In eodem capite extremo expellenda est negatio ab Orellio male revocata, qui *amiserit* (cuius futuri exacti proprius usus intelligi potest ex passivo *amissum erit*) interpretatur: *facile iacturam faciet*, hoc autem ipsum, in quo *facile* addidit, videtur ita intelligere, ac si esset: *iacturam feret.* Contraria ibi ponuntur damna tolerabilia et intolerabilia, reparabilia et irreparabilia. *Ex dignitate nihil detrahi potest, quod non aut fortiter ferat aut facile restituat.* Hoc tolerabile aut reparabile erit. *Amicissimum hominem si honestate spoliatum audierit, nec sine magno dolore feret* (nec tolerabile hoc erit), *nec id amiserit, quod posse speret recuperari* (nec amissa res reparabilis). Quid erit perspicuum, si hæc non sunt? Simile hoc prorsus eorum, de quibus dixi in disputat. de emend. locor. aliqu. oratt. Cic. p. 143 not., nisi quod hic omnes inde a Cratandro verum secuti erant. Afferam aliud ex Ciceronis oratione aliqua exemplum negantis et aientis sententiæ nullo animadvertente permutatæ. In orat. II de Leg. Agrar. 19, 51 editur sine nota: *quam* (Karthaginem) *videlicet P. Africanus non propter religionem sedium illarum ac vetustatis de consilii sententia consecravit, sed ut ipse locus eorum, qui cum hac urbe de imperio certarunt, vestigia calamitatis ostenderet.* Itaque ironice Africano id tribuitur consilium, quod sane serio ei tribuebat superbia Romana; et alienissima est hæc ironia ab irrisione Rulli. Deinde sequitur: *Sed non fuit tam diligens* cet., in quibus ne coniunctionis quidem ratio reddi potest; nam si aliud consilium habuit, quid ad eum pertinuit ista diligentia? Nimirum verum est, quod in duobus codd. Oxonn. legitur: *quam videlicet P. Africanus non propter religionem sedium illarum ac vetustatis de consilii sententia, consecravit, nec ut ipse locus eorum, qui cum hac urbe de imperio certarunt, vestigia calamitatis ostenderet* (hæc, quæ vera intelligi vult, negat), *sed non fuit* (hoc ironice affirmat).

etiam duo Oxonienses *vastandam*, ut merito mirer Orellii irreligiosam religionem, mendum alicuius editionis cum reliquis propagantis. Additur ad Fam. IX, 2: *ad ædificandum rem publicam*; hæret hoc in editionibus post Græyium; superiores, ut cod. Med., habent *ædificandam*. Ipse tamen unum demonstrabo locum, ubi etiam in Mediceo mendum sit; nam ad Fam. IX, 16, 2 in eo quoque scriptum est: *ad istorum benevolentiam conciliandum et conligendum*. Restat Brut. 16, 62: *ad illustrandum rem publicam*, qui error est editionis Aldinæ; nam superiores recte *illustrandam*, ad quod mox reditum est. Orellius tamen (in edit. min.) non temere reiiciendum putat; nam huiusmodi elegantia et recondita menda philologi non menda appellamus.[1]) Vides, quid sit testimonia sibi, ut antiqui loquuntur, manu facere. A Cicerone venimus ad Cæsarem, ex cuius B. G. I, 38 Ramshornius citat: *ad occupandum Vesontionem*. Vellem dixisset simul, apud quem scriptorem Latinum illius oppidi nomen feminino genere positum repperisset; ego non minus Cæsarem masculinum genus secutum esse dico quam Dionem Cassium, qui XXXVIII, 34 scripsit *τὸν δὲ δὴ Οὐεσοντίωνα*, confirmante *Narbonis* et aliorum analogia. Dixit tamen idem Dio Cassius (LXIII, 24): *γενόμενος δὲ ἐν Οὐεσοντίωνι ταύτην ἐπολιόρκει*; nam et *Hippo nova* et *pulcherrima Narbo* et *gelida Præneste* leguntur, variante usu, maxime inferiore ætate.[2])
386 Verius forsan videatur *ad occupandum Massiliam* apud eundem Cæsarem B. C. I, 34; verum Oudendorpius plerosque mss. et edd. vett. *occupandam* habere scribit; ad III autem B. G. c. 14 vulgo *occupandum* hic legi annotat, sed vulgo tantum et *forsan* in uno alteroque ms. quoque ita scribi. Quo loco quod Apuleii codicem optimum Florentinum lib. X p. 222 Pric. *ad explorandum mansuetudinem* habere scripsit, id, quum Apuleium

---

[1]) [Vix opus est addere similes errores ex editione aliqua aut infimi generis codice propagatos aut susceptos Philipp. XI § 39, Somn. Scip. c. 3, de Div. I § 71. De N. D. II, 3, 9, ubi scribitur *ad investigandum suem*, postremum vocabulum ineptissimum esse patet ex I de Div. § 31; verum non substituendum erat *ad investigandam uvam*, sed simpliciter tollendum substantivum, ut absolute dicatur: *ad investigandum*.]

[2]) [Etiam quod apud Cic. ad Att. I, 13, 1 legitur *ad Sicyonem oppugnandum*, Xenophontis et aliorum exemplo defenditur, quanquam frequentius feminino genere urbs appellatur.]

edidit, ipse retractavit.[1]) Cæsarem sequatur Livius, qui in iis partibus operis, quæ satis ad codices exactæ sunt, semper ad regulam scribit.[2]) Nam VII, 5, 9 *ad conciliandum gratiam* Drakenborchius in duobus tantum codd. mediocribus invenit; reliqui, ut Hearnii, omnesque ante Aldum edd. *conciliandam* habent. In lib. XXVI, 43, 3, ubi plerique codices lacunam habent (vid. Drakenb. ad XXVI, 41, 18), tamen ex tribus Drakenborchii, qui integri erant, duo cum Sigonii cod. et Palatino et edd. vett. habebant: *ad urbem unam oppugnandam*, non *oppugnandum*. Tantum XXX, 37, 7 aliquot codd. habent: *ad dissuadendum pacem*, nullus tamen, inter Drakenborchianos quidem, ex melioribus. In ea parte Livii, in qua maxime regnabat codex Moguntinus, minime accurate neque plene collatus, obiicitur XXXVIII, 3, 7: *ad tentandum ultimam spem*, quod servatum est, etsi septem Drakenborchii codd. habebant *tentandam*. Iam hoc in Bambergensi, omnium principe, repertum 357
dubitationi obnoxium non est.[3]) Hæc quum ita sint, quis sanus ex ea parte Livii, quæ partim solius editionis Moguntinæ (lib. XL a c. 37 ad fin.) auctoritate nititur, quæ quam multos habeat legendi et negligentiæ errores, in libro XXXIII patefactum est, partim solius codicis Laurishamensis et male affecti nec diligentissime adhibiti nec in prima editione accurate expressi fide (lib. XLI ad fin.), quis, inquam, hinc obiiciet tres istos locos XL, 49, XLII, 5, XLII, 43?[4]) Eadem prorsus est ratio Velleii Paterculi II, 59 [ubi nunc in apographo Amerbachii rectum *erudiendum* inventum est]. Multo magis hæc,

---

[1]) [Apud Varronem, postquam R. R. I, 17, 6 Keilius recte e codicibus restituit nominativum *iniciendum* (debuit scribere *inliciendum*) omisso *ad*, unum restat huiusmodi mendum L. L. IX, 42 p. 136 Bip.: *ad discernendum vocis verbi figuras* in loco ob alias causas suspecto.]

[2]) Drakenb. ad XL, 49: *Observari autem continua codicum mss. Livii tractatione, eos, quo antiquiores et integriores sunt, eo constantius hanc formam* (participii) *servare, ubi peioris notæ libri gerundia supponunt.* Atque is tamen non distinxit genera; nam in eo, quod nos tractamus, ne peiores quidem libri nisi raro variant. Discebant pueri triviales, per gerundium legitimam esse structuram, quæ mutaretur in participium.

[3]) [Lib. XXXIII, 28 extr. edebatur *ad depopulandum proxima Thraciæ*; Bambergensis habet *depopulanda*.]

[4]) [In codice Laurishamensi utroque loco mendose scribitur.]

quæ dixi de textu scriptorum ad codices non exacto, transferenda sunt ad alios scriptores. Velut quod unum Celsi locum (V, 26, 36) afferunt, in quo sit: *ad inducendum cicatricem*, quis in illo scriptore ad huiusmodi rem attendit ac non progagavit, quod casu aut ex unius codicis mendo in primam editionem venisset?[1]) Eadem est Senecæ ratio, cuius item in omnibus operibus unus reperitur locus contrarius de Benef. I, 1 [nunc e codicibus correctus]. Itaque sicubi codices inspiciuntur, verum invenitur. Citatur a Ruddimanno (II p. 252 not. ed. Stallb.) ex Manil. Astron. I, 10 *ad tanta canendum*; sed, qui fere solus in eo poeta codicibus usus est, Scaliger, ex optimo Gemblacensi duobusque aliis *canenda* edidit, recteque Bentleius et Stœber retinuerunt. Unus est locus scriptoris paulo diligentius tractati, in quo nihil notetur, Suetonii in Claud. 26 (*ad ducendum*
388 *eam uxorem*). Sed ne eius quidem codd. multi accurate collati sunt; quanquam non intercedam, si quis hunc locum excusabit; (non est: *ut duceret uxorem*, nec: *ut duc. eam ux.*, sed: *ut eam feminam duc. ux.*). In Galb. tamen 18 et Oth. 7 tantum in uno et altero codice mendum est; Ernestius quidem (ad Oth. 7) non dubitat, quin sic veteres dixerint. Verum satis puto dictum esse de hac re, etsi poteram unum et alterum similis generis mendum ex aliis scriptoribus operose corradere et arguere.[2]) Itaque unum addam, ne ablativo quidem gerundii a præpositione recto accusativum adiungi a Cicerone æqualibusve, et qui deinceps fuerunt, nisi quod Cicero primum in origine vocum notanda gerundio verborum radicalium, ut ita appellem,

[1]) [Darembergius edidit *inducendam*, num e libris, nescio.]

[2]) Citatur etiam a nonnullis auctor Oudendorpius ad Front. III, 6. Is igitur, commemorato præter eum, in quo versatur, alio Frontini loco, duobus Livii, uno Cæsaris, de quibus supra dictum est, uno Iustini, addit: „*Verum quum omnia sint dubiæ auctoritatis et certe infra et in Cæsare ac Iustino mss. a me visi, saltem plerique, cum edd. primis gerundivum in fem. genere agnoscant, nusquam hoc* (gerundium) *intruderem.*“ De Flor. I, 9 vid. Oudend. ad Cæs. B. G. III, 14, ubi tres Leidenses codd. veritatis testes dat. Drakenborchium etiam ad Sil. Ital. XV, 105 citant, confundentem genera a me distincta, ceterum accusativi a præpositione recti unum afferentem exemplum, ipsius Silii ex VIII, 36: *ad signa movendum*, quæ est N. Heinsii, viri elegantiarum, quas appellabat, sæpe ineptissime studiosi, coniectura, quum omnes ubique codd. et edd., ipsius quoque Drakenborchii, *movenda* habeant.

utitur absolute, deinde ad explendam interpretationem accusativum addit, non solum, ut putat Ruddim. II p. 254, Tusc. III, 9 (*a nimis intuendo fortunam alterius*), sed etiam de Legg. I, 6: *a suum cuique tribuendo*, quos locos diversis immiscet Ramshornius p. 648 et 649 (incredibili pæne errore addens de N. D. II, 25). Ratio aperta est; non ab *intuenda fortuna* dictam 389 *invidiam*, tanquam utrumque sit in verbo, sed ab *intuendo* putat; id autem referri ad fortunam alterius.[1]) Deinde excipienda est ipsa hæc proverbialis locutio pæne in unum vocabulum conflata *suum cuique tribuere* (de Offic. I, 5, 15): *in hominum societate tuenda tribuendoque suum cuique*, [Brut. 21, 85; cfr. Tusc. I, 43, 102: *de nihil sentiendo*]).[2]) Itaque vel propter hanc causam vitiosum erat, quod ex orat. pro Sest. 1, 2 bonorum codicum auctoritate et ob historiam nunc expulsum est, quum esset a Grævio ob singularem elegantiam ex duobus recentissimis pessimisque libris receptum, a ceteris propagatum: *in agendis gratiis commemorandoque eorum — beneficia*, quod Wunderus, acuti et recti iudicii homo, ea tantum ratione arguebat, quod ab eadem præpositione et participium et gerundium cum accusativo pendere non possent. Nec minus vitiosum est apud Livium XXX, 13, 9 *in alloquendo victorem*, quanquam ibi in pluribus codd. *m* adhæsit ex sequenti littera *n*.[3])

---

[1]) [Eodem modo dixit Festus s. v. *occare* p. 181 M.: *ab occæcando fruges satas*, ne Paulum commemorem p. 115 et 116 M.: *ab alliciendo adolescentulos*, *a liguriendo quæstum*, nec tamen communem gerundivi formam Cicero in etymologiis indicandis vitavit dixitque de N. D. II, 26, 67 *a gerendis frugibus Ceres*; add. de Rep. II, 22, 40, eodemque modo Varro locutus est L. L. VII, 44, VIII, 61.]

[2]) [Excipiendum est etiam neutrum pronominum in huiusmodi forma, qualis est apud Cic. Orat. 26, 87: *in narrando aliquid venuste*; quanquam hoc rarum est. Singulari modo dixit Quintilianus Inst. II, 2, 7: *in emendando, quæ corrigenda erunt* pro *in emendandis iis, quæ* —, et X, 1, 84.]

[3]) [Poteram hic menda quædam etiamnunc apud scriptores sparsa aut emendare aut notare, velut apud Quintilianum I, 7, 7 (ubi scribendum est: *quæri solet in scribendo, præpositiones sonum . . . . . servare conveniat*), Sen. de Benef. II, 18, 7 (ubi delendum *in*), Quæst. Nat. II, 21, 4, sed nolo diutius morari in re, quæ nunc controversiam vix habeat. Apud Varronem R. R. III, 9, quem antea exceperam, *in supponendo* absolute dicitur, *ova* nominativo casu accipiendum est.]

Revertamur ad Cælianam. a qua in ipso exordio disputationis tam longe digressi sumus, annotemusque, quod huius generis extremum erit, codicis Parisiensis scripturam apud Orellium omissam in c. 27, 65. Editur enim: *Potueruntne meliori tempore prosilire, quam quum Licinius venisset?* nullo aperto vitio, quanquam, ubi *bono tempore* aliquid fieri dicatur, ut sit *opportuno*, nescio, nec ulla aliunde annotata ab editoribus recentioribus varietate. Verum in editione a. 1472 est: *meliori mage tempore*, in tribus codicibus Oxoniensibus: *meliori magis.* Id unde ortum sit, patefit tolliturque interpolatio præclara Parisiensis scriptura: *Potueruntne magis tempore.* Apparet, *tempore* pro adverbio esse eique augendo addi adverbium, quemadmodum *satis tempore* dicitur. eoque offensos librarios
390 substantivo adiectivum addidisse. Miror autem, qui interpolationis vestigia in deterioribus aliquot libris manserint. in melioribus Bernensibus exciderint.

Sed de hoc genere dictum est. Cetera ordine exponam, nonnulla etiam minutiora, quoniam graviorum prærepta maior pars est. C. 2, 3 editur: *iam diu minus in foro nobiscum versatur*; sed verum esse *nobiscumque*, quod in Parisiensi legitur et Bernensibus eoque, qui, mendosissime scriptus in hac oratione, ad Bernenses tamen cognatione accedit, Erfurtensi, et in editione C. Stephani, ostendit, quod in editionibus antiquis (a. 1472 et 1480) ex vulgaribus codicibus eiusdem scripturæ vestigia manserunt (*nobiscum quoque*). Et aptissime non solum forum nominat orator, in quo abundabat illud *nobiscum*. sed usum quoque privatum significat, quem cur Orellius *neutiquam* intelligi dicat, non video. Erat Cælius pater eques municipalis, ut Sextus Roscius, ut ipsius Ciceronis pater.[1]) Post paucos versus nescio, cur illa: *habitam esse summam hodieque haberi*

[1]) Vix notatu dignum. nisi ne quis Bernensibus codd. diffidat, etiam Paris. c. 3, 6 habere *sunt enim*, non *etenim*. Est etiam in ed. a. 1472. Abusus est enim huius loci vulgato mendo E. Wunderus, quum in orat. pro Plancio 16, 38 ex uno cod. Bavarico, dissentiente Erfurt., intulit: *libet etenim*; nec minus falsus est de Cat. 9, 29, ubi summa cod. Par. antiquissimi auctoritate, ne reliquos memorem, redarguitur. Qui vero homini acuto accidisse dicam, ut ad istam in Ciceronis et antiquorum scriptis pravitatem stabiliendam uteretur scholiastæ Vaticani et infimorum iurisconsultorum locis?

Orellius mutari velit, quum ipse reliquorum codicum turbas intellexerit ortas esse ea interpolandi sedulitate, quæ in Parisiensi quoque codice, quum prima manus hanc scripturam tenuisset, corrigere tentavit. Quod autem Lambinum laudat, qui senserit proprie requiri *atque hodieque* (hoc est, *hodie quoque*), nimirum rariore et elegantiore, quam putabat, voce Ciceronem beare voluit, qui tantum abest ut eam desideret, ut 391
neque ipse neque Livius neque quisquam antiquior ea usus reperiatur.[1])

C. 4, 10 editur iam inde a Iunta: *ad quem* (Catilinam) *si accessit aut si a me discessit unquam* (*quanquam multi boni adolescentes illi homini nequam atque improbo studuerunt*), *tum existimetur Cælius Catilinæ nimium familiaris fuisse*, quum ad sententiam male, — nam sic illud *quanquam* superioribus annectitur, in quibus nihil est, ad quod referatur, et ita hæc dicuntur, tanquam postulet Cicero magnam aliquam et difficilem rei probationem, quum tota oratio sit permittentis et concedentis, si vel levissima indicia proferantur, — tum contra usum loquendi, illud *tum* post *si* in apodosi respuentem, etsi dicitur *tum demum, si*, et contra codices bonos, malos (Paris., Bernn., Erf., Oxx.) et editiones veteres. Apodosis incipit a *quanquam*, ita conformata, ut orator ostendat, se plus adversario concedere, quam necesse sit. Itaque scribitur rectissime in codd.: *quanquam — studuerunt, tamen* cet. Multa conquiri poterant exempla apodosis ita dilatatæ. Paulo post frustra defenditur illa coniunctio: *Secutus est annus: causam Catilina dixit*, quæ non modo duritiam habet intolerabilem in narratione simplicissima, sed absurdam elocutionem: nam annus 392
annum semper sequitur.

---

[1]) Dixit hoc ante multos annos Scioppius, cui imperitissime Cellarius et Borrichius, Dukero quoque et Drakenborchio (ad Liv. V, 27, 1) assentientibus, opposuerunt Cic. de Orat. I, 22, Verr. V, 25 (poterant eodem iure hunc Cælianæ locum et alios) et Liv. I, 17 et V, 4, quasi Scioppius *hodieque* in coniungendo (*et hodie*) dici negasset. Deinde I. F. Gronovius pluribus Livii locis inferre id vocabulum voluit. Quæ paulo post ex Garatonii notis Orellius de Puteolanis excerpsit et de præfecturis huius temporis addidit, non recta esse, satis demonstravi in disputatione de coloniis Romanis. Sed *Puteolani* nihilo minus huc non pertinent.

C. 7, 16 Orellius Weiskium secutus edidit: *tamen est eiusmodi, cupidius ut magis insectari alterius innocentiam, quam de se timide cogitare videatur*; in codd. est *cupidus*, nisi quod Gemblacensis habet *cupidinis*, Francianus, omnium infimus, *eius omnino cupidus*. Sed coniectura illa perversa est; nam ut omittam, nullam hic esse causam transponendi adverbium ante coniunctionem et Ciceronem, si addidisset, scripturum fuisse *cupide*, ut ad id referretur *timide*, nec urgeam vitiosum per se comparativorum diverso modo positorum concursum (*cupidius ut magis*), certe, quoniam *cupidius* ad *insectari* pertinere debet, non potest ita ab eo divelli, ut id interponatur, per quod cum altero membro comparetur (*magis cupidius insectari quam timide cogitare*). Vere iudicavit de hoc loco Ernestius. Nam illud *cupidus* ex marginali aut interlineari nota in contextum receptum est, adscriptum ad definiendum certo nomine, quod Cicero integra sententia complexus videbatur; sed qui adscripsit, illa *tamen est eiusmodi* non de re, sed de Cælio ipso accepit, errore orto ex eo, quod præcedit, *facit*. Huiusmodi aliquot additamenta, annotationes potius quam verborum interpretamenta habentia, antiquissima sunt in Ciceronis etiam bonis codicibus (cfr. disput. de emend. loc. aliqu. oratt. Cic. p. 148 sqq. et de locis Verrinar. p. 341 sqq.); nomen proprium ita additum in omnibus codicibus deprehensum est in huius ipsius orationis initio (*Atratini*).[1])

393 C. 10, 24, ubi orator Dionis Alexandrini familiares commemorat, vereor, ne frusta corrigendi opera insumatur, quoniam in eo codice, ex quo nostri derivati sint, nonnulla hic legi non potuisse apertum est ex codicis Parisiensis primæ manus scriptura; (in quo vacuum spatium indicio est, non errore media in archetypo omissa fuisse). Eam lacunam qui supplere conatus est, quod supplementum illi quoque codici altera manus addidit, videtur vestigia obscura persequi voluisse (alioquin enim ea supplevisset, quæ intelligi possent), sed ex initio

---

[1]) C. 9, 21 cedendum videtur codicum bonorum auctoritati et rhetorico artificio in his: *Sed vestræ sapientiæ tamen est, indices, non ideo vobis quoque vos causam putare* cet. Sciendum tamen est, post illum genitivum nusquam alibi Ciceronem infinitivo accusativum supervacaneum addere; nec apud alios memini me id legere. [Cfr. ad Cic. de Finn. III, 3, 10 p. 355 ed. 3.]

lacunæ nihil extricare potuisse. (Neque supplementum totum spatium in Parisiensi codice explere, Krarupius annotavit; vellem scire, quantum hoc sit.) Nam nomen hominum et pronomen relativum in supplemento non sunt, confiteorque me nescire, unde homo audacissimus, qui ineunte sæculo XVI post primas editiones cum codd. conspirantes hæc ita interpolavit, ut vulgo eduntur, *Coponios* illos fuisse rescierit, de quo neminem interpretum ne verbo quidem admonere video. Edendus est igitur necessario locus hoc tristi aspectu: *Titus Caiusque* * * † *omni cum doctrina homo atque humanitatis.* In iis, quæ post Weiskium Orellius tentat, reprehendendum maxime est, quod *teneri humanitate* pro eo, quod est *humanitatis studio*, et *teneri communi doctrina* de iis, qui communiter doctrinæ studeant, dici voluit, contra usum sermonis Latini.

C. 13, 32 etsi rectum est, quod editur: *Sin, ista muliere remota, neque crimen ullum nec opes ad oppugnandum Cælium illis relinquentur,* tamen auctoritatem exiguam habet, nec
mutari debuit, quod in Parisiensi codice legitur, *relinquontur* 394
(*relinquuntur*), unde reliquorum scripturas (velut Bernensis prioris et Erf. *relinquantur*) ortas esse patet. Iam non tam de eventu defensionis quam de statu causæ dicit, ut *relinquuntur* nihil fere aliud sit quam *præterea sunt.*

Levissimum est, annotandum tamen, quoniam ad veram orationis formam pertinet, c. 14, 33 ex codd. (etiam Paris.), immo etiam ex edd. vett. scribendum esse: *remisse et leniter et urbane*, ut simile sit superiorum: *severe et graviter et prisce.* Nec per se recte *ac* illo loco ponebatur, variata sine causa membrorum coniunctione.

Venio, quod dudum cupiebam, ad emendationem paulo graviorem loci perturbati. Nam c. 15, 36 hæc leguntur in codicibus, quibus verbis fingitur Clodius sororis nimium in Cælio sectando studium improbare, mores impudicitiamque non improbans: *Vicinum adolescentulum adspexisti: candor huius te et proceritas, vultus oculique pepulerunt; sæpius videre voluisti: fuisti nonnunquam in iisdem hortis risa nobilis mulier: illum filiumfamilias patre parco ac tenaci habere tuis copiis devinctum non potes; calcitrat, respuit, non putat tua dona esse tanti.* In his illud *fuisti — risa*, sive seiungas, *visa*, corruptum esse, perspicuum est [vid. infra II p. 218 sqq.]; verum alia gravia

incommoda editores non senserunt. Nam primum in hac *μιμήσει* naturalis huiusmodi rerum progressus accurate exponitur. Itaque postquam narratum est, sæpius una fuisse, orta cupi-
295 ditas adolescentulum tenendi dici debebat: tum demum apte subiicerentur cetera: „Non potes, quod vis. Quid tum? Parata est consolatio.“ Nunc illæ sententiæ *fuisti* et *non potes* plane non cohærent. Deinde multo vitiosius illa *filiumfamilias patre parco ac tenaci* cet., ne quid dicam de pronomine *illum*, incommodissime sententiæ initium tenente, sic dicuntur, tanquam patris parsimonia in causa fuerit, cur Clodia adolescentulum capere non posset; quod plane contra esse debet. Nam nobilis mulier et dives sumptus subministrando eum, qui parce a patre haberetur, se devincturam sperabat. (Sequitur: *non putat tua dona esse tanti.*) Itaque ultima illa *non potes* superioribus repugnant. Atque hæc observatio viam planissimam munit ad loci emendationem, quam, quod ad ipsum verbum attinet, Muretus pridem præcepit, modo ne interpungendo sententiam depravasset. Scribendum est enim, una littera deleta: *Sæpius videre voluisti: fuisti nonnunquam in iisdem hortis: vis* (Muret. *vis o*, contra usum et putide) *nobilis mulier illum filiumfamilias patre parco ac tenaci habere tuis copiis devinctum*: (Muretus interogandi signum posuit) *non potes; calcitrat, respuit, non putat tua dona esse tanti.* Recte *vis*; nam nunc etiam tendit; ante occasionem et originem indicaverat.[1]) Paulo ante hæc verba, ubi editur *ex hisque tuis sumam aliquem*, ex primæ manus scriptura codicis Parisiensis (*ex is igitur sumam*) faciendum videtur: *ex istis tuis sumam.* Certe id pronomen (*istis*) esse debet; nec adiectivum ex *igitur* effici posse videtur.

296 C. 18, 43 boni codices ab edita scriptura valde discrepant; nam in hac est: *Ex quibus neminem mihi necesse est nominare; vosmet vobiscum recordamini*, in illis (Paris., Bern. utroque, cod. C. Steph.): *mihi liquet nominare.* Ex hoc non efficitur,

[1]) Veritate reperta non est necesse aliorum conatus reprehendere; in Orellii tamen coniectura, præterquam quod loci cohærentiæ non satisfacit nec incommoda tollit, notandus est pravus verbi usus; nusquam enim *cessare* est *desistere, finem facere.* Apud iurisconsultos tertii sæculi est: *desisse esse in usu, vim non habere, non exerceri*, similia. Apud antiquos, qui cessare aliquem iubebat, iubebat minus strenue agere.

quod Orellio in mentem venit, *mihi licet* (quidni enim liceret ex maiorum præsertim et patrum memoria homines nominare?), sed: *mihi libet*. Ex scribendi errore factum est *liuet*, inde ortum *liquet*.

C. 19, 45 editur: *Fieri enim non potest, ut animus libidini deditus — hoc, quicquid est, quod nos facimus in dicendo, non modo agendo, verum etiam cogitando possit sustinere.* Sed codices omnes (casu accidit, ut hic etiam Gulielmiani et Gruteriani commemorentur), etiam recentissimi, et ipsa editio a. 1472 (nam in edit. 1480 mutatum iam est) pro *non modo* habent *quoquo modo*, profecto non errore scribendi. Vehementer suspicor, factum hic esse, quod alibi quoque in orationibus factum esse memini, ut in codicum nostrorum archetypo propter eiusdem vocabuli repetitionem aliquid excideret, scriptumque olim fuisse: *quoquo* [*modo facimus, non*] *modo.* Modestissime Cicero loqui vult; itaque apte hoc superadditur illis: *quicquid est, quod nos facimus.* Ne exemplum e longinquo petam, in orat. de provinciis consul. c. 4, 9 editur: *Igitur in Syria, imperatore illo, nihil aliud actum est, nisi pactiones pecuniarum cum tyrannis* cet. Sed omnes codd., etiam Paris., ipsæ quoque editiones veteres habent: *nihil aliud neque actum.* Fuit igitur olim huiusmodi orationis forma: *nihil aliud neque* [*cogitatum neque*] *actum est.* Similis error nonnullis locis in codice Mediceo epistolarum ad Famil. commissus est, necdum ubique sublatus, velut II, 4, ubi scribendum est: *ut neque ea,* [*quæ sentio, audeam, neque ea,*] *quæ non sentio, velim scribere.* Ibd. II, 19, 397
ubi est: *Quamobrem quæcunque a me ornamenta in te proficiscentur,* scribendum est: *in te* [*proficisci poterunt,*] *proficiscentur.* Gravissime autem corruptus est locus in lib. VI ep. 5 § 3, ubi in ipso codice Mediceo interpolatione lacuna occultata est. Scriptum enim erat a Cicerone in hunc modum: *Quare ad eam spem,* [*quam de omnibus habemus, accedit ea,*] *quam extra ordinem de te ipso habemus, non solum propter dignitatem et virtutem tuam — hæc enim ornamenta sunt tibi etiam cum aliis communia —, sed* (v. *accedunt tua præcipua*) *propter eximium ingenium summamque † virtutem.* (Cfr. disput. de emendat. locor. aliqu. oratt. p. 155 et præfat. edit. duodec. oratt. p. 125.)[1])

---

[1]) Ceterum hic locus præter alios (vid. Hand. Tursell. II p. 556) eorum sententiam evertit, qui in descensu ad minus post *non modo*, id est.

Mox in eodem capite § 46 (*relinquenda studia delectationis, iudices, ludus, iocus* cet.) nimis patienter propagatum est contra codicum et veterum edd. fidem vocabulum *iudices.* In hac vehementi enumeratione (*obterendæ sunt — relinquenda — deserendus*) incommodissime interponitur iudicum appellatio, in medio præsertim colo. Auctores Gruterus, qui addidit, citat cod. Palatinum nonum et Erfurtensem. Verum in hoc est: *studia delectationes iudices locus*, vocabulum *ludus* omittitur, ut appareat, evanida curva lineola, qua *us* syllaba notaretur, litteras *lud* transisse in *iud*; sic enim scribitur in codd. Sed hoc leve. Sequitur locus gravissime corruptus, qui sic editur: *Quæ*
398 *res in hoc genere homines a labore studioque dicendi deterret, non quo aut ingenia deficiant aut doctrina puerilis*, et longissime a codicum vestigiis et adeo perversa sententia, ut labor molestiaque (*quæ res*) a labore deterrere dicatur (etsi ipsum illud *quæ res* singulari numero superiora illa omnia complecti non potest)[1]) et *in dicendo* (*in hoc genere*) a studio *dicendi* deterrere. Quid dixerit Cicero, satis est apertum. Nam commemorato proxime oratorum laboriosissimo vitæ genere, concludit, propter huius laboris fugam, non propter ingenii inopiam, tam paucos oratoriæ arti operam dare (itaque, id qui faciat, ut Cælius faciat, non posse luxuriosum esse). Sed codicum vetustissimus cum Bernensibus habet: *Quare in hoc genere laborefiendi homines a studioque deterret*; hinc ceterorum profluxere scripturæ, ex quibus in Erf. est *labor confitendi*, pro monstro illo *efiendi* verbo alio licenter substituto. Quæ ex his Orellius effecit, admonitus ipse facile improbabit; nam et alienissimam interrogationem de causa laboris, ad quam nihil respondeatur, intulit, et, a sententiarum progressu aberrans, pro conclusione repetitionem superiorum verbis variatam effecit (*in hoc genere labores consumendi omnes*; quid est autem *labores consumere omnes*?), et vestigia codicum adeo non pressit, ut, quod certissimum est indicium emendationis infeliciter et incerta fluctuantique ratione tentatæ, optionem det inter duas diversissimas

---

non dicam, Ciceronem semper simplex *sed*, nunquam *sed etiam* nec *verum etiam* ponere putant. Nam minus est cogitare quam agere, quod cogitatione nititur (vid. Brut. 70); add. in Vatin. 9, 21.

[1]) Melius igitur hactenus ed. a. 1472 *deterrent.*

coniecturas, alteram: *in hoc genere labores consumendi* (*conficiendi*) *omnes*, alteram: *uno in hoc genere elaborandum est.* (Quod qui poterat Cicero aut quisquam alius dicere, in sola eloquentia esse elaborandum?) Et tamen codices ipsam formam sententiæ pæne integram servant, in partibus corrupti; 399
nam et vocem *quare* conclusionis indicem habent et, modo recte verba separes, *labor* subiectum verbi *deterret*, cui contrarium infertur illud *non quo*: *Quare in hoc genere labor . . homines a studio . . deterret, non quo* cet. Restat, ut post *labor* ex illo *efiendi* (nam *conficiendi* et *confitendi* unde originem habeant, quum videamus, omittenda sunt) exsculpatur eiusmodi verbum, quod et reliquam salvam præstet structuram et illud *studioque*, quod est in codd., aptum reddat; nam quod tres Oxonienses, nullius auctoritatis, particulam, quum nihil haberent, quod ea facerent, excluserunt, ad nos non pertinet. Scribendum est igitur: *Quare in hoc genere labor* o f f e n d i t *homines a studioque deterret, non quo* cet. Iam ex salebris emersimus. Exemplo simul non uno modo demonstratum est, quid sit, ut dixi, in Orellii huiusmodi locorum tractatione improbandum, in aliorum quidem multorum multo magis. Ceterum, si qui nondum credunt, post tot virorum curas, qui hoc ipsum, scriptis veterum assidue immorari, bonum opus putabant, prorsus de integro multarum Ciceronis orationum emendationem esse instituendam, iis narro, etiamsi quis omnes ante Garatonium editores interpretesque adhibuerit, si editione Oxoniensi caruerit, ne verbum quidem eum neque de loci difficultate neque de scripturæ discrepantia reperturum. Garatonius annotat, pro *dicendi* reperiri etiam *discendi*. Et is quidem sine culpa est, quoniam ipse solas veteres editiones iam interpolatas hoc loco et similis generis codicem habuit. In proximo pro *si sese* etiam Paris. habet *si se*, sono minus ingrato. Proximo capite 20 extremo, § 50, ubi edebatur: *aut impudentia et huic et ceteris magnam ad se defendendum facultatem dabit*. Orellius rectissime Aldi (tam recens enim est) interpolationem notavit, ineptissimam (quod miror non animadversum, ne ab Orellio 400
quidem: qui sunt enim illi ceteri, quibus facultas defendendi sui detur, si Cælium accusator certis definitisque criminibus aggressus sit?) et solœcam (in his *ad se defendendum* de pluri-

bus, quod patronum habere debebat, qui *defendendum* gerundium esse doceret).[1]) Codices quattuor meliores: *aut impudentia et huic defendendum facultatem dabit*, alii *defendendi*. Sensus patet; verba minus bene Orellius restituit, *et*, quæ causa fuit interpolandi, licenter in *ad* mutato et pronomine non apto posito.[2]) Nec dativus abesse potest. Videtur igitur scribendum: *aut impudentia ei sui defendendi facultatem dabit*. Levis et frequens error archetypi (*et* pro *ei*) turbas excitavit.

C. 21. 52 edebatur a superioribus: *Tune aurum ex armario tuo promere ausa es? tune Venerem illam tuam spoliatricem spoliare ornamentis? Ceterum quum scires, quantum ad facinus aurum hoc quæreretur, ad necem legati, ad L. Luculli, sanctissimi hominis atque integerrimi, labem sceleris sempiternam, huic facinori tanto tua mens liberalis conscia — esse non debuit.* Verborum ordinem Orellius immutavit ex optimis codicibus, ut esset: *spoliare ornamentis spoliatricem*, in quo tamen languide extremum vocabulum adhæret et nimis indefinitum est. Sed apertissime mendosum est *ceterum*, quod quam vim haberet, mirum profecto est, neque quemquam quæsisse neque se non intelligere professum esse. Nam quum orator interrogatione urgere Clodiam instituisset, eam imperfectam relinquit prorsus absurde; quidni enim Clodia aurum ex armario promeret?
401 Deinde, tanquam aliquid extra annectens, prorsus sedate *ceterum* dicit: et tamen hac sententia ipsum rei caput, sceleris notatio, continetur. Itaque sic loquitur: „Quomodo tu hoc (quod per se nullam habet reprehensionem) facere ausa es? Ceterum, quum scires scelus esse, facere non debuisti.“ Optime igitur subvenit codex præstantissimus Sancti Victoris, qui utinam sæpius commemoraretur; sed eius scripturam *ceterorum*, in Parisiensi eiusque propagine levissime corruptam, cur Gulielmus probarit et quomodo probarit, quod propter socordiam

[1]) [Defensorem nactum est in Philologo IX p. 603, qui usus est loco non minus mendoso, Ep. ad Fam. X, 23, 3; de codicibus non cogitavit.]

[2]) *Hic* dicitur reus, quum a patrono demonstratur, non nominatur, *hic* addito nomine aliquis e præsentibus; *is* necessario ponitur, ubi refertur pronomen ad personam in eadem sententia nominatam, ut hoc loco præcessit Cælii nomen.

Gruteri intelligi nequibat, nunc demum apparet, restituto vero verborum ordine, qui in illo quoque codice fuit. Apertissimum est enim, scribendum esse: *tune Venerem illam tuam spoliare ornamentis, spoliatricem ceterorum, quum scires — sempiternam?* Ceteros Venus Clodiana spoliabat, Cælii causa spoliata dicebatur. Sequitur confirmatio cum acerba ironia: *Huic* cet.[1])

C. 22, 54 non recte obtemperatum mihi videtur codici 402
palimpsesto Taurinensi, in quo scribitur: *quod per ignotos actum si comperisset, doleret, id a suis servis tentatum esse negligeret?* In reliquis codicibus est *a suis tentatum.* Substantivum non solum abundat, quoniam, quinam sint illi *sui*, satis ex superioribus patet, verum tollit concinnitatem membrorum orationis. Nec illius codicis auctoritas in huiusmodi re reliquorum consensum ratione confirmatum vincere debet. Ut enim codices palimpsesti non solum omni recentioris interpolationis et de-

[1]) Orellius Gulielmum *ceterorum* accepisse putabat pro *ceterum* vel potius pro eo, quod esset, *ceterarum rerum.* Sed, ut hoc in transcursu addam, hoc ipsum genus loquendi pro adverbio (*ceterum, ceteroquin*) totum confictum est ex locis aliquot male intellectis, immerito ex Hotomani et Scioppii observatione resuscitatum a C. Beiero intempestive recondita sectante, in nota ad Cic. Brut. (ed. Orell. min.) 6, 23. In Bruti loco vanissimam coniecturam, qua id genus inferebatur, Orellius recte reiecit, ex abundanti confirmans exemplo, licere dicere *ceterarum rerum causa.* Orta est observatio ex eo, quod Cicero uno loco (pro Quint. 3, 11) paulo durius genitivum initio sententiæ posuit, cogitatam rem universe complectens, deinde autem subiecit, quæ remotiore tantum analogia genitivo iungi possent (*sane ceterarum rerum paterfamilias et prudens et attentus, una in re paulo minus consideratus*); nam *prudens rei* dictum est a multis, sensu tamen paulum diverso, nec curæ notio in altero adiectivo a genitivo abhorret. Terentius (Adelph. IV, 5, 61) nescio cur non *ceterarum rerum socordem* eodem modo dixisse putetur, quo Tacitus *socordem futuri.* Sed in eo, quod Cicero dixit Cat. Mai. 2, 4 (*quum ceterarum rerum tuam excellentem, M. Cato, perfectamque sapientiam, tum vel maxime, quod nunquam senectutem tibi gravem esse senserim*), nec frequentissimi liberioris genitivi usus rationem haberi (quanto est enim durius Læl. 6 *omnium rerum consensio*?) nec genitivi alibi a Cicerone huic ipsi nomini *sapientiæ* subiecti, in eiusdemque libri c. 22, 80 non animadverti, *ceterarum rerum* partitionis esse regique a *quæque*, non ferendæ est confusionis. [Longe liberius Fronto genitivos *multarum rerum* et *omnium rerum* adiunxit adiectivis p. 24 et 165 Nab.]

pravationis suspicione liberi sunt, verum etiam interdum, ubi reliquos, bonos quoque, mendum aliquod occultum apertumve obsedit, insperatam veritatis lucem præbent, quam tamen ceteri quoque nonnullis in locis præberent, si recte inspicerentur, ita ipsi per se, qui quidem orationum sunt, neque diligentissime scripti sunt neque additamentis vacui, de qua re Zumptius in Verrinis edendis recte iudicavit, etsi is paulo longius progredi mihi videtur, verbis dumtaxat; nam unum et alterum ita illorum codicum præstantissimo præsidio abutentem videas, ut in eos critici munus, quod ipse sustinere non possit, transferre velle videatur. Contra in proxime superiore membro, ubi vulgo edebatur: *et quod facinus in alienum hominem illatum severe acciperet, id omisisset curare in hospite?* cum codice palimp-
403 sesto, in quo est *intentum* et deinde *in hospitem*, et ipsius sententiæ ratio facit (neque enim *illatum* erat facinus, sed tentatum), et accedit, quod alterum vocabulum proxime præcessit, ut ipsa repetitio displiceat. Sed nihil est, cur *intentum* mutetur in *intentatum*; immo frequentativum minus est aptum. Tentandi notio non magis in hoc quam in illo inest.[1])

C. 24, 58 quod editur: *vimque eius* (veneni) *esse expertum in servo quodam ad rem ipsam parato,* vitiosum esse in loquendi genere, Ernestius recte sensit, etsi minus recte rem declaravit, male mendum correxit. *Ad rem ipsam* quum nude dicitur, contraria sunt illa, quæ circa rem sunt eique adhærent, minoris ipsa momenti; hoc loco, ubi contrarium est *ad nullam aliam rem* ex multis illis rebus, quarum causa servi parantur, ita ut servus ad hunc unum usum emptus intelligatur, necessario pronomen addendum est, cuius apertissima vestigia sunt in codice Parisiensi, in reliquis deleta. Scribitur enim: *ad eadem rem ipsam*, ex quo efficitur: *ad eam rem ipsam*; manus leviter aberravit.[2])

---

[1]) Aliter olim de hoc loco statui, nondum satis perspecta codicum ratione, in ep. ad Orell. p. 130, Lambino assentiens. Membra æqualia incipiunt in illis: *quod per ignotos* cet.

[2]) Extremo hoc capite Orellii suspicionem de voce *patrueli* prorsus probo testimonioque, quod ex orat. post redit. in sen. excitavit, addo, etiam in orat. de harusp. resp. c. 21, 45, quem locum Manutius indicavit, bis Metellum Celerem simpliciter fratrem Clodii dici, qui amitinus erat, non patruelis.

C. 25, 61 edebatur olim: *Sed tamen venenum unde fuerit, quemadmodum paratum sit, non dicitur. Datum esse hoc aiunt P. Licinio, pudenti adolescenti et bono* cet. Orellius ex optimis codd. duorum vocabulorum ordinem invertit, *aiunt hoc.* In utraque scriptura vitiosum est pronomen; nulla est enim de- 404
monstratio, sed simplex rei nuper nominatæ commemoratio; itaque aut *id* poni debebat aut pronomen omitti; deinde ordo verborum prior non optimus est, alter, qui auctoritatem habet, pravus, pronomine sine causa tam longe ab initio reiecto. Scribendum est igitur: *Datum esse aiunt huic P. Licinio*, eam quoque ob causam, quod eum hominem adesse, de quo deinceps per totum locum agitur, statim declarandum erat. Et affuisse Licinium iudicio in rei subselliis, patet ex c. 28, 67 (*tam imbecillum, quam videtis*).

C. 28, 67 editur: *Sed si me audiant, vacent aliam operam, aliam ineant gratiam, in aliis se rebus ostentent.* Verum hac sententiarum forma significamus, quid esse putandum sit, si aliquid nunc esse fingatur, quod non sit; Cicero cum irrisione consilium dat; id fieri potest aut condicionali modo, qui erit: *si me audient* (audire volent), *navabunt* cet., aut exhortando: *Sed me audiant, navent aliam operam* cet. Et hæc orationis forma est in codicibus Par., Bern. utroque, Erfurt. In tribus Oxoniensibus et ed. a. 1472, ne particula condicionalis deesset, *sed* in *si* mutatum est, idemque annotatum in margine cod. Bern. alterius, recentis.[1])

C. 30, 71 ideo difficilius est veram scripturam reperire in codicum dissensu et depravatione, quod res fœda et vulgo infamis brevissime significatur. Orellius, assumpta Garatonii coniectura, edidit: *ut illa vetus æraria fabula refricaretur.* Et Garatonii quidem emendatio (*æraria*) quum alioquin probabilis est, tum codicum scripturæ (*afraria*) proxima; Afranii quidem nomen hinc alienissimum est; nam neque Afraniana fabula 405
simpliciter impudica dici poterat, et certior magisque propria rei ridiculæ significatio requiritur. Sed quod retentum est ex superioribus editionibus *refricaretur*, minus probari potest.

---

[1]) [Recte codicibus obsecutus sum; sed scribitur tamen apud Cic. de N. D. II, 67, 168: *Tu . . si me audias, eandem causam agas* cet.]

Primum enim in nullo omnino est codice; nam in cod. Sancti Victoris erat *referretur* idemque in Oxoniensibus omnibus[1]), in Paris. *refeciretur*, in Erf. et Bern. utroque *reficeretur*; deinde memoria affectusque refricari dicuntur; rem ipsam, cuius renovetur memoria, refricari dici, non est certum. Ex alteris duabus scripturis exquisitior videri possit *referretur*; sed id significaret, eandem iterum fabulam agi, rem similem fieri; itaque de renovato sermone vulgi famaque, quo fabulæ nomen pertinere recte potest, aptius dici videtur *reficiendi* verbum. Exstinctam fere languescentemque commemorationem rei recreari dicit. Itaque hoc prætulerim et vere errorem codicis Parisiensis correctum in aliis codd. putarim.[2])

C. 30, 72 Ciceronis oratio ex codice palimpsesto addi-
406 tamento inutili onerata est. Nam Orellius, Heinrichio etiam auctore, edidit: *cui neque proprium quidem crimen quæstionis obiicitur nec vero aliquid eiusmodi, quod sit a lege seiunctum, cum vestra severitate coniunctum.* Reliqui illud *quidem* non habent, quod neque structuræ aptum est neque sententiæ. Nam ipsa particula, rei præcedente vocabulo significatæ immorari iubens, a membris orationis coniunctis aliena est, nec usquam posita sic reperitur, frustraque Orellius ad duplicis structuræ confusionem confugit. Deinde ita illud diceretur, tanquam id, quod hoc membro comprehenderetur, minimum esset; atqui nihil ultra postulari potest, quam ut proprio quæ-

---

[1]) Quattuor omnino sunt in hac parte Oxonienses; nam duo e sex deficiunt, ut ed. a 1472, c. 29, 70 in vocibus *commissa vobis.*

[2]) Paulo supra c. 29, 70 nondum abiicere audeo, quod Lambinus in uno codice fuisse tradit: *non ad rei publicæ pœnas, sed ad mulieris libidinosæ delicias deposcitur.* In vulgari scriptura (*libidines et del.*) neque nudum *mulieris* nomen rei iniquitatem satis notare videtur neque *libidines* apte dici; neque enim libidini nunc satisfacere Clodia cupit, sed ultioni; *deliciæ* sunt, quas nos dicimus *Luner* (*Launen*). Accedit contrarie relatorum membrorum concinnitas. Et habuisse Lambinum codices, qui unam et alteram bonam scripturam suppeditarent, quæ ne in Paris. quidem reperiatur, apparet ex c. 22, 54, ubi, quod edidit: *illis studiis, illis artibus atque doctrina*, confirmat cod. palimps. Taur. (reliqui male: *illis studiis, artibus atque doctrina*); ibidemque Lambinus alteram palimpsesti veram scripturam præcepit, *si comperisset* pro *quum comp.*

stionis crimine aliquis accusetur; secundum est, quod ferri potest, quanquam iustum non est, accusari aliquem, si non proprio quæstionis crimine, at crimine tamen, quod universe cum iudicum severitate coniunctum sit. Itaque hic addi poterat *quidem*, sed mutata orationis forma: *ne eiusmodi quidem quicquam obiicitur* cet. Quod autem Orellius *quidem* requiri putat, quod sequatur non simplex *nec*, sed *nec vero*, nescio, quid virum clarissimum fefellerit. Nam hoc ipsum *neque* — *neque vero* sæpius et proprie ponitur, quum alterum ex duobus membris non prorsus ex æquo adiungitur, ut Tusc. V, 33, 93: *nec ad potiendum difficile esse censet nec vero ad carendum*; pro Sest. 16, 36: *neque huic vestro tanto studio audiendi neque vero huic tantæ multitudini — deero* (non ex æquo iudices, quorum maior ratio habenda erat, et corona componuntur; ne coronæ quidem defuturum se dicit); ibid. 59, 125: *neque contionis ullius neque vero ullorum comitiorum* (ne comitiorum quidem tantam esse frequentiam, intelligi vult). Add. de Orat. III, 22, 85 (ubi sensus est: et ne antea quidem tempus habuisse sepositum; Germanorum est: *noch auch*). Omnino, ut illuc redeam, illa particula permultis locis male a librariis ad- 107
dita est. Exempla sunt in Verr. IV, 46, 103; in Catil. IV, 1, 1; pro leg. Man. 14, 41 (ubi ego in edit. XII oratt. delevi, obsecutus cod. Erf. et palimps. Taur.); pro Cluent. 18, 50 (vid. edit. Classenii); pro Sest. 6, 14 (ubi Orellius in minore edit. ne commemoravit quidem, omitti a nonnullis particulam, opinor, quod in Bernensibus reperiebat credebatque in omnibus melioribus esse; verum Bernenses ibi iam interpolati erant; nam Parisiensis cum edit. Naug. et Steph. omittit. Recte poneretur, si in reliquis magistratibus Sestii idem, quod in tribunatu, minus aperte perspici diceret, tum in tribunatu certius illustriusque apparere).

Paulo post § 73 ex eodem codice palimpsesto minus recte receptum puto: *in qua provincia quum res erat et possessiones paternæ, tum etiam* cet., ubi reliqui habent *erant*. Nam neque *res* sic nude dicitur (*res est alicui in aliqua provincia*), et ipsa sententia cum adiectivo *paternæ* coniungi iubet, quod ut fieri posset, sine dubio Cicero numero quoque hoc substantivum alteri simile fecit; nec ambigui quicquam erat addito

possessionum nomine. *Res* plurali numero non minus apte hic dicuntur, quam pro leg. Man. 2, 4: *quorum magnæ res aguntur* cet.

C. 31, 77 si veras scripturas reperire vel satis confirmare non possum, saltem falsas coarguam. Nam primum, ubi editur: *si cui nimium effervisse videtur huius vel in suscipiendis vel in gerendis inimicitiis vis, ferocitas, pertinacia*, extremum hoc vocabulum nimis auctoritate destituitur, omis-
408 sum non solum in melioribus codd., verum etiam in Oxoniensibus tribus et ed. a. 1480 (in quibus *vis ferocitatis* scribitur); itaque unus tuetur, si tuetur[1]), Oxoniensis; nam quod Orellius *reliquos* appellat, oblitus est, quattuor omnino in hac orationis parte collatos fuisse; in illum autem sane coniectura illatum est vocabulum. Ipsa quoque verborum coacervatio a Ciceronis, rem extenuantis, consilio aliena est. Sed asyndeton bimembre hoc quidem loco ferri non potest. Suspicor pæne, *vis* ortum esse ex ultimis litteris vocabuli *inimicitiis*. Deinde Orellius edidit: *iam ista deferverint, iam ætas omnia, iam res, iam ipsa dies mitigarit*, secutus partim editiones veteres (*iam ætas omnia, iam res, iam dies mitigarit*) et codd. Oxx. (*omnia, res, iam dies*), partim suam coniecturam (*ipsa*), ductam ex aliorum codicum scriptura. Nam cod. Steph., Bernenses, Erf., ipse quoque, ut videtur, Paris. habent: *iam ætas omnia, iam ista dies mitigarit.*[2]) Illud *rem*, quod ceteri intelligi non posse putarunt, Orellius interpretatur *die Wirklichkeit* (Italice *la realtà delle cose e le triste esperienze, che ne ricaviamo*). Verum id, quod vere sit, significari illo vocabulo potest, ubi contrarium ponitur speciei, verbo, similibus, hoc quidem in contextu nemo Latinorum id intellecturus erat; deinde vero quæ ista erit realitas, ut

[1]) Ut dubitem, facit, quod *ferocitatis* ex eo ipso cod. (χ) enotatum est, qui putatur *pertinacia* tenere. (Utor repetitione Halensi.)

[2]) Ex Parisiensi cod. hæc scriptura apud Orellium annotatur; Krarupius ad illam alteram *iam res, iam dies* nihil adscripsit, cuius silentio tamen minus hoc loco tribui potest. Secundæ manus scripturas is sciens omisit pæne omnes; verum secundæ manus hoc esse, Orellii amicus non annotavit, quod solet facere.

hoc utar, aut cui non reali contraria? Nam nimis fortasse ferocem et superbum Cælium fuisse orator dicit, vera, opinor, 409
in rerum natura, non extra eam nec somniando. Omnino hoc totum nec in verbo est nec ad loci sententiam pertinet, ut vix opus sit addere, perversissime hoc tam diversum interponi vocabulis eandem rem rhetorice amplificantibus (*ætas, res, dies*). In codicum scriptura unum redundat, vitiose *ista*, quod equidem putaverim delendum, repetitum ex superiore *iam ista deferverint*. Itaque locus recte a C. Stephano editus videtur.

Paulo post c. 32, 78 a codd. Bernensibus et Erf., qui pro: *neque enim potest* habent: *non enim potest*, non discrepat Parisiensis, ut Orellius propter collatoris silentium putabat, ut iam edi hoc debeat. Gravius est hoc paulo et aptius figuræ rhetoricæ; sequitur enim *non potest*. Librariis insolens visum est. In eadem sententia, ut recte ex Lambini editione adscitum sit *esse* (*quod ab eo rem publicam violatam esse diceret*), nulla erat causa, cur Orellius *duceret* e coniectura poneret pro *diceret*, oblitus, frequentissime coniunctivum modum verborum dicendi particulæ *quod* subiici, non ut causam agendi in dicendo fuisse significetur, sed aliquem præ se tulisse, hanc vel illam causam se habere [Gr. Lat. § 357 a not. 2 ed. 3]. Equidem ne Latine quidem dici puto: *rem publicam violatam esse duco*, non propter *esse*, sed quod hanc iudicii de re præterita interponendi significationem in illo verbo inesse non credo. Nemo, opinor, antiquiorum dixit: *iure cæsum Gracchum duco*. [Cfr. tamen Cic. pro Deiot. 5, 13: *vel officio . . . vel errori . . . satisfactum esse duxit*, Parad. 28, Ter. Heaut. IV, 7, 8 (836), Liv. XXXIV, 2, 3, XXXVIII, 43, 1, quos locos Siesbyeus annotavit.]

Finem disputatiunculæ imponet mendi non animadversi et tamen et per se et codicum testimoniis manifestissimi notatio. Nam statim post illa, de quibus dixi, verba legitur: *non potest, qui ambitu ne absolutum quidem patitur esse absolutum, ipse impune unquam esse largitor*, quæ scriptura si vera esset, in membro præcedenti scribendum esset: *non potest, qui — in* 410
iudicium vocarit, ipse esse in re publica civis turbulentus, non *vocarit*; nulla enim modi variati causa excogitari potest. Sed

corruptum esse *patitur*, etsi nemo sensit, demonstrant codd., ex quibus Paris., Bernn., Erf. habent *datur*, Oxonienses quattuor, id est, ut dixi, omnes, *dat*, nullus *patitur*. Cuiusnam verbi, deponentis, ut opinor, præsens coniunctivi modi tempus hic positum fuerit, reperire non potui; nam quæ occurrebant, litteris nimis distabant.

XII.

De emendandis Ciceronis orationibus pro P. Sestio et in P. Vatinium disputatio.[1]

De emendatione orationum Tullianarum pro P. Sestio et 411
in P. Vatinium dicturi ante omnia universam codicum manu-
scriptorum, qui supersunt, rationem explicabimus, qua exposita
et ea, quæ ab aliis nuper in priore oratione emendanda præ-
stita sunt, confirmabuntur et ad ea, quæ restant, via munietur.
Nam et quid in illa præterea, in Vatiniana autem omnino, e
codicibus sumi possit, patebit, et quid aliunde, hoc est, coniec-
tando necessario petendum sit, et quo ea coniectura funda-
mento niti debeat. Nam quum plures recentissimo tempore in
oratione Sestiana elaboraverint, eorum duo, O. M. Müller et
A. Matthiæus, alter infeliciter criticam partem tractavit, alter
prope non attigit, ne is quidem valde, ut videtur, curans,
quam certam auctoritatem ea scriptura haberet, quæ ab Er-
nestio leviter recognita vulgo circumferretur; tertius, Eduardus
Wunderus, vir doctissimus, id, quod iam Orellius in editione
Ciceronis operum senserat, perspexit clarius, quantopere supe-
riores editores in ponendis emendationis fundamentis errassent, 412
quam multa neglexissent, intellexitque universe, quænam essent
optima et certissima rei gerendæ subsidia. Sed quum ad
horum subsidiorum scripturam cognoscendam unam Hervagii

---

[1]) Edita tripartito, prima pars a. 1833, secunda et tertia a. 1834.

editionem haberet, ductam illam quidem aliquot locis plane e bono codice, aliis locis ex eo emendatam, sed tamen nec perpetuo nec diligenter ad eum exactam, et præterea non multas illas in tam longa oratione scripturas, quas Gruterus e Gulielmi codicibus et suo uno (Pal. 9) protulerat, nec satis totam rem explicare nec viam, cuius vestigia deprehenderat, persequi ubique poterat; et quum id tamen paulo ardentius confidentiusque tentaret, incidit in errores nonnullos et aliquoties frustra ingenium exercuit. Orellius denique in minore editione huius et Cælianæ orationis plurimis in locis optimorum codicum auctoritatem recte secutus est et defendit; sed quum ne ipse quidem codicum cognationem propaginesque ex una radice multifariam diductas satis accurate notasset et explicuisset (in quo illud quoque impedimento erat, quod unius tantum perantiqui codicis scripturas plene enotatas habebat, cui nos alterum adiungimus), et nonnulla minus contra aliorum dubitationes firmavit, quam poterat, et interdum ipse lapsus est; nec ad ea menda tollenda, quæ omnibus codicibus inhærent, quicquam admodum attulit aut, quæ eorum esset ratio, exposuit. Est autem tota hæc res ita comparata, ut, explicata ea, de qua dixi, codicum cognatione magna pars causæ quasi tabulis consignatis et rationibus, si non mathematicis, at historicis peragi possit, sublatisque erroribus inanibusque suspicionibus certior ad veritatem inveniendam cursus teneri. Quæ autem de Sestianæ orationis fundamento critico disputata erunt, eadem omnia, exceptis iis, quæ ad codices lacunosos pertinebunt,
413 transferri poterunt non solum ad Vatinianam, ut de ea nihil opus sit universe dici atque ad singula statim venire liceat, sed ad Cælianam etiam, cuius nuper singulos locos emendavimus.[1])

[1]) [Debebam addere non solum orationes de prov. cons. et pro Balbo, sed etiam illas, quæ sunt post reditum duæ, de domo, de harusp. resp., sed de his quattuor, quum hæc scripsi, nihil sciebam, quod Krarupius eas non contulerat. Harum novem orationum codices antiquiores prorsus a ceterarum orationum codicibus separantur nec quicquam præter illas continent, ex uno, qui eadem continebat, derivati. Inde postea hæ orationes in recentiores codices omnes aut plures orationes complexos transierunt, quod de Erfurtensi intellexit et exposuit Wunderus præf. p. XXXVI, coll. de Sestiana p. X.]

A reliquis omnibus orationis pro Sestio codicibus segregandus est et in sua familia ponendus palimpsestus ille Vaticanus, e quo A. Maius commentarii antiqui in hanc orationem et alias nonnullas, etiam Vatinianam, partes edidit, quibus hic illic interponuntur ipsius Ciceronis verba. Is et vetustate ceteros superat et integritate, ut qui solus aliquot locis manifesto veram scripturam habeat, quam, in ceteris oblitteratam, partim viri docti coniectura reppererant, partim non potuerant attingere, velut c. 5, 12 (*fortasse* pro *fortassis*, quod Ciceronianum non esse, recte ostendit Klotzius in Iahnii Annall. Philol. Supplement. vol. II p. 64), 7, 16 (*putabat*, ut Ernest. coniecerat, pro *putaret*), 8, 18 (*a quibus*, ut coniecerat Hotomanus, pro *atque*), 13, 30 (*socii et Latini*, quod ego scribendum dixeram, pro *socii Latini*), 19, 43 (*quidam* pro *quidem*), 57, 122 (*immunes* pro *inanes*), maxime vero c. 3, 8, ubi verba: *P. Sestius, cum esset cum collega meo, senserit* in reliquis codd. exciderant. Nam addita in Vaticano aliena manu esse non possunt, quum nulla prorsus addendi causa fingi queat. Itaque hic codex consentiens cum testimonio reliquorum aliunde originem ducentium (nam in eo tantum scholiorum lemmata erant) summam habet, et a qua vix discedere liceat, auctoritatem. Quanquam affirmari nequit, nec casu factum unquam esse, ut utrobique similis oriretur error, nec in antiquiore et communi fonte errorem inhærere potuisse. In hac certe oratione nulla est eiusmodi suspicionis causa. A ceteris autem discedens et unus uni (ut statim apparebit) reliquorum testimonio oppositus habet aliquid præcipui ex antiquitate, quum et errandi occasio multi- 114
plicata sit singulis transcriptionibus et interdum corrigendi studium accesserit; sed tamen ratio tum, non auctoritas exquirenda erit, si modo perspicuum erit illud ceterorum testimonium nec ipsum discrepans aut perplexum. Neque enim errandi periculo exemptus ille librarius erat aut is, cuius hic codicem secutus est. (Cfr. disput. de orat. Cæl. p. 402. Itaque recte Orellius ad c. 23, 52 iudicavit de eius scriptura *sedendi*, in quam Grævius coniectura inciderat.) Sed est aliqua in his fragmentis adhibenda cautio. Nam quum verba Ciceronis annotationis tantum adscribendæ causa ponerentur, librarius interdum et omisit vocabula aliquot, quibus prætermissis integra tamen ea constaret verborum complexio, ad quam

annotatio spectaret (velut 19, 42 *ac bonis*, 21, 48 *opinor*, 27, 58 *illum* in verbis *Antiochum illum Magnum*), ex quo nulla debet interpolationis suspicio nasci, et aliquoties explendæ sententiæ gratia vocabulum, quod in contexta oratione audiebatur, inseruit, velut 63, 132 in his: *est enim illius* (Vatic., nisi in Maii edit. error est typographicus, *eius*), *a quo uno maxime P. Sestius se oppugnari videt*, addit *verbum* (*est enim verbum eius*), quod in Ciceronis oratione præcedit. Hoc animadverso patet, lapsum esse Orellium in c. 18, 40. Legebatur enim vulgo: *Quid ergo? inimici oratio, vana præsertim, tam improbe in clarissimos viros coniecta, me movit? Me vero non movit illius oratio, sed eorum taciturnitas, in quos illa oratio tam improba conferebatur.* Verum alterum illud *movit* non fuisse in eo codice, ex quo reliquos omnes descriptos esse statim demonstrabo, certum est, quoniam, qui eum fidelissime repræsentant, cod. S. Vict., Bern. 1, 2, Pal. 9 omittunt. (In codice Paris. complura verba omissa sunt, librarii oculo aberrante in
415 repetito vocabulo *oratio*.) Nec solum rectissime ad vim orationis abest, librariorumque omnia plena reddere studentium additamenti notam habet, sed vitiosum etiam est; neque enim negatio a verbis *illius oratio*, quibus contrarie relata sunt: *sed eorum taciturnitas*, divelli poterat interposito illo *movit*, quasi in eo vis sententiæ posita esset. Itaque non recte Orellius in ed. maiore *movit* tenuit. Sed in editione minore edidit, codicis Vaticani fidem secutus: *Me vero non illius oratio, sed eorum taciturnitas movebat, in quos illa oratio conferebatur.* Sed illud *movebat* (quod ne per se quidem rectum est; nam *movit*, ut præcedit, ita necessario hic quoque dicendum erat de uno effectu, discessu Ciceronis; contra oratio illa sæpe repetebatur, illi semper silebant) hoc igitur quis non videt scholiastæ esse, sententiam explentis, quum illa omisisset superiora, ex quibus verbum repeteretur, non illius codicis, ex quo is verba Ciceronis excerpebat? Itaque vereor etiam, ne festinantius eadem scholia secutus Orellius delerit verba *tam improba* tanquam ex superioribus errore orta in reliquis codicibus; nam ea scholiastes contrahendi studio omisisse videri potest. Et facile ea verba suum locum defendent; hoc enim dicit Cicero: Movit me taciturnitas, quæ suspectior esse debebat ob hoc ipsum, quod, ut vos dicitis, improba erat oratio, cuius a se maculam reiicere

debuerant. Ergo non variandum fuit, ut Orellius putat, illud *tam improbe*, sed idem repetendum. Ceterum si, quod in Bernensibus est, in codice archetypo etiam fuit: *illius oratio tam improba, — in quos illa oratio tam improba*, neque is error est solius librarii, qui Bern. 1 scripsit, mendum id sane fuit, sed quod illud, quod dixi, confirmet; nam tum illa *tam improba* ne in archetypo quidem addita fuisse patet, sed ex adhuc antiquiore retenta et quidem, quum semel subiici vocabulo *oratio* deberent, retracta etiam in priorem locum esse. Sed men- 416 dum esse codicis Bernensis, non archetypi, arguit codex S. Victoris.

Verum Vaticani illius codicis cum ceteris comparatio ad paucas quasdam et exiguas particulas pertinet, extra quas ceteris illis utendum est solis. Eos omnes ex uno codice Vaticani illius ætatem non æquante et iam multis locis mendoso nec ad legendum facili derivatos esse, manifestissimum est, quod permultis locis non modo omnes aperte corrupti sunt, sed etiam in corruptela eosdem prorsus litterarum apices habent, quanquam multis locis in recentioribus codd. hæc vestigia omittendo et interpolando occultata sunt. Atque eorum mendorum nonnulla sunt ita aperta faciliaque ad corrigendum, ut perspicuum sit, librarium, qui codicem archetypum scripsit, id est, eum, ex quo nostri ducti sunt tanquam ex capite rivuli, fideliter eum, quem ipse sequeretur, expressisse, nihil ipsum immutantem. Id quoque patet, iam in codice archetypo verba separatim scripta fuisse; neque enim alioquin in omnibus nostris codicibus resideret ridiculum mendum ex verbis male divisis ortum c. 40, 87 (*e re p. tum* pro *ereptum*). Nec minus sunt perspicua reliqua communis originis vestigia.[1])

---

[1]) Exempla, de quibus nulla sit dubitatio nec dissensio, hic selecta quædam subiiciam præter ea, quæ supra posui, Vaticanum cod. commemorans. C. 5, 12 omnes codd. habent: *stabula præclara* (præter Ursini cod., qui semper præsto erat, fictum); 9, 21: *et senex de re publica meritorum* pro: *et bene de re p. meritorum* (apparet, quam ridiculus et perspicuus sit error; nominatim citari possunt Par., Bern. 1. 2, is, quo usus Hervagius est, quattuorque Oxx., id est, omnes; nam duo e sex hæc omittunt); c. 27, 59: *Tulit, gessit* (nam codex Memmianus Lambini, ut sæpe, coniectura est); 62, 130: *ad unum dicto citius* pro *ad Numidici illius*.

417 Sed eorum codicum, qui ex illo primario derivati sunt,
418-439 admodum varii ætatis integritatisque sunt gradus. [Quam his subieceram codicum per tres familias e primario derivatorum descriptionem et de singulis familiis codicibusque disputationem minutam et spinosam, ea ita in fallaci instabilique fundamento collationis codicis Parisiensis n. 7794 a Krarupio factæ constituta erat, ut neque repeti nunc sine multa correctione deberet, neque corrigi singulatim sine summa molestia et mea et lectorum posset. Nam Krarupium, cuius testimoniis perpetuo usus eram ad codices discernendos, et multa omisisse et quædam non recte legisse et antiquas codicis scripturas a mutationibus et interpolationibus postea factis, nonnullis longe recentioribus, parum diligenter secrevisse, satis Halmius demonstravit (Mus. Rhen. Nov. Ser. Vol. IX p. 321 sqq.). Itaque hic summatim indicabo, quid nunc ex illa disputatione teneam. Omnium igitur, qui noti sunt, Parisiensem illum et ætate (noni enim sæculi est) et fide præstantissimum esse exposueram et ostenderam in eo nulla esse indicia scripturæ sensim et quasi gradatim corruptæ, nisi quatenus in primario iam mendosa esset, et deinde expletæ et utcunque correctæ coniectura ex illis ipsis corruptelis ducta, patereque in eo multa vestigia primæ scripturæ postea occultata, planissimeque intelligi, quomodo ex iis, quæ hic leviter vitiata essent, reliquorum scripturæ ortæ essent, in qua demonstratione duobus exemplis usus eram, c. 16, 37 (*populariter aistineterque*) et 49, 104 (*otium malexatur*); sed præterquam quod vanis quibusdam indiciis inductus eram in falsam suspicionem, in ipso Parisiensi paucis aliquot locis propriam versatam esse interpolationem, ei tanquam prope parem et separatæ ex archetypo originis adiunxeram codicem Bernensem priorem, ut tunc putabam, sæculi decimi, ut nunc constat, duobus sæculis post scriptum, eumque alterius cuiusdam familiæ principem posueram, quem nunc, postquam apparuit vanas esse discriminis notas non solum ex Krarupii, sed etiam ex Orellii erroribus et omissionibus sumptas, ex Parisiensi descriptum esse prorsus Halmio assentior. Deinde item a codice Parisiensi segregaveram et in tertia familia posueram codices a Gulielmo et Grutero usurpatos, Sancti Victoris, Gemblacensem, Palatinum nonum et in ceteris octo orationibus Erfurtensem (nam Sestiana is caret).

Nam quanquam ubique apparet horum codicum originem cum Parisiensi coniunctissimam esse et fere communem, emergunt tamen aliquot locis propriæ quædam scripturæ omnes veritatis notas præ se ferentes et eiusmodi, ut coniectura repertæ illis sæculis, quibus hi codices scripti sunt, esse nequeant, omnium quidem ad iudicandum certissima in Sestiana c. 4, 10, ubi Gemblacensis et Palatinus nonus habent, quod et sententia postulat et nunc codex palimpsestus confirmavit, *puerilis tua vox*. Parisiensis, Bernensis reliquique *uirilis*, sed aliæ quoque non spernendæ fidei, velut pro Sest. c. 18, 41 (*defuturum*), 27, 58 (*huius imperii Mithridatem*), 48, 103 (*nitebantur*), pro Cæl. 1, 1 (*magistratibus*), 3, 8 (*atque etiam isti dignitati*). Itaque nunc quoque hos codices sic a Parisiensi seiungo, primum ut e prorsus gemello fluxisse dicam, deinde ut etiam eum, qui ex hoc genere optimus videtur — de Sancti Victoris codice incertum iudicium est propter testimoniorum summam raritatem — et nunc Halmii opera plene notus est, Gemblacensem, et ætate et integritate longe Parisiensi inferiorem esse intelligam, Palatinum autem nonum et Erfurtensem multiplici interpolatione deformatos esse, non longe ab ea deflectenti, quam in codicem Parisiensem subinde recentiores manus intulerunt. Caveram igitur, quum et aliis exemplis uterer et parvo, sed perspicuo pro Sest. c. 42, 91, ubi ex antiqua scriptura in Parisiensi servata *dissupatos* in Gemblacensi et Palatino nono factum est *disputatos*, deinde in Gemblacensi coniectura *disparatos*, ne horum codicum auctoritas Parisiensi æquaretur et mendis interpolationibusque obtenderetur, quod factum esse ostendebam pro Sest. c. 1, 1 (*voluntarios*), 37, 80 (*tam tempori* pro *tam temere*), 61, 129 (*diebus is quibus* pro *diebus quinque quibus*). Deinde exposueram, in Hervagii et Naugerii editionibus adhibitos esse interdum ad orationem emendandam codices cum Parisiensi cognatos, sed neque constanter neque ita, ut nunc discerni posset, quid coniectura admixtum esset; itaque perexiguum nunc harum editionum usum esse, multoque minorem Caroli Stephani, addideramque etiam apud Lambinum meliorum codicum vestigia reperiri. Postremo de codicibus vulgaribus et recentibus, ex quibus paulo ceteris melius, minime tamen plene noti erant Oxonienses, sic exposueram, ut ostenderem eos, ex antiquioribus illis omnes pen-

dentes, communem quandam interpolationis labem suscepisse, interdum nonnihil variatam; ab hac communi interpolationis labe seiunctum esse, quod orationem Sestianam, quo tempore litteræ antiquæ in Italia renascerentur, magister aliquis, qui eam discipulis enarraret, multis locis contraxisset omissis, quæ minus necessaria esse aut ad rem pertinere viderentur aut etiam ad enarrandum difficilia essent, unde nata essent exempla in brevius contracta, deinde ab alio etiam paulo plura resecta esse, ut mutilatorum codicum duplex esset genus. Fieri tamen posse dixeram, ut in his codicibus interpolatis lateret una et altera scriptura eius familiæ, quam tum tertiam appellabam, nunc alteram dico, a Gulielmo et Grutero non annotata, velut pro Sest. c. 48, 103 servatum verbum *nitebantur*. Nunc collato diligenter codice Gemblacensi ne hic quidem testimonii proprii locus vulgaribus illis codicibus relinquitur. His expositis omnia in his orationibus emendandis eo referenda dixeram, ut comparatione trium familiarum codicum, quas nunc duas statuo, facta ad codicis primarii, unde omnes propagatæ essent, scripturam perveniretur eique, si mendosa certis indiciis argueretur, adhiberetur coniectura via et ratione ingrediens. Sed feliciter cecidit, ut reapse propter codicis Parisiensis ætatem et quod eum solum satis plene, etsi non sine erroribus, collatum habebam, totius emendationis fundamentum poneretur. In reliqua disputatione ea, quæ ad opinionem de tribus codicum familiis aperte accommodata erant, transferentur ad eam sententiam, quam nunc de duabus familiis teneo. Cetera omnia ad eam formam revocare, quam nunc, si de integro rem aggrederer, secuturus eram, difficillimum et inutile esset.]

---

439 Præparata universe harum orationum emendatione, singuli iam loci persequendi sunt, in quibus Orellii recensio nobis non satisfacit; quanquam eorum quoque locorum, quos vir clarissimus recte constituit, nonnulli aliquid ex illa disputatione firmamenti accipiunt. Nec minora et leviora excludemus, quoniam novæ recensionis vicem hanc disputationem præstare volumus.

In Sestiana igitur primum, quoniam de voce *voluntarios* ex c. 1, 1 tollenda iam antea dictum est, c. 1, 2 editur: *Ego autem, iudices, quia, qua voce mihi in agendis gratiis commemorandoque eorum, qui de me optime meriti sunt, beneficio esse utendum putabam, ea nunc uti cogor in eorum periculis depellendis, iis potissimum vox hæc serviat, quorum opera* 440
et mihi et vobis et populo Romano restituta est. Sed *quia*, quod Hotomano auctore Ernestius primus addidit firmareque videntur codices Bernenses, omittitur et in prioris familiæ codicibus (Par., ed. Naug.) et in alterius (vulgaribus omnibus [et Gemblacensi]), estque, si diligentius attendas, dupliciter vitiosum; nam primum non *quia*, sed *quoniam* esse saltem debebat[1]); deinde inanis oritur tautologia; neque enim alii erant illi, quibus agendæ erant gratiæ, alii, quorum opera vox Ciceronis ipsi populoque restituta erat. Tollendum est igitur vocabulum, finiendaque sententia in verbo *depellendis*, cui deinde tanquam confirmans seque exhortans orator addit: *Iis potissimum* (inquam) *hæc vox serviat*, id est, *servire debet*; in quo non video quid iure reprehendas.

C. 2, 4 scribitur inde ab antiquis editoribus: *Neque enim officio coniunctior dolor ullus esse potest quam hic meus, susceptus ex hominis de me optime meriti periculo, neque iracundia magis ulla laudanda quam ea, quæ me inflammat* cet., ex interpolatione, quam omnes arguunt codices; nam pro *neque enim* in Par. est *namque*, in Bernn. *namqui*, in Oxoniensibus tribus *neque*, in aliis tribus et Franciano *nunquam*. Patet neque *enim* in codice archetypo fuisse neque simplex *neque*, sed *Nam neque*, quod interdum a librariis corruptum est partim propter ductuum similitudinem aliquam, partim, recentiore tempore, quod requirebant *neque enim*, illud alterum respuebant. Sed habet id suum et proprium locum, ubi in ratione reddenda duo membra æqualia, interdum etiam contraria, distinguenda sunt. Nam quoniam *neque enim* in uno etiam membro dicitur, 441
quum *neque enim* — *neque* scribitur, alterum magis adhæret

---

[1]) Non causa, cur iis vox serviat, indicatur (nec addas *ideo*; nec nostrates dicerent *fordi*, sed *siden*, quæ Germanorum una vox *weil* coniungit); hoc tantum dici poterat: Tempora ea sunt, ut cogar; quod quoniam ita est, iis potissimum cet.

superiori eique annexum est; quum *nam neque* dicitur, statim alterum exspectatur[1]); cfr. pro Rosc. Amer. 39, 112, de Orat. I. 56. 237. II, 51, 205 et 53, 213, de Legg. II. 5, 13, Cæs. in orat. pro Bithynis apud Gell. V, 13, Horat. A. P. 348. Lucret. VI, 709 (ubi codd. complures et edd. vett., ut in hoc Ciceronis loco, *namque*). Itaque ad eundem modum in orat. IV in Catil. 2, 3 e codice Erfurtensi et aliis restitui necessario: *Nam neque turpis mors forti viro potest accidere neque immatura consulari nec misera sapienti*; et in oratione pro leg. Man. 7, 18 in similem suspicionem inductus sum propter scripturam codicum deterioris familiæ.

C. 3, 7 quum et cod. Paris. (Naug.) et Bernenses et quattuor Oxonienses habeant: *ut ille insperato adspectu complexuque, si non omnem, at aliquam partem mæroris sui deponeret*, obsequendum est coniuncto codicum testimonio, cui unus repugnat Hervagius, nullius, ubi a Pariensi discedit, auctoritatis. Nec bene, quum consilium Sestii significet, dicitur *illo adspectu*, tanquam rem factam demonstret.[2])

442 C. 4, 9, ubi editum est ab omnibus: *quam urbem propter plurimas belli opportunitates ab illa impia et scelerata manu attentari suspicabamur*, scribi debet *temptari*, auctoritate cod. Par., Bernenss., Palatinorum aliquot, Oxoniensium quattuor, editionum etiam veterum; vulgatæ origo recentissima perspi-

---

[1]) Non semper membra notionis sententiæque curiose distinguimus; itaque non semper dicitur *nam neque — neque*, ubi dici poterat, ne quis in eo hæreat. Cfr. de Orat. II, 56, 227, in Verr. I, 2, 4 (etsi ibi Leid. et Guelf. 2 omittunt *enim*), ibid. 46, 121 (ubi *porro* additum rationem mutat), de Finn. II, 10, 32 et 13, 41, pro Cluent. 39, 108; 48, 133; 51, 142. In nonnullis horum locorum ne erat quidem, cur altero modo scribere quisquam mallet. In nonnullis locis codicum auctoritate delendum est *enim*, ut oratio magis sit quasi explicantis quam rationem reddentis, velut in Verr. I, 1, 3, ubi delevit Zumptius, pro Cluent. 15, 45, ubi optimi Classenii codd. omittunt; etiam de Finn. I, 18, 58.

[2]) Paulo ante scriptura *gravissimæ antiquitatis* nititur Bernensium auctoritate; nam in vulgares codices interpolatione inductum esse *gravissimæ*, et cod. C. Steph. ostendit, qui *gravissimis* habet, et Gruteri annotatio, inter Palatinos, qui alterum tueantur, nonum non numerantis. Nec tamen in dubitationem voco; quanquam alibi ei substantivo hac significatione posito nusquam adiectivum additur.

citur ex quinto Oxoniensi, ψ, ubi est *manu ut tentari*, litteris repetitis. Proximum nomen tribuni militaris constituere non possum. Sed paulo post ex cod. Paris. (Herv.) et vulgaribus reducendus est vetus verborum ordo: *non solum Capuam venisset*, pro quo Orellius e Bernn. et Naug. edidit: *non Capuam solum ven.* Male divellitur *Capuam venire*, quod unum contrarium ponitur alteri membro.[1])

C. 4, 10 certioribus, quam factum est, argumentis refelli debet vulgatæ scripturæ pravitas commendarique Lambini amici coniectura in his verbis: *recito memoriam perfuncti periculi, prædicationem amplissimi beneficii, vicem officii præsentis, testimonium præteriti temporis*, in quibus illud *vicem* adverbialiter dici, ut sit idem ac *pro* vel *loco*, neque reliqua, quibus adiungitur, substantiva, quæ appellationem aliquam decreti habent, patiuntur, nec dici potest *recitare aliquid vicem alicuius*, substantive autem intelligi *vicem officii præsentis*, ut sit id, quod pro officio præsenti substituatur, usus loquendi prorsus prohibet, qui apud Ciceronem ne præmitti quidem vocabulum *vicem* genitivo sinit; ne dicam, prorsus incommodam 443
hanc esse decreti appellationem, inter ista præsertim, *memoriam, prædicationem, testimonium*, interiectam, qua non, quid sit, sed cuius loco sit, significetur. Deinde qui hæc interpretari student, ut Bakius, *præsentis* ad locum referunt, quum apertum sit, ad tempus referri, contrarium ei, quod sequitur, *præteriti temporis*. His omnibus incommodis medetur lenissima Lambini emendatio (*vocem*), quam Orellius non recte ita interpretatur, ut plane tollat vim verbi *præsentis* oppositionemque præsentis officii, præteriti testimonii. Sententia simplicissima est: vox est in isto decreto et verba officii præsentis (quod præstant Campani ipso decreto facto), sed testimonium est totum præteriti temporis. Eleganter *vox* et *testimonium* inter se referuntur.

C. 5, 12, quum eius scripturæ, quæ in Bernensibus est: *populum Romanum — tueri facile cum maiestatem suam dignitatem eorum, qui salutem communem periculo suo defendissent*, vestigia etiam in altera codicum familia fuisse videantur, velut in ed. Iuntina, nec ea oriri potuerit ex scriptura codicis Par.

---

[1]) [De codicibus deceptus sum.]

et aliorum: *tueri facile maiestatem suam et dignitatem eorum*, videndum est, ne scribendum sit: *tueri facile cum maiestate sua dignitatem eorum.*[1]) Deinde in verbis *illo suo exercitu* delendum est *suo*, omissum in [Par.,] Bernn., Oxx. duobus (H, χ). Paulo post editur ab omnibus: *homini — nimium communem Martem bellique casum metuenti*; sed in Par. est: *communem Martem belli casumque metuenti*, quod et Bernensium scriptura confirmat (*bellicosumque*) atque Oxonn. duorum (χ, ψ *bellicosum*) et usus loquendi. Neque enim *communis Mars* dicitur, sed semper *communis Mars belli*, neque Liv. V, 12 dixit: *Mar-*
444 *tem communem belliqne fortunam accusare*, sed: *Martem communem belli fortunamque*; vid. Schell. lexic. col. 6073. Statim post in suspicionem adducenda non est consentientium codd. Parisiensis et Bernensium scriptura: *Longum est ea dicere*; pronomen, quod commodissime ad proxime præcedentia refertur, facile in altera familia post *est* excidere potuit.[2])

Sed quod paulo post legitur: *atque æstatem integram nactus Italiæ calles et pastorum stabula prædari cœpisset*, id neque ullam omnino nisi ficti codicis Ursini auctoritatem habet, cuius interpolationem Naugerius recepit, quum in codicibus omnibus scribatur *præclara cepisset* sive, ut in Bern. priore, *cœpisset*, neque sententiam tolerabilem. Nam et prædæ inepte mentio fit, quam si Catilina sequeretur ac non invia tutaque loca, non valde extraheretur bellum, et ea aliis ex locis petenda esset, non ex callibus et stabulis; recte quoque Muellerus *prædari locum* Ciceroniane dici negavit; ne Livius quidem sic dixisset. Nam *prædari* quum apud veteres absolute diceretur, apud poetas primum Augusteo tempore cum accusativo iungi cœptum est, quod deinde, ut multa alia, ad prosam orationem Taciti Suetoniique ætate aut fortasse paulo ante translatum est. Ac codicum scripturam refutare nihil attinet, quæ si Latina esset (*calles Italiæ capere*), non solum frigidissimam haberet ironiam, sed perversissimam; neque enim elevare irridendo

---

[1]) [Et de Par. et de Bernn. prave traditum erat.]

[2]) Obiter annotandum est, quod A. Maius tradit, in scholiis Vaticanis ad hunc locum pro *adiutor ei* legi *semper ei*, quod repetitur in editione Orell. scholiorum (p. 294), illam scholiastæ annotationem aperte pertinere ad nomen *M. Petreii*, idque in illo *semperei* latere.

periculum Cicero vult, sed potius augere. Sed attendentes ad id, quod dixi quodque elucet apertissime ex *callium* vocabulo, significari locorum montanorum desertorumque incertam et 445
instabilem percursionem, qua Catilina latebras captans persequentesque eludens uti posset, non difficulter ex illa corruptela veram scripturam eruemus, quæ hæc est: *Italiæ calles et pastorum stabula peragrare cœpisset.* Nec erat, cur Orellius hæreret in *Italiæ* vocabulo. Late et sine fine vagaturus Catilina erat. Nec ad hos Ciceronis oratorios colores quicquam pertinet, quodnam fuerit Catilinæ verum consilium aut saltem a Sallustio traditum. Ipsum, quod sequitur, *totius Italiæ* suspiciones reprimere debebat.

C. 6, 13 editur: *Ad tribunatum, quia ipse ad sese iam dudum vocat —, contento studio cursuque veniamus.* Sed molestissimam particulam *quia*, qua posita Cicero nimis putide rationem et causam reddit, incommodo etiam sententiarum ordine, tollit præclara codicis Parisiensis scriptura: *Ad tribunatum, qui ipse ad sese* cet. Sequitur c. 6, 14 locus graviter corruptus, quem in nonnullis codicibus alterius familiæ interpolatum esse supra ostendi; is in reliquis codicibus (quod quidem ad nostram quæstionem attinet) ita scribitur: *De quo quidem tribunatu ita dictum est a Q. Hortensio, ut eius oratio non defensionem modo videretur criminum continere, sed etiam memoria dignam uti* (sic cod. Par. et, hoc loco verus, Ursini; Bern. prior *memoria digna uti*, nisi quid erratum est; nam in altero est: *memoriam dignam in re publica*) *rei publicæ capessendæ auctoritatem disciplinamque præscribere.* Apparet universa loci forma (*memoria dignam rei publicæ capessendæ auctoritatem disciplinamque præscribere*), quam pridem Turnebus vidit; *uti* mendosum esse patet, pro quo Orellius, secutus apertissimum errorem codicis Bernensis alterius, a priore desciscentis, scripsit *in* (*re p.*), solœca oratione.[1]) Sed animadverti debet, non dici, quibus- 446
nam ista præscripta sint, quod omitti non poterat. Eo per-

[1]) Sæpe apud Ciceronem legi *auctoritatem in causa, in suadendo*, dicit vir clarissimus; verum dicitur *magnam in aliqua re auctoritatem habere* et similia; *auctoritatem* (id est, regulam auctoritate confirmatam) *et disciplinam præscribere in faciendo* pro eo, quod est *faciendi*, nemo sane dixit. Similiter paulo post c. 6, 15 in multis codd. legitur *in re p. naufragium.*

specto, quod quale sit, intelligi etiam ex c. 44, 96 potest (*Rem quæris præclaram iuventuti ad discendum, nec mihi difficilem ad perdocendum*), via aperta est ad veritatem inveniendam. Latet enim in istis litteris terminatio substantivi dativo casu positi, cuius reliqua pars in codice arehetypo propter compendium scripturæ difficile aliamve ob causam oblitterata sit; nec id aliud fuit, quam quod altero loco est positum, *iuventuti.* In tribunatu primum iuvenes, quemadmodum se in re publica gesturi essent, ostendebant.[1]) Paulo post in his verbis: *mihi de iisdem rebus esse arbitror, si non subtilius disputandum, at certe, iudices, dolentius deplorandum*, ut assentiar codici Parisiensi (Naug.) et cod. C. Steph. duobusque Oxoniensibus C, T, vocabulum *iudices* delentibus, facit incommodus, ut mihi videtur, eius positus: neque enim a particulis *at certe* id, quod superiori contrarium est, divelli voce interposita posse credo; nec ulla est hoc loco iudices compellandi causa, non exordium alicuius loci, non conclusio, non transitus, non in re memorabili animorum excitatio. Paulo infra voces, quæ ab Hervagio Naugerioque adiectæ sunt, *insolenter et*, nunc, dissentiente cod. Parisiensi, apparet prorsus recentissimæ esse originis, ortas ab eo, qui nec *se offerre* nude probaret et asyndeto offenderetur.
447 Sed *se offerre*, quod mediæ est significationis, ita tamen, ut sponte, non casu occurrentes intelligantur, recte hoc loco ponitur adiecto altero illo *insectantur*; asyndeton, quod hic in verbis est eiusdem pæne significationis, in brevi et concisa oratione, infra c. 9, 22 in substantivis est: *falsa opinione, errore hominum.*

Venio ad locum in editionibus fœdissime corruptum et interpolatum in initio capitis septimi, cuius hæc est in codicibus scriptura: *Fuerat ille annus tam in re p. iudices* (Pal. 9 vulgari mendo *videlicet*, Paris. et Naug. omittunt) *quam* (Par. *qum*) *in magno motu* (cod. S. Vict. *metu*, mendose) *et multorum timore intentus arcus in me unum, sicut vulgo ignari rerum loquebantur, re quidem vera in universam rem publicam, traductione ad plebem furibundi hominis ac perditi* cet. Ab his vestigiis adeo discesserunt editores, ut ex *tam* et *quam* sive

---

[1]) In proximis verbis tollendum esse *quidem*, dixi in dissert. de Cæliana supra p. 407.

qum efficerent *tanquam*, quod si scriptum olim fuisset, corrumpi potuisset, sed ita distrahi duobusque locis poni non potuisset. (Hoc ipsum *tanquam* ceteri recte hactenus iis verbis, quorum audax metaphora leniri debet, præponunt; Orellius, Garatonium secutus, incommodissime posuit: *tanquam in rei publicæ magno motu.*) Sed multo sunt graviora illius scripturæ vulnera, quæ ideo aperiam, ut statim perspicuum sit, alia via ad veritatem perveniri debere. Primum, annum dici *arcum* et *arcum intentum*, adeo est non solum prava et perversa metaphora, ut eam Cicero eligere, verum etiam tam contorta et a nulla rerum similitudine specieve ducta, ut in eam incidere non potuerit. Sed maius illud, quod tota res, de qua Cicero dicit, mire confunditur et obscuratur. Totum se dicit superioris anni naufragium rei publicæ expositurum, id est eius, qui fuit ante Sestii tribunatum. Is fuit annus Pisone et Gabinio coss., 58 a. Chr. nat.; nam a. 57 Lentulo et Metello coss. tribunatum gessit. Iam quum his subiiciat: *Fuerat ille annus — tanquam* 445
intentus arcus, profecto loquitur de eodem ipso anno, quo Piso et Gabinius consules fuerunt; quanquam incommode de eo anno, de quo nunc ipsum dicere ingreditur et deinceps tam multa per magnam partem orationis dicit, hoc uno loco plusquamperfectum ponit. Verum illo anno non est intentus arcus in Ciceronem traductione ad plebem P. Clodii; nam eum omnes norunt anno superiore (59), Cæsare et Bibulo coss., traductum esse. Itaque P. Manutius contra sermonis regulam annum hunc intelligit, Garatonius autem mirifice scribit, annum illum Pisonis Gabiniique fuisse tanquam arcum in Ciceronem intentum traductione ad plebem P. Clodii, *quæ facta fuerit priore anno*, quasi tum non hic prior annus arcus iste fiat. Iam videamus, quantæ turbæ quam facile ducibus codicibus componantur: *Fuerat ille annus iam* (pro *tam*) *in re publica, iudices, quum in magno motu et multorum timore intentus est arcus in me unum* cet. Iam optime, antequam ad Pisonis et Gabinii annum accedit, fontem malorum omnium ex Cæsariano illo anno Clodiique transitu ad plebem manasse ostendit; *præcesserat*, inquit, *ille annus*; deinde ad eum, qui propositus est, venit paulo post: *Qui tribunus plebis* cet. Unum addidi *est*, quod quoties post illam terminationem participiorum exciderit, dixi alibi (Append. disput. de Asconio p. 4); nec exemplum

codicis archetypi harum orationum eodem mendo corrupti e longinquo petendum est; nam hac eadem sectione *arbitratus est* e coniectura editur; codices *arbitratus* habent; et paulo ante c. 6, 14 in iisdem est *dictum* pro *dictumst.*[1])

449 Deinde, quoniam capitis octavi initium Klotzius recte tractavit, vocem *inflatus* de ira melius interpretatus quam Orellius[2]), dicendum est primum breviter, paucis post versibus scribendum esse cum cod. Paris. Gruterique codd. et Oxonn.: *vestitus aspere, nostra hac purpura* cet.; ut participii nominativus paulo laxius adhæreat superioribus illis: *quam tæter incedebat!* In altera scriptura (*vestitus asper, nostra hæc purpura* cet.) non solum nominativus substantivi durissime ponitur omisso verbo, sed prorsus solœcum fit, quod sequitur, *capillo ita horrido*; debebat enim esse *capillus ita horridus*; nunc recte auditur *incedebat.* Pluribus verbis utendum est de iis, quæ de Pisonis vultus tristitia statim sequuntur, vulgo inde ab Hervagio et Naugerio sic scripta: *Tanta erat gravitas in oculo, tanta contractio frontis, ut illo supercilio res publica, tanquam Atlante cælum, niti videretur.* Codicum non interpolatorum scriptura hæc est: *ut illo supercilio antuus ille* (sic Par.; *mantuus ille* B. et St. Vict.; *anmantius, amnantius*, similia codicum sunt ex illis derivatorum) *niti tanquam videretur.* Recentiorum autem coniecturæ non eam habent probabilitatis speciem, ut
450 multis refutandæ sint. Quorum alii, ut Wunderus quique eius coniecturam postea alio substituto nomine emendare voluit, ipsum Pisonem suo supercilio niti visum esse volunt, et imagine perversissima, in nitendi verbo cum parte aliqua vultus coniuncto, et sententia mala; quis enim aliquem ipsum suo

---

[1]) Proxime ante § 15 extr. codd. (Par., Bernn.) meliore ordine *facta, dicta, consilia*; vulgo *dicta, facta*; sed gradatio est; non solum facta, sed dicta etiam, immo tacita consilia. Paulo post § 17 e codice Vaticano et Parisiensi scribendum est: *hocine ut ego nomine appellem* (vulgo *appellem nomine*); satis est ad gravitatem, coniunctionem et pronomen interiici, quæ infringitur verbi et nominis sede commutata.

[2]) Qui de consule cum comitatu feneratorum superbe incedente exponunt, præterquam quod mirificus hic est consulis comitatus (res enim et negotia eiusmodi domi et ad mensam agebantur), non attendunt neque ad sententiarum nexum (nam omnibus iratus Gabinius significatur præter operas, maxime locupletibus), neque ad alterum vocabulum *puteali.*

vultu confidere dicat, nisi forte ut terreat aliquos, ac non potius, alios eo decipi? Efficiunt deinde hæ coniecturæ, ut iam nunc Cicero Pisonem aperte irrideat contumelioseque dicat, nihil præter vultum habuisse gravis hominis; quod contra totius loci sententiam est. Proponit enim, quanta fuerit debueritque esse hominum de illo opinio. Postea, quam is homines fefellerit, dicit. Orellius autem, qui Gabinium iterum propter ea, quæ sequuntur, inculcat[1], neque vestigia scripturæ incorrupta curare neque sententiam neque sermonem Latinum hoc loco videtur. Quid est enim *supercilio tanquam nota inuri*? Turpitudinis nota inuri aliquis dicitur omnisque fœditas et turpitudo isto nomine appellatur, sed alius hominis supercilium notam dici supercilioque aliquem inuri, monstra sunt sermonis. Sed omnes in eo a veritatis vestigiis aberrant, quod vocabulum *tanquam* in omnibus codicibus certo loco positum, quo nemo id ex alia sede translaturus in incommodissimam erat, licenter transponunt. Quod vocabulum quum ad *videretur* pertinere non possit, apertum est, etiam ex positu verborum et ex imagine, quæ est in verbo *niti*, post *tanquam* excidisse vocabulum comparationem continens. Id quale fuerit et ex ductuum similitudine, propter quam excidit, et sententia monstrante reperiri per se certissime potest; fuit enim: *niti tanquam vade* 451
videretur. Sed quoniam in huiusmodi rebus difficile est ad firmiter credendum homines adducere, accidit percommode, ut, nisi multum fallar, testimonio grammatici veteris in hac scriptura uti possimus. Nam Valerius Probus (apud Putschium col. 1475) bis ex Cicerone citat: *vultu tanquam vade*, quod vix dubitari potest quin hinc sumpserit vultumque pro supercilio levi memoriæ errore posuerit. Tenemus igitur formam orationis: *ut illo supercilio . . . . . ille niti tanquam vade videretur*, imaginem aptissimam, sententiam superiora (*pignus rei publicæ*) eleganter variantem et amplificantem et quasi confirmantem, ut sæpissime apud Ciceronem fit. Sed quid illo vultu tanquam vade nixum fuerit, inveniendum est. Id iam aliquid huiusmodi esse debet, de quo timeri potuerit, deinde (propter *ille*) unum aliquod et definitum, non, ut res publica, generale,

[1]) Non recte; nam primum de Pisone solo, ut de Gabinio supra, loquitur, deinde hominum eos comparantium sermonem commemorat.

denique suo nomine simpliciter significatum; nam imaginem, cuius index est *tanquam*, patefactum est in alia voce positam esse. Hæc omnia quod contineat, nihil reperio aliud quam quod iam Lambinus edidit, *annus ille*; nam Schuetzius, quum sentiret, cuiusmodi esset vocabulum quærendum, a scripturæ vestigiis longius recessit.[1]) Paulo ante, ubi erat: *Nam quid ego de supercilio dicam?*, Orellius ex Bernensibus edidit: *de*
42 *supercilio illo*, a quibus recte discrepat Parisiensis. Nam quum plura orator in eodem homine iam commemorarit (vestitum, capillum), ad novam rem transiens, nude eam nominare superioribusque contrariam ponere debet. Pronomen ortum est ex substantivi terminatione.

In proximo loco, c. 10, 23, ubi edebatur: *verbum ipsum* (voluptatis) *omnibus modis animi et corporis devorabat*, iam effectum est, ut, quum ex consensu codicis Parisiensis et Bernensium intelligatur, vocabulum *modis* in codice archetypo prorsus non fuisse, et eorum, qui *modos* istos *animi et corporis* defendebant. et eorum, qui, retento illo vocabulo, alia mutabant, disputationes omittere liceat. Id dubitatur, sitne addendum substantivum, quod Orellius faciendum putat, an *omnibus* mutandum. Atque in hanc equidem sententiam pronior sum, quod nullum puto pluralis numeri substantivum excogitari posse, quod non illis genitivis adiunctum offensionem habeat non parvam. Nam neque *sensus animi* pluraliter hac significatione dicuntur (αἰσθήσεις) neque *partes omnes*, quæ si sunt ullæ animi, in una tantum ex iis cupiditates sunt; quanquam ipsum *omnes corporis partes* hic apud Ciceronem putidi aliquid habet, non habiturum apud Senecam, huiusmodi res etiam cum fœditate exaggerantem. Itaque pro *omnibus* scribendum opinor *omni ui*. Omni vi non solum animi, sed corporis voluptatis verbum devorat, cuius animum et corpus quasi titillatio non languide commovet et ad potiundum ea excitat.[2])

---

[1]) Dicat aliquis: At qui tam notum vocabulum corrumpi potuit? Sed huic dubitationi supra responsum est exemplis similium errorum codicis archetypi, maxime illo *senex* pro *bene* § 21; cfr. infra ad c. 41, 89.

[2]) Paulo post e cod. Par. et Bern. pr. mutandus ordo verborum, ut sit: *in interiore parte ædium.*

C. 11, 25, ubi edebatur: *hi* (rectius scribetur *ii*) *non modo negando, sed etiam irridendo amplissimum quemque illius ordinis insequebantur*, commode Bernensis codicis auctoritati, pronomen 453
hi delentis, cui Orellius obsecutus est, codex Parisiensis repugnat; neque enim in hac comparatione eius, quod alii flagitarint, et eius, quod ii ipsi fecerint, pronomen initio positum abesse ullo modo potest.

C. 11, 26 recte fere editum est ab Orellio: *Vos, vos, inquam, equites Romani, et omnes boni veste mutata vos pro meo capite ad pedes lenonis impurissimi abiecistis*; nam quod in cod. Paris. est: *vos inquam pro meo*, vocabulum in archetypo ex superioribus male repetitum fuit, et ex eo ortum est, quod in Bernensi est *vosque*, ex quo in vulgaribus codd. nova nata est interpolatio: *vestem mutastis vosque.* Sed initio sententiæ Orellius, Lambinum secutus, *vos* bis posuit, eodem errore, in quem aliquoties in editione maiore incidit, ut ante *inquam* vocabulum repeti vellet, quum tamen *inquam* non ad vocabuli repetitionem pertineret, sed ad sententiam, quæ, iam ante universe significata, apertius et asseverantius poneretur. (Vid. supra comment. nost. de emendat. aliqu. loc. oratt. Cicer. p. 157.) Eodem errore infra c. 54, 116 (*Semel, inquam, se ludis homo popularis commisit omnino*, quæ sententia inerat iam in illis: *nec ullos alios ludos adspexit nisi eos, a quibus vix vivus effugit*) *semel* duplicandum opinatur et in Brut. 33, 126 (in edit. min.), ubi Cicero colligit et repetit summam iudicii sui de C. Graccho. *Legendus.* Prorsus perversa est illa vehemens exclamatio; ac miror, virum doctum, toties pæne ab ipso Cicerone admonitum, non aliquando abiecisse errorem. Prorsus simile mendum pessimi recentissimarumque coniecturarum plenissimi codicis Franciani paucorumque eiusdem dignitatis aliorum in oratione pro Planc. 41, 100 Wunderum secutum esse, valde miror, quum reduplicata illa repetitio *vi me, vi me* nullo omnino loco recta 454
sit. Hoc autem Sestianæ loco *inquam* eo pertinet, quod iam in superioribus indicaverat, quanquam paulo obscurius, ita ut interpretes se non expediant, primum consilium vestis mutandæ extra senatum ortum esse ab equestri ordine (nam equites principes erant illius in Capitolium congregatæ multitudinis), delatasque ad senatum et Gabinium, qui senatum haberet, preces, ut id publica auctoritate confirmaretur, quas illum

repudiasse.[1]) Itaque eo rem a se reiiciente, L. Ninnius de ea re ad senatum rettulit. Sed in superioribus illis unum est vocabulum certissime mendosum, quanquam nemo interpretum hærere se significavit; scribitur enim: *meque etiam omni ratione privato consilio, quoniam publicis ducibus res publica careret, defendendum putarunt.* Sed *etiam* prorsus dici hic non potuit; nam nec addendi significationem habere potest (*auch auf alle Weise*, quanquam nulla una ratio nominata erat), et multo minus hoc tanquam maius aliquid comparari cum altero potest (*sogar auf alle Weise*; et quid est præterea, quo illud referatur?). Scribendum est necessario: *meque iam omni ra-*
155 *tione.* Non diutius aliud auxilium (publicum) exspectandum putabant; id significat illa particula.[2])

C. 12, 29 latere videtur antiqua διττογραφία. Edebatur vulgo: *pro summa familiaritate, quæ mihi cum fratre, cum patre eius erat*, confirmatque eam scripturam codex Par. ad alteram familiam adiunctus; ex Bernensis prioris mendo *cum patre eius eius* librarius Bern. alterius (et cod. C. Steph.) corrigendo effecit *cum patre eius est*, quod Orellius secutus est. Sed neque asyndeton bimembre hoc loco ferri ullo modo potest in simplici duorum hominum coniuncta appellatione neque defendi perversus ordo, quo frater patri præponitur; nec peritis obscurum erit, pronomen *eius* ad prius substantivum adiungi debuisse; quo accedit, quod, quæ cum fratre L. Lamiæ Cice-

---

[1]) Mire Garatonius negare videtur, equites ad Gabinium in senatum intromissos esse, quod tantam illam multitudinem admissam non probabile sit; quasi non ista per allegatos, quos nos *deputatos* appellamus, acta sint, aut minus illa oratorie dicantur et, si ad eiusmodi regulam exigantur, falso: *vos equites Rom., omnesque boni vos ad pedes lenonis proiecistis.* Ad has difficultates tollendas spectasse opinor illam Itali alicuius notam marginalem, ex qua in cod. Bern. 2 et edit. Naugerii irrepserunt verba: *quum venisset ad senatum. Venissent* de equitibus scriptum fuisse puto. Nam illud improbabilius, aliquem ea, quæ sequuntur, *cænum illud ac labes*, de Pisone intellexisse, quumque is a Cicerone domi se continuisse dictus esset, annotasse, alterum illud accidisse, quum postea *ad* (hoc est *in*) senatum venisset.

[2]) C. 12, 27 auctoritate codicis Paris. restituendum est *quumque* pro *quum* (Orell. ex Bernn.), eius autem et Bernens. reliquorumque *mutatione vestis facta* pro *mutatione facta vestis* (Orell. ex Herv.).

roni familiaritas erat, eadem erat sine dubio cum ipso, „Ciceronem unice diligente“ (*Nec ex eo amor inter nos natus est, sed quod erat vetus et magnus, propterea nullum periculum pro me adire dubitavit.* ad Fam. XII, 29); contra recte filius adolescens Ciceronem dilexisse dicitur propter Ciceronis et patris Lamiæ, æqualium, familiaritatem. Scribendum est igitur: *quæ mihi cum patre eius erat.* Quum aberratum esset: *cum fratre*, utraque scriptura in codice nostrorum parente coniuncta est.[1])

C. 13, 29 nollem Orellius, deserta Manutii et Garatonii coniectura, quam in maiore editione secutus erat (*sine ullo iudicio, edicto*), Bakii recepisset (*sine ullo iudicio ut edicto*); 456
nam neque coniunctionis iterandæ ulla erat causa, quum sola verba rei indignitatem ostendentia variarentur, nec ea coniunctio illo loco poni poterat, ubi coacervationem illorum verborum interrumpit. Aperta est causa additæ in codice archetypo particulæ, in qua nescio cur viri docti tam religiosi sint, quum initio huius capitis repetitum a librario *quo* recte deleverint.

C. 13, 31 codex Vatic. cum reliquorum codicum (Par., Bernn., Oxonn.) archetypo consentiens cogit scribere: *quid hæc mea oratio tam longa aut tam alte repetita velit*, pro eo, quod Hervagius primus edidit, *tam longa ac tam alte*; nec illa scriptura ratione caret. Quemadmodum enim in negativis sententiis Latini sæpe disiungunt, quæ nobis coniungenda videntur[2]), sic idem in sententiis interrogativis ad negationem inclinantibus aut improbationem significantibus fieri videtur, ubi distingui notiones recte possint; nec oratio longa semper est alte repetita. Illo priore modo defenditur infra c. 46, 100: *Hanc ego viam, iudices, si aut asperam atque arduam aut plenam esse periculorum* a u t *insidiarum negem, mentiar*, ubi Garatonius non ignorabat, hæc distingui aliquo modo posse, sed ideo *atque* requirebat, quod in affirmatione necessario diceretur: *plena est peric. atque insidiarum.* Superiore versu Vatic. cum Paris. (Naug.): *ne quis vestrum forte.*

---

[1]) Hervagius quasi errore intellecto edidit (sive ita iam in Talenti codice fuit): *quæ cum fratre mihi vel cum patre eius erat.*

[2]) Vid. disput. de Verr. supra p. 344 not.

C. 14, 32 non potest iure dubitari, quin, quum omnis sit oratio de iis, quæ Piso in consulatu fecerit, præcesseritque: *parumne est, quod tantum homines fefellisti, ut* cet., recte Lambinus eumque secuti Ernestius et Schuetzius ediderint: *etiamne edicere audebas, ne mærerent homines* cet., pro *audeas*,
457 contra quos frustra Garatonius disputat, in narratione historica præsenti tempori præteritum subiici ostendens. Verborum *parumne est*, ad quæ Orellius hæc refert, longe aliam esse rationem patet; simile esset, si scriptum esset *fallis. Audeas* si quis defendere volet, ὑποθετικῶς et generaliter positum dicet, et tamen redarguetur imperfectis subiectis. Paulo post § 33 non dubito, quin in hac sententia: *ne isti quidem, quos legatos non modo nullo senatusconsulto, sed etiam repugnante senatu tibi tute legasti?* — quin, inquam, verissime Io. Frid. Gronovius *legatos* tolli voluerit, non solum ob locutionem *legatos sibi legare* (quæ non omnino defenditur ex orat. in Vat. c. 15, 35, quoniam passivi alia est ratio, quod nec sine subiecto poni ibi poterat nec facile aliud subiectum habere), sed quod alieno loco id vocabulum positum est orationisque formam corrumpit; nam *isti, quos* ita dicitur, ut appareat, Ciceronem nomen ipsum legatorum iis vix concedere.[1])

C. 15, 34 adducor pæne ut credam Ciceronem scripsisse: *arma in templo Castoris palam comportabantur* (vulgo est *in templum*), prægnanti quadam verbi significatione, ut esset: *comportabantur et in templo coacervabantur.* Certe in cod. archetypo ita fuisse, ostendit consensus cod. Par., Bernn., Oxonn. trium (ex quattuor); et memorabile est, in orat. in Pison. 10, 23 eandem codices omnes habere formam (*arma in templo Castoris comportarentur*). Similiter Cicero dixit *abiicere se in herba* (de Orat. I, 7 extr.) et *abiicere anulum in mari* (de
458 Finn. V, 30 extr.). In orat. de Domo 21, 54 de eadem re est *in ædem Castoris.* [Conferri possunt *congregari in fano* de Div. I, 41, 90, *uno in loco convenire* (de copiis) ibid. II, 24, 52, *coire in templo* Suet. Oct. 35, quæque scripsimus ad locum de Finn. p. 774 ed. 3.]

---

[1]) In transcursu dicam, in ep. ad Attic. IV, 2 sub fin. scribendum esse: *Ego me Pompeio legari ita sum passus*, ubi vulgo est *a Pompeio* contra usum loquendi.

C. 16, 37 recte id, quod maxime corrigendum erat, emendasse videtur, quisquis primus scripsit, ut nunc editur: *Ad suam enim quandam magis ille gloriam quam ad perspicuam salutem rei publicæ spectarat, quum unus in legem per vim latam iurare noluit*, pro eo, quod in codicibus omnibus est, *sumpserat* (nam de duobus Oxoniensibus silentio vix credo, etsi id nihil ad rem); nam nullum aliud verbum aptum reperiri potest: *sumpserat* quidem, etiamsi bis *ad* deleas, de quo Orellius cogitavit, ferri nequit; quid est enim *sumere suam gloriam, sumere salutem rei publicæ*? Sed mendi origo magis patebit, si scriptum fuisse statuerimus: *tum spectarat, quum.*[1])

In c. 19, 43 coarguenda sunt vulgatarum scripturarum menda, ut certissimæ Gulielmi emendationi debitus iam pridem locus concedatur. Edebatur vulgo: *Quid deinde* (si boni improbos Clodianos fatali illo anno armis vicissent)? *quid reliquiarum restaret? quid denique? erat dubium, quin ille sanguis tribunicius, nullo præsertim publico consilio profusus, consules ultores et defensores esset habiturus?* Et *quis* (non *quid*) *reliquiarum restaret* est in codice Parisiensi[2]); sed ei refragantur coniuncti codex S. Victoris, in quo est: *reliqua irestaret*, et 159
Bernensis, in quo: *quis reliqu' iræstaret* (vid. annot. Orell.); hinc in Palatinis duobusque Oxoniensibus factum: *quid reliqui restaret*, quod Orellius recepit. Si quis autem ad sententiam et usum loquendi attenderit, reperiet, primum verba *quid reliqui* (sive *reliquiarum*) *restaret*[3]) non apte subiici illis *quid deinde*, quæ sunt interrogantis, quid aliqua re proficiatur, et pæne negantis; deinde male poni, tanquam diversæ res signi-

---

[1]) C. 18, 40 delenda est, Parisiensis quoque cod. auctoritate, præpositio ante *principibus*; senatus et principes in unum coniunguntur; itaque ad unum hæc nomina verbum referuntur, *infirmari*. C. 17, 40 rectissime Orellius coniecit: *rei publicæ præesse*. Vulgatæ vitium coargui paulo manifestius poterat. Et alias quasdam opes eos habere Clodius dicebat, et, si vellent, eodem genere, quo Cæsar valeret, valere posse. Apparet *præesse*, etiamsi sermo permitteret, non tamen posse de imperio militari intelligi; debebat præterea tum *præesse* postponi; prius est enim *parare exercitum*.

[2]) [Sed a manu secunda recentiore; prima scripserat: *quis reliqua iræstaret*.]

[3]) Melius *reliquiarum* de relicta parte mali. *Quid reliqui est?* potius hoc sensu dicitur: quid relinquitur non deletum?

ficentur, *quid deinde, quid denique,* quum tamen illæ reliquiæ nullæ esse possint nisi novæ cum consulibus dimicationes. Hæc incommoda Gulielmus, quum sine dubio in cod. S. Victoris repperisset, quod in Par. est, non *quid denique,* sed *quod denique,* lenissima mutatione removit: *Quid deinde? quis reliqua præstaret? cui denique erat dubium* cet. Ex *quoi denique* factum est *quo denique* (cfr. § 63 codd. Par., Bern., Oxx.), inde *quod denique,* tum *quid denique.* Deinde scribendum esse ex codice Vaticano: *quum quidam* (pro *quidem*) *in contione dixisset,* iam a Klotzio monitum est: in vulgata subiectum prorsus vitiose deest.

Sequitur § 44 locus ad speciem gravissime corruptus, quem Orellius sic edidit: *Ego vero, si mihi uni pereundum fuisset, ac non accipienda rei publicæ plaga insanabilis illa et mortifera, quam ei imposuisset, semel perire tamen, iudices, maluissem quam bis vincere.* Longe hic, ut fere reliqui, a codicum vestigiis recedit nec tamen sententiam probabilem assequitur. Bis sibi vincendum fuisse Cicero dixerat, si Clo-
460 diano impetui resistere et remanere in patria voluisset. Iam quid addit? „Si mihi uni pereundum fuisset, ac non simul rei publicæ, *tamen* perire maluissem.“ Quo istud spectat *tamen*? Apertum est enim, tum vel maxime obeundum libenter interitum fuisse, si unius ipsius fuisset nec coniunctus cum rei publicæ pernicie. Itaque hæc non cohærent. Nec meliora, quæ ceteri tentant, præter Lambinum, qui aliquam partem veri vidit. Nam quum gravius aliquid subiungendum putent particulis *ac non,* efficiunt, ut exitum non habeat extrema pars sententiæ, quæ hoc dici postulat: Etiamsi gravissima quæque proposita fuissent (ac non leviora multo), tamen libentius mortem oppetissem, quam cum rei publicæ pernicie bis vicissem. Deinde non dicunt, quo referant illam condicionem (*si* cet.), utrum manenti ac repugnanti, an cedenti pereundum fuisse putent. Videntur tamen fere priore modo accipere, prorsus perverse. Quum enim *aut* cedendum *aut,* si repugnaret, bis vincendum esset, hoc necessario dicit: Etiamsi ista discessio interitus fuisset, *tamen* interitum meum duplici victoriæ publice calamitosæ prætulissem. Sed totum est hoc prorsus nugatorium: „Si mihi repugnanti pereundum fuisset, maluissem perire quam bis vincere.“ Sane, si pereundum erat, non erat,

cur *mallet*, quod necessarium esset. Tam alia addunt in singulis vulnera, quæ longum est explicare; velut in Orellii scriptura prorsus illa abundant *quam ei imposuisset* (quis imposuisset?). Debebat præterea, ista quidem in sententia, *imponeret* dici vel *impositurus esset*. Iam de interpolatione quid dicam? Nam illius *rei publicæ* in codicibus ne minimum quidem est vestigium. Sed præterea omnes, ne Lambino quidem excepto, tanquam codicum auctoritate firmissimum sit, edunt *si mihi uni*, et in eo, ne verbo quidem addito, fundamentum reliquarum coniecturarum ponunt: nam hinc oppositionis, quæ 461
dicitur, causa ortum est illud *rei publicæ*. Verum pro tribus illis verbis in Paris. et Bernensi utroque et, ne de Gruterianis dubitemus, de quibus ipse tacet, in tribus Oxonn. est *ueni*. Tum in omnibus prorsus codicibus est apertissima illa contrariorum relatio *mihi sanabilis* v. *insanabilis, illis* v. *illi mortifera*, ubi verum esse *sanabilis*, quod [Par. et] Bernenses habent (et Pal. 9 ex emendatione, si recte de cod. S. Victoris traditur), ipsa illa ostendit figura. Iam, opinor, dilucescere incipit. Inimici hanc Ciceroni ferebant, ut dixi, condicionem, ut aut cederet aut bis vinceret, primum Clodium, deinde consules Clodii ultores. Hac proposita optione, etiamsi non discessio, sed interitus subeundus fuisset, periturum tamen se dicit fuisse potius, quam ut bis tam funeste vinceret. Verum sibi in ista discessione non interitum propositum fuisse ait, sed plagam, quam glorioso reditu sanatum iri prævideret, illi contra ipsi, qui eam imposuisset, perniciosam, utpote quem sceleris magnitudo Ciceronisque restitutio fractura prorsus esset; ita sibi nullam omnino dubitationem esse potuisse, quin cederet. Perspicuum est, quam sint hæc apta, quam simplicia, quam consentanea iis, quæ Cicero alibi de suo discessu deque honestissimo reditu fractisque et debilitatis illo reditu Clodii et adversariorum consiliis dicit, quum in hac ipsa oratione (c. 60, 128), tum alibi, denique quam codicum vestigiis accommodata. Sic enim scribendum est: *Ego vero, vel si* (ex *ueni*) *pereundum fuisset, ac non accipienda plaga mihi sanabilis, illi mortifera, qui eam imposuisset, semel perire tamen* cet. Malui *illi, qui eam imposuisset* de uno Clodio, quum quod ei cessit (nam consules tum demum ad rem accessissent, si Clodium vicisset), tum quod *illi* est in Paris. et Bernn., *imposuisset* in [Par.,]

462 Bernn., cod. S. Vict. Lambinum in rectam viam ingressum
illud *uni* a vera sententia perspicienda avertit.

C. 21, 47[1]) editur ab omnibus: *Sin victi essent boni, quid
superesset?*, quod Orellius interpretatur: *quid ultimum atque
extremum fuisset publicæ calamitatis?* Sed neque id significari
potest illo verbo (superest, quod ex interitu conservatum est),
nec illa interrogatio apta est, quum hoc dici debeat, si illo
certamine victi boni fuissent, actum de re publica fuisse. Ita-
que additur, rem publicam ad servos venturam fuisse. Sed
hoc ipsum ostendit, de hominibus positum aliquid fuisse, non
neutro genere: *quid superesset?* Rectissime igitur Lambinus in
margine editionis secundæ: *qui superessent?*, et sic est in Paris.
(Naug.) et Bernensibus. Deinde, ut iam significavi, cum Wun-
dero necessario scribendum est: *non ad servos videtis rem pu-
blicam venturam fuisse?* pro eo, quod Orellius edidit, *rem*; et
habet *rem publicam* præter vulgatos codd. etiam Parisiensis.
Res venit nimis est indefinitum. Deinde non recte Orellius e
coniectura edidit: *At mihi ipsi, ut quidam putant, fuit mors
æquo animo oppetenda*, pro eo, quod est in codicibus: *An —
oppetenda?* Quidni enim Cicero, quod obiici videat, per inter-
rogationem annectat? (*An fortasse* recentiores dicerent.) Huius-
modi autem interrogationi aliam interrogationem refutandi causa
subiici frequentissimi est usus. Contra, quod per *at* tanquam
verum inducitur, ut deinde refutetur, ei nec apte nec usitate
adiicitur illud: *ut quidam putant*. Paulo post nimis leviter
Orellius Muelleri, hoc loco acutius, quam solet, videntis, coniec-
turam refellit. Exilium ex Romanorum sensu peius et detesta-
463 bilius morte fuisse dicit. Mirum igitur, cur tantopere humani-
tatem legum suarum extollant, damnatis exilium permittentium.
Sed, ut rem ipsam attingamus, quum hoc Ciceroni obiiciatur,
quod non mortem exilio prætulerit, isque defendat, se non
mortem timuisse, non potest sane dicere, si quidem considerate
dicit, sibi in rebus agendis exilium ob oculos versatum nec
tamen se metu debilitatum. Omnis est enim sermo de mortis
timore, ipsaque mors et exilium in comparatione posita sunt.
Vere igitur Muellerus scribi vult: *non mihi mors, non exitium*,
ut gravius vocabulum vulgatiori superaddatur in eadem re.

[1]) De c. 20, 46 vid. supra p. 378 not.

C. 22, 50 miror relictum ab Orellio manifestissimum additamentum: *exemplum rei publicæ defendendæ*, quod languide adhæret et orationem tardat, illepide duplicata appellatione: nimis præterea tenue *defendendæ*; nam defendendæ rei publicæ a multis exemplum sumi poterat, conservandæ, ut § 49 dixit, ab eo, qui sibi uni conservatæ testimonium datum gloriabatur (in Cat. IV, 10, 20 et alibi). Et omittunt illa verba codices Paris., Bern., quattuor Oxonienses. Origo autem perspicitur ex Ox. T, in quo omittitur: *exemplum fidei publicæ*, istis ad sarciendum defectum substitutis.[1]) Paulo post c. 23, 52 pro *Nunquam enim*, quod corruptum est, aptissimum certe erit *Nunquam denique*. Paucis verbis ante melior est codicis Par. ordo *suum terrorem* (pro *terrorem suum*).

In c. 24, 54 ad vestigia codicum non interpolatorum for- 464
tasse paulo propius accedemus, si scribemus: *inter meum exitum et prædam*, ut *exitum* depravatum sit in *et suum*. Alterum pronomen potest abesse; nam etiam *Ciceronis præda* recte dicitur, id est, de Cicerone capta. Dubia tamen emendatio est.

In loco lacunoso c. 25, 55 primum e codice Parisiensi et Bern. reponendum est *et uni helluoni* pro *ut uni helluoni*; recte ita hoc adiungit, tanquam id ipsum Clodius in lege scripserit. Lacuna uno addito vocabulo expleri non potest; quocunque enim loco posueris, ordo verborum laborabit; velut in Naugerii et vulgarium codicum scriptura *potestas fieret*, quod ad utrumque membrum pertinet, male alteri medio inseritur; debebat aut inter utrumque poni (post *deliberandi*, etsi tum nimis breve alterum esset) aut extremo loco.

C. 27, 58 necessario duplicata littera scribendum esse *et a L. Lucullo, summo viro atque imperatore* (pro *a Lucullo*), intelligent, qui attenderunt ad usum oratoris in ponendis nominibus eorum hominum, quos antea in eadem oratione locove

---

[1]) Paulo ante nihil melius reperio Pantagathi coniectura: *et ad rei publicæ fatum*; est tamen non usitate dictum et de Mario nimis durum videtur; neque enim potest explicari: „qualiscunque tandem futurus esset rerum eventus, vivere decrevit". (Id esset: *ad omnem rei publicæ fortunam*.) Est: „ad perniciem rei publicæ". Sed hoc nimium.

orationis non appellarit.[1]) Pro Deiot. 13, 36 vitiose edebatur: *a Scipione devictus*, ubi ex cod. Dresd., 5 Oxx., Haun. (in quo est *a lelio Scipione*) et ed. a. 1472 edidi: *a L. Scipione.* Paulo post (§ 59) Memmii aut alius nescio cuius coniecturam: *Tigranes igitur* nimis discedere a codicum vestigiis (*Tulit gessit*), apertum est, nec nomen posuisse Cicero videtur. Sed meliora non reperio.[2])

In c. 29, 63 nimis patienter propagatum est ab omnibus, quod Iacobus Gronovius, obsecutus patris auctoritati (ad Liv.
465 XLI, 6 (10), 11), e codice Gemblacensi, cuius corruptela ad alios paucos propagata est, edidit: *Atque ille, etiam si aliquapiam vi expelleretur illis temporibus ex hac urbe, facile pateretur.* Sed optimi codices, Par. et Bern., recte habent *alia quapiam.* Illud alterum vocabulum neque auctoritatem habet (et tamen, si Latinum esset pronomen, non uno et altero loco, sed permultis positum esset) et ab omni analogia abhorret longissime; quum enim duplex sit deducendi ex *quis* novi pronominis forma, suæ utraque significationis, coalescere utraque non potest. Nec sane hoc et altero, quo utuntur, loco ulla causa positi mirifici illius pronominis pro vulgari dici potest. Nam etiam in Tuscul. III, 9, 19, ubi verum est in codice regio (Davisii et Bergeri testimonio consentiente), alii autem leviter aberrant, *aliquodpiam membrum* intulerunt, sola, opinor, coniectura, ut iam meliore auctoritate *aliquidam* pronomen fingere possim; nam c. 67, 140 pro *alia quædam* in codice Parisiensi scriptum est *aliquædam.* Sed miror omnino, doctissimum hominem, I. F. Gronovium, quum illud suum vocabulum exornare vellet, non multo plures collegisse locos; mendi est enim genus non infrequens. Nec melius est alterum simile pronomen *aliquisquam*, quod Gronovius inferebat in Cic. de Divin. II c. 50 (pro *quicquam*) ex unius codicis non scriptura, sed rasura, editque in Livii loco supra laudato, primam editionem secutus (*nec ullos alicuiquam* pro *nec ullos alii cuiquam*, quod recte Kreyssigius revocavit). Paulo ante fieri vix potest, ut Cicero scripserit: *id utilius esse per se conservari quam per alios*, quod

---

[1]) Recte Orellius c. 5, 12 scribi vult: *M. Catone.*

[2]) [Simplicissimum videtur scribere: *Ita qui bellum et intulit et gessit, qui* cet.]

Grævius, Orellio probante, explicat, ut sit: per alios, qui sub specie conservandi plurima erant correpturi et in suas arcas derivaturi malo rei publicæ; ita *conservari* erit *non conservari*; nec in gravi sententia ullus est ironiæ aut lusui locus. Recte 466
multi (etiam Zumptius ad Verr. p. 286) iudicasse videntur, excidisse alterum infinitivum in codice archetypo. Paulo post, ubi editur: *Ille vero eidem tempori, cui nos, eidem furori, eisdem consulibus, eisdem minis, insidiis, periculis cessit*, minus apte componuntur *eidem furóri*, quod potest ad plures spectare, et *eisdem consulibus*; rectius igitur codex Par. (Naug.) et Bernn. *eiusdem furori et eisdem coss.*, quo apertius Clodius notatur; *et* Oxx. quoque tres habent; coniunguntur duo orationis membra homines significantia; deinde reliqua asyndeto coacervata adiunguntur.

C. 30, 66 edunt: *Quæ vero promulgata illo anno fuerunt? quæ promissa multis? quæ conscripta? quæ sperata? quæ cogitata? quid dicam?* Sed qui exercitatus Ciceronis lectione erit, facile sentiet, neque apte cadere neque commodam sententiam hoc loco habere nudum illud et generale *quid dicam?* reliquis interrogationibus adiectum.[1]) Itaque quum in codd. (Par., Bern., duobus Oxx.) mendose scriptum sit *fuerant*, non *fuerunt* scribendum est, sed *fuerint*, ut pendeant omnia ab illis: *quid* (hoc est, *cur*) *dicam?*

Venio ad locum a Wundero non recte tractatum in c. 32, 69, ubi scribi voluit: *qui* (consules), *quum in senatu, privati ut de me sententias dicerent, flagitabantur, legem illi se Clodiam timere dicebant*, idque sic interpretatus est: „ut, si nollent referre ad senatum tanquam consules, saltem tanquam privati 467
aperirent sententias suas de me meaque restitutione“. Quæ adeo multiplicem reprehensionem habent, ut homini acuto et docto mirer ea probata esse. Primum ordo vocabulorum contortissimus est (*privati ut*) et ambiguitatis molestissimæ vel potius non ambiguus, sed contrariam sententiam continens; nemo enim Romanus non ad vocem *privati* tanquam subiectum

---

[1]) Addam aliud, quod pauciores, quam sit verum, sentient, si illæ interrogationes directæ (ut loquimur) essent, Ciceronem, quum ad alteram partem divisionis supra (25, 55) institutæ accederet, hoc ordine verba positurum fuisse: ***Promulgata vero illo anno quæ fuerunt?***

relaturus erat verbum *flagitabantur.* Deinde quis credat, senatores in eo laborasse, ut cognoscerent, quid Gabinius et Piso privatim sentirent, et de ea re in senatu interrogasse, quasi id aut ad rem pertineret aut non omnes scirent, Ciceroni inimicos esse. Tum, ut de verborum vi quæramus, quis unquam *sententias dicere* (et velim ad pluralem numerum attendi), præsertim quum de re in senatu acta loqueretur, ista significatione posuit? Nec sane *privati* esse potest *tanquam privati* (quod ipsum Latine ita non dicitur, sed *tanquam privati essent*) aut consul ullo modo *privatus* aliquid facere. Postremo neque Cicero neque quisquam ea ætate (ac ne multo quidem post) scripsit *flagitor, ut faciam*, neque *poscor, ut faciam*; aliud est enim *flagitor* simplex aut *flagitor rem.* Omnino perit in illa interpretatione, quod caput est sententiæ; ostenditur enim, adeo constrictos fuisse consules, ut ne privatis quidem ultro flagitantibus obsequi auderent.[1]) Ac Wunderus *flagitabantur* codicum esse scripturam putabat; Orellius, qui eum, tanquam omnis esset sublata difficultas, secutus est, in Bernn. videbat esse *flagitabant*; idem in cod. Parisiensi est [et in Gembla-
468 censi]. Habemus igitur eam scripturam, quam iam Lambinus nonnullis probari dixit: *qui, quum in senatu privati, ut de me sententias dicerent, flagitabant, legem illi* cet., id est, ut nonnulli coniecerunt, *sententias dicere liceret*; nam quum sententias dicere senatorum esset, neque id fieri posset nisi magistratu aliquo, qui cogendi senatus ius haberet, referente et rogante, idem intelligebatur, sive dictum erat: *ut* (ipsi) *sententias dicerent*, sive apertius: *ut dicere liceret*, sive: *ut* (consules) *rogarent.* Superest pronomen *illi* propter eam, quam significavi, oppositionis figuram abundanter additum post *qui*, interposita sententia, quemadmodum in comparatione II de Orat. 30, 130: *habere certos locos, qui, ut litteræ ad verbum scribendum, sic illi ad causam explicandam statim occurrant*, cuius simile est Tusc. IV, 14, 32: *quod ingeniosi, ut æs Corinthium in æruginem, sic illi in morbum incidunt tardius.* [Add. de Re p. II § 58, Tusc. I § 40, de Legg. III § 5. Extra comparationem prorsus ut in Sestianæ loco sic superponitur demon-

[1]) Eadem est perversitas coniecturæ Manutianæ *privatim* substituentis, quam omnes ante Wunderum secuti erant, Schuetzio excepto.

strativum Philipp. XIII § 44. Relativo nomen proprium simili modo superadditur de Div. II § 135: *qui, quum . . . . . ., Alexander* cet.][1]) Statim post melius Par. et reliqui codd. *hæc*, ubi Orellius ex Bernn. edidit *hoc*; non de una re Cicero, sed de universo rerum statu loquitur. [De codicibus falsus sum.]

C. 33, 71 pæne invitus (nam omnem temeritatem et fingendi, quæ fortasse fieri potuerint, licentiam fugio), sed tamen non possum, quin recte Schuetzium sensisse putem, qui in verbis: *Ingredior iam in Sestii tribunatum* hæserit, quod ei accidit aliquoties, ut ad difficultatem recto quodam sensu offenderet, in reliquis rebus temerarius et infelix criticus. Nam primum falsam habent sententiam; aliud est enim, si ad Romanorum sensum rem æstimamus, tribunatus, aliud designatio tribuni; deinde incommodo loco posita sunt: nam ad primam
statim designationis mentionem ponenda erant; tum, quo max- 469
ime moveor, orationis cohærentiam interrumpunt. Nam quum dixisset: *sedulitatem atque integritatem hominis videtis*, subiicit ad id confirmandum: *nam hoc primum iter designatus rei publicæ causa suscepit* (id est: nam hoc primum omnino iter suscepit, idque rei p. causa suscepit); deinde causa itineris significatur. Itaque adducor, ut credam, vetustissimam annotationem marginalem: *Ingreditur iam in Sestii tribunatum* in orationem receptam esse, mutata verbi persona. Et tamen video, audacem hanc esse suspicionem, quod non solum annotationem in contextum receptam dico, cuius rei et alia sunt exempla[2]) et in hac ipsa oratione unum infra arguetur, sed simul mutationem factam esse.

Paulo post iterum probare cogor veterem suspicionem ab Orellio improbatam, a reliquis neglectam, Lambini, qui edidit: *respirasse homines videbantur, nondum re, sed spe re publica recuperata*, pro eo, quod est in libris: *sed spe rei publicæ recuperandæ*. Cuius mutationis causam Orellius non satis perspexit, qui, quum Lambinum in eo tantum offendisse putaret, quod *re* cum *rei publicæ recuperandæ* coniungi non posset, *spe*

---

[1]) Similis pronominis demonstrativi post substantivum redundantiæ exempla, nonnulla tamen magis ad anacoluthi naturam accedentia, unum et alterum dubium, collegerunt interpretes ad Liv. XXV, 27, 1.

[2]) Vid. supra p. 148 et 341.

rei p. rec. unam continere notionem superiori illi *re* contrarie relatam statuit. Non animadvertit, primum *re* et *spe* ita inter se referri constanti usu, ut illa coniunctio ferri nequeat; deinde, ut hæc isto modo intelligamus, quo pertinebit nudum illud *re*? nam *nondum re respirare* nihil est. Sane *re* (*in der Wirklichkeit*) respirabant, sed respirabant ob spem, nondum re effecta. Recte igitur Lambinus. Quum litteræ ambiguæ *R. P.* coniunctæ essent cum priore voce (aut etiam *recuperatæ* scrip-
470 tum ob sequens *e*), necessaria erat altera mutatio, ut *recuperandæ* scriberetur.

Sequitur c. 33, 72 locus de tribuno plebis eius anni, quo Cicero rediit, Atilio Calatino Gaviano, et per se obscurus et paulo factus editorum opera obscurior, quem codices sic scriptum habent, ut de duobus tantum verbis dubitatio esse possit. Nam in cod. [Par. et] Bern. est: *non ille Serranus ab aratro, sed ex deserto GAVIOLAELIOREA calatis GAVIIS in Calatinos Atillos insitus*; et *Gaviis* etiam cod. S. Victoris, ut satis certum sit, hoc esse restituendum, reiecto codicis Gemblacensis scripturæ mendo[1], in quo viri docti frustra ingeniosi sunt (*granis*). Nam Cicero hominem adoptione aut potius arrogatione non sine fraude in Atiliam gentem traductum ridet; itaque, ut Perizonius vidit, ludens in calatorum comitiorum significatione et simul fortasse in Calatinorum cognomine, calatis Gaviis in Atilios insitum dicit, id est, suæ potissimum familiæ consilio in aliam irrepsisse, non arcessitum et adscitum esse; *grana calata* nullam habent rei, quæ significatur, similitudinis speciem, nec *calare* pro *numerare* sumi potest; nec quicquam est in illa granorum numeratione, quod huc pertineat. Sed in prioribus hæremus; nam in codice S. Vict. est *GAVILÆTIOREA* similiaque in derivatis, quæ prætermitto: et de Gavii nomine dubitatio nulla est; cognomen quale fuerit, incertum est. Deinde *horreo*, [quod Krarupio credideram etiam in codice Parisiensi esse,] correctionis manifestum est non solum ob consensum codicum antiquorum, sed ob eam quoque causam, quod *desertum horreum* pro inani et vacuo dici non potest;
471 deserta sunt loca, in quibus nulli versantur sive homines sive

[1]) Pal. 9 et alii (χ, ψ Oxonn.) pro eo habent *graris*. [Et sic ipse Gemblacensis Halmio teste.]

animalia. Et tamen aliquid, quod ad rusticam hominis originem spectaret, nominatum a Cicerone fuisse, quum Serrani illius ab aratro comparatio ostendit, tum probabile est ex iis, quæ Cicero de eodem homine infra c. 38, 82 dicit (*rusticulus* et *mulionia pænula, cum qua primum Romam venit*). Nec ultra progredi audeo coniectando; etsi *rure* non displicebat. Paulo post, ubi est *nominibus in tabulas relatis*, quum aperta sit emptæ pretio defectionis Atilii significatio, nescio, cur verba in aliam sententiam contra usum loquendi detorqueant; quis enim nomina relata in tabulam auctionariam audivit? Nomina referuntur in tabulas accepti et expensi, non minus, in quo miror Orellium hærere, quum accipitur pecunia, quam quum erogatur.

C. 34, 73, ubi Orellius, Garatonii iudicium et codd. Bernenses [Par.] secutus, edidit: *magna rerum permutatione impendente*, [ex Gemblacensi, quocum reliqui Gruteri codices consensisse videntur, et ex quattuor Oxx., id est, ex altera familia] restituendum est *perturbatione*; nimis leve alterum est, quod etiam in bonam partem accipi poterat. Quod Orellius *perturbationem rerum impendere* dici potuisse negat, quod tempora perturbata fuisse Cicero iam dixisset, idem ita converti potest, si calumniari oratorios flosculos volumus, ut perturbata tempora iam etiam mutata fuisse impendentemque novam mutationem in melius accipi debuisse dicamus. Sed tempora perturbata non continuo rerum, id est, rei publicæ perturbationem habent, quæ vocabula plus complectuntur. Omnino Latine, certe ad antiquorum usum, non dicitur ita *permutare* et *permutatio*, quæ voces alteram rem pro altera dari, accipi, poni significant (*vertauschen*); illo modo *commu-* 472
tatio dicitur. Substantivum præter hunc locum legebatur Parad. 6 extr., sed ibi et propter codicum auctoritatem et quod sequitur *mutatur*, pridem restitutum est *temporum perturbatione*.[1]) Verbum uno loco legitur apud Cic. de Legg. III, 9, 20, ubi vel ideo ex uno codice Oxoniensi scribendum est: *rei publicæ statum perturbavit*, quod alterum nimis est lene pro reliqua acerrima reprehensione; nec novam formam Grac-

---

[1]) Quint. V, 13, 42 huc non pertinet; defensionem aliquam cum alia permutari, significatur.

chus Q. Ciceroni effecisse videtur, sed hoc unum, perturbasse veterem.

In c. 35, 75 Garatonius defendit, quod in plerisque codicibus est, *concilii de me agendi dies*; quum tamen alibi non dicatur *concilium agere*, nec *comitia agere*, certusque in huiusmodi rebus et quasi publicus usus obtinere soleat, credo in codice archetypo fuisse, quod in Paris. est (de Gulielmi codd. siletur h. l.), *concilio*, ex quo faciendum puto *in concilio de me agendi dies*; præpositionem littera *m* præcedens hausisse videtur. Paulo post *nihil progreditur* Orellius vult esse: *domo sua non progreditur*, quod nec significant verba, omisso *domus* nomine, et mire ad hoc refertur id, quod additur: *consilia exspectat inimicorum meorum.* Sed tota sententia exsequitur id, quod brevius dixerat: *Quietus eo die Sestius.* At negat Orellius esse posse: *nihil molitur.* Verum tamen Cicero in Vat. 9, 21 Bibulum appellat *hominem nusquam progredientem, nihil in re publica molientem.* [Cfr. Sallust. in oratione Philippi § 6.] *Ad nihil progredi*, quod Orellius dicendum fuisse putat, Latine non dicitur, *ad nihilum* tantum certo modo. Ideo dixit *nihil progredi*, id est, *in nulla re*; sic enim fere (vel *ad nullam rem*)
473 intelligi *nihil* potest, ubi pro *non* ponitur; *nihil ire* pro *non ire* similiave Cicero nusquam, opinor, dixit.

In c. 36, 77 bona est altera Orellii coniectura (*concitatione animorum* pro *concertatione an.*), altera improbanda, qua *dissensione* pro *discessione* scribi vult. Describuntur enim seditionis gradus; iam *dissensio* sane prima est origo, non progressus aliquis, nec clamorem sequitur; contra primum clamant et verbis conviciisque agunt, deinde secedunt et cum suis quique congregantur, tum extremo loco ad manus venitur.

Eodem capite § 78 primum, ubi est: *certe, certe non fuit*, alterum *certe* delendum est, non solum ob auctoritatem Par. cod., sed quod huiusmodi affirmandi vocabula ipsa nunquam duplicantur.[1]) Sed gravius corrupta sunt, quæ sequuntur: *Nam si obnuntiasset Fabricio is prætor, qui se servasse de cælo dixerat, accepisset res publica plagam, quam acceptam gemere*

---

[1]) Nec *sane, sane* nec *profecto, profecto* quisquam audivit. Sed duplicatio aliorum verborum vim addit: *Non fuit, certe non fuit.*

posset. Hæc si recte habent, Cicero dicit, prætorem aliquem
(Appium Claudium, si modo cetera vera sunt, recte intelligunt)
antea dixisse, se de cælo servasse, nec tamen obnuntiasse Fa-
bricio comitia habenti. Quæ tota res perversa est; neque
enim comitiis impedimento erat, quod quis antea narrasset, se
de cælo servasse. Quum in eo erat, ut comitia haberi inci-
perent, se servasse de cælo eo ipso die, nuntiabant (Philipp.
II, 32, 81). Nam quod Bibulus, quum ipsa servatio, non mali
augurii oblatio, comitia vitiaret, ante edixit, se omnibus comi-
tialibus diebus de cælo servaturum, impotentis erat iræ et
consilii inopiæ. Sed tamen interpretes, ut hoc incommodum
vitent, futurum perfecto substituunt, Ernestius, quem Gara- 174
tonius, Schuetzius, Muellerus sequuntur, *se servaturum esse de
cælo*, Wunderus, Orellio probante, *servaturum se de cælo*, muta-
tionis genere omnium minime probabili, quo, quum nulla
prorsus erroris origo intelligi possit, tempora verbi similiave
violenter in aliam formam transferuntur. Deinde duo non
animadvertunt. Primum aut adversarii hoc edicturi publice
erant, ut Bibulus, aut omnino non dicturi nec quasi familia-
riter admonituri. Ipse quoque Cicero has minas denuntiationem-
que supra commemorasset. Deinde, quod miror non venisse
in mentem, quum ipse Clodius proximo anno sua lege prohi-
buisset, *ne quis omnino comitiali die de cælo servaret* (Ascon.
ad orat. in Pis. c. 4 p. 124, Cic. supra c. 15, 33 coll. Phi-
lipp. l. c.), profecto nec Appius nec quisquam Clodianus, con-
tempta illa lege, auspiciorum auctoritatem oppositurus erat
Fabricio. Ita, quicquid tentabitur, prætor iste certus de cælo
servans hinc alienus erit. Nec sane in iis, quæ sequuntur de
intercessione tribunicia, unum aliquem tribunum significat, sed
universe loquitur. Cicero dicit, si quis (neminem unum signi-
ficat) usitato et legitimo impedimento comitiorum usus esset,
gravem futuram fuisse, sed tolerabilem plagam; id impedi-
mentum duplex erat, ut aut servaret aliquis de cælo, quod
magistratuum maiorum erat (itaque recte hactenus hinc eiec-
tus est ab editoribus *tribunus plebis*), aut intercederetur, quod
tribunorum. Apparet igitur, infinite debuisse dici: *Si quis ob-
nuntiasset, dicens se de cælo servasse*, aut brevius, *qui de cælo
servasset.* Videamus iam codices. Pro *is præter*, quod in cod.

S. Victoris et Bernn. est, cod. Paris. *is trib. plebis*[1]); neutrum, opinor, in codice archetypo fuit, aut, si fuit, vetus est interpolatio, cuius simillimam aliam statim proferam. Deinde *se*
475 omittunt Par. et Bernn. (veteresque edd.). Duplex est igitur emendandi ratio, ut aut scribatur: *si obnuntiasset Fabricio is* (id est, *talis aliquis*), *qui servasset de cælo*, deleto *dixerat*, quod additum sit in codice archetypo, quum *servasse* scriptum esset, aut, addito *se*, deinde [quod Manutio in mentem venerat] *diceret* scribatur, quæ ad speciem lenior, re ipsa multo maior est mutatio. Atque illud, quod de additamento manifesto *prætor* sive *trib. pleb.* dixi, confirmatur egregie infra c. 59. 126, ubi editur: *At vero ille tribunus plebis, qui de me — contionem interrogare solebat* cet. Recte Garatonius intellexit, apertissimis notis significari Appium Claudium, *prætorem*, eamque sententiam nunc scholiastes Vaticanus confirmat, nec tamen, ut ex Orellii verbis concludas, id nomen in contextu habet; nam omnino hæc verba non ponit.[2]) Quid igitur? Substituemusne *prætorem*? Non faciemus, opinor, sed, vetusto additamento sublato, Ciceronem hominem significasse, non magistratus nomine appellasse putabimus. Ut ad priorem locum revertar, Orellius non satis infirmavit Wunderi suspicionem, in illis: *læsisset rem publicam, sed rem publicam iure læsisset*, alterum *rem publ.* delentis; omnis enim orationis vis est in contrarie relatis *læsisset* et *iure læsisset*; id, quod Orellius inesse vult, neque intelligitur ex verbis et inane est; nam rem publicam qui lædit, non ideo minus lædit, quod ea nulla postea futura est. In iis, quæ subiiciuntur, ut interpretationem quoque attingam, Cicero Clodium gladiatores novicios necdum exercitatos supposuisse irridens dicit pro magnifico ædilitatis munere, quod populus ab eo in proximum annum (quo hæc oratio habita est Clodiusque ædilis fuit) exspectaret.

476 C. 37, 79 editur: *Atqui ne ex eo quidem tempore id egit Sestius, ut a suis munitus tuto in foro magistratum gereret, rem publicam administraret.* Verum codd. (præterquam quod voces *ut a suis munitus* errore repetuntur eodem modo, quo 5, 13

[1]) [Immo is quoque habet *is P. R.*]

[2]) Nec a vulgata discedunt [Par. et] Bernn. Nam *illi et R.* aperte est *ille tr.*, id est, *tribunus.*

et aliquando) habent *in foro tuo magistratum.* [etiam Par., in quo Krarupio credideram scribi *in foro tum magistratum*]. Id tanto magis me advertit, quod nec asyndeton placet, cuius hic nulla est ratio, nec ipsa coniunctio *in foro gerere magistratum.* Nam magistratus gestio generalius dicitur, ut ad unum huiusmodi locum adstringi non possit[1]); contra recte dicitur *rem publicam in foro administrare,* quod spectat ad singulas actiones forenses. Itaque coniicio scribendum esse: *ut a suis munitus tuto in foro, dum magistratum gereret, rem publicam administraret.*

In eodem capite extremo, § 80, edunt: *Accusa Lentidium; non percussit locum; maledicito Sabinio, homini Reatino, cur tam tempore* (scrib. ex Parisiensi et aliis *temere*)[2]) *exclamarit occisum.* Discrepat vitiose *accusa, maledicito*; nec *maledicito* poni hoc loco potuit; de cuius formæ usu disputavit ante aliquot annos amicus meus Krarupius, futuri tamen temporis notionem nimis premens; mirabilem significationem rerum a formarum grammaticarum notione plane seiunctarum Ramshornius affinxit, exempla, ut necesse erat fieri, regulis adscribens, non accommodans. Aoristus est imperativi, non generaliter et simpliciter iubens, sed tempus aliquod rei faciendæ determinans sive simplex sive sæpius recurrens; sed hæc alias explicabo. Hoc Ciceronis loco veram scripturam conservavit 477
codex Paris. agnovitque pridem ex simili codice Pantagathus (cuius coniectura apud Orellium fœdo errore typorum deformata est): *Maledic Titio Sabino.* Eadem de causa cognomen addit, ob quam illa adiicit: *homini Reatino,* ut hominem minus vulgo notum quam Lentidium, qui ex urbe esset, describat. (Itaque alius est Titius infra c. 52, quem eundem esse Ursinus putabat.) Nihil igitur restat, in quo quis hæreat. Paulo post, c. 38, 81, ubi est: *gens ista Clodia,* non credo Orellio, operas Clodianas sic appellari tanquam novam aliquam gentem plebeiam, ioco et frigido et qui vix intelligi ex verbis possit.

---

[1]) Non ignoro, optime dici, magistratum aliquem gerere Romæ, in Hispania, cet., universe indicata sede, in qua quis magistratu fungatur.

[2]) [*Tempore* non est *cito,* sed *recto iustoque tempore*; Titius non solum ante tempus, sed prorsus falso exclamaverat factum, quod factum non erat.]

Quum gentem Clodiam orator nominat, utrumque fratrem. Publium et Appium, cui in hac oratione non parcit, coniungit, totamque istam domum, inimicorum suorum caput; nam et Clodia in consiliis intererat et in turbis movendis; nec a gente excluditur Sex. Clodius. libertini generis. Verbo monebo de Wunderi suspicione, adiectiva a Clodii nomine deducta ubique ex hac oratione tollenda putantis; in quo non animadvertit, aliam esse nominis ipsius rationem, quod alia substituta appellatione et significatione vitari posset, aliam adiectivi, quo molestissime orator careret neque id illo modo compensare posset. In eadem sectione verissime Gulielmus ex codicum scriptura: *oppressam atque occultam* efficit: *oppressam atque conculcatam*, servata eadem imagine et graviore verbo lenius sequente, quod utrumque contra est in vulgata correctione. *occupatam*; nec illud longius a codicum vestigiis remotum est, immo propius
478 *cōculcatam.*[1]) Paulo post (§ 82), ubi editur: *adeo vim facinoris sui perhorruerant*. in cod. Paris. melius scriptum est *perhorruerunt*. Nunc enim demum narrare de ea re incipit, nec sequi alioquin poterat: *ut — cogitarint*. sed necessario *cogitarent* dicendum erat.

C. 40. 86 necessario e codice Parisiensi codicibusque Lambini et C. Stephani scribendum est: *qui mihi unus ex omnibus civibus videtur re docuisse, non verbis, et quid oporteret a præstantibus viris in re publica fieri, et quid necesse esset.* Vulgo prius *et* omittitur. Sed hoc ipsum agit (ut ex proximis apparet), ut hæc duo esse ostendat et disiuncta. [Par. *sed*, geminata littera *s*.] Paulo post quum optimi codicis (Par., Bernn., S. Vict.) ne litterula quidem discrepantes aptissimam scripturam tueantur, tantum male divisis vocibus, ex quo reliquorum menda orta sunt, miror, cur Orellius amplius quicquam violenti coniectura anquirat aut ἄκυρον esse putet, dativum *patriæ* ex *patriæ recuperare* intelligi ad *ereptum* in eadem sententia, et laudes Ciceronis hic utique repetendas fuisse iudicet. Facile intelligebatur, qualis civis esse deberet, quem divinus ille homo patriæ tanquam ereptum aliquod bonum recuperare studeret.

---

[1]) In eadem sectione cod. Par. rectius *etiamtum* pro *etiamtunc*. *Tunc* ad certum et definitum tempus pertinet (contrarium est *nunc*); *c* littera eadem est, quæ in *hic* et *hunc* (νῦν, ὅς, ὅν).

C. 41, 89 circumfertur in editionibus Lambini coniectura: *Esse iam e re publica* (alii: *Etiam e re publ.*) *credidit, ut, quoniam sibi in illum legibus uti non liceret, illius vim neque in suo neque in rei publicæ periculo pertimesceret*, et a codd. vestigiis prorsus recedens et parum apta. Nam apertum est, Ciceronem primum dicere, quæ propositæ fuissent Miloni condiciones, deinde, his eum uti non potuisse nec debuisse, tum, quid fecerit. Ineptum est igitur *credidit*, nec Latinum *e re publica* 479
esse credo, ut faciam.[1]) Sed in cod. Par. est *etiameripereeicit*, in Bern. *etiameripireeicit*. Gruterus e suis et Gulielmi codicibus nihil notavit a tum vulgata (id est, Herv. et Naug.) discrepans (*etiam eripi reiecit*). Ex Par. scriptura, una littera E in F mutata et I sublata, efficitur: *Perfecit, ut*, quod gravissimum et aptissimum est tertiæ et extremæ partis sententiæ, ut dixi, initium.[2]) Deinde vidit iam ante tria pæne sæcula Manutius, quod homini ad sententiarum conformationem attendenti non sane difficile fuit (et tamen nemo postea vidit; Orellius, quum in mentem venisset, nescio an ex Manutii annotatione, etiam abiecit). — vidit, inquam, quum tria hæc præcederent: *Cervices tribunus plebis privato — daret? an causam susceptam affligeret? an se domi contineret?* ad duo priora accurate referri: *Et vinci turpe putavit* (cervices dare) *et deterreri* (causam affligere et relinquere), tertium desiderari. Id (mathematice hæc demonstrari possunt) latet in istis *etiameri*, ex quibus efficitur *et latere* (domi se continere). Infinitivum si quis ductibus scripturæ codicum propiorem reppererit, substituet; sed reperturum vix credo, qui quidem aptus sit; nec hic valde discedit (nam *i* pro *e* factum est reliquis iam male iunctis, *i* et *l* perpetuo commutantur). Sic est igitur locus restituendus: *Et vinci turpe putavit et deterreri et latere. Perfecit, ut, quoniam* cet.

C. 42, 91 primum e codd. Par. et Bernn. reponendum videtur: *Quis enim nostrum*; *vestrum* paulo est arrogantius, tanquam iudices hæc doceat. Deinde locus obiicitur valde contro-

---

[1]) [Dicere debebam: *nec Ciceronianum*; dixit enim Plautus Pseud. I, 3, 104: *Ex tua re non est, ut ego emoriar*, similiterque Terentius Andr. III, 3, 14, Hec. V, 3, 36.]

[2]) *Fecit* v. *effecit* iam aliquot abhinc sæcula coniectatum est.

versus, qui sic editur: *Tum res ad communem utilitatem, quas*
480 *publicas appellamus, tum conventicula hominum, quæ postea civi-*
tates nominatæ sunt, tum domicilia coniuncta, quas urbes dicimus,
invento et divino iure et humano, mœnibus sæpserunt. Ab hac
scriptura Bern. et St. Vict. non discrepant, sed in cod. Paris.
(Herv., Naug.) est: *res ad communem utilitatem continentes*, quæ
scriptura eo magis nos advertere debet, quod *res ad communem*
utilitatem neque Latine et grammatice dicitur[1]) neque senten-
tiam satis definitam habet; communem enim utilitatem multæ
singulæ res iuvare possunt. Itaque adducor, ut scribendum
putem: *Tum res communem utilitatem continentes*, quemad-
modum Aldus, Lambinus, alii ediderunt, veterem aliquam edi-
tionem secuti, in quam hæc scriptura ex aliquo primæ familiæ
codice, ut alias quasdam vidimus, pervenit et deinde correcta
est.[2]) Nec apparet, qui addi *continentes* potuerit, ubi *ad* iam
adesset (ut est in Paris.). Contra quum *ad* aliquis addidisset,
qui *continentes* pro eo, quod est *pertinentes*, intelligeret, omitti
participium potuit. Deinde autem hæc omnia pendent ab illis,
quæ extrema sententia posita sunt, *mœnibus sæpserunt*, duris-
simo zeugmate, qua figura (id est, quo minus accurate loquendi
genere) Cicero parcissime utitur, nec quisquam omnino nisi ita,
ut pro communi verbo propter postremum substantivum ponat
speciale cognatæ significationis, ex quo illud facile eliciatur;
quod hoc loco vix fieri potest. Quodnam enim ex illo com-
mune verbum cognatum elici potest, aptum ad *res publicas* et
civitates, quum præsertim eas ipse Cicero ab urbis notione
seiungat? Itaque ægre fero, ignorare nos, quid hoc loco in
Gulielmianis et Gruterianis codicibus fuerit; nam si constaret,
481 codicem S. Vict. pro *nominatæ sunt*, quod est in Paris. et
Bernn. (et ab Hervagio et Naug. in editionibus), habuisse *no-*
minaverunt, quod in omnibus Oxonn. veteribusque edd. est,
hanc ipsam discrepantiam ex eo ortam iudicarem, quod in
codice archetypo superessent vestigia extriti post *nominatæ*
sunt verbi præterito tempore activæ formæ positi, quod quam
facile ibi ob eum ipsum concursum excidere potuerit, perspi-

---

[1]) Aliud est *esse ad*, cuius locutionis exemplis Garatonius utitur.

[2]) Codices lacunosi corrigi cœpti sunt, deleto *ad*, sed *continentes* additum non est.

cuum est. Ipsa particula *tum* repetita zeugmati repugnat. Itaque prorsus credo hoc modo Ciceronem scripsisse: *Tum res communem utilitatem continentes, quas publicas appellamus, tum conventicula hominum, quæ postea civitates nominatæ sunt,* [*instituerunt,*] *tum domicilia* cet. De ipso verbo nihil definio.[1]) Sequitur § 92: *Horum utro uti nolimus, altero est utendum*; non discrepant codd. Par. et Bernn., ratio tamen grammatica certissima flagitat, ut, littera una mutata, *nolumus* scribatur, quod in quattuor Oxonn. est, sive per cod. S. Vict. ex archetypo derivatum sive felici casu ortum. Nam *utercunque* et *uter* pro illo positum eandem habent regulam, quam *quicunque, quisquis, utut, utcunque,* contra quam et scribæ multipliciter et olim viri docti peccarunt. Vid. Cic. pro Tull. § 28 (*Utrum enim ostendere potest, vincat necesse est*), Hor. sat. II, 5, 28 (*Vivet uter locuples sine gnatis, improbus, — illius esto Defensor*). Quint. V præf. 3 (*Utrumcunque est, hic erit liber* cet.).[2]) Tantum de Divinat. II, 68, 141 (*sed utrum sit, non est mirabile*) ex *utrumst,* ut sæpe, factum est *utrum sit.* Mox delen- 482
dum codd. auctoritate prænomen Sestii.

C. 45, 96 Cicero, postquam duo esse eorum, qui in re publica excellentius se gerere studerent, genera dixit, popularium et optimatium, eos ita describit: *Qui ea, quæ faciebant quæque dicebant, multitudini iucunda volebant esse, populares, qui autem ita se gerebant, ut sua consilia optimo cuique probarent, optimates habebantur.* Deinde (97) adiungit, ut quidem Gruterus, Grævius, Ernestius ediderunt: *Quis ergo iste optimus quisque? De numero si quæris, innumerabiles. Neque enim aliter stare possemus* cet. Orellius autem, inductus, opinor, a Schuetzio, quem Lambini coniectura commoverat, et in maiore et in minore editione scripsit: *Qui ergo isti? Optimus quisque,* et a codicibus discedens et a vera sententia rectaque etiam dicendi forma longe aberrans. Nam in codicibus bonis nihil variatur,

---

[1]) [Priori parti disputationis fundamentum subtrahitur cognita vera codicis Parisiensis scriptura, in qua vocabuli *continentes* nullum est vestigium.]

[2]) In plerisque locis, qui nunc ad manum sunt, futurum exactum est, aut coniunctivus ob sententiam pendentem aut orationem hypotheticam, velut de Divinat. II, 56, 116: *Utrum igitur eorum accidisset, verum oraculum fuisset.*

nisi quod omittunt *de.* Deinde ista, quam inducunt, interrogatio ineptissima est; interrogatur enim de eo, quod erat nuper definitum. Nec ignoro, hoc Orellium ceterosque (nam etiam Matthiæ similiter errat) negaturos dicturosque, nunc altero loco interrogari, quinam homines quove vitæ genere et loco sint illi optimates, sed in eo magnopere falluntur. Nam de illis, quos descripserat, optimatibus, *qui in re publica versabantur et in ea se excellentius gerebant*, quæri isto modo non poterat, nec illi erant, ut statim dicitur, *municipales rusticique Romani, negotii gerentes, libertini denique.* Deinde illi interrogationi respondendum erat Latine: *optimi quique.* Nihil vero responsum esse
483 posse, ostendit apertissime illud *De numero si quæris*, quod refertur necessario ad proxime præcedentem interrogationem, antequam respondeatur, definiri iubens, quo sensu interrogetur. Postremo, ut iam significavi, in illa huius loci scriptura confunduntur homines maxime diversi, optimates rem publicam administrantes et ii, qui voluntate optimates sint homines privati, uno verbo, optimi quique. Videamus nunc codicum scriptura quam sit non solum recta, sed necessaria. Tenendum est, dupliciter omnino accipi optimatium nomen, de iis, qui rei publicæ certo quodam modo præsint, et de iis, qui privati has partes sequantur illisque se adiungant, quæ genera postea iterum significantur. (*Omnes optimates sunt* cet. de his posteribus dicitur, tum de alteris: *Horum qui voluntati — serviunt, defensores optimatium ipsique optimates gravissimi numerantur.*) Iam Cicero, quum optimates rei publicæ principes definisset eos esse, *qui sua consilia optimo cuique probarent,* oriebatur necessario illa interrogatio: *Quis ergo est iste, cui se probant, optimus quisque?* Tum huic interrogationi sic respondetur, ut omnes omnium ordinum boni cives comprehendantur. At vix Latinum illud: *quis iste optimus quisque?* Huic argumento tum responderi poterit, quum, quid reprehendatur, expositum fuerit, aut qui omnino aliter dici potuerit, quum de sensu collectivæ illius appellationis interrogaretur. Unum est non mendose descriptum, sed ab ipso Cicerone commissum, quod ambigua illa voce optimatium sic est usus, ut, quum etiam illos optimos cives optimates appellaret nec genera distingueret, disputationem paulum impediret et obscuraret. Restat difficultas in ea sententia, quam paulo post positam sic

edebant: *Esto igitur, ut hi sint (quam tu nationem appellasti),*
qui et integri sunt et sani et bene de rebus domesticis constituti; 484
Orellius, codicem, ut ait in notis, Bernensem priorem secutus,
edidit: *Est igitur ut* cet. Sed ut recte dubitavit, Ciceronianene
diceretur: *Esto, ut sint* pro eo, quod est: *positum sit, eos esse,*
ita multo magis dubitare debebat, diceretorne: *est, ut sint* pro
eo, quod est *sunt.*[1]) Accedit, quod huius notæ *ē* [sic enim in 485
Par. scribitur] pro *est* in archetypo positæ nulla alia vestigia
sunt. Ipsa sententia inanem videtur habere superioris repetitionem, nec eam commode expressam. (Itaque Lambinus post *sint* addidit *optimates.*) Sed id accidit aliqua ex parte prava interpunctione; neque enim parenthesi locus est, sed, quæ Cicero exposuerat de optimatibus, ea convertit ad Vatinii illud verbum *nationis*; itaque coniungenda hæc sunt: *ii sunt, quam*

[1]) Consulto quæsitam dicit periphrasin, ut auditor in ea re immoraretur. Id homo Latinus, ut nos in nostris linguis, efficiebat re pluribus verbis commemoranda, quæ aliquid significarent, non inani sono. Ne in reliquis quidem exemplis, ubi post *est ut* aliud subiicitur verbum, nisi apud comicos et Lucretium, circumlocutio pro simplici verbo est; et apud illos ipsos sæpe singulare ἦθος illa orationis figura habet. Ciceronis loci, quos afferunt (vid. Zumptius in Gramm. § 752 ed. 7) longius discedunt. Nam Orat. 59, 199, si ea esset orationis coniunctio, saltem scriberetur: *non ut id solum*; sed *ut* concedentis esse apertissimum est. Loci de Orat. II, 36 init., quo Schellerus abutitur, aliam esse rationem, apparebit, si substitueris: *Sic se res habet, ut dicis, Antoni, ut* cet. Quod pro Cælio 20, 48 est: *quando denique fuit, ut — non liceret,* Orellius ipse Wunderi verbis melius exposuit (non *fuit, ut* dicitur, sed *quando fuit, ut*). De Re p. II, 2 in contortulam Beieri explicationem vix quisquam iterum incidet, ubi omnia simplicissima sunt: *famæ sapienter a maioribus proditæ, ut* (*scilicet* barbare addas) *putarentur* (imperfectum relatum ad *maiorum* sapiens *inventum*) *non solum ingenio esse divino, sed etiam genere.* Pro Cælio denique c. 6 et pro Mil. 13 causæ significatio agnoscenda est; neque enim de odio Clodii dicit, sed de causis odii. [Item de Div. I, 56, 128; Div. in Cæc. 7, 22 et ad Att. IV, 8 B, 2 eandem vim habet circumlocutio, quam nos efficimus, quum dicimus: *Es ist der Fall, dass —.*] Ne Lucretii quidem is locus, quo Orellius utitur (V, 1340) aptus est (sed sunt alii eius apti loci); nam *sic fuit, ut facerent* non est: *sic fecerunt*, sed: *sic fieri potuit, ut facerent* (ut errore et inscitia belluas sibimet ipsis nocituras in hostes agerent; sed propius vero videtur, prudentes scientesque id fecisse, delendi hostis vel cum suo interitu cupidos. Versus 1343—1345 aliunde accesserunt).

(nos disceremus *quos*) *tu nationem appellasti, qui* cet. Patet igitur, conclusionem hanc esse, cui neque *esto* neque *est* aptum est. Itaque addita ad *eigitur* ab initio littera, lenissimaque mutatione adhibita, scribendum puto: *Sequitur, ut ii* (sic Par. pro *hi*) *sint, quam tu nationem appellasti, qui integri* (edd. *qui et int.*, codd. Par., Bernn., Oxx. 4 *et qui int.*) *sunt et sani* cet.

C. 48, 103, ubi legitur *hæc via, hæc ratio*, codicis Parisiensis scriptura (*hæc via ratio*) facit, ut credam a Cicerone scriptum fuisse: *hæc via rei publicæ capessendæ*, quumque alterum interpretandi causa adscriptum in codicem archetypum irrepsisset, ad explendam orationem pronomen additum esse in cod. Bern. et S. Vic. [Sed etiam Par. *haec via hec ratio.*] Paulo post *plebi* pro *plebi Romanæ* scribendum est, auctoritate Par. (Herv.) et cod. Steph. Adiectivum incommodum est, quum optimatium et plebis nomina contraria ponantur.

In c. 49, 104 edunt: *Itaque homines seditiosi ac turbulenti,*
486 *quia nulla iam largitione populum Romanum concitare possunt, quod plebs perfuncta gravissimis seditionibus ac discordiis otium malle* (Orell. *fere malle*) *videatur* cet. Sed in extremis verbis quam recens interpolatio versata sit, supra exposui (p. 418 not.).[1]) Nec huius scripturæ pravitas obscura est. Nam neque coniunctivus *videatur* ullam habet causam, et alienissimum est illud *videri*, quum Cicero valde affirmet, populum cum optimatibus consentientem otio suo delectari. Iam quum in antiquissimo codice sit: *otium malexatur*, mathematica prorsus ratione ad emendatam scripturam perveniri potest. Restituendum est enim præsens indicativi tempus verbi deponentis primæ coniugationis in *xor* exeuntis. Id efficitur duabus litteris transpositis, una addita: *otium amplexatur*, quo verbo nihil aptius ad sententiam esse potest. [Cic. pro Mur. § 83: *ad amplexandum otium.*]

---

[1]) [P. 418 sic scripseram: C. 49, 105 Parisiensis expressit, quod in antiquo libro corrupte scriptum erat, *otium malexatur*, in Bernensi priore [in Par. a sec. manu] iam interpolationis vestigium est, sed simplicissimæ, verbum integrum, non sententiam requirentis: *otium male vexatur*; sed Bernensis 2 etiam sententiam aliquam effecit: *otium malle videatur.* Id propagatum a ceteris est; Hervagius edidit: *otium fere malle videatur*, ex quo Camerarius fecit, quod Orellius amplexus est.]

In c. 50, 106, ubi legitur: *si operas conductorum removeris*, delendum esse *conductorum*, in quam coniecturam etiam Muellerus incidit, non mutandum, nunc, opinor, quum iam aliquot manifesta codicis archetypi additamenta deprehenderimus, concedetur. Nam *operas* (id est, mercenarios Clodii satellites) *conductorum* dici pro *operis conductis*, ut est c. 17, 38 et alibi, quod Orellius putat, non magis credi potest, quam *homines Romanorum* pro hominibus Romanis similiave quemquam dixisse. Immo, quum nudum vocabulum ambiguum visum esset, quod et c. 26, 57 et pro Flacco 38, 97 et alibi legitur, ex aliis locis petita est interpretatio et inscite adiuncta. Paulo post, ubi editur: *Habitæ sunt multæ de me a gladiatore sceleratissimo contiones*, extremum vocabulum, quo facillime caremus, in codice archetypo non fuisse, certum est (etiam cod. Paris. testimonio, Gulielmi, Gruteri, Oxoniensium silentio); itaque concidit Orellii argumentum, interpolatores alio loco posituros id vocabulum fuisse; nam in nostros certe codices vel potius edi- 487
tiones ab interpolatore venit. Sed quod idem codicem archetypum hoc loco negligentius scriptum fuisse putat, in quo etiam *non* paulo ante et paulo post (§ 107) *exhibuit* omissa sint, negationis sæpius et in hoc et in aliis codicibus omissæ alia est ratio, in altero autem loco codex Paris. cum Bernn. consentiens lacunosum quidem fuisse codicem archetypum ostendit: sed optime simul tolletur locutio non Ciceroniana, ab interpolatore satis recenti invecta. Nam *exhibere se auctorem, supplicem*, similia (pro eo, quod est *auctorem se præbere*) ante Suetonium qui dixerit, non reperietur: ac ne is quidem ita dixit, sed *exhibere ministrum*, similia, sine pronomine.[1]) Apud

---

[1]) Eum cadentis linguæ usum esse, duriorem et poeticum, Wolfius scribit ad Suet. Vitell. 17, oblitus, ut ceteri, annotare, ubi alterum, antiquiorem scilicet et in prosa usitatum, deprehenderit. Unum est apud eundem Suetonium exemplum in Calig. 22 (*se adorandum adeuntibus exhibebat*), sed ibi est de se (corpore suo) in conspectum dando et offerendo. Sine pronomine est apud Quintil. XII, 2, 7 et, quem ibi laudant, Iustin. VIII, 4, XXVII, 2. Nec *exhibere benevolentiam, liberalitatem* cet., quæ apud Columellam, Plinium Minorem, Suetonium sunt, apud antiquiores leguntur. [Apud Livium XXIV, 31, 15 *auctoremque se exhibendo* dicitur alio modo de eo, qui se oculis hominum auctorem

Ciceronem *præbuit* excidisse videtur. Sed perspecto hoc codicis archetypi in hoc loco mendo, patefactus aditus est ad aliam disputationem. Nam quæ sequuntur verba: *Huius oratio et pergravis et grata contioni fuit*, ea primum codex nullus sic scripta habet, nec ita, ut ex hac scriptura illæ ortæ esse possint. (Paris. *in contione*, Bernn. et reliqui, etsi Gruterus silet, *in contionibus*, ex quo Orellius fecit: *in contione omnibus.*)[1]) Deinde prorsus nego, Ciceronem tam frigide et exiliter dicere potuisse de Cn. Pompeio suam causam ad populum agente:
488 *Huius oratio — grata fuit contioni* (vel etiam *omnibus*), præsertim postquam illa superiora de Lentulo dixisset. Ne *huius* quidem pronomen rectum est (pro *eius*). Tum eius formæ orationis. quæ sequitur, *sic contendo*, is est usus, ut aut statim cum singulari affirmatione inferatur, aut, quum magnum aliquid dictum sit et quod quis mirari possit, per eam eadem sententia verbis mutata cum asseveratione repetatur. Hoc autem modo post vulgaria illa *pergravis et grata fuit* poni non potuit. Itaque maneo in ea sententia, quam posui in disput. de emend. loc. aliq. oratt. Cic. (supra p. 149 not.), hanc sententiæ, quæ statim subiicitur, explicationem (nam ad sententiæ auctoritatem refertur *pergravis fuit*, ad eloquentiæ iucunditatem *grata fuit*) ex margine in codicem archetypum pervenisse, eamque ipsam dico causam fuisse, cur, perturbato loco, omitteretur id verbum, pro quo nunc suppletum est *exhibuit.*[2])

In c. 51, 109 (*Omitto eas* (leges), *quæ feruntur ita, vix ut quini, et ii ex ima tribu, qui suffragium ferant, reperiantur*) ocius reponenda est apta et facilis codicum scriptura, *ex aliena*, eiecta Hervagii coniectura, *ima*, quam Orellius secutus est, quum reliqui paulo melius, Naugerium secuti, *alia* scripsissent. Leges ita ferri dicit, ut vix, quum singulæ tribus citentur, quini homines suffragium ineant, ac ne ii quidem eius tribus, cuius se ferant (ne qua omnino desit), sed ex aliena (*ex alia*, id

---

offerat; sed illo modo, quo negavi ante Suetonium quemquam qui dixerit inveniri, dixerunt Valerius Maximus IV, 1, Dom. 8 et Seneca de Benef. VI, 35, 1.]

[1]) [De Par. erravit Krarupius.]

[2]) Paulo ante vereor ne errore (post *poterat*) orta sit duplicatio verbi: *Erant, erant.* Non enim *fuisse* affirmat turbulentas contiones, sed *necessario turbulentas* fuisse.

est, quum quæratur, pertineantne ipsi ad hanc, *ex aliena*), verbi gratia ex Crustumeria, quum Aniensis citetur. *Ima* perversissimum est. Nam neque ulla fuit tribus ima, etsi quattuor urbanæ reliquis inferiores erant, et multo minus certus ordo hominum in singulis tribubus, ut *ima tribu* dici posset 489
quemadmodum *ima plebe*. Et quid id ad rem, dummodo ius suffragii in ea tribu haberent? Sequitur: *De me, quem tyrannum atque ereptorem libertatis esse dicebat, in illa ruina rei publicæ, dicit se legem tulisse.* Incommode subiectum deest, quum proxime superiora universe dicantur, Clodio non appellato. Tum parum apte Clodii orationem exprimens admiscet ex sua persona *in illa ruina.* Hæc corriguntur recepta, quam nemo mentione dignam duxit, codicum scriptura, non solum Par. et Bernn., sed 5 Oxx., ut facile appareat, eandem in Gruterianis fuisse: *De me, quem tyrannum atque ereptorem libertatis esse dicebat illa ruina rei publicæ, dicit se legem tulisse. Ruinam rei publicæ* Clodium vocat imagine rariore, quem alibi *pestem, calamitatem, furiam.* Sic de prov. cons. 6, 13 Pisonem et Gabinium *publicanorum ruinas* appellat. Paulo post § 110, ubi Gellius appellatur *homo fratre indignus, viro clarissimo atque optimo consule,* Orellius paulo negligentius ex maiore editione transcripsit, quæ ibi, Garatonium secutus, non sane probabilia disputaveret contra eos, qui non ferebant, L. Gellium, qui a. 682 consul fuisset, nunc (a. 698) consulem dici, quum ipse statim subiiciat scholiastæ Vaticani annotationem omnia expedientem. Frater enim intelligitur non ille L. Gellius, sed uterinus L. Philippus, hoc ipso anno consul. Ad hanc sententiam iam pridem adiecta vitrici Philippi mentio interpretes adducere debuerat. Sequitur locus valde dubius, in quo Bernn. et cod. Vic. habent: *nihil sane attæ iuvabant anagnostæ* (Bern. saltem *anangnostæ*) *libelli pro vino etiam sæpe oppignerabantur*; Parisiensis autem, mediis omissis sive errore, sive quod lectu difficilia erant: *nihil saneatę libelli pro vino etiam sæpe oppignerabantur.* Et *attæ* quidem nihil est, nec hic ullum nomen, nedum plurale aut 490
poetæ Latini, poni potuit. Transposita particula *etiam* (nam in vulgaribus editionibus post *libelli* ponebatur), patet, substantiva (non solum *anagnostæ*, ut in Matthiæi coniectura) ad priorem partem sententiæ pertinere. Corrigendi lenissima mihi ratio videbatur, ut scriberetur: *Nihil sane Attici iuvabant ana-*

gnostæ, libelli. Sic notabitur studium affectatum Atticæ orationis et pronuntiationis etiam ab servis anagnostis ex Attica addiscendæ. Asyndeton satis apte studium omnia coniungentis exprimit. (Cfr. Tuscul. V. 21. 62: *Aderant unguenta, coronæ.*) Sed huic emendationi nihil obstat; quod cogat, veram esse. nihil est certæ notæ.

C. 52, 111 delendum est omnium codicum testimonio vocabulum *tutorum* (*quum in magno numero tutorum tutorem liberis non instituit*). quod Orellius ex Hervagii editione adscivit, cuius quæ sit auctoritas. satis declaratum est. Putidissimus est eiusdem vocabuli concursus facillimeque alterum ad illa *in magno numero* auditur. Paulo post § 112 non dubito, quin Cicero, tempus tantummodo definitum extra reliquam sententiam pendentem significans. scripserit: *contra me quumst actum*, ubi in codd. et edd. est *quum sit*, vulgari mendo. Multo magis hic indicativus requiritur quam supra 51. 109: *Quis est, qui se, quum contra me ferebatur, inisse suffragium confiteatur?* ubi vel exspectabatur coniunctivus. Cfr. Verr. IV. 35, 77 (*exportabatur*, a me et Zumptio restitutum).

Extremo capite 53 obiicitur difficilis explicatu locus, in quo non sine causa Orellius hæsit. ex illorum genere. in quibus adeo omnia grammatice conveniunt. adeo nihil in verborum usu culpari potest. adeo nulla est scripturæ discrepantia. omnis denique difficultas ita est in uno aliquo vocabulo inclusa, quod
491 ne mutatum quidem eam expediat. ut scripturam veram esse confiteri cogamur. scriptorem aut negligentia aut. ut hoc loco. quod ita vellet, minus esse recte locutum, ut, si severe exigas. sententia exitum non habeat. Scribitur enim de Vatinio: *nec quicquam illis* (ædiliciis) *comitiis, quod boni viri vellent, nisi repulsam, tulit.* Sic cœpit loqui. tanquam dicturus esset: *Nihil, quod boni viri vellent* (sibi, nihil boni et optabile), *tulit.* Sed convertit orationem, addito *nisi repulsam* (quam sane boni viri volebant illi contingere), ut mutanda sit verbi *vellent* ratio. Coniectura quidem viri docti et quam supervacaneam et ignavam habeat sententiam et quam pravam subiecti prorsus non significati omissionem et quam non rectum coniunctivum, non est pluribus exponendum.[1])

---

[1]) Ex altero genere locorum negligenter scriptorum Horatii est in sat. I, 3, 120: *Nam, ut ferula cædas meritum maiora subire Verbera, non*

In c. 54, 115 miror Orellii iudicium, spernentis scripturam codicis Bern., ad quem nunc adiungitur Par., *Ac tamen facile est*, pronuntiantisque, *ac tamen*, ubi a viris doctis restitutum sit, non esse fere nisi mendum scripturæ; Ciceronem vitandæ ambiguitatis causa *et tamen* dixisse. Nam primum ea scriptura codicum fere optimorum et antiquissimorum est: deinde ab iis, de quibus agitur, locis simplicis particulæ notio aliena est, ut ab hoc quoque loco (neque enim dicas in hac coniunctione: *at facile est*); nec veteres in loquendo curabant, quid in libris 492
describendis ambiguum fieri posset. Nec desunt præter locos a Wundero emendatos (præf. cod. Erf. p. 58 sqq.) et eos, quos Handius citavit (Tursell. I p. 489), alii, velut Orat. 2, 6 et 8, 26, ubi ex ipsius Orellii nota ad priorem locum apparet, quam pertinaciter contra codices defendatur *at*, etiam in epistolis ad familiares contra Mediceum, quod Orellius quum sæpe ab Aldo inductum confiteatur, „quod nonnullis *ac tamen* vitiosum videretur," tamen nullo loco expelli vult. [Cfr. ad Cic. de Finn. II, 27, 85 p. 286 ed. 3.]

C. 55, 117 editur: *Quo quidem tempore quid populus Romanus sentire se ostenderit, utroque in genere declaratum est, primo, quum, audito senatusconsulto, ore ipsi atque absenti senatui plausus est ab universis datus, deinde, quum senatoribus singulis spectatum e senatu redeuntibus.* Primum, quod certa ratio grammatica requirit, *ostenderet*, est in cod. Par. (Naug.) et Bernn. Neque ad hanc temporum coniunctionem (ubi a verbo præteriti temporis pendet, particula interrogativa interiecta, verbum actionem eiusdem, ad quod altero verbo iam animus revocatus est, temporis indicans) ullo modo pertinent, quæ Orellius de perfecto unum certum temporis momentum indicante ab usu indicativi aut a perfecto coniunctivi post *ut* singulari modo interdum posito ad hæc transtulit (quasi quis

---

vereor, ubi aperte requiri *ne*, omnes intelligunt; nec Horatius *ut* et *ne* commutavit (neque enim, ut nos, ob regulam, sed naturali sensu ex sui sermonis natura has particulas ponebat), nec una cogitatione comprehendit *non vereor, ut*, sed ita scripsit *ut*, tanquam aliud subditurus. Simillimus est, nusquam annotatus, Livii locus in libro XXVIII, 22, 12: *Neque erat ulla satis firma statio opposita, quod nihil minus, quam ut egredi mœnibus auderent, timeri poterat.* Debebat scribi *ne*; rectum esset *ut*, si subiecisset: *futurum credebatur.*

pro eo, quod est: *vidi, quemadmodum caderet*, dicat: *vidi, quemadmodum ceciderit*). Unum mihi occurrit, quo uti aliquis ad perfectum hoc loco defendendum possit, exemplum, pro Balbo 1, 2: *Quæ fuerit hesterno die Cn. Pompeii gravitas in dicendo, iudices, quæ facultas, quæ copia, non opinione tacita vestrorum animorum, sed perspicua admiratione declarari videbatur.* Sed in eo loco orator sic orditur tanquam de iudicio, quod nunc
493 sit, dicturus; et eo refertur *hesterno die*; deinde leni orationem deflexu convertit ad habitum eum animorum, qui Pompeio dicente fuerit; similis figura in hoc Sestianæ loco esse non potest. Sed in huiusmodi rebus grammaticis nonnunquam in singulis locis vir clarissimus ea constituit, quæ si ad alia exempla et ad sermonis naturam transferret, aut si modo totius loci rationem haberet, facile falsa esse intelligeret. Cuius rei exemplum esse potest imperfectum post perfectum defensum in orat. Philipp. I, 15, 36, ubi *leniret* vult esse: *et tunc leniret et nunc quoque leniat*, quum tamen adiecta verba *perpetuo plausu et clamore* adeo aperte ad solum spectaculi tempus rem revocent, ut vix videatur errandi occasio fuisse.[1]) Æque male contra optimos quosque codices pro Mil. 3, 9 retinuit, quod Garat. et Peyronius eiecerant: *si se defenderit* (pro *defenderet*), *interfici voluerunt.* Nec rectius Philipp. II, 42, 107 contra Vatic. defenditur: *effecisti non tu quidem etiam nunc, ut sit similis tui, sed certe, ut esset dissimilis sui.* Deinde corruptum esse omnes fatentur *ore*, quod Garatonius ita emendavit, deleta littera, quæ male duplicata est, altera duplicata, ut nihil esse possit certius, *rei ipsi*; menda prorsus eiusdemmodi in codice archetypo fuerunt c. 52, 111 (*illo reo* pro *illo ore*) et 5, 12 (*amore rei p.* pro *amor rei p.*). Nec aliud dici hoc loco potuit. Nam persona, quæ cum senatu coniungi possit, nulla est; Lentulo enim, de quo uno cogitari poterat, ut reliquis senatoribus, tum est plausus datus, quum ipse venerat. Sed quum Garatonius, ut erat sui calumniator, dubitasset, nemo sequi ausus est;
494 quod idem accidit in necessariæ litteræ adiectione c. 14, 33, donec Orellius in minore editione veritati paruit, et proxime

---

[1]) Ceterum pœnitet me ipsum recepti bis in eo loco perfecti; nam bis imperfectum poni debebat, mutata una littera in Vat. scriptura. Perfecti ponendi nulla erat causa. Describitur omne ludorum tempus.

§ 118 (*dispicientis* ex codd. scriptura *despicientis* pro vulgato *respicientis*).[1])

In c. 56, 120, ubi Cicero Æsopum *semper partium in re publica, tanquam in scena, optimarum* esse dicit, scita est Orellii dubitatio de particulæ usu, quod *tanquam* non in huiusmodi comparatione duarum rerum discretarum poni soleat, quarum utraque vere sit (*quemadmodum*), sed tum, quum aliqua res similis esse dicatur, ac si alia sit. Sed hoc ita est verum, ut tamen in brevi et aperta coniunctione utriusque membri interdum *tanquam* illo altero modo dicatur, quod maxime apparet, ubi *tanquam* (cum indicativo, de re vera, non de hypothesi) et *sic* coniunguntur, velut Brut. 66, 234 (*tanquam Curio — tenuit, sic Cn. Lentulus*), ad Quint. Fr. I, 1, c. 16, 46, Tuscul. V, 5, 13, [ad Quirit. post red. 1, 4][2]), et, sine verbo, una sententia, Brut. 74, 258, ad Qu. Fr. I, 1, 1, 4. Itaque et hoc loco *in re p. tanquam in scena* (id est *tanquam in scena, sic in re p.*) defenditur, et ad Attic. VI, 1, 5: *quod video tibi etiam novum accidisse, tanquam mihi*, ubi Orellius probat Ernestii coniecturam: *tam novum accidisse quam mihi*. [Cfr. de N. D. I, 26, 74, Tusc. I, 36, 88, ad Fam. IX, 16, 6, ad Att. III, 15, 4.][3]) In hac eadem sectione, ubi Orellius ex edit. Hervagii edidit: *egit apud populum Romanum*, propius ad codicum vestigia (*a P. R.*) accedere videtur: *ad pop. R.* Tum in veteris poetæ 495
versu, ubi editur: *Re dubia, nec dubitarit vitam offerre*, primum duas primas voces Nobbius contra Ciceronis mentem interpungendo disiungit a reliquis, tanquam ad superiora pertineant; neque enim Cicero tum sic versus divellisset citando; deinde pro *nec* codices habent *ut* (Par., Bern. 1, 2; de Gru-

---

[1]) § 119 cod. Par. cum Vat. *ne qua levitate me.*

[2]) Cfr. Terent. Eunuch. II, 2, 32 (sumo a Ruddimanno).

[3]) Similia dici de *quasi* possunt, quod Plautus sæpius [vid. Ussing. ad Amph. 159, Mil. 392, et Lucretius III, 147 Lachm., IV, 161, V, 549, VI, 877], Cicero semel, quod sciam, cum indicativo posuit pro *quemadmodum*, de Senect. 19, 71; sine verbo autem illo modo itidem semel, ad Fam. IX, 16, 2 (*ut, quasi aurum igni, sic benevolentia fidelis periculo aliquo perspici possit*) [etiam de Finn. I, 18, 60, Læl. 63]; semel *sic* non addito, de N. D. I, 36, 102: *Epicurus quasi pueri delicati*; nam ad vulgarem rationem dicendum erat: *quasi puer delicatus* (sit). [Suet. Tib. 50.]

terianis silentium est, Oxx. lacunosi sunt), ex quo fit *Haut dubitarit.* Superius illud *Quid enim?* emendare non possum. Sed magna in hoc et proximo capite difficultas oriri videtur, quod ii versus, quos Cicero tanquam in eadem fabula positos citet, ex diversis sumpti sint. Itaque hæretur maxime in verbis *in eadem fabula* c. 57 init. Sed eam difficultatem maxima ex parte sibi ipsi creant. Nam quæ § 122 posita sunt, quæ et per se apertum est ex Ennii Andromacha sumpta non esse, ex qua proxima superiora sunt, et scholiastes Vaticanus ex Attii Eurysace ducta tradit, ea Cicero tantum abest, ut ex eadem, qua superiora, fabula sumpta significet, ut contra ex alia esse tantum non apertis verbis dicat. Nam quum supra dixisset: *paulo post in eadem fabula,* hic nihil simile ponit, sed, tanquam de alia re alioque tempore: *quid? illa quemadmodum dixit idem?* Quod autem hæc extrema necessario statuunt ex eadem fabula esse, ex qua illa: *qui rem publicam* cet. § 120 et 121 citentur, quæ Ciceronis verba (*in eadem fabula,* c. 57 init.) ex Andromacha esse ostendunt, ea Garatonii est coniectura, nulla ex alia ducta re, nisi quod prioribus versibus Græcus aliquis laudatur, ut videtur, cum querela aliqua, alteris illis exsul aliquis Græcus significatur. Verum hæc sane non sufficiunt ad evertendam aptissimam per se et firmissimam testimoniis scripturam verborum *in eadem fabula,* quam præsertim narrationis ordo planissime confirmet. Cur enim illa
496 ex Andromacha aliis ludis acta Cicero interiiceret inter ea, quæ ad unam fabulam pertinerent? Relinquitur, nos nescire, a quo priora illa in Andromacha dicta sint et de quo; sed talia multa ignorantur.

C. 57, 122, ubi est: *ut vel a Catulo — præclare posse dici viderentur,* recte cod. Paris. habere videtur: *a Q. Catulo,* etsi is paulo ante nominatus est, sed alio modo; hoc loco enim tanquam unus singularis virtutis et dignitatis homo appellatur, quod fieri solet addito prænomine. Sed in eadem sectione coniectura adhibenda est ad certum mendum tollendum. Editur enim ab omnibus, codicum auctoritate: *sed tamen illud scripsit disertissimus poeta pro me, egit fortissimus actor, non solum optimus, de me.* Verum qui potuit Attius multis annis ante, quum Cicero fortasse ne natus quidem esset, pro eo scribere? Igitur Grævius interpretatur: „sic scripsit, ut optime conve-

nirent huic meæ fortunæ". Sed nec *pro me scripsit* ita dici ullo modo potuit, et apertissime hæc Ciceronis sententiæ repugnant, qui hoc ipsum dicit, Attii verba, quibus ingratus Achivorum animus reprehenderetur, non satis ad suum casum accommodata fuisse, cui populus Romanus gratiæ referendæ cupidissimus fuisset (*Non erat illud quidem verum*): itaque illa ab Attio ad id, quod in tragœdia ageretur, apte scripta, ab Æsopo in se esse detorta. Ipsa præpositionis mutatio admonere interpretes debebat, etiamsi, quid loci cohærentia postularet, non attenderent; cur enim non eodem modo de Æsopo dicit: *egit pro me*? Sensit mendum Lambinus, qui edidit *scripsit — pro Telamone*, coniectura tamen infelici, non solum 497
audaci et violenta; neque enim pro quoquam Attius scripsit. Omnino hominis nomen huc non pertinet. Sed nihil facilius certiusve emendari potest; nam una littera mutata fit: *scripsit disertissimus poeta pro re, egit fortissimus actor — de me*; id est, apte ad rem, ad id, quod propositum erat et in manibus. Hæc demum commode non sine quodam lusu in sono simili inter se contrarie referuntur.[1]) *Pro re* (*nach Beschaffenheit der Sache, des Gegenstandes, der Umstände*) eodem modo positum est apud Livium VII, 33 init., Sallust. Iugurth. 50 (54), Cæs. B. Gall. V, 8, Virgil. Æn. IV, 337, nec aliter accipietur apud Ascon. argum. orat. in Tog. Cand. p. 109 Hot., si locus sanus est; hinc factum *pro re nata* (ad Attic. VII, 8, XIV, 6.[2]) Idem prorsus mendum, quod hunc Ciceronis locum, insedit etiam Ovidii Am. II, 9, 1, ubi recte Burmannus corrigebat *pro re*, sed simul pro *indignate* (quod sensum non habet, nisi passive accipiatur contra usum loquendi, etsi vel sic futurum requiratur), pro eo igitur scribendum est *indignande*:

O nunquam pro re satis indignande Cupido,

hoc est, *pro eo ac mereris a me*. Participia illa infinitis in locis commutata esse, nemo nescit. Paulo post, ne quem sus-

---

[1]) [Miror ac prope indignor, etiam Wesenbergium meum certissimæ emendationi contortulam enarrationem opposuisse. Attium pro Cicerone scripsisse ridiculum est.]

[2]) Simile est et vulgare *pro tempore*; satis tamen nove Tacitus Ann. III, 1 dixit: *quid pro tempore foret*, id est, tempori conveniret.

pensum teneat, ut Orellium tenuit, mendum codicis archetypi, *equidem audiebamus*, quod Handius Tursell. II p. 428 probat, usus corrupto loco Cic. de Finn. III, 2, 9, sciendum est, non solum *equidem* plurali iunctum reprehendi debere, sed ipsum per se pluralem numerum, quo Cicero de se uno in orationibus non utitur[1]); est enim alius orationis generis; ceteros autem,
498 qui cum Cicerone in Macedonia fuerint, comprehendi et per se ridiculum est, nec quicquam tum est, quod agat *equidem*, quoquo modo de eo vocabulo statueris.[2])

C. 58, 124, ubi est: *munus Scipionis dignum et eo ipso et illo Q. Metello, cui dabatur*, recte codex Vaticanus habet *illo Metello*; nam addito pronomine, quo notus homo demonstratur, abundat prænomen.

C. 60, 128, ubi est: *salutem et vitam meam custodirent*, pronomen in cod. archetypo non fuisse, e Par. et Bernn. cognoscitur; potest facile audiri ex eo, quod præcedit: *De me uno decreverunt.* Proximo capite, § 129, Orellius non recte contra codices edidit, Naugerium et Lambinum secutus: *Qua gravitate sua quum frequens senatus nonnullorum scelus audaciamque tardasset, tum illud addidit*, cet. Nam hoc intelligendum esset *tum demum*, quod ab hoc loco alienum est; altera contra scriptura (*tamen*) aptissima: Etsi videri poterat senatus satis providisse, ut posset iam, nullo impediente, ad populum ferri, tamen, ne quid non provisum esset, addidit, cet.

C. 62, 130 minus recte Orellius secutus est Lambinum, qui edidit: *se P. Servilio etiamtum dicenti tradidit*, pro eo, quod in codd. reliquisque edd. legitur: *dicenti etiamtum*; nam de Naugerio vir doctus fallitur. Non puto usquam has particulas hac significatione participio præpositas legi. Ambiguum quod dicit alterum esse iungique posse: *etiamtum tradidit*, apud Latinos homines, non apud alumnos scholarum nostrarum Ci-
499 cero dixit; quanquam vel hi, si modo scient omnino, quid sit

---

1) [Non debebam de hoc sic universe asseverare; vid. de imp. Pomp. § 47, in Vatin. 29, Philipp. VII, 7, XII, 24.]

2) Eadem est ratio alterius illius loci, ubi præterea quod Handius, si *et quidem* scribatur, *sic* defendi posse negat, nihilo magis, si *quidem* legetur, *sic* — *loquemur* cum superioribus cohærebit. Sed recte pridem Lambinus edidit: *Sic est, et quidem.*

etiamtum, in verbis iungendis non aberrabunt. Ægre fero talia fingi tam sæpe.

Sequitur in c. 63, 131 locus paulo licentius ab Orellio tractatus, præeunte Garatonio; sed Orellium perspecta codicum ratio et confirmata pluribus testibus auctoritas revocare debuerat. Edidit enim: *quum ipsis Nonis Sextilibus idem dies adventus mei fuisset, qui natalis idem carissimæ filiæ, quam ex gravissimo tum primum desiderio luctuque conspexi, idem etiam ipsius coloniæ Brundisinæ, idem Salutis, ut scitis.* In qua scriptura miror duo orationis vitia latere potuisse, primum, quod dicitur: *idem dies adventus fuisset, qui idem* cet., manifesto pleonasmo, alterum, quod, quum proxima (*idem etiam, idem Salutis*) aperte anaphoram in voce *idem* ostendant, tamen ea relativo addito (*qui idem*) turbatur. Verum codices S. Victoris et Paris. habent: *idem dies adventus mei fuisset reditus qui natalis idem*, nec aliter in Bern. priore fuisse, fidem secundus facit; hinc efficitur, quod Gruterus, Ernestius, Schuetzius ediderunt: *adventus mei fuisset reditusque, natalis idem* cet. Nec ea scriptura reprehendi potest; nam quum de reditu suo dicturus esset (*Reditus vero meus qui fuerit, quis ignorat?*), tamen, quum eum diem, quo Brundisium venisset, commemoraret, non poterat simpliciter reditus sui eum diem appellare; neque enim Brundisium, sed in Italiam Romamque reverterat; itaque, ne reditus tamen notio obscuraretur, coniunxit: *adventus mei fuisset reditusque.* Interpretationem quidem voci *adventus* nemo adscripturus erat; et patet deteriorum codicum scripturæ causa in levi optimorum mendo (*qui* pro *que*).[1]) Deinde quum in codicibus esset: *idem ut scitis*, recte Manutius inde fecit: *idem Salutis*, modo ne interposuisset *et*; non recte Lambinus et 500 Orellius utrumque coniunxerunt; quid erat enim, cur hoc Tullius adderet, aut cur in hoc potissimum membro iudicum quasi testimonio uteretur? Sed nondum sanus est totus hic locus; adiungitur enim: *quumque me domus eadem optimorum et doctissimorum* (probabiliter Garat. *fortissimorum*) *virorum Lænii*

---

[1]) [Scribendum: *quum ipsis Nonis Sextilibus idem dies adventus mei fuisset reditusque natalis, idem carissimæ filiæ, ... idem etiam ipsius coloniæ Brundisinæ* cet. Cfr. ad Att. III, 20, 1: *diem natalem reditus mei.*]

Flacci et patris et fratris eius lætissima accepisset, quæ proximo anno mærens receperat et suo præsidio periculoque defenderat, quumque itinere toto urbes Italiæ festos dies agere adventus mei videbantur, viæ multitudine legatorum undique missorum celebrabantur, ad urbem accessus incredibili hominum multitudine et gratulatione florebat cet. Primum offendit maximo opere ab editoribus ne verbo quidem commemorata modi particulæ adiuncti diversitas, cuius nulla est causa: *quumque — accepisset — quumque — videbantur*, cet. Deinde sententia nulla est. Particula enim *quum* refertur ad superiora illa: *quemadmodum mihi advenienti tanquam totius Italiæ dexteram porrexerint Brundisini*; atqui hinc recte pendet: *quum — accepisset*; de Brundisino enim adventu hæc quoque dicuntur; reliqua, quæ ad iter Brundisio Romam factum pertinent, prorsus perverse illis adiunguntur. Iam nihil dicam de languore intolerabili orationis, qui oritur omnibus inde a verbis *itinere toto* superioribus per coniunctionem adhærentibus, quæ ipsa per se vividam celeriterque decurrentem itineris descriptionem habent. Perspicuum erit, opinor, peritis, alterum illud *quumque* antiquitus additum fuisse ab aliquo, qui orationem malo consilio coniungere voluerit, illoque detracto novæ sententiæ initium faciendum esse ab verbis *Itinere toto.* Postulat id ipsum loci initium (*quemadmodum mihi advenienti* cet.), ex quo apertum est, reditum in duas partes distribui, adventum Brundisinum et iter. [Scribendum: *Cunctæ itinere toto urbes Italiæ.* Adv. Crit. III p. 142 sqq.]

501 C. 64, 133 Garatonii coniectura *aliquid ficti*, quæ originem mendi patefacit (*DDEF* pro *DF*), præferenda est Manutianæ. Eadem sectione Klotzius e Vat. scribi vult: *Sed quis nescit?* (vulgo *Quis nescit?*) Sed in cod. erat *se quis*, nec *sed* aptum est. Coniiciat aliquis fortasse, fuisse *ecquis*; sed præstat *quis* in huiusmodi irridentis interrogatione. Tum quod Orellius defendit *petierit aut petiturus sit*, quod nihil frequentius hoc perfecto sit in legum formulis, non hoc ignorabant, qui in hoc loco hæserunt; sed tum perfectum poni putabant, si in re improbanda præteritum tempus lex complecteretur (et dicitur tum *fecit*, *fecerit*, ubi alterum futurum est exactum). Hic quidem, ubi lege definitur tempus aliquod rei alicuius non faciendæ, perfectum vitiosum est, nisi credi potest, Ciceronem

biennio post petitionem gladiatores dari sua lege vetuisse. At quid id ad ambitum et vim ex petitione tollendam pertinebat? aut quis putat ea lege magistratus, immo ipsos ædiles, a gladiatoribus dandis exclusos esse? Accedunt legis verba in oratione in Vatinium 15, 37. Falsum est igitur *petierit*, nec tamen corrigendum, sed eiicienda *petierit aut*, addita ab aliquo, qui locum similem Vatinianæ loco facere voluit, in tempore verbi errans. Cicero hoc loco id posuit solum, quod præcipuum erat et alterum complectebatur pertinebatque ad Vatinium, post superiorem repulsam ædilitatem iterum petentem petiturumve. Ac fieri potest, ut propter ipsam illam superioris repulsæ memoriam interpolator perfectum posuerit.

C. 64, 134 Orellius, secutus editionem Hervagii, edidit: *facit is, qui neque elabi ex iudicio iucunditate sua neque eniti gratia potest neque opibus et potentia leges ac iudicia perfringere.* Vulgo erat *emitti*, quod codd. confirmant, Parisiensis quoque (Naug.), ut nulla sit Hervagii auctoritas. Nec aptum 502
illud vocabulum, quod laboris et difficultatis significationem habet, ad *gratiæ* mentionem; rectum contra *emitti*; nam emittitur aperte gratia, quem iudices tanquam laqueis constrictum tenere debent nec volunt; elabitur iucunditate, qui occulte captos delenimentis suis animos ad prave iudicandum allicit. Sed difficilior restat in hoc loco disputatio de interpolatione codicis archetypi prorsus earum simili, quas supra coarguimus. Sequitur enim: *Quæ res hominem impellit, ut sit tam intemperans? Ista nimia gloriæ cupiditate familiam gladiatoriam, credo, nactus est speciosam, nobilem, gloriosam.* (Codices, certe Par. et Bernn., *iste nimia*; de Gruterianis melioribus siletur; vulgares hæc non habent.) Ut pronomen *ista* omittam, quod *illa* esse debebat (demonstrare enim debet tanquam notam rem; nam nihil est, quo referatur, nec Vatinium alloquitur), sed ut hoc omittam, primum vitiosa est prorsus verborum coniunctio: quid est enim *nimia gloriæ cupiditate n a n c i s c i gladiatores*, quasi illo pretio comparentur? Tum vero rhetorica loci forma manifesto pessundata est; quod vel unum arguit *credo*, nimis longe ab initio sententiæ verbisque, quæ eam ducunt, remotum. Deinde fœda est tautologia; nam statim sequitur: *flagrans cupiditate gloriæ* cet. Omnino perspicuum est, Ciceronem, quum causam tantæ Vatinii impudentiæ requisivisset, ipsum

ironice fingere aliquam pæne excusationem, quasi probabili ratione homo in eam fraudem inciderit, deinde subito conversa oratione negare, quicquam eorum esse. Iam videamus, quam ad hanc formam cetera apta sint. Leniter rem ingreditur et sensim: „Familiam gladiatoriam, credo, nactus est, pulchram.“ Quid tum? „Norat populi studia.“ Quid deinde? „Homo gloriæ cupidus tenere se non potuit cet.“ Hæc nunc pertur-
503 bat rustice statim positum caput responsi: *Ista nimia gloriæ cupiditate.* Credo igitur manifestum esse, Ciceronem hæc tantum scripsisse: — *tam intemperans? Familiam gladiatoriam, credo, nactus est* cet., reliqua in textum irrepsisse ex annotatione aliqua scholiastica, qua aliquis vim huius ironicæ narrationis breviter complexus sit ad formam responsi interrogationi subiecti. Neque hanc suspicionem temere confingi de codice archetypo huius orationis, satis iam opinor supra esse demonstratum.

Eodem capite, § 135, editur: *Quem non tam admiror, quod meam legem contemnat, hominis inimici, quam quod se statuit omnino consularem legem nullam putare.* Manifesto vitiosam coniunctionem (*contemnat, statuit*), in qua solus offendit Lambinus, Garatonius ita defendit, ut perfectum *statuit* præsenti subiici posse doceat; itaque ne vidit quidem, in modo sine causa variato vitium esse; eam tamen defensionem Orellius repetiit. Sed codd. (Par., Bern. pr.) habent *contempnet*, ex quo non minus facile rectum *contemnit* fit quam pravum *contemnat* (quod iam in Bern. 2 est). Sed præterea idem ille Lambinus solus animadvertit, non dici Latine *statuit se facere* pro eo, quod est *statuit facere.* Itaque *se* delevit. Nec meliorem corrigendi rationem excogitare possum. Nam ut Ciceronem dixisse putem: *sic statuit, omnino consularem legem nullam putare*, abundantia quadam particulæ, quæ sequente accusativo cum infinitivo frequens est, vix adducor. (Cfr. tamen Planc. in ep. ad Fam. X, 8, 6: *Ita sum animo paratus, vel — tueri* cet.) [Duo alia exempla addidi ad Cic. de Finn. II, 4, 13 p. 158 sqq. ed. 3.] Cod. tamen Par. *si*, non *se*.

C. 67, 140 cogor sumptam e codd. fortasse omnibus (certe
504 Par. et Bernn.) ab Orellio scripturam postponere veteri, una in littera discrepanti. Edidit enim: *unus in hac civitate, quem quidem ego possum dicere, præclare vir de re p. meritus, L.*

Opimius, indignissime concidit, adscripsitque, coniunctivum (*possim*, quod est in edd.) perperam significaturum esse: *possim, si velim*, indicativum significare: *Unum — dicere possum — concidisse.* Non meminerat vir clarissimus, ubi per pronomen relativum, addita particula *quidem*, notio indefinita generalis sive negativa sive affirmativa (v. c. numeralis) ad certum tamen genus adstringatur, ibi frequenti Ciceronis et aliorum bonorum scriptorum usu coniunctivum modum poni.[1]) Vid., ut exempla in re non ignota, sed nusquam, quod sciam, satis distincte tradita ponam, præter Brut. 7, 27, qui locus a compluribus advocatur, de Orat. II, 22, 93, de Re p. I, 2, 2, de Legg. I, 20, 54; supra quoque c. 50, 106 erat: *Quæ contio fuit, quæ quidem esset non conducta* cet. [Cfr. Gramm. Lat. § 364 not. 2 ed. 3.] Ad hanc rationem hoc loco necessario scribendum est *possim.* Codicum, præsertim ex uno derivatorum, in huiusmodi re exigua est auctoritas. Contra recte indicativus tenetur, ubi certa et definita subiecti notio adhibita sententia relativa completur, velut pro Scauro § 16: *Argumentum vero, quod quidem est proprium rei* cet. (in nostro et Germanico sermone pronomen definitum demonstrativum addas: *derjenige Beweis wenigstens*), et Brut. 17, 65: *Catonem vero quis nostrorum oratorum, qui quidem nunc sunt, legit?* Contra necessario dicendum esset: *Catonem unus, qui quidem nunc sit, Gaius* 505
legit, relativo pertinente ad vocem *unus.*[2])

Eodem capite extremo, quod iam sæpius feci, invidiosam inter criticos rem aggredior, ut loci a nonnullis in dubitationem adducti defensionem eam, in qua reliqui tanquam certa ita

---

[1]) Eandem esse pronominis solius sic positi rationem, in vulgus notum est. Magis tamen id in certis quibusdam locutionibus animadvertunt cuiusmodi est *quod sciam, meminerim*). Sed Cic. in Brut. 33, 127 (*Hic, qui in collegio sacerdotum esset, primus — est condemnatus*) indicativo uti non potuit. [Philipp. II, 11, 25.] Ab eadem causa Cicero dixit pro Balbo 21, 48: *T. Matrinius unus ex iis, quos C. Marius civitate donasset, dixit causam* cet.

[2]) [Nimis certo fine hæc distinguere conatus sum. Indicativo et Cicero et alii utuntur, ubi simpliciter genus comprehendunt, coniunctivo, ubi simul admonent, quam vim ad rem iudicandam hæc accurata generis terminatio habeat. Indicativi exempla addi hæc possunt: de Or. II, 71, 291, pro Mil. 1, 3, ad Att. VII, 2, 3. X, 16, 2, Tusc. II, 2, 5; Liv. XXXII, 6, 8.]

acquieverint, ut illos etiam reprehenderent, pravam ac perversam esse demonstrem. Ostendit Cicero, quum ne Græcorum quidem populorum iracundia et levitas deterrere egregios homines potuerit, quominus in patria tuenda et conservanda elaborarent, multo magis Romæ eandem optimi cuiusque constantiam in patria iuvanda esse debere, in tam gravi populo, tanta proposita gloria, tam præstanti rei publicæ dignitate. *Quid nos tandem*, inquit, *facere debemus, ad eam rem publicam tuendam aggressi, quæ tanta dignitate est, ut eam defendentem occidere non aliud sit quam oppugnantem rerum potiri?* Quum Lambino mirum visum esset, eodem loco haberi rem publicam defendere et oppugnare, Grævius, vir non acutissimus, docuit, *occidere* non esse hoc loco *perire*, sed *necare, interficere*; itaque hoc dici, par esse scelus rei publicæ defensorem interficere ac tyrannide vi potiri. Grævium secuti sunt Mueller et Orellius nec alii dissenserunt præter Schuetzium et F. C. Wolffium. Subit mirari hic et alibi, quam incuriose interdum philologi legant et interpretentur. Non conquiram iam minora et tamen certa argumenta in re perspicua, ut explicem, neque *non aliud esse* isto modo dici de rebus æque seu bonis seu malis, neque participia ita pro substantivis poni, ut *occidere defendentem rem publicam* dicatur pro eo, quod est *eum, qui defendat.* Sed duo miror sane, primum, qui potuerint viri docti et Ciceronis editores, quum diceretur, perspicue utroque membro similiter
506 conformato: *non est aliud eam defendentem occidere quam oppugnantem rerum potiri*, participia illa non eodem modo infinitivis adiuncta putare, sed alterum obiecti, quod vocant, loco habere (*defendentem*), alterum ad describendum additum; deinde, quomodo ea, quam inesse dicunt, sententia iis se probarit. Quid enim? In eone est Cicero, ut patriæ defensores non esse occidendos demonstret, eorum sanctitatem tueatur? Immo patriæ defensori non esse pertimescenda pericula docet, ne mortem quidem, quæ tam gloriose oppetita præclara et beata censenda sit. Quid igitur isto totius loci exitu perversius? (Nam illud levius est, tyrannidis fœditatem non valde exprimi verbis *oppugnantem rerum potiri.*) Teneamus igitur, de quo dubitatum esse non oportuit, *eam defendentem occidere* esse *in ea defendenda mortem oppetere*, compararique mortem pro re publica cum imperio re p. oppugnanda quæsito eique præferri. Quod

si ita est, corrupta sunt verba *non aliud sit*, latetque adiectivi comparativus, cuius extrema littera *s* quum ob eandem sequentem extrita esset initiumque vocabuli corruptum, natum est illud *non aliud*. Rectissime igitur hactenus Schuetzius: *optabilius sit*; sed longius discedit ab antiquæ scripturæ vestigiis, neque *optabile* illud esse apte dici videtur. Potuit *NALIU* oriri fortasse ex *MAIU*, id est *maius*. Sed, utut hoc est, formam certe orationis et sententiam tenemus.[1])

C. 68 extremo recipiendum esse videtur ex codicibus Par. et Bernn.: *cuius corpore ambusto vitam eius et virtutem immortalitas excepisse dicatur*, ut sit fere: *quippe quum corpore eius ambusto* cet. Nam reliquorum meliorum codicum testimonio indicativum defendi, parum credibile est. Opponi poterit, pronomine *eius* (post *cuius*) adiecto sententiam magis a superiore quasi dissolvi et per se dici videri. Sed isto modo demon- 507
strativum post relativum in hac sententiarum implicatione sæpius abundat.

C. 69, 145 scribitur: *ego pulsus aris, focis, dis penatibus, distractus a meis, carui patria, quam, ut levissime dicam, certe texeram* cet. Manifestum autem mendum est in illo *texeram*: nam ut concedam, *tegere rem publicam* Latinum esse, de quo valde dubito[2]), tamen hoc non *levissime* dicitur, sed ita, ut nihil possit magnificentius vel, si malis, iactantius dici. Nec codices eam scripturam habent: nam in Bern. priore est *certa detexeram* (in altero *certa dexteram*), in Parisiensi *certadeietexeram*. Emendatio dubia est; occurrebat *dilexeram*, vestigiis codicum proximum; sed nimis pæne leve videtur, et requiro verbum, quo actio, non animus significetur.

Extrema denique oratione, § 146, tollendum est parvum mendum, sed quod totam corrumpat sententiam. Dicit enim Cicero, ut nunc quidem scribitur: *Ego vero vos in omni fortuna, quæcunque erit oblata, complectar, nec me ab iis, quos meo nomine sordidatos videtis, unquam ulla fortuna divellet*. Mire

---

[1]) [Debuerat et a me et ab aliis teneri Schuetzii emendatio simplex et recta.]

[2]) *Tegere aliquem* dicitur, deinde (pro Planc. init.) *tegere salutem et vitam alicuius*; abstracta (ut nostro more loquar) notio rei publicæ in hanc imaginem vix includi potest.

se iudices (eos enim alloquitur) se complexurum promittit, quæcunque sit oblata fortuna; quasi illi rei sint et in periculo versentur; et belle hæc cohærent cum altera sententia: *nec me ab iis, quos videtis, ulla fortuna divellet.* Deinde hæc ad superiora contrarie referuntur (*Ego vero*). Putes igitur, eum ibi de iudicibus aliquid dixisse. Sed ibi etiam se negat, iis pulsis, qui se urbis compotem fecissent, in urbe remansurum. Itaque nunc sane dicit, se eos comitaturum in exilium. Mani-
508 festo igitur scribendum est: *Ego vero eos in omni fortuna* cet. Et *eos* et paulo post *ab iis*, non, ut Orellius fecit, *ab his* scribendum est; nam de præsentibus loquitur, sed ita, ut hæc ad superiorem eorum commemorationem referantur.

In oratione Sestiana emendanda coniuncto plerumque testimonio codicis Parisiensis et Bernensis prioris usum sum. In Vatiniana tantum selecta codicis Bernensis varietate utor, quæ in Orellii editione operum Ciceronis annotata est.[1]) Contra alterius familiæ unus nec perbonus (in hac oratione) nec tamen infimus codex, Erfurtensis, accurate collatus est. Sed codex archetypus, quantum quidem ex Parisiensi coniicio; negligentius in hac oratione et festinantius scriptus erat quam in Sestiana.

C. 1, 2 pro *ferocitatem tuam istam*, ubi incommode demonstrativum in extremum locum reiicitur, e Par. (Herv.) edendum est *ferocitatem istam tuam.*[2])

C. 1, 3 videtur hoc tribuendum esse codicum consensui, ut scribamus: *sed nulla unquam de re*, ubi est nunc *ulla*, non sane eiusmodi exemplis freti, cuiusmodi Garatonius utitur, nec aliis, quæ aut ad Ciceronem non pertinent aut coacervationem quandam negationis ex quotidiano sermone habent (ut Verr. II, 24, 60, ubi cfr. Zumpt.); sed Cicero, quum plura interiecta essent post priorem negationem, propter proximum *non modo* intulit contrarium *sed nulla*, simili anacolutho eius, quod est in Acad. II, 29, 92: *Nec hoc in acervo tritici solum — sed*

---

[1]) [In ea re nullam factam esse iacturam, nunc novimus et supra dixi.]

[2]) Verba *ad id* iam Orellius delenda esse intellexit. Hervagius et Naugerius in hac quoque oratione aliquid ex melioribus codd. sumpserunt, iisdem, ex quibus Sestianam suppleverunt.

nulla omnino in re minutatim interrogati — quanto aut addito aut dempto certum respondeamus, non habemus. Non valde di- 509 versum est ad Famil. XII, 24: *Ego nullum locum prætermitto (nec enim debeo) non modo ornandi tui, sed ne laudandi quidem.* [Add. Liv. III, 24, 4.] Deinde scribendum est ex Par., Bern., aliis: *easque in hoc iudicio esse recitatas.* Demonstratio illa Sestii (*huius*) non apta est, quum ex Vatinii persona loquatur et bis iam ipsum nomen P. Sestii posuerit. *Huius* autem pro *hoc* frequens est in Erfurtensi (et Pal. 9) mendum, ut multa in hac et aliis nonnullis orationibus, ex compendio male intellecto ortum. (Vid. Wund. præf. p. XXXVII et scripturæ annotatæ ad § 6, 9, 11, 15, 20.) Contra *hoc* pro *huius* non scribitur. Tum edunt: *In quorum altero es confessus* cet., quod sequitur *in altero.* Verum Cicero non duas res distinxerat commemorando, ad quas hæc referri singulatim possent, sed unum Vatinii testimonium plures partes complexum significaverat. Itaque ex cod. Paris. scribendum est: *In quo alterum es confessus* cet. Paulo minus accurate membra sibi respondent, quorum ratio intelligetur, si pleniora hæc extulero: *In quo duo commisisti imprudens; alterum erat, quod confessus es* cet., *ex altera parte inconstantiam tuam refellisti*, cet.

C. 2, 5 scribitur vulgo: *Defendebatur, testibus collegis suis, non recitandi causa legisse, sed recognoscendi.* Sed *defendor fecisse* nusquam alibi legitur.[1]) Codices autem (Par., Bern., Erf.) habent: *non se recitandi.* Perspicuum est igitur, *defendebatur* ortum esse ex præcedenti *dicebatur*, scribendumque: *Defendebat, testibus collegis suis, non se recitandi causa legisse*, id est, dicebat in defensione, ut in Verr. V, 9, 22 et 13, 32 et alibi.[2])

C. 3, 7, ubi est: *Quare peto a te, ut mihi ignoscas, Va- 510 tini, quum patriæ pepercerim, quam servaram*, in codice Vaticano legitur *quum et* (Erf. *et cum*, quod in archetypo nostrorum codicum fuisse suspicor, ex altero ortum), id est, *quum ei patriæ.* Sed præterea in Vatic. est *pepercissem*, quod ferri

---

[1]) [Vid. tamen de Invent. II, 32, 98. Cfr. Gramm. Lat. § 400 c ed. 3.]

[2]) Frustra operam sumi in explenda lacuna, quæ est initio capitis secundi, ut ipsa res, complura desiderari ostendens, ita nunc planissime demonstrat codex Par.

nequit; et tamen vulgata scriptura offendit; exspectabatur enim non *quum*, sed *quod*; huic enim ipsi tanquam peccato ignosci Cicero vult, non propter eam causam ignosci nescio cui rei. Antiquissimum igitur subesse mendum puto, permutatoque compendio, quum pro *quod* factum esset *quum*, simul mutatum esse, quod a Cicerone scriptum fuerit, *peperci*, in Vaticano in *pepercissem*, in alio autem codice, ex quo nostrorum rivuli profluxerint, in *pepercerim*. *Quum* pro *quod* in cod. archetypo scriptum fuit etiam c. 7, 17, ubi recte Schuetzius et Orellius Goveanum secuti sunt. Contra *quod* pro *quum* 14, 34. Illa commutatio alibi quoque facta, ut ad Fam. VII, 15 et, opinor, pro Mil. 36, 99. Eodem cap., § 8, ubi est: *nemo humanitatem meam, nemo consuetudinem, nemo consilium, nemo auxilium requirebat*, codex Parisiensis habet: *nemo humanitatem, nemo consuetudinem meam*, Erf. *nemo consuetudinem meam, nemo humanitatem*, ex quo in eam suspicionem adducor, ut in codice archetypo voces *nemo consuetudinem* interpretandi causa adscriptas fuisse putem illis *nemo humanitatem meam*, quum præsertim consuetudo privatæ vitæ minus hic apte nominari videatur, et, illis sublatis, ad *auxilium* referatur fori mentio, ad *consilium* curiæ, ad *humanitatem* studiorum artium bonarum, ut singula singula singulis reddantur. [De Parisiensi falso
511 testimonio deceptus sum.] Deinde sperni non potest, quod in Vaticano est (et in lemmate et in annotat. extrema): *forum mutum, muta curia, omnia denique bonarum artium studia siluerunt*; vulgo scribitur *forum mæstum*. Graviter eadem vox repeti videtur, ut in eadem silentii notione persistat oratio. Paulo post delendum est *ad* ante *memoriam*, pro quo in Par., Erf., duobus Oxx. est *in*, ortum ex prima substantivi littera, et ex codd. Par., Erf., Barb. et edd. vett. scribendum: *cum unius mea salute* pro *cum mea unius salute* (cfr. Wunderus ad Planc. p. 157).

C. 4, 9 codicis Par., Bern., Ox. unius auctoritate tollenda est inanis repetitio *non est sane, non est*, orta, ut alia, in aliquo alterius familiæ codice minus bono et inde propagata; nullus hic est tantæ asseverationi et obtestationi locus in oratione prope ad sermocinationem descendente. Paulo post § 10 locus est lacunosus. Nam in codice Bern. et Erf. sic scribitur: *Sed tamen de* (hoc pro *ne* ortum ex *de te*, quod præcedit

et sequitur) *me cum his principibus civitatis, qui adsunt P. Sestio, sed ut tecum homine uno non solum impudentissimo atque infimo conferam, de te ipso, homine et arrogantissimo et mihi inimicissimo* (*mihi* omittit Erf.), *quæro* cet.; in Paris. est *ut tecum cum*; sed in eo ob similem terminationem exciderunt *atque infimo — arrogantissimo*, oculo librarii ab *impudentissimo* huc aberrante.[1]) Sed similem errorem manifestum est iam in cod. archetypo scribendo accidisse. Nam voces *non solum*, quas quidam perverse delent aut mutant, vestigia veritatis tollentes, hanc fuisse orationis formam ostendunt: *sed ut tecum, homine uno non solum impudentissimo,* [*sed contemptissimo*] *atque infimo conferam, de te ipso* cet. Ipsum vocabulum, quod Cicero posuerit, me non præstare suppletum esse, vix opus est dici.

C. 5, 11 e codd. Vaticano et Parisiensi consentientibus 512
scribendum est: *Habeat hoc præmii tua indignitas*; vulgo est *præmium*. Illa forma oblitterata etiam alibi est, ut pro Cluent. 26, 71, ubi Classenius eam restituit, et I in Catil. 8, 19, ubi ego reduxi e cod. Mureti et Barberino, alioque, qui appellatur in margine repetitionum Lambb. (sed opinor, fere in omnibus sic legi), editionibusque vett. Deinde recte Vatic. *ut adolescentiæ turpitudo obscuritate et sordibus obtegatur*; pronomen, quod additur in reliquis post *sordibus*, est in sententia primaria; repetitum vim orationis frangit.

In proximis minora quædam emendanda sunt; nam § 12 meliore ordine ex Par., Erf., vetere cod. Lamb. scribendum est *querelas Puteolanorum*, et 6, 14 e cod. Vatic. *Pythagoreum* pro *Pythagoricum*, quæ forma etiam I de Divin. 30, 62 Gellii auctoritate expellenda est, et paulo post ex omnibus, opinor, codd.: *augurum responsa atque eius collegii arrogantiam impedimento non futura* pro *futuram*, et § 15 ex Par., Erf., codd. Lamb.: *quoniam hic locus est unus* pro: *unus est*, vocabulo graviore in finem sententiæ reiecto.

C. 7, 16, ubi editur: *de quibus duos prætextatos sedentes vides, te ædiliciam prætextam togam, quam frustra confeceras, vendidisse*, molesta verborum redundantia, optime cod. Vatic. omittit *ædiliciam*, quod ipsa res spurium esse arguit; nam ad *prætextatos* referri debet *prætexta toga*, non *ædilicia*, saltem

[1]) [Immo in Par. nondum tentata erant lacunæ supplementa.]

513 non hoc præponi; et ne erat quidem ædilicia, quoniam ædilis factus non est; omninoque id adiectivum ita positum significaret, aliam esse aliorum magistratuum prætextam, non eandem, quod falsum est. De quo magistratu Cicero diceret, satis norant, qui aderant; grammaticus annotandum putavit.[1])

Eodem cap. § 18 recte in Par. et Erf. scriptum est: *num quem ex omnibus tribunis pleb., quicunque seditiosi fuerunt, tam audacem audieris fuisse* cet., non *fuerint*. Genus certum ex historia notum comprehendit; itaque orationis obliquæ vis ad eam sententiam non pertinet.

C. 8, 19 intelligentibus facile, minus peritis vix et ægre persuadebitur, manifesto convinci interpolationem codicis archetypi. Editur enim: *Quæro illud etiam ex te, conatusne sis, voluerisne, denique cogitaris* (*est enim res eiusmodi, ut, si tibi in mentem modo venit, nemo sit, qui te ullo cruciatu esse indignum putet*), *cogitarisne augur fieri.* Sed primum tota sententiæ forma postulat, ut post *denique* suspendatur oratio præpareturque illud, quod orator additurus sit; deinde, si Cicero verbum statim posuisset, saltem recte posuisset *cogitarisne*, addita particula, quæ abesse nullo modo posset; tum certe post parenthesin non tam nude idem verbum repetisset, sed aut *sed cogitarisne* aut simili modo dixisset. Non pauca sunt huiusmodi supplementa partim in codicibus orationis ante parenthesin reliqua præparantem suspensæ. Præterea codex Erf.
514 habet, ut edd. vett. et Lamb. in margine edit. repet., *Quæro etiam illud*, qui verborum ordo et hic et c. 12, 30 auctoritate Par., Bern., Erf., et c. 14, 33 auctoritate Par. et Bern. restituendus est, *etiam* ad verbum relato[2]); contra post *atque* est *illud etiam* in omnibus codd. 14, 34 et 15, 37. Paulo post § 20 ordo verborum e cod. Par., Lambb. mutandus est (*rem p. putasti deleri*).

---

[1]) Paulo post in eadem sectione in codice archetypo pro *habuerunt* fuisse *habuerant*, patet ex consensu Par., Erf., Ox. ψ; mendose tamen; nam id ipsum vult moderationis esse documentum, non quod leges, quas aliquando habuissent promulgatas, sed quod eas, quas per totum annum habuerint, ut ferrent, si quando liceret, tamen non tulerint.

[2]) [Sed etiam pro Sull. § 4 scribitur: *Quæro illud etiam.*]

C. 9, 22 recte Garatonius et Schuetzius pronomen *id* tolli voluerunt, illatum, ut esset, quod responderet relativo præcedenti; Orellii defensio exitum non habet; nam *id*, si ponitur. aliud postulat prædicatum nec potest ullo modo ei voci, qua totum vetus institutum significatur, per appositionem adiungi *domus.* Pronomine omisso brevitas nascitur paulo quidem vel sic durior, sed a Ciceronis usu non remota; debebat enim plenius sic dici: *id te tribuno in consule non valeret, ut ei* cet. Sed quum generaliter orsus esset, statim speciale subiecit, quo fit, ut generalis sententia non accuratissime cum reliquis cohæreat; neque enim in privato, ut *consuli*, sed ut *ei* domus exilium esset, servatum erat. Quemadmodum hic in demonstrativa sententia, ita in relativa speciale statim ponitur, omisso generali, in I de Legg. 7, 23: *Et quod in civitatibus agnationibus familiarum distinguuntur status, id in rerum natura tanto est magnificentius* cet., id est, ut Orellius explicat: *Et quod in civitatibus fit, ut — distinguantur.* [Cfr. Philipp. VII, 8, 22.] Apparet hanc esse ipsam causam pronominis *quod* pro particula ponendi, cuius in hoc loco, ut in aliis nonnullis, ambigua est et ex utroque conflata notio.

C. 10, 24, ubi editur: *se cum telo fuisse, Cn. Pompeio, summo et clarissimo civi, suis manibus necem offerre voluisse*, e cod. Par. (Naug.) et Bern. scribendum est: *fuisse, mortem Cn. Pompeio — offerre voluisse.* Quum in codicibus secundæ familiæ errore excidisset *mortem*, in primis editionibus supplendæ 515 orationis causa additum alterum est, quod neque in Erf. est neque in ullo Oxoniensium. Præterea totum huius capitis initium male interpungendo distractum esse in editionibus, apparet; nam et, ut nunc sententiæ iunguntur, non *quum — produxeris*, et tum *collocaris*, dicendum erat, sed *produxisses* et *collocasses*, et illa: *quo — ceteri tribuni plebis principes civitatis producere consuerunt* propter sequens *ibi*, quod in media sententia necessario iis artissime adiungendum est, divelluntur a verbis *in illo, inquam, augurato templo ac loco*, quæ propter eam solam causam posita sunt, ut illa adiungerentur. Coniungenda hæc sunt cum extrema superioris capitis parte hunc in modum: *fuerisne tanta crudelitate, ut delectos viros et principes civitatis tollere et delere tua rogatione conarere, quum* (id est. *quo quidem tempore*) *L. Vettium, qui in senatu confessus esset,*

se cum telo fuisse, mortem Cn. Pompeio, summo et clarissimo civi, suis manibus offerre voluisse, in contionem produxeris, indicem in rostris, in illo, inquam, augurato templo ac loco collocaris, quo auctoritatis exquirendæ causa ceteri tribuni plebis principes civitatis producere consuerunt; ibi tu indicem Vettium linguam et vocem suam sceleri et menti tuæ præbere voluisti. Dixeritne L. Vettius cet. Recta oratione dixisset: *quum —*
516 *produxisti — collocasti.*[1]) Sententia a verbis *ibi tu* incipiens superaddita et annexa est, non implicata superiori periodo. Postremo verissime Gulielmum iudicasse puto, scribendum esse *sceleri et dementiæ tuæ*; nam neque mentem pro consilio Cicero simpliciter usquam dicit nec, si diceret, tamen id vocabulum tam lene superaddidisset gravissimo sceleris nomini.

Eodem capite § 25 valde vereor ne in his verbis: *cuius dignitas et splendor præstringebat, credo, oculos Vatinii*, nomen Vatinii a mala manu interpretantis adiectum sit; neque enim in hac Vatinii allocutione ullo modo poni potuisse credo; (sequitur statim: *quem — oderas*). Nam si quis fingat esse *Vatinii alicuius*, id est, *eiusmodi hominis*, et a Ciceronis usu discedat et ab huius totius interrogationis genere, et minime aptum hoc sit ad orationis formam, quæ narrat, non hypothetica est. Eiusdem prorsus generis additamentum sustuli ex orat. pro S. Rosc. c. 11, 32 (vid. præf. XII oratt. supra p. 119), ubi ipsius, qui loquens inducitur, nomen adiectum erat. Interpretum iure mireris neminem saltem de figura singulari admonuisse. Erunt fortasse, qui vocativum (*Vatini*) esse velint, nihilo aptius.[2])

---

[1]) Adiunctivum hunc particulæ usum annotant fere tantum in iis locis, ubi conversio est aliqua sententiæ et aliquid subito quasi intervenisse dicitur. Sed sunt et alia multa eius, quo hic posita est, modi exempla et hæc: ad Famil. V, 2, 3: *Recordare cetera: quam cito senatum illo die, facta sortitione, coegerim, quam multa de te verba fecerim; quum tu ipse mihi dixisti* cet. et XIII, 75: *De quo et præsens tecum egi diligenter, quum tu mihi humanissime respondisti, et scripsi* cet. [De Re p. II § 23.] Ad eam formam Cicero dixit in Verr. V, 29, 74: *Fit in eo gemitus omnium et clamor, quum tamen a præsenti supplicio tuo continuit populus Rom. se et repressit*, quo loco multisque aliis partim mendosis partim male intellectis abusus est Ramshornius Gramm. Lat. § 183 not. 2 p. 768. 769. Est enim: *sed tamen tum.*

[2]) Eadem sectione paulo post, ne quis scribi velit: *L. Paulum, qui tum quæstor Macedoniam obtinebat, at quem virum,* quæ sane usitatior est

Extremo capite ex Par., Bern., Erf. scribendum est: *gra-* 517
tias tibi agere debeo, quod me ex fortissimorum civium numero seiungendum non putasti. Quum mendose scriptum esset *putas* (ut in quinque Oxonn.), pravo verbi tempore offensus editor aliquis *putaris* correxit. Coniunctivi causa nulla est. Mox meliore ordine in Par. et Erf. est *tuus ille tantus* pro *ille tuus tantus* (sequente substantivo; aliter iudicandum erat supra c. 1, 1, præcedente).

C. 11, 26 Orellius, Garatonium sequens, edidit, revocata Iuntæ et Aldi scriptura: *promulgarisne, impurissime et perditissime hostis, quæstionem de tot amplissimis et talibus viris, indici Vettio præmia amplissima.* Sed in omnibus codicibus, quorum aliqua est auctoritas (Par., S. Vict., Erf.), est *indicium*, ex quo ortum est etiam depravatorum mendum *indicium uni Vettio.* Et *indici* prorsus supervacaneum est, ut, illo posito, nomen proprium, quod certe præponi debebat, in suspicionem adduci possit. Alteram scripturam Garatonius ferri posse negat, quod, indicio iam accepto et ipsa Vatinii lege comprobato, data etiam ante a senatu fide publica (Epist. ad Attic. II, 24), non potuerit nunc demum illa lege indicium, id est, indicandi potestas decerni. Verum primum illud de fide publica data falsum est. Nam in illa epistola, si veram sequimur codicis Medicei scripturam, negata dicitur ei fides publica (*reclamatum est*; inepte diceretur *haud reclamatum* pro *data est*). Et tamen omnia narravit; erat enim ad eam rem pecunia et promissis conductus. Deinde apud Romanos nondum *indicium* habebat, qui narraverat, quæcunque norat, sed is demum, cuius narratio ut publice susciperetur eique ea res bono esset et ad pœnam vitandam et ad præmia consequenda, decretum erat. Id in Vettio factum nondum erat, cuius narra- 518
tionem senatus ut fictam deriserat. Itaque in ipsa illa ad Atticum epistola Vettius dicitur, si damnatus fuerit, postea

---

forma, pro eo, quod est in libris scriptis et edd., *obtinebat, quem virum*, invitante ad coniecturam earundem litterarum vicinitate, monendum est, alteram quoque illam formam non infrequentem esse; vid. ad Fam. IX, 20: *Verrium tuum et Cæcilium, qua munditia homines, qua elegantia!* et ad Q. Fratr. I, 2 c. 2 § 6: *Quid? L. Cæcilium nonne omni ratione placari? quem hominem! qua ira! quo spiritu!* [Add. N. D. I § 72, de Div. I § 52, de Legg. III § 20, pro Mil. § 75.]

indicium postulaturus, quod Garatonius, si recte obscura verba capio. intellexit de indicanda Cæsaris et Vatinii fraude. Atqui, quæ sequuntur Ciceronis verba de iudiciis tum futuris, prorsus ita accipi vetant; nam nec Cæsar nec Vatinius in magistratu accusari poterant. Potuit igitur Vatinius ferre, ut Vettio *indicium esset*, id est, potestas publice apud magistratum ad id constitutum indicandi cum impunitate et commodis; quo sensu *indicium dari* dicitur Divin. in Cæcil. c. 11, 34, *indicium accipere* apud Ulpianum. Apparet, sensim vocabulum transferri ad significationem, non singulorum præmiorum (itaque tautologia non est, quod additur *præmia amplissima*), sed tamen universi commodi ex indicio publice non spreto redundantis. Nec bene Garatonius in Ciceronis loco pro Rosc. Am. 37, 107, Facciolatum sequens, *indicii partem accipere* negat de lucro indicii et commodo accipiendum esse, iubetque intelligi de parte bonorum indicatorum, quo significatu multo insolentius diceretur.

Eodem capite § 27 pro: *multas etiam alias tulisses* recte in Par. et Bern. est, quod Lambinus edidit: *multas iam*; nec aliud significat mendum codicis Erf. *multamsuam*. *Etiam* sic diceretur, tanquam præter eam legem alias tulisset; at eam nondum tulerat, promulgarat tantum; alias multas iam tulerat. Asyndeton durum esse in huius et superioris sententiæ coniunctione, non nego, et excidisse particulam opinor. Paulo post (§ 28), ubi ceteri valde incommode edebant: *Nihilque Maximus*, Orellius edidit: *Nihil Q. Maximus*, reducta sane ea scriptura, ex qua vulgaris illa orta est. Sed hanc ipsam interpolatam esse nec prænomen in codice archetypo fuisse, apertum fit ex
519 consensu Par., Bern., Erf., Oxon. unius (Lambini). Recte prænomen additur paulo ante, ubi primum nominatur, deinde omittitur. Mox quicquid est codicum habet: *imagines patris et fratris sui fratrisque filiam — collocatam.* Rettulit orator adiectivum ad dignius et propius.

Sequitur locus difficilis in c. 12, 29, ubi de collectis per scelera et iniurias a Vatinio in tribunatu divitiis dicens hoc quoque ponit: *eripuerisne partes illo tempore carissimas partim a Cæsare partim a publicanis?* Verum quas partes a Cæsare consule et publicanis eripere potuerit, non magis intelligitur, quam, ad quod minus attenderunt interpretes, quænam sint

partes caræ et *partes illo tempore caræ*, ut alio minus esse caras significetur. Manifestum est, corruptum esse *partes* scribendumque *merces*; eæ caræ esse possunt, earum pretium variat: eas publicani habebant ex provinciis deportatas; nec improbabile est, Cæsarem multa, quæ cum quæstu venundari possent, ex Hispaniensi prætura detulisse. Nam veteres illæ leges, quibus senatores mercatura arcebantur, illa ætate nihil valebant, in provinciarum præsertim præsidum rapinis.[1])

C. 13, 32 quanquam, quod in editionibus legitur: *famem illam veterem tuam non expleras*, per se rectum est, oritur tamen dubitatio ex codicum scriptura, qui omnes, opinor, habent *expiares*; certe ita est in Par., Erf., Oxx. quattuor (ex reliquis duobus unus hæc omittit, de altero iam initio dixi persæpe suspiciose sileri). Sunt enim alii quoque loci, qui ostendere videantur, singulari quadam translatione verbi dictum esse *famem, cupidinem expiare*, similia, tanquam *placare, exsatiare*, quo sensu verbum legitur in Pison. 7, 16: *pœnas expetistis, quibus coniuratorum manes mortuorum* (mihi iratos) 520
expiaretis. Nec negare ausim, populari usu eam translationem sensim invaluisse, ortam ab eiusmodi imagine, cuiusmodi apud Horatium est Sat. II, 8, 5 (*ventrem placare iratum*). Nam ipse Cicero et Hirtius in iis, quos indicabo, locis nove et iocose ponere non potuerunt; severe enim loquuntur. Attigit rem Garatonius ad orat. de prov. cons. 1, 2, sed huius loci immemor nec animadvertens, quantopere in singulis locis hæc locutio alias scripturas auctoritatibus superaret. Nam illo loco cod. S. Vict. (cui accedit nunc Par.) et Erf. habent: *ad expiandas suas cupiditates*[2]), et item omnes Palat., uno excepto, in quo tamen non est *explendas*, et in Philipp. XIV, 4, 10 eadem fere est ratio (*ad expiandas egestates latrocinii sui*), et

---

[1]) [Quod Orellius et Halmius *partes* intelligi volunt eas, quas Galli *actions*, nos *Actien* appellamus, valde dubito, potueritne sic simpliciter hoc vocabulum in hoc præsertim orationis contextu poni; deinde huiusmodi quæstus suspicionem a Cicerone in Cæsarem coniici potuisse prorsus nego; postremo etsi harum rerum parum sum peritus, tamen scio non laudari in his negotiis ea, quæ antea aliquando cara fuerint, sed quæ, antea fortasse vili pretio comparata, nunc ipsum magno constent.]

[2]) [Par. a manu 1 *expiendas*, a manu 2 *expiandas*.]

apud Hirtium (B. G. VIII, 48) omnes credo codices habere *expiato suo dolore.* Nihil tamen affirmo, quum tam facile aberrari potuerit. Sed quod sequitur, omnes corruptum esse confitentur: *Quem accumbere atratum videras dominum cum toga pulla et eius amicos ante convivium?* Quæ verba si in unam coniunguntur interrogationem, neque structura constat orationis (*et eius amicos*), et concurrunt repugnantia (*accumbere* et *ante convivium*); sin disiunguntur, non magis res procedit; nam tum quoque, si responsum est, dicuntur aliqui ante convivium accubuisse, et omnino, quo id responsum ab interrogatione alienum pertineat, non intelligitur. Coniectura autem Orellii interrogationes duas habet, alteram ad rem nihil pertinentem (nam si de domino Cicero quæsisset, responderi posset: at ego non fui dominus), alteram nec recte elatam (debebat enim esse: *cuius amicos?*) et sententiæ perversæ; nec enim, quo vestitu amici ante convivium fuissent, quæri poterat ad Vatinium urgendum, qui in convivio atratus fuerat; et erant ante convivium atrati.
521 Goveani et Garatonii coniecturæ efficiunt observationem interiectam, nihil pertinentem ad rem et interrogationem propositam; Garatonii præterea nominativos habet absolutos non ferendos. Omnino illa domini et amicorum mentio hinc prorsus aliena est. Nam universe interrogatur, num eiusmodi epularum morem, non qui ad dominum et amicos, sed qui ad omnes et ad ipsum Vatinium pertineat, non ex iis saltem epulis cognorit, quibus nuper interfuisset. Alio modo supra augendæ rei causa ipsum Q. Arrium albatum fuisse dixerat. Deinde hanc interrogationem proxime excipere illa altera debet: *quæ te* cet., spreti a Vatinio moris reprehensionem habens. Quicquid interiicitur, cohærentiam orationis turbat. Itaque omnia recta erunt, si sic scripta fuerint: *Quem accumbere atratum videras? Quæ te tanta tenuit amentia, ut, nisi id fecisses* cet.[1]) Nec dubito, quin illa, quæ interposita sunt, in cod. archetypo ex annotatione marginali prorsus eiusdem generis orta sint, cuius fuit illa in orat. pro Sest. 64, 134, in contextum recepta, ne re-

---

[1]) *Tu*, quod post *ut* additur incommode, quum nulla sit in persona oppositio, quæ vocatur, omittunt Par. (Naug.) et Bern. Mendum est in altera codd. familia ortum ex *t* et *n* repetitis. Ex *tn* alii *tamen* fecerunt, ut est in Erf., alii *tum*, recentissimi *tu*.

sponsum deesset. Eadem autem vestigia in pluribus locis recurrentia totum hoc disputationis genus valde confirmant. [Aliter locum emendare conatus sum Adv. Crit. III p. 143 sqq.]

C. 14, 33, ubi editur: *cum clarissimis viris causam tuam esse coniunctam*, quum codex Parisiensis habeat: *cum clarissimi viri causam tuam*, nemo facile dubitabit, quin scribi debeat: *cum clarissimi viri causa tuam esse coniunctam.* Unum Cæsarem significat, consulem a Vatinio tribuno adiutum. Quan- 522
quam loquendi genus alterum reprehendi non potest, quod, eiecto frequenti codicis Erf. et, ut ex Cratandri quoque editione apparet, aliorum codicum mendo, restituendum est, Garatonio quoque auctore, extrema oratione (*causam Milonis cum hoc coniunctam existimari*), satis defensum eo, quod sequitur: *quicum eius causam coniungis.* [Verr. III § 153.]

Sequitur paulo post: *fecerisne, quod in hac re publica non modo factum ante nunquam est, sed in omni memoria sit omnino inauditum*, dupliciter solœce: nam neque per se in relativa illa sententia pertinenti ad subiectum indefinitum et tantum cogitatum indicativus poni poterat (quærit enim Cicero, feceritne id, de quo illud dici possit), neque coniungi: *non modo factum est, sed sit inauditum.* Quanquam Orellio recte videtur opponi res certa (*factum est*) incertæ (*sit inauditum*). Est hoc unum ex infinitis illis peccatis, quæ oriuntur translatis ad grammaticam categoriis (ut usitato nobis vocabulo rem significem), quæ ad grammaticam nihil pertinent. Nam certum et incertum modis non exprimitur. Sed de hoc toto genere alius est propositus dicendi locus. Hoc loco id dico, quod dici semper potest in huiusmodi commentis, etiamsi verum illud sit, tamen ad locum propositum non convenire. Quid enim? Magisne certum Cicero putabat viderive volebat *esse id inauditum* quam *non esse factum*? Scilicet, ut fit in ista ratione, vir clarissimus confudit *auditum esse* et *rem auditam*, in qua incerti aliquid solet esse. Codex Parisiensis habet: *non modo factum ante nunquam est, in omni memoria sit* cet., ex quo efficitur: *non modo factum nunquam, set in omni memoria sit omnino inauditum.* [De Parisiensi paulo aliter Halmius correctioni assentiens.]

In eodem capite § 34 codex Vaticanus, præterquam quod 523
pro *adscenderit* habet *exciderit*, ex quo recte Maius fecit *escen-*

derit, confirmat egregiam coniecturam Gulielmi (qui utinam pro Grutero Ciceronem edidisset), scribentis: *urnas deiecerit* (pro *delegerit*); idemque eiusdem non minus præstantem emendationem mox c. 15, 35 veram esse ostendit, *oratores* pro *curatores*, quam necessariam esse nemo sensit, etsi satis manifestum est, *curatores* absolute dici non posse. In eiusdem capitis 15 initio scribendum est ex Par., Bern., Erf. *volo audire*, omisso, quod interponitur, *etiam*. (Debebat esse *etiam illud*.)

Paulo post (§ 36) scribendum esse: *qui nunquam a senatu summi consilii gubernationem auferre conatus est*, dixi et rationem exposui in disput. de Asconio p. 39 not. Deinde meliore ordine ex Par., Bern., Erf. (Lamb. in marg. repet.) scribendum est: *neque tantum ipse es improbus*. (*Ipse*, cui contrarium est *alios*, vocabulo *tantum* subiici debet.)

C. 15, 37 notandus est error Orellii, qui hunc locum hoc modo scriptum edidit: *Atque illud etiam audire a te* (Par., Erf., Bern. *audire te*, scrib. *audire ex te*) *cupio, quare, quum ego legem de ambitu tulerim ex senatusconsulto, tulerim sine vi, tulerim salvis auspiciis, salva lege Ælia et Fufia, tu eam esse legem non putes*. Et addit, sic scriptum esse in cod. Bern., edd. Steph. et Lamb. Sed falli virum clarissimum de Bernensi puto; de Lambino certe et Stephano, quorum editiones habeo ad manum, fallitur, qui, assentientibus etiam codd. Par. et Erf., quater *tulerim*, non, ut Orellius et, mutato tantum loco, vulgatæ edd., ter ponunt, recte, ne extremum membrum (*salva lege Ælia et Fufia*, quod sane aliud est atque *salvis auspiciis*) suo verbo careat: *tulerim ex S. C., tulerim sine vi, tulerim*
524 *salvis auspiciis, tulerim salva lege Ælia et Fufia*. Hervagius quoque quater *tulerim* habet; tantummodo male interpungit et membra orationis distribuit.

C. 16, 39 e Par., Bern., Erf., cod. C. Steph., 5 Oxx. scribendum est: *neque ulla re populó gratius facere possis*; vulgo est *ulla in re*, prave; non aliquid in hac re faciendum erat, sed hæc ipsa res facienda.

Extrema denique oratione, ubi edebatur: *quas enim huius actiones probatas bonis esse dicis, in eas pluribus verbis testimonium dixisti, quicum autem eius causam periculumque coniungis, eum summis laudibus extulisti*, Orellius pro *eius*, Garatonium sequens, edidit *huius*, iniuria; nam quum semel Sestius

demonstratus est, deinde alterum pronomen ponitur, relatum ad superius, ut dixi supra ad extremam orationem Sestianam. Sed pro *pluribus verbis* e codicibus (Par., Bern., Erf.) scribendum videtur *plurimis verbis*, etsi alterum usitatius est in accurata et copiosa oratione significanda; superlativus loquacitati Vatinii (1, 2) non male convenire videtur.[1])

---

[1]) [Subieceram hic codicis Parisiensis scripturas a Krarupio in Sestiana et Vatiniana enotatas. Nunc, quid in eo codice scriptum sit, multo et plenius et accuratius ab Halmio docemur.]

XIII (I).

De emendandis Ciceronis orationibus de provinciis consularibus et pro Balbo disputatio.[1])

Vol. II p. 1. Annus est et paulo plus, quum significavi, me aliquot scriptionibus academicis de emendatione quinque Ciceronis orationum disputaturum esse, adhibito præter id, quod iam paratum esset, instrumentum criticum egregio subsidio codicis vetustissimi Parisiensis. Id consilium quoniam in oratione Cæliana duabus dissertationibus, in Sestiana et Vatiniana tribus executus sum, supersunt duæ orationes, de provinciis consularibus et pro L. Cornelio Balbo, de quibus hoc tempore coniunctim exponere statui, maxime quidem de Corneliana, et aliquando residua illius promissi exsolvere. Avet enim, vere dicam, animus, criticarum quæstiuncularum minutiis fatigatus,
2 aliorum argumentorum varietate exhilarari. Atque eam quidem disputationis partem, quæ, quum sit prorsus ad reliqua præpa-

[1]) Edita bipertito 1834 et 1835. [Secuta est harum orationum, ut ceterarum, recensio Klotziana (a. 1839), quam eo minus causæ habeo cur nunc ad disceptationem vocem, quod et alibi in hoc ipso volumine de Klotzii universa ratione dicetur, neque is nostra de his orationibus disputatione usus esse videtur, quum in Sestiana, Vatiniana, Cæliana non paucas nostras emendationes secutus esset. In ea maxime, quæ pro Balbo est, non pauca corruptissimorum codicum menda revocavit, recte sublata ab aliis. 1842.]

randa necessaria, plurimum tamen habeat molestiæ, confectam iam esse et absolutam lætor. Nam de universo instrumento critico codicumque cognatione nihil est quod addam iis, quæ tum exposita sunt, quum de Sestiana oratione disputatum est. Per easdem enim codicum familias eosdemque fere codices hæ ad nos orationes pervenerunt; tantum singulare illud contrahendæ orationis studium, quod in recentissimis Sestianæ codicibus versatum est, has orationes non magis quam Cælianam et Vatinianam attigit.[1]) Quod autem in Vatiniana dixi minus diligenter scriptum fuisse videri eum codicem, ex quo nostri omnes fluxerunt, quam in Sestiana, id de oratione de provinciis consularibus fere eodem modo iudicandum est, de Corneliana autem multo magis, ut postea dicam, quum ad eam ventum erit. Parisiensis quoque codicis scriptor minus diligenter in utraque hac oratione exemplar propositum reddidisse videtur.

Oratio de provinciis consularibus quum esset, quemad- 3
modum proximæ superiores et insequentes orationes, initio e malis codicibus edita, ab Hervagio, Lambino, aliis hic illic ad meliorum fidem revocata, a Grutero et, qui eum insecuti sunt, editoribus negligenter et prave tractata (— nam Garatonius quoque, quum codicibus bonis destitutus esset nec recte de iis, qui collati erant, sentiret, iudicium autem nec liberum satis nec subtile in verbis sententiisque exigendis adhiberet, non multum hic profecit —), hæc, inquam, quum ita essent, Io. Casp. Orellius et antea in maiore editione nonnihil ad eam emendandam contulit et nuper, coniunctis cum I. G. Baitero studiis, eam, adhibito codicum Bernensium, Parisiensi simillimorum, subsidio, recensuit seorsumque edidit (Turici 1833). Cuius cura effectum est, ut mihi iam pauciora dicenda sint, quumque ea, quæ simpliciter e codicibus sumenda erant, præcepta pleraque sint, sæpius dubii et ad iudicandum difficiles loci attingendi. Vellem, vir clarissimus integram potius codicum Bernensium scripturæ discrepantiam annotasset quam se-

[1]) [Codicum Bernensium scripturas Orellius in editione maiore in oratione pro Balbo fere omiserat, sed postea in præfatione orationum selectarum quindecim (Turici a. 1836) p. XIII sqq. integras edidit. Eos codices prorsus a Parisiensi pendere nunc constat.]

lectam. Nec possum, quin vehementer ei et Baitero auctor sim, ut in nova Ciceronis operum editione, cuius hoc specimen esse voluerunt, in singulis libris novorum codicum, quorum fidem in oratione constituenda aliqua ex parte sequendam putarint, plenas scripturas subiiciant, ubi cum contexta oratione contendi statim possint, nec eas se aliquando edituros promittant. Nam huiusmodi consilia multa evenire possunt quæ conturbent et impediant; et si exsecuti fuerint, quid habebit utilitatis selecta illa scripturæ varietas? Spatio quidem opus erit ad illam rem non valde magno, quum præsertim, meliore posito totius recensionis fundamento, multa omitti possint et
4 debeant ex superiore apparatu, quæ antea fortasse iure commemorarentur. Sin aliter fecerint, semper, donec pleniora habebimus, verebimur, ne non ita pauca, quæ aut probanda fuerint aut veritatis vestigia et mendorum occultorum indicia habuerint, editoribus nec probanda nec commemoranda visa sint. Quod quale sit, partim in oratione Cæliana et Sestiana, ubi codicum Bernensium integras scripturas cum reliquis codd., maxime Parisiensi, comparare poteram, superioribus disputationibus sine ulla obtrectatione demonstratum esse puto, partim non una nec temeraria suspicione in hac ipsa oratione patefiet, cuius deinceps singulos locos persequar, in quibus ab illa recensione discedendum videtur. Minora, de quibus explicate dici opus non est, quoniam tamen omittere nolo, in margine ponam.[1])

C. 3, 6 minus recte editum est ex codice Erfurtensi: *Omitto iurisdictionem in liberam civitatem contra leges senatusque consulta*, ubi in reliquis codd. (PAB, Dresdensi quoque et ceteris) est, ut vulgo edebatur, *in libera civitate*. Infra c. 4, 7, quo loco Orellius utitur, singulare genus commemoratur causarum inter liberos populos et cives Romanos de pecuniis creditis, de quo genere pecuniæ multa legibus et SCtis constituta fuisse scimus (vid. v. c. Ascon. in orat. pro Corn. p. 91 Hot., Cic. ad Attic. V, 21, VI, 1, 2), atque in iis causis Cicero

---

[1]) [Ea in hac editione fere delenda putavi.] Codices præcipuos brevitatis causa sic notabo, ut A intelligatur, quemadmodum apud Orellium, Bernensis prior, B alter (nullius per se momenti), E Erfurtensis, P Parisiensis.

Pisonem iniquum in cives Romanos fuisse queritur. Hoc loco crimini Pisoni dat, quod omnino in libera civitate, quæ suas leges magistratusque haberet nec ad provincialem proconsulis 5
iurisdictionem pertineret (cfr. Plut. Pomp. 10), ius dixerit.

Difficilior est locus initio c. 4, 6 de Byzantiis, quem sic scriptum et ceteri edunt et Orellius: *Quæ* (signa) *illi exhausti sumptibus bellisque maximis, quum Mithridaticos impetus totumque Pontum armatum effervescentem in Asiam atque erumpentem, ægre repulsum et cervicibus interclusum suis sustinerent, tum, inquam, Byzantii et postea signa illa et reliqua urbis ornamenta sanctissime custodita tenuerunt.* Sed in voce *ægre* manifesta tenetur interpolatio; nam P, Pal. 9 et duo alii, cod. C. Steph., Barb., Oxon. unus habent *ore*, pro quo in Erfurtensi, duplicata littera, scribitur *more.*[1]) Qui diligenter attenderit, reperiet, Ciceronem hoc loco et in ambiguitate vocabuli ludere et imagine ad nostrum sensum nimis audaci ac pæne subabsurda uti, qualem unam et alteram in Ciceronis orationibus esse confiterentur facile philologi, si libere de veteribus et maxime de hoc scriptore iudicare auderent.[2]) Nam Pontum et regnum Mithridatis terrasque ad Euxinum mare sitas intelligit et simul ipsum mare, et illius regis impetum maris vehementi æstu *effervescentis* et *erumpentis* Asiamque inundantis imagine significat. Prorsus eiusdem est generis, quod infra in hac ipsa oratione c. 12, 31 *maris immensi fervorem non solum maritimos cursus, sed urbes etiam et vias militares* 6
tenuisse dicit, prædones in terram quoque egressos esse viasque obsedisse significans. Eodem etiam *fervoris* nomine utitur.[3]) Nec valde est diversum, si audaciam et insolentiam

---

[1]) A ceteris profecto non discrepant Bernenses, sed nihil annotatum est.

[2]) Ipsa illa, quæ sequitur, vehemens Pisonis absentis allocutio in hac senatoria deliberatione similis est multorum aliorum locorum in his orationibus, quæ post exsilium habitæ sunt, tumidius scriptorum in perpetua eorundem hominum insectatione, earundem rerum commemoratione.

[3]) *Maris fervore maritimos cursus teneri* si in quattuor illarum orationum aliqua scriptum fuisset, quantos Wolfius clamores excitasset! Et sane bene dictum non est; est tamen Ciceronis, et sunt alia similia. Non libenter hæc audientur, sed dicenda sunt aliquando, quoniam vera sunt et quia eorum ignoratione erratur.

imaginis spectes, quod pro Balbo c. 25, 56 accusatorem id egisse dicit, *ut aliqui sermones ad aures iudicum permanarent et in iudicio ipso redundarent*. Iam quum illam imaginem in eo, unde digressi sumus, loco inesse perspexerimus, facile cetera expedientur. Scribendum est enim distinguendaque oratio hoc modo, codicum scriptura recepta: *effervescentem in Asiam atque erumpentem ore, repulsum et cervicibus interclusum suis sustinerent.* Quum ita Pontus in Asiam redundasset, ut ad Byzantium impetus converteretur, ore erupisse dicit, quod erat ad illam urbem, sitam *in Ponti ore et angustiis* (Verr. IV, 58, 129). (Cfr. Sallustius apud Serv. ad Æneid. II, 312: *Se angustiæ Pontici oris illic dilatant.*)[1])

C. 4, 8 editur inde a Grutero: *Quorum ego nihil nunc, patres conscripti, in hominem ipsum: de provincia disputo*, duro zeugmate (*disputo in hominem*) et figura non Ciceroniana; duo enim Ciceronis mos verba contraria postulat. Et est sic in codicibus P, S. Victoris, E, de quo falsa Grævius tradidit, aliisque: *Quorum ego nihil dico, P. C., nunc in hominem ipsum; de provincia disputo*; quum *in* excidisset, in recentissimis quibusdam interpolatio accessit ac ne ibi quidem *dico* expulit. Pal. nonus, nisi erravit Gruterus, a sua familia errore desciscit.[2])

C. 4, 9, ubi edunt *nihil aliud actum est*, quid efficeretur ex hac codicum scriptura: *nihil aliud neque actum est*, dixi in disput. de emendat. orat. Cæl., Opusc. priorum p. 396. Orellii mirifica est coniectura, *æque* scribi posse putantis pro *neque*. Itane vero? Latinumne est: *nihil æque actum est nisi*? Minus

---

[1]) [Paulo post § 7 in his verbis: *civitas libera et proximis suis beneficiis a senatu et a populo Romano liberata* neque libertatis pro præmio datæ notio ablativo exprimitur, qui omnino parum recte in hac coniunctione ponitur: *suis beneficiis ab altero liberatus*, neque pondus illud, quod orationis figura significat, accedit ex eo, quod *proxima* tempore beneficia fuerint. Scripsit Cicero: *libera et pro eximiis* (*proeximis*) *suis beneficiis a senatu — liberata.* In Livii libro II c. 47, 10 codex egregius Harleianus primus *proxima* habet, ubi scribendum erat *pro eximia.* 1842.]

[2]) De Bernensibus, qui quin cum ceteris consentiant non dubito, iterum nihil est annotatum.

vir doctus ad reliquam sententiam quam ad solos apices illius vocabuli attendit.[1]) In iis, quæ adiunguntur: *quum palam populi Romani imperator, instructo exercitu, dexteram tendens, non ad laudem milites hortaretur, sed omnia sibi et empta et emenda esse clameret*, habent sane codices (etiam P), ut Orellius edidit, *hortetur* — *clamet*; ac tamen imperfecta retinenda puto partim ob ipsam narrationis formam et coniunctionem (*actum est, quum* — *clamaret*), tum maxime quod particula *quum* eo, quo hic, modo poni consuevit tantum cum imperfecto coniunctivi; præsentis temporis indicativum postulat. Sæpe enim in narratione, adiuncta per particulam *quum* sententia, modus ac forma rei actæ describitur, ut aut participia aut ablativi, quos appellant, consequentiæ aut voces *eo modo, ut* similesve loquendi formulæ substitui possint. Recentiores in eam partem inclinant, ut *dum* ponant (Germ. *indem*). Usus non ignoti, sed a nullo, quod sciam, satis expositi exempla afferam, quum prius dixero, eo magis in hoc loco a codicibus discedere licere, quod in notis illis, quibus in codd. distinguebantur *hortetur* et *hortaretur* et similia, in his orationibus sæpius erratum est; ut in Vat. 14, 34 et P et E et fortasse omnes codd. *arbitretur* pro *arbitraretur* habent. Illo igitur modo Cicero in Verr. IV, 48, 106: *quas* (faces) *sibi quum ipsa præferret* (id est, *præferentem*), *orbem omnem peragrasse terrarum*; pro Sestio 63, 132: *Cæsarem sæpe accusarit, quum affirmaret* cet.; pro Cluentio 42, 119: *animadvertisse censores in iudices quosdam, quum istam ipsam causam subscriberent*; eiusdemque generis exempla sunt pro Milone 5, 12 (*criminabatur, quum diceret*) et pro Quint. 4, 15. Pro *quum* in multis codd. substitutum erat *ut* Tusc. V, 27, 77. [Add. de Orat. I, 20, 91 et 24, 112, Cat. 10, 33. Gramm. Lat. § 358 not. 2 ed. 3.] Ad hunc igitur modum interpungenda oratio est in Cæsaris B. C. II, 44, ut verba: *quum Varus suam fidem ab eo lædi quereretur neque resistere auderet* superioribus adiungantur, ad quæ pertinent, diiungan-

---

[1]) Vellem omnino paulo esset Vir Cl. cautior in coniectando; velut paulo ante pro *posterior* fortasse scribendum putat *pestis tetrior*. Quis non videt, sic duorum adiectivorum compositionem (*posterior an infelicior*), relatam ad duo substantiva (*fortuna cum improbitate*), corrumpi? Et quid fiet reliquis locis, quibus, si hic corruptum est *posterior*, similis adhibenda medicina erit?

tur ab inferioribus, ad quæ non pertinent.[1]) Recte in orat.
9 pro Balbo 27, 60, ubi nunc ex Ursini interpolatione editur: *Ita enim contendere de re publica, ut id defendas* cet., Abramius scribi voluit: *Etenim — quum id defendas*; codd. *id enim contenderē de re. P. cum id.* Sed coniunctivi causa ibi aliunde duplex oritur, et ex oratione infinita et ex secundæ personæ usu hypothetico; per se quidem dicitur: *Contendo sæpe cum eo de re p., quum id defendo* cet. Paulo aliam habet rationem, quod scriptum est de Fin. V, 12, 34: *hominem e corpore animoque constare, quum* (i. e. ita tamen ut) *primæ sint animi partes, secundæ corporis* (cfr. V, 14, 40); sed tamen in recta oratione indicativus esset.[2])

C. 7, 16, ubi edebatur: *præsertim quum in Albucio nec Pisonis libidines nec audacia Gabinii fuerit, hac tamen una plaga conciderit*, in codd. Bernenss. est *hac tamen hac*, in Erf. *hic ac tamen hac*, in Par. denique *ac tamen ac*, ex quo efficitur, quod pridem Wunderus (præf. cod. Erf. p. LIX) scribi iussit: *ac tamen hac*. Orellius edidit, quod in Bernn. erat, vitioso asyndeto non sublato, inducta asseveratione inani in sedata oratione. Paulo post (17) vox *tribunus* delenda non erat; codices recentissimi et pessimi Barberini nullum prorsus momentum est, optimis (etiam P) consentientibus. Nihil est,
10 cur non Cicero eo nomine utatur, quo ipsum ius et facultas intercedendi significetur.

Graviter corruptus est locus in c. 8, 19, quem cum superioribus Orellius, addita tamen mendi nota, sic edidit, ut in codd. scriptus erat: *Quis plenior inimicorum fuit C. Mario? L. Crassus, M. Scaurus aliine* (*P aline*) *inimici? omnes Metelli.* Reprehendere hanc scripturam nihil opus est, quæ defensorem non habitura est. Ernestius et Garatonius nimis facili auxilio

---

[1]) [Apud Suetonium quoque in Vitell. c. 15 sic oratio distinguenda est: *succensoque templo Iovis Opt. Max. oppressit, quum et prœlium et incendium e Tiberiana prospiceret domo inter epulas. Non multo post pœnitens facti* cet. 1842.]

[2]) C. 6, 15, ubi Orellius edidit, Naugerii fidem secutus, *ut imperator appelletur*, omnes codices (A B P E reliquique) ostendunt, mendosum primarium codicem fuisse; isto modo scribi nequit; nam neque de modo appellationis quærebatur, et dicendum erat tum *appellatus sit.* Certam medicinam non reperio.

utuntur, ille *aliine*, hic *aliine inimici* delens; Garatonius etiam nominativos pendentes efficit. Baiterus scribendum putat: — *L. Crassus, alii, inimici omnes Metelli*: qui si sic interpunxisset: *alii inimici, omnes Metelli*, effugisset nominativorum pendentium reprehensionem; in eo tamen redargueretur, quod illos *alios* inter certos homines, qui exempli causa nominantur, medios interposuisset. Nec *aliine* ex *alii* ortum esse potest. Duabus litteris transpositis efficitur, quod probem: *L. Crassus, M. Scaurus alieni; inimici omnes Metelli*. Adscendit oratio: illos dicit alieno fuisse animo, qui de re p. a Mario dissensissent, prorsus inimicos Metellos, qui odia familiæ exercuissent.

C. 9, 22, ubi editur: *utinam etiam L. Lucullus ille viveret*, præterquam quod verbum mendosum esse, codices arguunt (*desiderat* P A B E), vitiosum est etiam pronomen, quum Cicero non illustrem aliquem ex antiquitate hominem demonstret, sed eum, quem senatorem omnes vidissent, addito etiam prænomine appellet. Id unus sensit Lambinus. Ex *ille desiderat* faciendum videtur: *illic assideret*. In *assideret* etiam Orellius incidit.[1])

C. 13, 33, ubi Orellius e codd. Bernn. et Erf. edidit *de-* 11
putaret, codicis Parisiensis auctoritate defenditur *putaret* et usu Ciceronis, qui nunquam obsoletum illud et poeticum verbum posuit, cuius hoc loco positi, in simplicissima orationis forma, nulla causa fingi potest.

C. 14, 35, ubi editur: *Etenim si Fortunæ muneribus amplissimis ornatus sæpius eius deæ periculum facere nollet*, miror Orellium tantum ex cod. Erf. afferre *Quia si*, ut vulgata scriptura videatur esse in Bernn. Sed Par. habet, ut edidit ex simili codice Lambinus: *Qui si Fortunæ* cet. Atque huic auctoritati facile cedent, si vere dissentiunt, Bernenses, in hac præsertim causa. Nam pro huiusmodi relativis ad sententias nectendas positis etiam aliis locis coniunctiones substitutæ sunt. Paulo post non necessaria est correctio nescio cuius viri docti ab

---

[1]) C. 11, 27 e codd. omnibus (P E, Oxx. 5, Barb., vett. edd.; de Bernn. siletur) addendum *est* ante *supplicatio*, scribendumque (P E) *et confecto. Deorum* pro *dierum* in cod. archetypo fuisse, dubium non est (etiam ob P); sed mendum est; nihil erat novi et honorifici in deorum numero, sed in dierum, nec certo deorum numero supplicatio decernebatur; diversum est lectisternium.

omnibus recepta: *cum illa insigni laurea*; rectissime enim dicitur, quod omnes habent codd. (etiam P): *cum illa insigni laude*, ut sua Cæsarem laus et gloria comitari triumphantem intelligatur.

C. 15, 36, ubi editur: *simul ostendit, eam se sciscere legem, quam esse legem neget*, in P est: *eam sentire legem*, in alterius familiæ codd. (Erf., Oxx.): *se scire. Sciscere* verum esse non potest; id enim ad comitia pertinet et, si transfertur ad alia, ad constituendam initio legem; hoc loco de servanda et probanda lege (Vatinia) dictum esset. Ex Parisiensis codicis scrip-
12 tura efficitur satis probabiliter: *eam se tenere legem.*

Manifestius mendum est paulo post, § 37, ubi nunc Orellius, reiecta superiorum interpolatione, Garatonii coniecturam secutus edidit: *Atqui mihi nihil videtur minus e dignitate disciplinaque maiorum, quam ut* cet. Sed *atqui* codd. vestigiis redarguitur (*quæ* PABE, Dresd.). Nec dicitur Latine *e dignitate* eo modo, quo *e re publica*, qua sola analogia confidere videntur. Mihi ipsa præpositio (*a*) viam ostendere videtur, mendumque esse fere in sola voce *minus* et præterea in casu relativi (*quæ*). Scribendum enim esse iudico: *Quo mihi nihil videtur alienius a dignitate disciplinaque maiorum* cet.[1])

C. 16, 39 in verbis: *ut provideamus, ne citerior Gallia nobis invitis alicui decernatur post eos consules, qui nunc erunt designati, perpetuoque posthac ab iis, qui hunc ordinem oppugnent, populari ac turbulenta ratione teneatur*, vox *decernatur* non solum in codd. (PABE) omittitur, sed ipsa non est recta; lex enim populi senatus voluntati contraria intelligitur, decernere autem provinciam senatus est; populus non decernit, sed iubet et dat. Orellius, ut omnia referantur ad id, quod sequitur, *teneatur*, scribendum putat *ab aliquo* pro

---

[1]) Paulo post c. 16, 38 optimorum codd. mendum recipi non debebat: *Nemo unquam huic* (pro *hic*) *potuit esse princeps, qui maluerit esse popularis.* Dativus rationem prorsus nullam habet. Corruptum etiam fuit exemplar primarium in voce *dignitatem*, pro qua recte Schuetzius *indignitatem* scripsit. Duplex genus popularium orator facit; in altero Clodium et Vatinium ponit, in altero Cæsarem. *Diffidere sibi propter dignitatem* qui sic accipiunt (et cogimur sic accipere in codd. scriptura), ut sit desperare, se dignitatem consequi posse, vim verbis faciunt.

alicui, in qua tamen coniectura minus apparet mendi origo,
dativi præsertim. (*Aliquando*, quod præterea proponit, falsam 13
habet sententiam, quasi id consul post multos annos eventurum
credat.) Mihi *alicui* ortum esse posse visum est ex *aliquaui*
(*vi*). Neque tamen certum hoc puto, potiusque in eam partem
inclino, ut verbum excidisse putem. Nam illa *perpetuoque
posthac* videntur sic adiungi, ut præcedere debeat unius facti
et temporis significatio, quod in exemplum vertere possit.[1])

In oratione pro L. Cornelio Balbo plura nobis efficienda
erunt, quod eam adhuc nemo recentiore tempore ad certiorem
codicum, maxime meliorum, fidem revocare est conatus. Er-
nestius etiam detrimenti aliquid attulit, quum incidisset in co-
dicem depravatum et interpolatum Guelferbytanum eoque male
uteretur. Deinde perspicuum est, hanc orationem iam ante
sæculum nonum — eius est enim ætatis codex Parisiensis —
sive librarii diligentia in codice eo scribendo, ex quo nostri
fluxerunt, inter laboris progressum deficiente, sive quod in ex-
emplar difficile lectu et scripturæ pæne evanidæ incidisset,
non solum frequentissimis levioris generis erroribus (velut in
§ 18 *violatur a virtute* et infinitis aliis), sed etiam gravissimis
mendis manifestisque aliquot locorum interpolationibus ita in-
quinatam fuisse, ut nunc quoque complura pro desperatis
relinquenda sint, interdum paulo liberiori suspicioni locus dan-
dus. Illud animadverti velim, in iis etiam interdum locis, qui
nullam excitent gravioris vulneris suspicionem, mirifice in
verbis facillimis errari. Velut quod c. 1, 4 editur: *ut plus* 14
*voluptatis ex recordatione illius orationis quam non modo ex
mea sed ex cuiusquam oratione capere possitis*, videtur omnino
verum esse; sed tamen in eo codice, ex quo proxime nostri
orti sint, fuisse: *in mea quam ex cuiusquam*, ostendit codicis
Parisiensis cum Erf. consensus et vestigia aliquorum ex iis
codd., in quibus emendatum est (cod. Steph. *sed quam ex*;
Barb. et unus Oxon. *in mea*). Sunt alia huiusmodi in vul-
gata scriptura, quæ quum ex codd. ducta putentur et sint
etiam ex codd., tamen coniectura orta esse, satis ex bonis
codd. nunc demonstrari potest. Hæc, ubi recte coniectatum

---

[1]) Exitu capitis pro *atque hoc* scr. *atque hæc* (PABE). Totam superiorem orationem et sententiam Cicero complectitur.

videbitur, non attingam; ea persequar, quæ meliora fieri poterunt, quam in editione Orelliana sunt. Atque iam in primo capite graviter interpolatus est is locus, ubi Cicero Stoicorum paradoxo utitur, ut Pompeium propter omnis virtutis possessionem etiam oratorem sine singulari eius artis exercitatione ac studio factum dicat. Editur: *ut mihi iam verum videatur illud esse, quod nonnulli, litteris ac studiis doctrinæ dediti, quasi quiddam incredibile dicere putabantur, eum, qui omnes animo virtutes penitus comprehendisset, omnia, quæ facere vellet, facillime tractare.* Sed codices non interpolati (PE) pro *eum* habent *ei* (P *ei quoi*), deinde *omnia, quæ* (E *que*) *faceret, tractare.* [Eadem Bernenses, sed *ei, quo.* 1842.] Apparet dativum, qui tenendus ante omnia est, in accusativum mutatum esse, tum summa licentia addita nonnulla, ut corruptum illud *tractare* sententiam haberet. *Vellet* ne in Guelf. quidem est, ortum tum, quum, detracta littera, *facere* scriptum esset.[1] Sententia apparet; verba reperienda sunt apta ad facilem omnis negotii et artis tractationem significandam, tum quæ dativo illi conveniant; itaque et *tractare* et omne verbum, quod ad hominem referatur, excluditur. Relinquitur: *ei, qui — comprehendisset, omnia, quæ faceret, recte se dare.* Confusio syllabæ ultimæ vocis *faceret* et primæ proximi vocabuli locum depravavit. *Res se dare* dicitur, id est, procedere, succedere, eventum habere; appellantur in lexicis Terent. Hec. III, 3, 20, poeta apud Cic. de N. D. III, 26, Cic. ad Attic. III, 23 extr. Addit Gronovius ad Livium XXVIII, 5 Senec. Epist. 79 (*omnibus præterea feliciter hic locus se dedit*) et Virg. Georg. I, 287.

Paulo post § 5, quod codd. et ex iis edd. recentiores habent: *dignum rei videtur*, non solum ideo improbare cogor, quod nullum est aliud exemplum eius structuræ a Cicerone usurpatæ, sed quod, quid reo dignum esset, commemorari hoc loco non potuit. Nam et incipere a splendidissimo debet hæc enumeratio (sequitur Pompeii præstantissima gloria, iudicum officium, ipsa causa), nec dignum Balbo dici ullo modo potest, ratum haberi, quod Pompeius fecerit. Ad ipsam rei publicæ dignitatem spectabat, eius civis, cui tantum ea et deberet et

---

[1]) Gruterus, quod speciminis loco de tota oratione esse potest, nihil de suis codd.(S. Vict., Pal. 9, Erf.) dixit.

tribuisset, beneficia valere. Recte igitur Garatonius *dignum re p.* scribendum putavit. Mendum est frequens.

Insignior emendatio paulo infra facienda est, ubi edunt nunc e codice Guelferbytano: *nunquam a Memmio* (Balbum) *discessisse, Carthaginem possessum isse*; olim edebant ex interpolatione recentissima *profectum esse*, inepte sane; nam proficiscendi exigua laus erat; sed nihilo alterum melius, ortum 16
simili emendandi conatu, quod interpretatur Ernestius, *ad eam urbem occupandam isse.* Neque *ire occupatum urbem* dicitur de eo, qui ab imperatore mittitur aliquo (alius est supini illius usus cum verbo, quod est *ire*, coniuncti, ut quum *ultum ire* dicitur), neque *possidere urbem* est *occupare*, quod miror Ernestium probare potuisse. (Garatonius comparat ex orat. de domo c. 42, 110 *forum armatis catervis possidere*, id est, in sua potestate habere, [etsi rectius ibi Grævius *obsideres* scribi voluit].) Nec Balbus, quod satis ex tota oratione apparet et ex disciplina Romanorum, eo loco in Hispaniensi bello fuit, ut Carthaginis oppugnationi, maximæ urbis, præfici posset. Ne multo quidem post in Gallia apud Cæsarem gratiosissimus legati dignitatem tenuit, ut qui magistratum nullum gessisset. Codices boni habent, P *esse possessum* (quod est etiam in uno Ox.), E *possessum esse* (cum uno item Ox.).[1] Hinc facillima et certissima coniectura eruitur: *Carthagine esse opsessum.* Vetus scribendi ratio, quæ in cod. Par. perpetua est et fuit in archetypo, errorem obiecit librario, ut alibi sæpius. Velut II de Divin. 56, 115 pro *obsides* duo codices apud Moserum habent *possides.* Quum Carthago a Sertorianis obsideretur, Balbum ibi fuisse et obsidionem tolerasse Cicero dicit. Itaque § 6 extr. *nullius obsidionis, nullius prœlii expertem fuisse* ait, quemadmodum hic obsidionis mentioni subiicit prœliorum mentionem.

Sequitur (§ 6): *Hæc sunt prœlia Cornelii: talis in rem publicam nostram labor, assiduitas, dimicatio, virtus digna summo imperatore, spes pro periculis præmiorum.* Mire *prœlia Cornelii* 17
appellantur, quibus interfuerit; nec prœlia tantum enumeraverat Cicero, ac ne proximo quidem loco nominarat; interiectum est enim: *cum Pompeio ad extremum belli tempus fuisse.*

---

[1]) Or. ex A profert *esse possessurum.*

Deinde, quæ adiunguntur, longe alius sunt generis, labor, assiduitas, cetera, alia etiam orationis forma (*talis*). Sed facillime, quod perspici volo, intelligitur ex iis, quæ his contraria inferuntur: *Præmia quidem ipsa non sunt in eius facto, qui adeptus est, sed in eius, qui dedit.* Itaque distinguit Cicero, quid ipsius sit Cornelii, in eius facto positum, quid non eius, sed aliorum. Iam, opinor, patet, Ciceronem scripsisse: *Hæc sunt Cornelii, talis* (qualem ostendi) *in rem p. nostram labor*, cet. Eodem modo dicit statim: *Hæc sunt omnia propria Cornelii. Prœlia* ineptum est supplementum hominis substantivum, a quo genitivus penderet, desiderantis. Fuit tamen in eo codice, ex quo omnes nostri ducti sunt.[1]) Proximum mendum notare et arguere possum, corrigere non possum. Nam c. 3, 6 editur: *Sic famam, sic innocentissimi hominis fortunas, præstantissimi imperatoris factum condemnari volunt.* Patet, contraria esse *fortunas, factum*; *fama* illa quo pertineat, non apparet, quod vocabulum illo loco positum et, repetita particula, seiunctum non magis cum verbis *innocentissimi hominis* quam cum alteris, *præstantissimi imperatoris*, cohæret, et, si cohæreret, turbaret membrorum orationis concinnitatem; nec famæ Balbi periculum erat, neque existimatio eius agebatur. Itaque voces *sic famam* depravatas esse patet. Id manifesto confirmat codex Parisiensis, in quo scribitur *si fame si innocentissimi*[2]), idemque in alterius familiæ principe codice fuisse, indicio sunt Oxx. tres (*si tamen fame si, si tamen famæ si, sic*
18 *famæ*, altero *sic* omisso). Erfurtensis hoc loco interpolatus est[3]), etsi ne is quidem prorsus, ut editur, habet (*si famam sic*). [AB *poena sit nulla fame sic innocentissimi.* Orellio in mentem venit: *pœna sit nulla nisi famæ.* Concinnitas membrorum inter se relatorum hanc adiectionem vix patitur. 1842.]

Eodem cap. § 7 in hac sententia: *Qui si adductus gratia minus idoneum hominem præmio affecisset,* [*qui*] *etiam si virum*

---

[1]) [Nihilo rectius Klotzius et Halmius pro pravo supplemento huc ex inferiore loco retraxerunt supervacaneum *propria*.]

[2]) [Immo *si famæ sic innocentissimi.*]

[3]) Cfr. disput. de Sestiana in Opusc. prioribus p. 423. Paucis versibus ante (*Donatus igitur est*) *est* deest in codd. (P E). Scrib. igitur: *Donatust igitur.* Cfr. Opusc. prior. p. 448.

bonum, sed non ita meritum, si denique aliquid [quod] non contra ac liceret, factum diceretur, sed contra atque aporteret, tamen esset omnis eiusmodi reprehensio a vobis, iudices, repudianda omnes codd. voces notatas tenent; et altera quidem unde orta sit (post *aliquid*), patet; pro *qui etiam* nescio an scribi debeat: *quin etiam, si* cet.

C. 4, 9 editur: *An ingenium? quum etiam ipse casus eventusque rerum non duces, sed comites eius consiliorum fuerint?* Exspectabamus eandem, quæ proxime præcessit, formam refutationis per pronomen relativum annexæ (*Ususne rerum? qui pueritiæ tempus extremum* cet. et bis præterea). Eam autem hic quoque positam fuisse, ostendit, quod sequitur: *in quo uno ita summa fortuna cum summa virtute certavit* cet.: id enim nunc prave adhæret, superiore membro aliter per *quum* coniunctionem conformato. Deinde codices idem demonstrant, apertissime P, in quo est: *adgenium inquid etiam — fuerunt* (A B *ad ingenium inquit etiam — fuerunt*); nec dissimiliter E: *ad ingenium inquid — fuerunt*; Oxx. quoque quattuor (ex quinque) *quin* pro *quum*, duo *fuerunt* habent. Scribendum est 19 igitur: *An ingenium? Quoi etiam ipsi casus eventusque rerum non duces, sed comites consiliorum fuerunt. Eius* adiectum est, sententiæ initio corrupto. *Ipsi* melius altera familia habet quam *ipse*, quod est in PAB, Herv.; non de casu universe loquitur, sed de singulis casibus rerum.

Eodem cap. § 10 editur vulgo, codicibus non discrepantibus: *Cui senatus populusque Romanus amplissimæ dignitatis præmia dedit, non postulanti imperia, verum etiam recusanti.* Nec tamen ita Cicero scribere potuit. Nam neque *præmia amplissimæ dignitatis* sunt *imperia*, et, si essent, non tamen ita Cicero locutus esset, tanquam aliam rem datam, aliam non postulatam significaret, quod fit alio substantivo subiecto, quum id ipsum, quod Pompeius non postulasset, datum dici deberet. Nec *præmia dignitatis* (consulatum, triumphos, similia) ulla Pompeius recusaverat. Accedit fœdum elocutionis vitium; apertum est enim dici debuisse: *non modo non postulanti.* Nihil huc pertinent disputationes de omisso *non* in hac formula. Verissime Manutius intellexit scribendum esse: *præmia dedit non postulanti, imperia vero etiam recusanti.* Ex concursu par-

ticularum *vero* et *etiam* librarii vulgare illud *verum etiam* effecerunt. C. 5 initio tollenda est alterius familiæ codd. auctori-
20 tate (E, Oxx. 3) inanis repetitio *ille, ille vir*; satis habet gravitatis hæc ipsa adiuncta appositio *ille vir*. (P mendose *ille ille*, omisso *vir*.) Deinde (§ 12), ubi editur: *Quum Græci homines, spectati viri, noluerint religione videri potius quam veritate fidem esse constrictam: nos etiam in ipsa religione et legum et fœderum conservanda qualis fuerit Cn. Pompeius, dubitabimus?* quum codd. (PABE, Ox. 1) habeant *noluerunt*, possit aliquis suspicari *quum* subditicium esse, scriptumque a Cicerone frequentissima illa enthymematis forma: *Græci — noluerunt: nos — dubitabimus?* Sæpius tamen in verborum terminationibus mendosus fuit codex archetypus.[1])

Capitis sexti initium ante multa sæcula labem contraxit, quam nunc vix plane eluas. Editur enim: *Quasi vero levius sit, quum in tanta re publica versere et maximis negotiis præsis, facere aliquid, quod scias non licere, an omnino nescire, quid liceat.* In quo primum *an* pro *quam* nullam habet excusationem, quum præsertim non implicata et perplexa sit orationis structura, sed ordine decurrat. Deinde quæritur, quid sit *levius*. Si enim levius peccatum, et quod faciliorem habeat veniam, intelligitur, sententia exitum non invenit. Dicitur enim non levius esse (*quasi levius sit*) facere, quod non liceat, quam nescire, quid liceat. Disputat autem orator, hanc ignorantiam nihilo esse leviorem vel etiam graviorem. Itaque Lambinus, Memmii secutus coniecturam, edidit: *Quasi vero non levius sit — quam* (hoc iam Pantagathus posuerat). Erunt autem, qui
21 *levius* intelligant in malam partem: non minoris esse levitatis facere, quod scias non licere, quam nescire, quid liceat. Verum nec ita intelligi vox in hac comparatione gravitatis criminum potest, nec levitatis est facere, quod scias non licere. Itaque cogimur ad Lambini redire sententiam et in loco desperato audacem admittere medicinam. Habet aliquam excusationem Ciceronis, oratorie iudicantis et ad tempus, sententia is, qui, quum in maximis rebus et difficillimis versatur, in una aliqua

---

[1]) § 13 scrib. cum E *scientem — inscientem*; vulgo inverso ordine (etiam P).

re legum vinclis se exsolvit.[1]) Pro *omnino nescire* e PE restituendum est *omnino non scire.* Propter verba contrarie relata et propter adiectum *omnino* sic dicere maluit. Sed non minus graviter et tamen minus aperte mendosa est extrema pars eius, quæ sequitur, sententiæ: *Etenim utrum, qui in Hispania bellum acerrimum et maximum gesserat, quo iure Gaditana civitas esset, nesciebat, an, cuius linguam populi non nosset, interpretationem fœderis non tenebat?* Multa hic offensioni sunt; primum dura nimis et hians iunctura sententiæ relativæ et demonstrativæ (*cuius populi, — interpretationem fœderis*); deinde coniunctivus modus verbi *nosset*; tum ipsa linguæ peregrinæ mentio; fœdus enim scriptum fuisse, ut reliqua Romanorum cum inferioribus populis, Latine, si non per se intelligeretur, appareret e cap. 16; interpretatio autem in hac scriptura intelligenda erit fœderis in sermonem Latinum translatio. Verum aliter ut accipiatur, postulant, quæ sequuntur: *Id igitur quisquam Cn. Pompeium ignorasse dicere audebit, quod — librarioli scire profiteantur?* Neque illi Punice sciebant, neque ad Pompeii ignorantiam aut scientiam pertinebat usus interpretationis ab alio factæ, quum linguam tamen ipsam non nosset. In his difficultatibus nihil nos iuvat codex Parisiensis nec vulgares 22
alterius familiæ; sed insperatam affert lucem Erfurtensis (de cod. S. Vict., Pal. 9, Gembl. tacetur); in eo enim legitur: *an cui illius populi nosset*, ex quo oritur, facillima emendatione, perspicua hæc et recta sententia: *an, cum ius populi nosset* (sciret esse fœderatum), *interpretationem fœderis non tenebat?* Sic demum etiam recte hæc interrogatio superiori respondet, ut dilemma sit; quæritur enim, utrum, quo iure Gaditana civitas esset, nesciverit, an, quum hoc sciret, interpretari tamen fœdus non potuerit. Interpretatio est autem iuris et verborum Latinorum priscorum.[2])

---

[1]) [Manet tamen scrupulus in *an*, quod quomodo pro *quam* substitui potuerit, difficile est intellectu. Consideranda igitur altera Lambini coniectura: *Quasi vero [sit dubium, utrum] levius sit — facere aliquid, quod scias non licere, an* cet.]

[2]) [Nunc scimus, in omnibus antiquis codicibus scribi aut *cuius illius* (P) aut *cui illius* (GE) *populi nosset* sine ullo vestigio vocabuli *linguam*. Itaque fit, quod Halmius edidit: *an, cum ius illius populi nosset*, cet.]

Proxima paragrapho (15) editur: *Nisi forte — ea Cn. Pompeium neque, quum requiesceret, litteræ, neque, quum rem gereret, res ipsæ docere potuerunt*; in quo aliquid esse falsi vel mutatio numeri (*rem, res*) admonere poterat; nec lepos ullus est sententiæ. Recte in codicibus (P, cod. Steph., 4 Oxx., etiam AB) est: *regiones ipsæ.* Ipsas dicit regiones, in quibus
23 Pompeius præsens adesset, commonefacere eum et docere potuisse. Qui sequitur locus, fœdissime vexatus, quomodo esset sententiis, quæ coaluissent, distinctis et adhibita unius vocis emendatione restituendus, dixi in epistola ad Orell. p. 95: *Atque, ut ego sentio, iudices, causa dicta est. Temporum magis ego nunc vitio quam genere iudicii plura dicam.* Ad priorem partem sententiæ comparari potest pro Arch. 3, 8: *nihil dico amplius; causa dicta est.*[1])

In extrema huius capitis parte bis vocabulum aut exciderat aut legi non poterat in codice eo, ex quo nostri derivati sunt. Nam primum est *insingularibusque honoribus* (PE, S. Vict., Pall., Oxx. 3), id est *in*[*signibus*] vel *in*[*auditis*] *singularibusque*, et deinde: *huius atque perspecta*, ubi quum fieri posset aut *præsens atque perspecta* aut *experta atque perspecta*, fecerunt *præsens, experta atque perspecta*, vitiosa coniunctione. (Vid. Opusc. priora p. 335 sqq.)[2])

C. 8, 22 scriptum est: *Quum aliquid populus Romanus iussit, id si est eiusmodi, ut quibusdam populis — permittendum esse*
24 *videatur —, quo iure uti velint, tum, utrum fundi facti sint an non, quærendum esse videatur: de nostra vero re publica — fundos populos fieri noluerunt.* Modus verbi *videatur* in hac orationis structura et coniunctione (*Quum iussit — tum videtur, noluerunt*) ferri nequit, neque ullum orationis potentialis artificium adhiberi potest (*forsitan videri possit*); ac ne temerarium putetur reponere *videtur*, quum alioquin ipse valde improbem, sic verborum formas grammaticas contra codices simpliciter

---

[1]) [Nuper mea emendatio recepta est, sed, ut aliquid novi esset, additum *sed* ante *temporum*, quæ particula neque ullo minimo vestigio in codicibus significatur et orationis formam evertit, qua omne pondus in *temporum* nomen et in comparationem incumbit. 1842.]

[2]) C. 8 init. me, ut Pantagathum et Schuetzium, offendit vox *satis* in his: *qua lege videmus satis esse sanctum*; sed quod melius sit, non habeo.

permutari, tenendum est, propter nescio quam notæ ambiguitatem in codice archetypo sæpe in hac oratione et proxima superiore pro indicativo secundæ coniugationis coniunctivum subiectum esse. Huius ipsius capitis initio omnes codd. (PABE. Oxx. omnes) pro *videmus* habent *videamus*, infra 16, 36 *sileatur* pro *siletur* (PABE; in Oxx. correctum videtur); c. 9, 24 *videmus* transiit in *videamus*, deinde in *videbamus* (tantum duo Oxx., recenti correctione, *videmus*); de prov. cons. 14, 35 in codd. bonis (PE, sine dubio etiam Bernn.) *debeamus* est pro *debemus*. Qui hæc recte correxerunt, nostrum locum præterire non debebant.[1]) C. 10, 25 in codice alterius stirpis principe recte scriptum fuisse videtur, certe in Erf. est: *ut, quod iis, quos — subegimus, licet, — id ne liceat ipsis.* Reliqui codd. (P, etiam AB) et edd. utroque loco habent *liceat.*[2])

In eodem cap. 10 singulari modo propagata per codices 25
interpolatio est. Editur enim: *Qui si suis decretis legibusve sanxissent, ne quis suorum civium castra imperatorum populi Romani iniret; ne quis se pro nostro imperio in periculum capitis atque in vitæ discrimen inferret; Gaditanorum auxiliis, quum vellemus, uti nobis non liceret, privatim vero ne quis vir et animo et virtute præcellens pro nostro imperio periculo suo dimicaret: graviter id iure ferremus* cet. Duo sunt in his ita prava, ut colorem non accipiant: prius in sententia, de Gaditanorum auxiliorum usu Romanis interdicto. Disputat Cicero. nihil interesse, utrum Gaditani præmia civibus suis bene de populo Romano merentibus tributa rata esse nolint, an lege sanciant, ne de Romanis bene mereantur. Hoc autem totum ad eos spectat, qui privatim, sua voluntate, ut Balbus, Romanos imperatores adiuvabant; auxilia publice missa, quæ non præmiis eliciebantur, sed ex fœdere imperabantur, huc non

[1]) [Postea animadverti in varietate scripturæ Naugeriana apud Orellium vol. II p. 2 p. 627 esse *videtur*. Hexametri clausulam non reformido. 1842.]

[2]) C. 9, 22 (*in periculis atque asperis temporibus*) quum codd. (PABE) præpositionem non habeant, videtur potius scribendum: *periculosis atque asperis temporibus*, quum præsertim *pericula* proxime præcesserit. § 24 optimi codd. (PE, etiam AB): *Etenim in populum R. grave est.* Recentiorum est, quod editur: *Est enim — grave*, minusque aptum *enim* in hoc transitu et adiunctione quam *etenim*.

pertinent; nec fingi omnino a Cicerone poterat, Gaditanos lege sancire, ea ne darentur; nec, si id illi facerent, graviter ferrent Romani, *debilitari animos fortissimorum virorum, alienigenarum se studiis privari*, sed defectionem eam apertissimam et bellum illatum a Gaditanis omnibus putarent. Sed altera est verborum pravitas. Quæ est enim hæc coniunctio: *Gaditanorum auxiliis uti nobis non liceret, privatim vero ne quis — dimicaret*? quasi hæc contraria sint.[1]) Manifestum est, si quid
26 aliud, superiore sententia contineri aliquid debere, non quod vetetur a Gaditanis, sed quod concedatur. Itaque et ex ipsa re et ex verbis patet, in hanc sententiam scriptum fuisse, antequam locus corrumperetur: „Si pop. Gaditanus sanxisset, ut publica (quidem) auxilia (quæ negari non possent) Romanis præberentur, privatim vero ne quis eos adiuvaret cet.“ Atque hæc ipsa sententia rectissime scripta exstat in cod. Ox. χ: *Gaditanorum auxiliis uti, quum vellemus, liceret, privatim vero ne quis* cet. Ac, ne dubitemus, hanc esse secundæ familiæ scripturam, *uti* illo loco (post *auxiliis*) alii tres Oxx. habent, quos verba *uti nobis non* omittere annotatum non est; contra hæc præter χ etiam cod. ψ omittit, sed *uti* altero loco addi non notatur. Et tamen Erfurtensis cum Par. (et utroque Bernensi) in vulgata scriptura consentit. Itaque hoc loco, quod haud scio an nusquam præterea factum constet, primæ familiæ interpolatio in eum cod. transiit. Ipsa interpolatio inde orta est, quod, quum non intelligeretur, quid interesset inter auxilia publica Gaditanorum et privatorum voluntariam militiam, neque concessiva orationis sententia animadverteretur, ad reliquorum membrorum formam hoc accommodandum putaverunt, addita negatione (*non liceret*). [Immo negatio in codice nostrorum archetypo iam erat, in codice Oxoniensi recte corrigendo sublata est.][2])

---

[1]) Sensit aliquid Lambinus. Itaque *vero* alio referri volebat; id ut fieri posset, scripsit: *privatim vero si* (sanxissent), *ne* cet. Sed, ut omittam perversam structuram, privatim Gaditani sancire nihil poterant.

[2]) Initio capitis quid significet scriptura codicum (*magnis adiutoribus tuis*), non reperio. Ipsa quidem vera esse nullo modo potest nec hoc significare: *magna ex parte tuis civibus iuvantibus*; nam neque *magno adiutore* sic dicitur neque hic *tui* simpliciter Gaditani appellari possunt,

Sequitur locus, quem neque præterire possim (coarguenda enim menda sunt) neque expedire, non magis quam Ernestius. Nam in undecimo capite, § 28, primum quidem, ubi est: *non esse huius civitatis civis,'* extremum vocabulum delendum est 27
auctoritate codicum (PAE); eodem modo Cicero locutus est paulo ante (*cuius esse se civitatis velit*) et infra 12, 29 et 13, 31; deinde autem in iis, quæ sequuntur: *Neque solum dicatione, quod in calamitate clarissimis viris Q. Maximo, C. Lænati, Q. Philippo Nuceriæ, C. Catoni Tarracone, Q. Cæpioni, P. Rutilio Smyrnæ vidimus accidisse, ut earum civitatum fierent cives; hanc ante amittere non potuissent, quam huius solum civitatis mutatione vertissent; sed etiam postliminio potest civitatis fieri mutatio* — in his, inquam, verba illa mediæ sententiæ interiecta: *hanc ante* — *vertissent* pendere nec cum reliqua oratione cohærere patet; nam quod Garatonius parenthesis nomen et signa adhibet, nihil agit. Nulla enim esse potest huiusmodi parenthesis, a reliqua sententia plane aliena nec ex ea orta nec alicui in ea positæ notioni adhærens, a pronomine demonstrativo incipiens non ad rem in primaria sententia positam relato, sed ad contrariam. Deinde in ipsis verbis plura reprehendenda sunt, quam Ernestius reprehendit; nam nec *civitatis solum vertere* dicitur, sed *solum vertere*, nec eæ notiones coniungi omnino possunt, quarum altera in loco, altera in hominum societate et communione iuris posita est, nec *mutatione vertere* ferendum est, in quo hæsit etiam Orellius, et prava est duplex demonstratio eiusdem rei (*hanc* — *huius* pro *eius*), adiuncto præsertim ad posterius pronomen substantivo, quo prius caret; ne coniunctivus quidem verbi (*potuissent*) rationem habet, qui rectus esset, si hoc modo concepta sententia esset: *amittere non potuissent, nisi ante* cet., quanquam vel sic Cicero potius *amittere non poterant* scripturus erat. Itaque quin locus perturbatus sit, dubitatio nulla est: origo mendi et tollendi ratio incerta. Mihi quidem illa verba non alia de causa a Cicerone posita esse videntur, nisi ut rationem redderet, cur 28
se illis civitatibus exsules dicassent; itaque sic adiungenda

---

in hac præsertim contrariorum relatione (*quod iis, quos* — *id ipsis*). In *tuis* latere opinor *illis*. [Vid. Adv. Crit. III p. 145.]

puto: *quum hanc ante amittere non potuissent.* In altero membro mendosum est *huius*, pro quo in Erf. est *h.*, id est, in illo codice, *hoc* aut *autem*; [*hoc* etiam in ceteris codicibus antiquis fuisse nunc scimus]. Licet igitur scribere; *quam hoc solum civitatis mutatione vertissent*; verum num *hoc solum* in hac locutione dici possit, id est, *Romanum*, dubitari potest, quum *solum* universe poni videatur et de eo loco, qui relinquatur, et de eo, in quem veniatur; tum solum verti videri potest ipsa migratione (itaque additur interdum *exilii causa*), non alius civitatis susceptione. Meliora tamen non reperio, nec videtur Cicero in his disputationibus admodum religiose veram vim et usum veterum formularum servare. Sed ut hæc incerta sunt, ita illud certum, pro *vidimus*, quod est in codicibus et editionibus, scribendum esse *videmus*. Illud significat rem oratoris et auditorum memoria factam, cuius ipsi fuerint spectatores, testes sint (ut *vidi* § 30), hoc traditam et vulgo notam, quod hic locum habet. Nam C. Cato damnatus erat septem, antequam Cicero est natus, annis, Q. Cæpio anno, Rutilius quattuordecim post annis, reliqui, ut videtur, etiam prius.

C. 12, 29 duæ sunt codicum, quorum aliquod est momentum, scripturæ, altera secundæ familiæ (S. Vict., E, Pall., Oxx. plurium): *Atqui ceteræ civitates omnes non dubitarent nostros recipere in suas civitates*, altera prioris (P, Herv., Lamb.): *Atqui ceteræ civitates non dubitarent nostros omnes* (id est, ut Gulielmus vulgarem errorem correxit, *homines*) *recipere in suas* 29 *civitates*; ex his Garatonius tertiam composuit, quam Orellius recepit: *Atqui ceteræ civitates omnes — nostros homines* cet. Verum erat, quod, Gulielmo præeunte, Schuetzius edidit; nam Romanis universe et generatim ceteri contrarii ponuntur, *omnes* addi nec opus erat et parum aptum.[1]) Non possum autem, quin mirer, Ciceronem tam vitiose scripsisse — quo enim alio nomine appellem? — *civitates in suas civitates homines recipere*, idem vocabulum diverso significatu duplicantem. Et tamen sic scripsit. Satis iam est molestum, quod præcedit: *ut quæque* (*civitas*) — *maxime* — *est coniuncta* (PEAB; vulgo *coniuncta est*), *ita — communionem beneficiorum, præ-*

---

[1]) [Et P et Bernenses habent codices: *civitates omnes — nostros omnes*, ut ed. a. 1480, Garatonii coniecturam adiuvantes. 1842.]

miorum, civitatis continere (recte Weiskius scribit *communione — contineri*) *videtur.*[1])

C. 13, 31 editur: *Itaque et ex Latio multi et Tusculani et* 30
Lanuvini et ex ceteris generibus gentes universæ in civitatem sunt receptæ, ut Sabinorum, Volscorum, Hernicorum. Quamvis autem consentiant codices, satis tamen, opinor, manifestum est, Tusculanos et Lanuvinos, vel præcipuos Latinorum, a Latinis separari non potuisse. Scribendum esse: *ut Tusculani et L.*, vel id, quod sequitur, ostendit: *ut Sabinorum.* [P *ut Tusculani ut Lanuvini.*][2])

Sequitur initio capitis 14: *At enim quædam fœdera exstant, ut Germanorum, Insubrium, Helvetiorum, Iapidum, nonnullorum item ex Gallia barbarorum, quorum in fœderibus exceptum est, ne quis eorum a nobis civis recipiatur.* Primum *At enim* significare debet, hæc ex adversarii persona dici; at nimis tum stultus accusator fingitur: et sequitur: *Quod si exceptio facit, ne liceat,* cet.; hæc autem particularum copulatio *quod si* est pergentis in sua argumentatione, non excipientis argumentationem alterius et eam refutantis. Recte igitur non solum codices (PEAB), verum etiam editiones vett. (1472,

---

[1]) Extremo capite (§ 30) scrib. *in aliam se civitatem dicarit* (PE), frequenti pronominis transpositione. Utrumque est etiam in ed. a. 1472 et 1480, ut hæc minora postea mutata appareat. Simul ex multis indiciis illarum edd. patet, quam indiligenter codd. Oxx. collati sint. Quod initio capitis scriptum est in omnibus codd. *civi Romano licet esse Gaditanum,* eo grammatici omnes utuntur; merito; nam (ut hoc in transcursu attingam) alium locum boni scriptoris præter hunc et Terent. Heaut. II, 4, 8 (ubi *bonis* a Bentleio est) et Quintiliani VII, 1. 19 vix reperient, si, ut par est, eos exceperint, quos codices eripiunt. [Accedunt tamen Ciceronis loci ad Att. XIV, 17 A, 7, ad Fam. IX, 14, 6.] Nam apud Horat. Sat. I, 4, 39 rectius Acronis (ad I, 6, 25) auctoritate scribitur *poetis.* Cæsaris locus (B. C. III, 1: *ei consulem fieri liceret*) nihil habet argumenti ob compendium scripturæ in codd. (*cons.*) In ceteris, quos nonnulli advocant, locis, velut ad Attic. X, 8 (*nam medios esse iam non licebit*) dativus nullus præcedit, quod genus non satis diiunxit Heinsius ad Ovid. Heroid. XIV, 64. Maxime huc pertinere videtur Virg. Æn. X, 235: *Hanc genetrix faciem miserata refecit Et dedit esse deas,* quia ibi apertissime auditur *iis*; non est tamen expressum.

[2]) [Video, iam in varietate Naugeriana, p. 627 Or., ita scriptum esse. 1842.]

1480), ut, quis mutarit, nesciam: *Etenim.* Novum argumentum adiungitur, confirmans idem, quod superius. Hanc vim habet *etenim*, in quo *enim* refertur non ad proximum superius argumentum, sed ad totum id, quod propositum est ad demonstrandum, ut sæpe nihil pæne sit aliud nisi *porro, præterea*, tantum quod argumentationis significatio subest. Conferri potest (nam Handius non satisfacit) huius orationis locus e codd. emendatus 9, 24, de Fin. I, 1, 3 [et quæ ibi adscripsi], Tus-
31 cul. III, 9, 20, de N. D. II, 30, 77. Sed restat aliud occultius mendum. *Germanis* enim hic nihil est loci, quibuscum nec ulla omnino illa ætate erant fœdera (Ariovisto, Galliæ partem tenenti, concessum regis et socii nomen huc non pertinet), nec unquam huius generis fuerunt, quibus illi Romanis certa condicione parerent. Nec inter eos et Romanos eiusmodi commercia erant, cavendum ut esset, ne Germani populi civibus exhaurirentur. Deinde Cicero progreditur enumerando, si Germanos hos seponimus, ab iis, qui Italiæ proximi erant antiquissimaque habebant fœdera, Insubribus, ad eos, qui paulo erant remotiores, Cisalpini tamen aut proximi Cisalpinis, Helvetios et Iapides Illyrios; tum, quasi vix notos, nonnullos ex Gallia barbaros adiungit. Qui igitur primo loco nominantur Germani, et longinquiores et magis barbari? Rem non dubiam manifestiorem facit alterius codicum familiæ scriptura, servata in cod. Erfurtensi; nam ceteri (nisi eorum, qui contulerunt, culpa est) eodem modo, quo Parisiensis, interpolati esse videntur, notissimo nomine illato.[1]) In Erfurtensi est *genumanhorum.* Nemo negabit scribendum esse: *Cenomanorum, Insubrium.* Cenomani Insubribus vicini erant et cum iis fere coniuncti commemorantur et apud alios et apud Livium (V, 35, XXXI, 10, XXXII, 30). Veterem eorum cum Romanis societatem etiam Strabo commemorat lib. V p. 216 Casaub. Nomen eorum eodem modo corruptum erat in omnibus Livii codicibus lib. V, 35, sed pridem correctum est.

Vellem tam certa ratione tamque facili reliqua huius capitis menda tollere liceret; sunt enim plura ita gravia, ut ne superiores quidem fugerint, quorum tamen nemo omnia accu-

[1]) [De collatorum negligentia non sine causa cogitabam. P a prima manu *genumanhorum.*]

rate persecutus est neque accusando neque defendendo; si id
minus licebit ob eam causam, quam antea [p. 417 huius edi-
tionis] attigi, quæque hic vel maxime patefiet, non mirabuntur 32
iam periti, partimque graviorem curationem probabunt, partim
satisfactum sibi putabunt, si vulnera nudarim falsorumque de-
fensionem sustulerim. Primum igitur, ubi edunt: *Quod si exceptio
facit, ne liceat, ibi necesse est licere, ubi non est exceptum*, in nullo co-
dice, qui quidem ullius esset momenti, ac fortasse in nullo omnino
reperta sunt hæc verba: *ubi non est exceptum*; omittuntur enim
in editionibus ante Naugerium, in P E, Oxx. 4 (de ψ, ut iam
sæpius admonui, in verbis omissis silentio credi nusquam po-
test); solus tacet Gruterus. (Itaque Garatonius, qui octo editis
voluminibus nondum perspexerat, quibus testibus uteretur, in
optimis libris inventa hæc narrat.) Iam in PE, Ox. T est *ubi*
pro *ibi* (in Ox. χ *ubi non*). Apparet, in codice primario libra-
rii oculum aberrasse in similitudine litterarum, et hanc fuisse
veram orationis formam: *liceat, ubi* [*non sit exceptum, ibi*]
necesse est licere. (Membra sententiæ eodem ordine posuit C.
Stephanus inter sui codicis scripturas.) In proximis: *Ubi est
igitur exceptum fœdere Gaditano* cet. verbum *exceptum* coniec-
tura additum esse, non e codice archetypo propagatum, osten-
dit consensus utriusque codicum familiæ (PE Guelf.)[1]); est
tamen verum supplementum. Proxima antequam attingo, totius
Ciceronianæ disputationis cursus considerandus est. Negat
primum Cicero, in fœdere Gaditano quicquam scriptum esse,
quo prohibeantur Romani Gaditanos in suam civitatem reci-
pere. Id hic breviter positum paulo post repetit et confirmat 33
c. 16. Deinde, si esset id in fœdere scriptum, sublatum esse
ait lege Gellia Cornelia. Obiicit accusator, legem Gelliam Cor-
neliam fœderi non derogare, quum in ea exceptum sit, si quid
sacrosanctum sit, sacrosanctum autem sit fœdus Gaditanum.
(*Exceptum, inquit, est* PABE pro *est, inquit.*) Hoc negat Ci-
cero, illud aperte confitetur; ipsa enim legis verba ponit: *si
quid sacrosanctum est* (sic recte Aldus pro *esset*), omnemque
vim argumentationis eo convertit, ut id in fœdus Gaditanum
non cadere doceat; nam et posse de fœdere ad populum latum
esse et tamen id non esse sacrosanctum, si certa formula

---

[1]) [Accedit nunc Bern. antiquior. 1842.]

desit, et de illo fœdere nihil esse latum omnino (cfr. c. 17 init.). Nec erat tam ineptus accusator, ut de lege simpliciter mentiretur; nec id Cicero non multis verbis persequeretur, si negaret omnino sacrosancta excepta esse, et, etiamsi tanquam minus firmum relinqueret, significaret tamen, se dare, quod necesse non esset. Iam apparet, quam prave scribatur: *Quid fuit in rogatione ea, quæ de Pompeio a Gellio et a Lentulo consulibus lata est, in quo aliquid sacrosanctum exceptum videretur?* Hic enim per interrogationis formam negatur, quicquam esse exceptum. Sed ipsa, ut dixi, subiecta argumenta (*Primum enim* cet.) errorem produnt; pertinent enim ad definiendam sacrosancti notionem, ut ea, quoniam de legis exceptione concedatur, in fœdere Gaditano desideretur. Senserant aliquid emendatores recentissimorum codicum, qui, ut de sacrosancto, non de sacrosancti exceptione ageretur, *exceptum* sustulerunt, velut in duobus Oxx. et aliis; sed in corrigendo aberrarunt; nam quid esset sacrosancti in lege Gellia Cornelia, admodum inepte quæreretur. Tollendum fuerat alterum vocabulum, antiquissimum interpretamentum, ob præcedentem sa-
34 crosancti mentionem et ob sequentia imperite additum. Hoc quærit Cicero: *Quid fuit in rogatione ea, quo aliquid* (eiusmodi, quale tu vis, velut fœdus Gaditanum) *exceptum videretur?* Excipit enim tantum sacrosancta; istud autem sacrosanctum non est. *Primum enim* cet.

Sequitur: *Sacrosanctum esse nihil potest, nisi quod populus plebesve sanxisset* adeo pravo plusquamperfecti usu, ut colorem non recipiat. Multo tamen probabilius, non solum ad sermonis legem rectius, restituetur *sanxit* quam *sanxerit.*[1]) Hanc formam nemo mutasset; illius indicativi post *si*, *nisi* in coniunctivum mutati in antiquissimis codicibus exempla sunt, velut in omnibus Milonianæ codd. præter palimpsestum Taurinensem c. 11, 30 (vid. Opuscul. priora p. 161 not.) et, quod aptissimum est exemplum, in omnibus Sestianæ codd., qui iidem huius Cornelianæ sunt, c. 7, 16, ubi scholia Vaticana veram scripturam præbuerunt.

Nondum satis de hoc capite diximus. Sequitur enim: *deinde sanctiones sacrandæ sunt aut genere ipso aut obtesta-*

---

[1]) *Sanxerit* rectum esset, si præcederet *poterit.*

tione [et consecratione] legis aut pœna, quum caput eius, qui contra fecerit, consecratur. Duas voces recte alii notarunt; deinde satis patet, infinitum (*genere ipso*) non recte iungi definitis (*obsecratione legis aut pœna*) tanquam tertium. Garatonius, deleto priore *aut*, universe dici vult *genere ipso*, quæ verba sic nude posita nullam videntur habere certam significationem. Mihi alterum *aut* ex *atque* factum videtur, frequenti mendo, ut scribendum sit: *aut genere ipso atque obtestatione legis aut pœna.* (Codices omnes habent *pœnæ* et pro *fecerit* partim *facit*, partim *fecit*, ut facile videas, quam sint omnia hic mendorum plena.)[1])

Ventum est fere ad extremum. Nam in proximis hæc 35
verba: *neque legem neque pœnam latam esse*, quæ in codicibus mediæ orationi interseruntur (*de quibus igitur, etiamsi latum esset neque pœnam neque legem latam esse, ne quem civem reciperemus, tamen id esset* cet.), a Schuetzio autem, Ernestio auctore, in alium locum transposita sunt, iam damnarunt Garatonius et Orellius, quorum iudicium confirmat nunc codex Parisiensis. Sed in Addendis vol. IV p. 2 p. 599 Orellius, mutata priore sententia probataque transpositione, scribi vult, ut est in uno codice Oxoniensi, *ratam esse*; (duo alii cum Bernensi utroque et Erf. *gratam*). Verum nihil proficitur. Nam neque lex et pœna, quæ est in lege, contrariæ poni possunt, et quid hoc est quamve habet sententiam, legem eam non esse *ratam*, quam Cicero negat unquam latam? *Pœnam non ratam* quam vir doctus velit esse, nemini impositam, ex lege, quæ nulla fuerit, prorsus nescio. Nam pœna rata si dici posset, esset ea, quæ inflicta alicui non mutaretur. Si usquam, hic tenemus partem annotationis marginalis, quam adscriptam codici archetypo scriptor codicis Parisiensis recte omisit, ii, qui ceterorum codicum auctores fuerunt, cum Ciceronis verbis descripserunt.[2])

---

[1]) In E et A etiam *quem contra fecit.* [P prima manu pronomen prorsus omittit, *fecit* omnes codices antiquiores.]

[2]) [De codice Parisiensi graviter erravit Krarupius. Verba, quæ is cum ceteris servat, emendavi Adv. Crit. III p. 145 sqq., ubi etiam superiora ex parte aliqua attigi.] Paulo ante A. Augustinum præpositionem *a* recte delevisse putabo, donec erit inventus, qui argumentis et aptis exemplis ostendat, recte dici *sacrosanctum esse a capitis consecratione.* [C. 15, 34 quanquam Parisiensi, qui habet *fœdus fecisse*, non solum

36 C. 16, 35 verba ex fœdere Gaditano excerpta sic scribuntur inde ab Ernestio: *Maiestatem populi Romani comiter conservato*; et paulo post editur post Weiskium: *Primum verbi genus hoc conservato.* Codices altero loco habent *conservandi* [P tamen a prima manu *conseruanti*], priore *conservant*; in his apertum est (ex litera *n*) pluralem numerum latere, recteque Lambinum bis *conservanto* scripsisse, quod ipsa res postulat. Si enim *conservato* scriptum fuisset de uno populo Gaditano, prorsus exclusa fuisset calumnia accusatoris, *comiter* interpretantis *communiter* de utrisque. Itaque Cicero paulo post (§ 37) idem sic dicit: *caveri fœdere, ut maiestatem populi Romani communiter conservent.* Ceterum verba: *Id habet hanc vim, ut sit ille* (pop. Rom.) *in fœdere inferior*, necessario interrogative pronuntianda sunt. [1])

In c. 17, 39 molestissima dubitatione implicamur. Quod enim inde a Naugerio et Hervagio editur (e codice aliquo, qui ad Parisiensis stirpem pertinuit), id nunc ita Parisiensis codicis auctoritate confirmatur, ut defendi debere videatur: *qui* (Gaditani) *a principio sui generis ac rei publicæ ab omni studio sensuque Pœnorum mentes suas ad nostrum imperium nomenque*
37 *flexerunt.* Sed tamen præter codicum ceterorum perturbatam scripturam: *a principio sui generis aut studio rei p. hi ab omni*, in qua apparet, vocabulum *studio* errore præceptum esse, hæremus in ipsa sententia, quæ ridiculam exaggerationem habere videtur. Nam in ea, quæ nunc est, verborum coniunctione (*a principio sui generis ab omni studio*) verba *a principio sui generis* nisi de tempore intelligi nequeunt, frustraque Abramius aliter enarrare conatur; et tamen Gades pluribus sæculis ante fuisse, quam Romani in Hispaniam venissent, ne Romanis quidem igno-

Oxx. duo, sed nunc etiam uterque Bernensis adiungitur, tamen ex *iecisse* (E, Oxx. 2) recte factum videtur *icisse*, quod et apud Ciceronem (in Pison. § 28 E, Oxx.) et apud Livium (XXI, 18, XXXI, 2, XL, 8) et apud Tacitum (Ann. XII, 62) illo modo librarii corruperunt. Recta forma huius perfecti servata est in codice palimpsesto libr. de Re p. II c. 7. Nonius et Priscianus in ea Cælii et comicorum auctoritate utuntur. 1842.]

[1]) § 38, ubi editur: *maiestatem illi nostram conservare deberent*, PABE et edd. vett. habent *servare*; recte tamen alii alterius familiæ codices (Oxx.) verbum compositum, quod in hac formula proprium erat, tenere videntur; nam supra quoque c. 13, 31 in PABE pro *consecuti* scriptum est prave *secuti*.

tum erat. Itaque fieri sane potest, ut in illo *hi* aut *his* eiusmodi subsit mendum, quod si sublatum fuerit, verba *a principio sui generis* in aliam sententiam transferantur.[1]) Garatonii quidem conatus non uno modo reprehendi possunt. Sed in proximis manifestum mendum est; editur enim: *quos, quum maxima bella nobis inferrent, mœnibus excluserunt, classibus insecuti sunt, corporibus, copiis, opibus depulerunt.* (Scr. e PBE *opibus, copiis.*) Sed qui potest in apertissima anaphoræ figura, quum præcesserit de Gaditanis: *qui a principio*, sequatur de iisdem: *qui et veterem* et deinde: *quorum mœnia*, his interponi pronomen *quos* relatum ad Carthaginienses? Ac ne nominati quidem sunt Carthaginienses; nam *Pœnorum* commune est nomen (vid. 14, 32 et, quem Garatonius antestatus est, Liv. XXVIII, 39, tum de Fin. IV, 20, 56 et fragmentum 37 libri III de Re p.). quod qui hoc loco de solis Carthaginiensibus intelligunt, *sensum Pœnorum* interpretari coguntur contra omnem usum loquendi de animo Carthaginiensibus dedito, quum dicatur de 38
Pœnorum communi voluntate et cogitandi ratione.[2]) Iam codices boni, mali (PABE, Oxx. duo, Barb., Guelf.) habent *qui*, quod perspicue rectum est; sed simul patet excidisse vocem, quæ hostes significaret. (Cfr. ad c. 14, 32 de voce *exceptum*; infra c. 20, 46 vox necessaria *summa* exciderat in codice archetypo, c. 20, 51 *donarit*, ut intelligitur e PAE). Passivam formam *inferrentur* codices boni et deteriorum longe plures servant (etsi habent *ferrentur*, etiam AB), ut fortasse post *nobis* nomen et præpositio exciderint. Deinde editur: *ipse Hercules itinerum*, pronomine vitiose redundante et æqualitatem membrorum turbante; verum tertiæ familiæ codices (E, Oxx. T et χ, ed. 1472) habent: *Hercules itinerum*, Par. corrupte, sed ut idem subesse appareat: *Hercules ipse u. rum* (sic).

---

[1]) [Fefellit me hic quoque Krarupii error; nam P eandem habet scripturam, a qua ceteri perpaulum deflectunt: *quia principio sui generis aut studio rei P. ii* (posterior *i* in rasura) *ab omni studio* cet. Sublata voce *studio* tenendum videtur, quod Naugerius Hervagiusque posuerant: *qui a principio sui generis ac* (*atque*) *rei publicæ ab omni studio sensuque Pœnorum* cet., ferendaque exaggeratio oratoria, qua Gaditani dicuntur inde ab illo tempore, quo sui generis esse et suam rem publicam habere cœperint, se a Pœnis seiunxisse et ad Romanos inclinasse.]

[2]) Pro Scauro tamen § 42 Cicero Pœnos a Phœnicibus distinguit.

Insignior emendatio adhibenda est verbis iis, quibus Cicero c. 18, 41 confirmat, hospitium Gaditanos cum Balbo publice fecisse. Scribitur: *Proferam testes, proferam legatos: excitabo laudatores, quos ad hoc iudicium, summos homines ac nobilissimos, deprecatores huius periculi missos videtis.* Fœdam vero maculam. Quis enim testes et legatos *proferre* se dixit, tanquam manibus gestaret, quum *produceret*? Nam reliqua prætermitto, verbum bis positum illepide, testes a legatis, qui optimi erant testes, seiunctos iisque præpositos, a legatis autem laudatores separatos, qui sane iidem erant. Iam codices videa-
39 mus, e quibus PABE (nam Gruterus de suis tacet, ceteri interpolati sunt) habent: *proferam testeseram* (AE *testesseram*, B *testesferam*) *legatos excito* (hoc etiam Oxx. χ. ψ, ed. 1472, 1480) *laudatores ad hoc iudicium* cet. (*quos* omittunt etiam Oxx. Hχ, edd. vett.). Hinc prodit nullo negotio elegantissima scriptura: *Proferam tesseram; legatos excito; laudatores ad hoc iudicium — missos videtis.* Hospitalem tesseram absoluta oratione prolaturum se promittit; legatos præsentes iam nunc surgere iubet, cuiusque sint dignitatis homines, ostendit. Græci vel potius Græco similis moris est tessera hospitalis non minus quam ipsa hospitii inter civitatem et privatum constitutio.[1]) Mox redundantem post ablativos consequentiæ particulam *tum* (*Re — inaudita —, gravissima tum* cet.) ferrem, si codices consentirent, quanquam nulla hic eius ponendæ causa est, quæ esset, si asseveranter diceretur *tum demum* (vid. Cic. Fin. IV, 13, 32, in Verr. Act. I, 10, 31, de Orat. II, 77, 315, Schwartz. ad Tursell. p. 1035 ed. 2), et incommodum locum tenet; nunc, quum codd. (PABE) et edd. vett. habeant *autem*, mendum video, emendationem non video.

Paulo post (42) pusillus error omnes editores fefellit; neque enim quum, qua simus voluntate, ostendimus, *iudicium* voluntatis nostræ interponimus, sed *indicium*. Tum § 43, ubi est: *ne intersæptum sit iis iter perpetuo*, codices (PABE, Ox. 1, vett. edd.) reponi iubent *sæptum*; ubi autem editur: *Quis enim nostrum est*, scribendum est meliore ordine: *Quis est enim nostrum* (PABE).

---

1) [Vid. lex col. Iul. Gen. IV, 3, 4, p. 125 Bruns., Huebner in Hermæ vol. V, 371 sqq.]

Capite 19 extremo, ne quis cum Ernestio et Schuetzio, Garatonio et Orellio non improbantibus, e codice pessimo Guelferbytano scribi malit *arbitremur*, ubi editur *arbitramur* (*Quos igitur prudentissimos interpretes fœderum — esse arbitramur?*), aut ex Erfurtensis scriptura *arbitrabamur* efficiat *arbitrabimur*, dicendum est breviter de re non ignota, sed cuius 40
oblivisci videantur interdum viri docti, quod raro data opera expositum de ea est. Nam Latini quum semet ipsos aut inter se interrogant, quid faciendum sit, sæpe, quemadmodum nos et Germani in familiari sermone, tanquam de re, quæ iam fiat, indicativo modo præsentis temporis utuntur; fere autem constanter id faciunt, quum aut de ea re quærunt, quam se facturos non dubitent, aut de sententia et iudicio ita interrogant, ut non tam deliberent quam aut necessarium iudicium significent et non discrepans aut ex aliis, quam sententiam se suscipere velint, quærant, qua forma utimur etiam in refellendo. Nostri homines hic sæpe aut coniunctivum requirunt aut futurum. Et tamen quæritur quodammodo de facto. Prioris generis exempla sunt apud Ciceronem [p. Quintio c. 16, 53 (*quid ago?*),] in ep. ad Att. VII, 20, 2 (*Extra Italiam quid ago?*), XIII, 40 (*Quid mi auctor es? advolone an maneo?*), XVI, 7, 4 (*Nunc quid respondemus?*), apud Terentium autem in Heaut. II, 2 (3), 102 (*Quid ago nunc?*), Phorm. III, 3, 7 (*Quid ago? Quid agam?* magis est hærentis nec exitum reperientis), Eun. III, 1, 44 (*Purgone ego me?*). Eodem modo Ovidius Am. I, 2, 9: *Cedimus an subitum luctando accendimus ignem?* Iuven. III, 296: *In qua te quæro proseucha?* Seneca [Ep. 48, 4: *cui accedo? in utram partem ire iubes?*] Herc. Oet. 972, 973: *Exigam pœnas tibi Reddamque vitam? Fata an extendo mea, Mortemque, coniux, ad tuas servo manus?* (ubi notanda coniunctio). Nota est victimarii sollemnis interrogatio: *Agone* (Ovid. Fast. I, 322). [Iure Wesenbergio meo (Emendatt. Cic. Epistol. p. 81) notabile visum est, quod scriptum est ad Att. XVI, 8, 2: *Nunc tuum consilium exquiro. Romamne venio? an hic maneo? an Arpinum — ἀσφάλειαν habet is locus — fugiam?* Mutare conanti minus assentior, quum ipse, diligentissimus talium investigator, simillimum locum ex orationis pro Quintio 41
c. 17, 54 adscripserit. Utroque loco Cicero mihi videtur in hac familiaris sermonis imitatione, præcedente *quæro* aut *exquiro*,

a directæ interrogationis forma in altero membro transisse ad pendentis formam: *quæro, postulemne — an denuntiem.* 1842.][1]) Apud Ciceronem libr. I de Legg. c. 21, 56 nunc ex uno pessimo codice editur: *Quamnam igitur sententiam dicemus?*, quum ante recte scriptum esset *dicimus.* Posterioris generis prior species (qua consilium non dubium faciendi significatur) est apud Cic. de Orat. III. 5, 17: *Imusne sessum?* et Virgilium Æn. XI. 389: *Imus in adversos?* quod Heynius et Forbiger parum subtiliter enarrant. Secundam speciem, longe frequentiorem, hæc ostendunt: Cic. Læl. c. 7, 24: *Stantes plaudebant in re ficta; quid arbitramur in vera facturos fuisse?* huius orationis c. 24, 54: *Num fundos igitur factos populos Latinos arbitramur Serviliæ legi?* pro Cæc. c. 17, 50; de Nat. D. I, 29, 80: *Ecquos si non tam strabones, at pætulos esse arbitramur?* ibd. III, 30, 75: *Hanc igitur tantam a dis immortalibus arbitramur malorum sementem esse factam?* Tuscul. IV, 25, 55: *Num aut egisse unquam iratum Æsopum aut scripsisse existimamus iratum Attium?* ubi quod librarii interpolatores in paucos codd. intulerunt *existimas*, in idem incidit Bentleius, a vetere loquendi genere aberrans; de Divin. I, 39, 84 (*an exspectamus?*); Lucret. VI, 1105: *Nam quid Britannis cælum differre putamus Et quod in Ægypto est, qua mundi claudicat axis?* Iuven. Sat. IV, 28: *Quales tunc epulas ipsum glutisse putamus Induperatorem?* (Male Rupertius ex paucissimis codd. *putemus.*) Hæc quum considero, infra c. 24, 55, ubi in cod. archetypo fuit: *Num igitur aut fundos factos Velienses — arbitrabamur?* (PE. Oxx. 2, edd. vett.), rectius emendari puto *arbitramur* quam *arbitrabimur*; in Divinat. autem in Cæc.
42 c. 14, 47 prorsus scribendum censeo: *quem te in ipsa pugna fore putamus?*[2]) Coniunctivus non magis hic defendi potest quam in secunda persona II de Fin. 23, 76: *quem clamorem — futurum putes?* [ubi nunc quædam annotavi. Præsens pro futuro restitui ex optimis codicibus in Cat. Mai. c. 9, 29: *an ne eas quidem vires relinquimus senectuti* cet. 1842.]

---

[1]) [Aliter iudicavi postea in epistola ad Halmium huic volumini extremo adiecta.]

[2]) Diversum est, quod Cicero Tusc. I, 32, 79 sine particula dixit: *Credamus igitur Panætio —?* ut esset: Fierine possit, ut credamus?

C. 20, 47, ubi nunc legitur: *si tanta bella legisset, quanta gessit et confecit, si tot consulibus meruisset, quoties ipse consul fuisset,* iure offendunt editores in hac inæqualitate, *gessit, confecit, fuisset.* Qui autem librariorum morem novit, dubitare non potest, quin, quæ Abramii fuit coniectura, ab illis coniunctivus profectus sit, non indicativus (cfr. supra ad c. 14 p. 34). Syntaxis postulabat coniunctivum in reddenda Marii oratione; sed peritura erat contraria relatio rei fictæ et veræ, quæ esset, si ipse Marius loqueretur: *si tanta bella legissem, quanta gessi.* Itaque ut hæc servaretur, Cicero, tanquam ex sua persona, indicativos posuit etiam in obliqua oratione. Hoc parvum est: illud maius, quod gravem perturbationem orationis Ciceronianæ in hoc capite accidisse in illo codice, ex quo nostri orti sunt, doceri potest. Nam § 46 Cicero dicit de Mario: *Is igitur M. Annium Appium, fortissimum virum, [summa] virtute præditum, civitate donarit, quum Camertinum fœdus sanctissimum atque æquissimum sciret esse.* Nihil præterea. Qui fit igitur, ut Marius in defensione ficta sic loquatur, 45
tanquam non unum istum in civitatem receperit, sed multos: *a se ex coniunctissima atque amicissima civitate fortissimum quemque esse delectum?* Ac non solum ex una civitate, sed ex duabus: *neque Iguvinatium neque Camertium fœdere esse exceptum.* Itaque Garatonius alterautra civitate libenter cariturum se ait, nisi forte duarum civitatum fuerit Annius ille; quod sane paulo apertius dixisset Cicero. Sequitur: *num quis eorum* cet. Et ab his seiunguntur ii, quos Marius ex coloniis Latinis beneficio legis Apuleiæ cives fecerat. Quid igitur sibi vult hæc plurium commemoratio et Iguvinatium, quum unum Camertinum initio nominarit? Nimirum ibi Cicero non de uno dixerat, sed de pluribus; sed reliquorum commemoratio in describendo omissa est. Ea ut qualis fuerit intelligatur, attingendum est, quod legitur c. 22, 50. Ibi post Cn. Pompeii mentionem subiiciuntur hæc verba: *quid? cohortes duas universas Camertium?* quæ si ad Pompeium pertinerent, saltem scriptum esset: *quid? idem* —. Sed res certa est duplici Plutarchi testimonio, in Mario c. 28 et in apophthegm. reg. et imperat. [p. 245 Didot.] et præterea Valerii Maximi (V, 2, 8). Marii enim hoc factum erat. Iam nec isto id loco commemorari a Cicerone poterat, ubi de Mario nihil dicit, sed, quum Marium mul-

lis verbis c. 20 et 21 commemorasset, alios imperatores, qui eius exemplum secuti erant, breviter adiungit, nec tamen ullo modo hæc res, quæ argumentum omnibus aliis longe splendidius Ciceronis disputationi præberet, ab ipso omitti tacita, quum præsertim Marii uteretur auctoritate. Et eo, quo nunc leguntur, loco illa verba expellenda esse, iure Garatonius statuit in excursu XXIII ad Planc. p. 311 edit. Orell. Verum tam reconditas rerum memorias librarii non de suo addunt.[1]) Quid multa? Hos Camertes supra § 46 Cicero commemorarat; ad eos spectant, quæ de fortissimo quoque dicuntur et Camertium fœderis mentio, ut ad Annium Iguvinatium. In hunc locum qui illa verba immigrarint, difficile est dictu, nisi ex nota marginali. Superiorem igitur locum mancum esse, certum esse puto, qui quibus verbis a Cicerone conceptus fuerit, frustra quærimus; forma tamen orationis huic similis esse potuit: *Is igitur M. Annium — præditum civitate donavit* [*ex fœderato populo Iguvinatium; idem cohortes duas universas Camertium civitate donavit,*] *quum Camertinum fœdus* cet.

C. 22, 50 codicis Parisiensis auctoritas [nunc etiam Bernensium] satis tuebitur scripturam, quam mendi nota insignitam Orellius posuit: *virum bonum, qui vivit, Ravennatem*, estque ea aptissima. Nam quum ceteri mortui essent aut ignoti, hunc equitem Rom. superesse, ipsum rei testem, Cicero dicit; deinde adiungit patriæ et fœderis mentionem. *Vivit* in alterius familiæ codd. primum corruptum in *virum* reliquos genuit errores. Ad cetera huius capitis menda in nominibus propriis tollenda parum est subsidii; sed eiusmodi ea sunt, ut, genere veræ scripturæ perspecto, ipsa nomina, quæ ne Romana quidem sunt, non admodum desideres; velut in verbis *heros novem* latet nomen Punicum, remotius tamen, quam quod Garatonio in mentem venit, Hannonis. *Novem* illud *Gaditanum* mutavit in *Gaditanos*; ubi est *Aletrinensem*, ex codd. vestigiis et hominis et oppidi nomen eruendum est. Cavendum tantum, ne tam levibus suspicionibus indulgeamus, ut aut Pompeium

---

[1]) Mirifice Orellius cohortes illas duas ex legionis vocabulo, quod subiiciatur, ortas putat. Num etiam rem ipsam et Marii factum? Sed oblitus est, cohortes illas esse in omnibus codd., *legionem* in nullo omnino.

(51) *Mamertinos omnes* civitate donasse putemus (id est, Messanæ civitatem sustulisse), aut vestigia corrupta nominis proprii deleamus, quod infimi codicis librarius voce non intellecta se liberarit. Extremo capite gravius mendum subest: nam nec Ennius dixit: *quisquis erit, cuiatis siet,* modo verbi prave variato et coniunctivo solœco, nec *cuiatis* est *cuiatiscunque,* et *omnes* pro *hoc,* quod habent omnes codd. [etiam AB], levissime substitutum est. Aut Ennii aliquot verba post *siet* fuerunt, ut Ciceronis inciperent ab *habent hoc,* aut etiam *cuiatis* Ciceronis fuit, pluraque exciderunt. [Proxime ad verum accesserit hæc scriptura: *cuias quis siet, id habent nunc* (aut. ut Halmius, *hodie) leve et semper habuerunt.*]

In capite 23, 52 tollenda est interpolatio in editiones a Grutero ex aliquot codd. invecta. Editur enim: *Multi in civitatem recepti ex liberis fœderatisque populis sunt liberati. Liberati* intelligendi erunt *absoluti,* quo significatu illud verbum Cicero posuit pro Cluentio c. 22, 60, quum, præcedente *absolverent,* alio verbo uti cogeretur. Mira est autem brevitas elocutionis, omissa accusationis et criminis mentione; vitiosa etiam; nam multos accusatos, absolutos omnes dici oportebat. Illud quoque rationem non habet, quod gravissimum hoc argumentum secundo loco posuit, ex iis sumptum, qui vere absoluti essent, primo autem valde dubium, ex eo, quod aliqui propter hunc iudicum animum ab accusatione destitisse putarentur. Sed, quod caput est, res tota, quæ dicitur, falsa est, ipso teste 45 Cicerone in proximis verbis: *nemo unquam est de civitate accusatus, quod aut populus fundus factus non esset aut quod fœdere civitatis mutandæ ius impediretur.* Si nemo est accusatus, qui multi absoluti? At alia illi ratione accusati. Atqui tum nihil ad Balbi causam et ad hanc disputationem pertinent omnino, qua Cicero iudicum de hoc accusationis genere sententiam ostendit. Omnem hanc difficultatem tollit codex Parisiensis, qui, consentientibus Oxoniensibus, sine dubio etiam Palatinis præter nonum, et vulgaribus omnibus et editionibus ante Gruterum, omittit voces *sunt liberati.* Iam omnia recta: *Multi recepti in civitatem ex liberis fœderatisque populis* (ut ampla esset accusationis huiusmodi occasio): *nemo unquam est de civitate accusatus* cet. Interpolationis duplex causa fuit; nam nec, quo spectarent illa verba, intelligebatur, quæ proximis demum

adiuncta disputationem iuvant, et *sunt* nota syllepsi ex proximo *est* repetere difficile videbatur. Interpolati autem erant, si Grutero fides haberi potest, non solum codd. Erf. et Pal. 9, sed etiam St. Victoris. [Recte disputavi tollendum esse vocabulum *liberati*; de cod. Par. decepit me Krarupii error.]

Paulo post (53) pro *ictum* in Erf. est *esse cum*, in Ox. ψ et ed. 1472 [AB] *esset cum*, in Par. (nisi manus amici mei aberravit) *esset*. Scribendum est: *esse ictum*, plene et Ciceroniane. [Etiam P *esset cum*.]

Deinde extrema huius capitis (54) sic Orellius edidit, probabilius profecto, quam vulgo erat: *An lingua et ingenio patefieri aditus ad civitatem potuit, manu et virtute non poterit?*
47 *anne de nobis trahere spolia fœderatis licebat, de hostibus non licebit? an, quod adipisci poterant dicendo, id eis assequi pugnando non licebit?* Sed quod optimas se secutum auctoritates dicit, exigua sane ante hoc tempus, nisi quando Gruterus aliquid e bonis codd. protulerat (quod sæpe ipse erroribus corrumpebat), omnis erat in hac oratione auctoritas, nec ea ei valde favebat. Nunc constat, codices (PEAB) et bis *potuit* habere et ter *licebat*, tantum vulgares paululum aberrare. In Orelliana scriptura comparatur beneficium Latinis lege Servilia olim, quum nondum essent cives, concessum, ut accusando civitatem consequi possent, cum eo, quod accusator nunc aliis fœderatis eripiat, bellica saltem virtute et periculis ad eam perveniendi. Perturbatur nonnihil meritorum comparatio adscita in comparationem temporis varietate, quæ eo magis offendit, quum omnia referantur ad unum maiorum iudicium. Codicum scripturæ hæc est verissima sententia: „An hoc dicitis (tum, quum Latini illo beneficio legis Serviliæ utebantur) lingua quidem et ingenio civitatem consequi eos potuisse, non potuisse item (eodem tempore) armis? cet. Immo, qui hoc eis tribuerunt maiores nostri, ut accusando cives fieri possent, multo magis bellicæ fœderatorum virtuti eum honorem a se haberi licere putaverunt. Patet igitur, maiores ipsa illa lege Servilia, quum esset de alio modo civitatis dandæ, tamen de toto genere iudicasse".[1]) Et ad superiora tempora omnem referri disputa-

---

[1]) In vulgaribus edd. primum recte retinentur duo præterita; deinde transitur subito ad futurum, nec solum in altero membro, sed in utroque, quasi etiam nunc ista sit Latinorum condicio.

tionem (quæ tamen vim ad ea, quæ post fuerint, habeat). perspicuum est ex iis, quæ subiiciuntur c. 24, 54: *dubitandum fuit, quin, quo in genere iudicum præmia rata essent, in eodem* 48
iudicia imperatorum valerent? Non dixit: *dubitandum est, quin — valeant.*

Capitis 24 initio Orellius merito hæret in his verbis: *neque in his est hoc reprehensum*: nam neque in suasoribus legis Serviliæ reprehendi poterat tanquam vitium, quod Latinis aliquid tribuissent, nedum lege reprehendi, neque in Latinis, quod accepissent. Verum in codd. (PABE, Oxx. Hχ, ed. 1480) est: *neque his est hoc reprehensum* (ed. 1472 *neque his hoc*): scribendum est igitur: *neque ius est hoc* (quod lege Servilia constitutum erat) *reprehensum Licinia et Mucia lege.* Ex *ius* factum est *iis*, deinde *his*. In proximis: *genus ipsum accusationis et nomen eiusmodi præmium* utrum *et* ante *eiusmodi* addi debeat an gravius vulnus latere putandum sit, dubitari potest. Acquiesco tamen in Orellii coniectura.

C. 25, 56 Orellius, Erfurtensem codicem secutus, Grævi et Garatonio parens, edidit: *idcirco illa in omni parte orationis suæ arte adspergi videbatis*, non animadvertens, possessivo reflexivo locum hic non esse.[1]) Deinde *arte* sic nude dici ne- 50
quit: nam Brut. c. 31, 118 est *certa methodo et regula*: (διὰ τῆς τέχνης [τῆς] λογικῆς, ut interpretatur Orellius, nullo modo esse potest: neque enim, quo auxilio, sed quomodo Stoici disserant, dicitur). Iam *sua arte*, quod et in Par. et in ceteris codd. [etiam AB] est (ut illud singulare Erfurtensis mendum esse pateat), ferri nequit: recte itaque emendatum est in uno Oxon. *summa arte* (*sūa* pro *sua*).

---

[1]) Ubi *suus* pro *eius* videtur poni, semper est *eius ipsius* (contrarium *alieno*); quo pertinet etiam, quum *sui* intelliguntur *propinqui*. Ramshornius p. 543 sqq. duo habet contraria exempla, alterum ex Cic. Philipp. IV, 2, 4 corruptum (recte Vatic. et ex eo Muretus, Faernus, Orellius: *si C. Cæsaris fortissimorum sui patris militum exercitus non fuisset*); alterum, ut posset perverse interpretari, ipse mutilavit. Nam apud Tac. Ann. VI, 24 legitur: *etiam sua verba centurio sævitiæ plena, tanquam egregium* (hæc omisit Rshn.), *vocesque deficientis adiecerat.* Gloriatus erat centurio, quam sæve Drusum tractasset. Ramshornius *sua* vult esse *Drusi*!

Extremo capite (57) prave scribi puto: *obiectum est etiam, quod in tribum Crustuminam* (vel potius *Clust.*, ut est in PABE) *venerit*; neque enim in opininione id situm erat et criminatione, sed res confessa obiiciebatur; itaque requiritur *venit.*

In capite 26, 59[1]) editur: *Non modo non exsultavit in ruinis nostris vestrisque discordiis Cornelius, sed omni officio, lacrimis, opera, consolatione omnes, me absente, meos sublevavit.* In codicibus PAE est *vestris nostrisque*, in aliis aliter commutantur pronomina, in qua re exigua est codicum auctoritas. Sed *discordias* hoc loco incommode nominari, Ernestio et Garatonio assentior; nam supra Cicero, quum omnem rem publicam contrariasque etiam sibi Cæsaris et Balbi partes complectebatur, recte *in nostris discordiis* dixit; eorum, qui tum aliquantisper victi sunt, in quorum oppressione negat Balbum exsultasse, discordiæ nullæ erant; et omnes iudices Cicero tanquam suarum in illa dissensione partium alloquitur iisque Balbum ob moderationem commendat. Omnino post illa: *in me unum — incumberet*, se solum suaque commemorare potest. Sed apertius fere additamentum in proximis nemo adhuc vidit. Quam est enim ridiculum: *lacrimis meos sublevavit*! quod ne Ciceronis culpa ridiculum esse putetur, prohibet primum numeri dissimilitudo, plurali hoc uno inter tria singularia interiecto, deinde inepta et coacervationi contraria separatio notionum cognatarum; nam *officio, opera* necessario coniungenda sunt. Nec *omni* ad *lacrimas* aptum est, ad cetera tria aptissimum. Sed, ut dicam, quod sentio, illas lacrimas non casu pæne incredibili hic ortas, sed ex superiore versu huc delatas

---

[1]) Initio capitis (57) in eo codice, ex quo nostri orti sunt, fuit: *in circulis idcirco vellicant* (PABE Oxx. 4), sed nihil in eo vulgata scriptura verius latere puto; deinde pro *maledico dente* in P [AB] est *maledente*, in E *maledentes* (hinc in Oxx. 4 *maledicente*). Mihi quidem *dens maledicus* non placet; nam animi affectus non inepte transferri ad dentem potest (ut *inimicus* dicatur), eius rei adiectivum, cuius ipsa imago dens carpens est, sermonis invidi, ineptissime transfertur, ut dens *dicat*. Fortasse fuit *maligno dente*. Codicem archetypum in hac extrema parte valde indiligenter scriptum fuisse, multa ostendunt; nec librarii, qui Parisiensem scripsit, ad finem perduravit diligentia.

puto (quemadmodum c. 21, 48 in omnibus codd. nomen *Spoletinus* ex superioribus repetitum est inter *accusaret* et *dixit*, exclusa negatione, quum ibi omissum esset errore; c. 29 autem, § 46, in secunda et tertia codicum familia ex his: *religione, æquitate. Is igitur* effectum est: *religionis igitur æquitate*), indeque natam alteram interpolationem credo. Fuit igitur fortasse a Cicerone sic scriptum: *in ruinis nostris lacrimisque*. Quum esset *in ruinis nostrisque*, geminatum propter particulam pronomen est et substantivum adiectum.[1]) Nisi 51
cui magis placet, fuisse: *in ruinis nostris vestrisque lacrimis*; sed lacrimas iudicum commemorari Ciceronis casum mœrentium, nimium videtur.

Extrema denique oratione (c. 28, 63) editum est: *In prætura, in consulatu præfectum fabrum detulit*, quod interpretantur, Cæsarem Balbum in beneficiis ad ærarium detulisse. Sed negat, et iure, Manutius, Cæsarem, qui nondum provincia consulari decessisset et etiam nunc Balbum præfectum fabrum haberet (64), eum iam deferre potuisse. Est alia maior difficultas. Qua enim ratione *in prætura, in consulatu* detulit? Neque prætor neque consul præfectum fabrum habuit aut detulit, ut qui nullum exercitum regeret; in provinciam demum præfectum duxit. Neminem autem fore puto, qui *in prætura* velit esse: *ex provincia, quam pro prætore rexit*, *in consulatu* autem: *ex consulari provincia*. Quanquam, nisi admoneam, sint fortasse, qui me doceant, prætorem dici etiam eum, qui pro prætore sit, præturam similiter scilicet accipi statuentes de proprætoris administratione, de consulatu autem non cogitent. Sed et in prætura et in consulatu Cæsar præfectum fabrum sibi delegit, quum post magistratum ad exercitum esset iturus. Hoc est, quod Ursinus e codice suo, id est, e coniectura Pantagathi, scribi vult: *præfecturam fabrum detulit. Deferre alicui legationem, præconium, accensi locum, præfecturam* (ad Attic. VI, 1) proprie dicitur.[2])

---

[1]) De c. 27, 60 dixi antea p. 8. In § 61 prave additum *aliquam* (quasi una aliqua sententia moderanda esset, ac non universa sententia, id est, tota de rebus publicis sentiendi ratio) recte omittunt PE; nec Bernenses codd. discrepabunt, nec discrepabant S. Vict. et Pal. 9.

[2]) Etiam consules, qui pro consulibus essent, appellatos interdum, fuerunt, qui statuerent. Perizonius in Animadverss. Hist. c. VII p. 309,

Paulo post (64), ubi enumerantur viri clarissimi, qui
52 civitatem hominibus populorum fœderatorum dederint, recte codd. (PE) Cn. Pompeio subiiciunt *M.* Crassum, ut erat in editionibus ante Orellium. Nam a proximis, qui etiamtum vivebant, incipit orator et ab iis ad mortuos venit. Deinde autem pro L. Crasso (P) aut D. Crasso (ABE, Oxx. 2, Barb.) substituendus est P. Crassus.[1])

Hæc habui, quæ de oratione Corneliana dissererem, quum menda aut tollerem codicum auxilio et coniectura aut arguerem saltem latentia; cuius orationis quot quamque et gravia et vetera essent vulnera, nemo adhuc perspexerat; nunc, opinor, nemo de ea re dubitabit nec mirabitur, quædam sanari non potuisse. Perventum est igitur ad finem eius disputationis, quam opportunitate codicis egregii Parisiensis adhibendi excitatus per quinque Tullii orationes ita sensim perduxi, ut certæ emendationis fructus non pænitendus colligi videretur. Nec tamen Parisiensis illius codicis bona omnia exhausimus. Nam in eo præterea (et similiter, ut ex Sinneri catalogo video, in Bernensibus, ut hinc quoque communis origo appareat) scriptæ sunt orationes illæ, quas Marklandus et Wolfius a

---

Dukerus ad Livii l. XXVI, 33, Garatonius ad Cic. Verr. III c. 91, parum illi caute oblivionem quandam scriptorum in re ipsa notanda ad usum loquendi transferentes. Consulatum pro proconsulatu dictum nemo putavit.

[1]) Extrema oratione, ubi legitur: *senatum* (reum esse), *qui persæpe hoc iudicarit, populum, qui iussit, iudices, qui approbarunt*, pro *persæpe* PABE [Gembl. prima manu] habent *se*, quod ex illo ortum non est, [quum præsertim quod editur sententiam habeat manifesto pravam; neque enim senatus *hoc* iudicavit, id est, multos claros imperatores homines fœderatos civitate donasse, sed eos hoc iure et legitime fuisse.] Ad sententiam aptissimum esset, sed a vestigiis longe discedit: *qui licere hoc iudicavit.* [Scribendum est: *qui licuisse hoc iudicavit.* Librarii oculus a *qui* ad *cui* aberrans effecit: *quisse hoc.* Recte præteritum ponitur; senatus iudicavit, imperatores recte fecisse atque ita facere eis licuisse.]

Cicerone abiudicarunt; quorum disputationem qui disceptare volet, is, si ratione rem aggredi cupiet, ante omnia, quod et accusatores et defensores neglexerunt, horum codicum ope in verbis emendandis elaborabit; perspicietur enim, non pauca studiose et accusata et defensa esse, quæ sæculo quarto aut quinto decimo nata sint.

XIV (II).

De formarum quarundam verbi Latini natura et usu disputatio.[1])

60 Quum ante hos duodecim menses in indicenda magistratus academici mutatione de emendandis duabus Ciceronis orationibus novam disputationem post superiores plures eiusdem generis ordiens, quæ postea absoluta est, animum criticarum quæstiuncularum minutiis fatigatum scriberem aliorum argumentorum varietate exhilarari cupere, ne ipse quidem putabam, ex grammatica potissimum disputatione, cuius eandem esse exilitatem plerique iudicabunt, me eam varietatis delectationem petiturum esse. Et tamen quum sic acciderit, ut ad

[1]) [Edita bipertito a. 1835 et 1836. Quæ de vetere verborum Latinorum futuri temporis forma in *so* cadenti exposui, eorum partem attigit a. 1837 A. Benary in libro de sonis linguæ Latinæ (Römische Lautlehre) p. 273. Veram rationem perspexit etiam C. O. Muellerus in annotatione Festo addita (a. 1839) p. 167 et p. 351. Illud sane me fugerat, iam a. 1816 Boppium, V. Cel., in libro de verborum in lingua Sanscrita flexione p. 98 de *faxo* recte iudicasse, de *faxim*, quod præsens facit, non prorsus recte, de *faxem* minus bene. Summas eorum, quæ hic exponuntur, nunc ad libri scholastici brevitatem contractas et ad discipulorum captum accommodatas posui, ut debui, suis locis in grammatica Latina, quam superiore anno edidi. 1842.] [Quæ God. Hermannus, vir ab linguarum comparatione et ab historica sermonis sensim exculti perscrutatione toto studiorum et iudicii genere alienus, contra disputavit, non attingam.]

scholarum mearum rationem, ad quam in hoc scribendi genere argumentorum delectum libenter accommodo, aptissima vide- 61
retur huiusmodi quæstio, non defugi eam, potiusque, quum res grammaticas antea sæpe in scribendo carptim attigissem, aliquando locum aliquem totum pertractare iucundum visum est, si huiusmodi adventicia iucunditate opus est in iis, quæ quamvis sint per se ad speciem parva, ipsa coniunctio rerum disciplinæque universæ copulatio et series postulat, ut diligenter quæramus. Constitui igitur formarum quarundam verbi Latini rationem et usum explicare, de quibus parum videbam recte et accurate tradi ab iis, qui et formarum ipsarum habitum et cognationem et earum usum diligentissime et subtilissime persecuti esse iudicantur, maxime earum, quæ ad tempus futurum exactum, quod dicitur, pertinent, et earum, quæ ab his sunt ad alia tempora significanda derivatæ. De his enim formis ne ea quidem, quæ ad communem usum præcipiuntur, satis esse perspicua et distincta sentiunt plerique, interiora et remotiora perscrutanti quinam removendi sint errores, ipsa disputatio demonstrabit.[1]) Sed ea antequam longius progredi potest, attingenda breviter est universa distributio formarum earum, quibus temporis discrimina significantur. Nam quum a Varrone et Prisciano commemoraretur divisio quædam temporum verbi orta non a contemplatione orationis ea, quæ a natura ad eloquendum proposita sunt, formis suis subsequentis, sed ex artificio quodam Stoicorum, a grammatica alieno, ea primum ab Harrisio Britanno revocata et exornata est, deinde a Fr. A. Wolfio Germanis ita commendata, ut iam nemo fere ab ea discedere audeat. Perfectæ enim et imperfectæ actionis, quam Varro infectam appellat, significatione tempora verbi distin- 62
guunt. Harrisius etiam inchoandam actionem addebat, nunc iam explosam. Itaque quum γέγραφα et *scripsi* dicatur aut *Fuit Ilium* aut βεβίωκε ὁ δεῖνα, præsens tempus significari volunt actionis perfectæ, apertissime rerum naturæ repugnantes et actionem cum actionis negatione et sublatione confundentes. Deinde quum ad eam verbi formam ventum est, quæ in præ-

[1]) Iam apud antiquos de his formis disputatum est. Vid. Gell. XVII, 7 et XVIII, 2.

terito præcipua est, qua in narrando utimur (ἔγραψα et *scripsi* alio modo), hærent, eamque, quia includi in descriptum ordinem, quod *schema* appellamus, non potest, vagari patiuntur. Atqui debebat includi; nam qui narrat, quid gestum sit, sane res perfectas narrat. Sequamur igitur in temporibus dividendis naturam ducem, intelligamusque, loquenti non propositum esse, quod demonstret, discrimen perfecti et imperfecti, notionum a grammatica alienarum, sed id eum declarare, quem locum ea visa, quæ verbis concepta proferat, in ordine actionum temporis momentis discretarum teneant. Itaque quum tria sint prima et summa temporis discrimina, præsens nullam ultra divisionem admittit; sed præterquam quod actionis præteritæ duplex esse potest significatio, altera simplex, quum narramus, altera (γέγραφα), in qua sit expressa exclusio temporis præsentis (adeo non est præsens), quam Latina lingua non habet propria forma expressam, omnis et præteritæ et futuræ actionis locus ita determinari potest, ut ratio habeatur alterius actionis sive præteritæ sive futuræ, in cuius tempus si animum transtulerimus, illa aut præsens (quæ imperfecto Græco et Latino significatur) aut præterita (quod in præterito plusquamperfectum appellamus) aut futura appareat; ex quo oriuntur tempora relativa, quorum eatenus aliis actiones perfectæ, aliis
63 infectæ significantur, quatenus omne præsens et futurum infectum est, perfectum, quod præteriit.[1]) Hanc igitur temporum descriptionem ita teneamus, ut nec omnia æque necessaria

[1]) Exemplo hoc loco ostendam, quam inscite nonnulli huiusmodi res tractent, quod, quum abstractarum, quas vocant, notionum vocabulis valde delectentur, eas tamen firmiter concipiendi et tractandi arte prorsus carent nec, quibus finibus contineantur rationes notionesque ad sermonem et grammaticam pertinentes, constituunt. Nam is, qui inter recentissimos copiosissime de grammatica Latina scripsit, [Ramshornius,] in libro suo § 50 p. 91 ad hanc communem consuetudinem posuit, quod omnes intelligerent, præsens, perfectum, futurum esse tempora absoluta, simplicia, imperfectum autem, plusquamperfectum, futurum exactum relativa, composita; sed in syntaxi § 163, oblitus sui (etsi ipse ad § 50 lectores remittit), imperfectum ponit inter tempora absoluta, perfectum inter relativa, non verbo, ne quis in eo erratum putet, sed tota tractatione. Quid putamus huic absolutum esse, quid relativum?

neque per se neque in omnibus linguis esse sciamus (potest enim alio modo eidem rei esse prospectum), et in singulis linguis eam accommodemus ad ea, quæ earum sint in formis fingendis propria. Tum in formarum usu a prima origine repetendo meminerimus, non ad explicatam et quasi in tabula dispositam descriptionem earum rerum, quæ significandæ essent, ortas et compositas esse formas grammaticas, cogitemusque, quam facile maxime eæ, quæ non in rationibus primariis indicandis positæ sint, propter notionum propinquitatem ad alios, quam quibus destinatæ fuerint, usus traducantur.

Actionis futuræ, quæ, quum simul mente concipiatur ulterius futuri temporis momentum, hinc spectata præterisse videatur, — præteritam in futuro appellant, — huius igitur actionis tempus in grammatica Latina futurum exactum dicimus, eiusque significandi potestatem certæ verborum formæ habent.[1] Sed eæ vulgo omnes confunduntur, quum sint et 61
origine et usu aliquantum diversæ; et quum eæ formæ, quæ hinc in modum coniunctivum descendunt, etiam ad nudum præteritum tempus significandum sensim traductæ sint, factum est, ut huc omnia grammatici referrent et in usu huius coniunctivi explicando inverso ordine a perfecto ad futurum venirent, vel potius futurum prorsus excluderent. Qui error eo usque progressus est, ut non deessent, qui vel indicativum futuri exacti ea via ortum putarent. Itaque ordine progre-

[1]) Est aliqua in ipso nomine dubitatio. Vulgo enim omnes scribunt (Ruddimannus, Seyfertus, alii), M. Varronem hac appellatione usum esse; sed unde id sciant, non addunt, opinor, ea causa, quod unum auctorem habent I. G. Vossium, qui de analog. III c. 15 a Varrone futurum exactum appellari, *ut superius ipse dixerit*, scribit. Sed superius Vossius id non dixit (neque II de arte gramm. 21 aut 31, neque III de anal. 13, ubi de hoc tempore disputat), ut valde suspicer, memoria virum eruditissimum lapsum esse. In libris quidem Varronis de lingua Lat. nullum eius nominis vestigium est; nec ceteros grammaticos veteres aut ipsos eo nomine usos aut Varronis in eo auctoritate reperio. Th. Linacer (de emend. structura Lat. serm. p. 29 ed. Lips. 1555) Pomponium huius nominis auctorem facit. Putes significari locum Pomponii, qui est l. 123 D de verb. signific. (50, 16), ubi eadem disputatio attingitur, quæ apud Gell. XVII, 7 exposita est. Sed ne ibi quidem nomen reperio. Verum utamur pro recepto.

diamur, ut, explicatis formarum discriminibus, addamus, si quid erit subtilius de ratione syntactica disserendum.[1])

Antiquior est ex iis formis, quæ futurum exactum significant, ea, quæ in *so* exit, eodem modo derivata a verbi radice, quo apud Græcos futurum primum; itaque ab initio, ut mox apparebit, apud Latinos quoque futuri simplicis, non exacti, hæc forma fuit. Sed eius duplex necessario est species. Nam in iis verbis, quæ exeunt in consonantem, iisque, quæ post consonantem in præsenti addunt litteram *i* non radicalem, futurum, ut consentaneum est, simile est futuri verborum eiusdem generis Græcorum, ut *axo* respondeat ei, quod est *ἄξω*; ea autem verba, quæ vocali terminantur, formam sequuntur verborum Græcorum, quæ pura dicuntur, ut *levasso* fiat, quemadmodum *γελάσω*. Nam quod duplex est sibilans, vel apud Græcos antiquos sonum inter unam et duplicem litteram variasse, ostendit geminatio apud epicos usitata, *ἐγέλασσα*. Verborum in *i* exeuntium (quartæ coniugationis) nullæ reperiuntur huiusmodi formæ; verborum in *e* cadentium quædam, nullæ tamen eorum verborum, quæ *e* veræ radicis partem habent (*fleo*, cet.); atque eæ partim, ut perfectum eorundem verborum, impurorum verborum sequuntur rationem, ut *iusso*, partim, ubi perfectum in *ui* exit, purorum, ut *habessit*.[2]) Hæc quum tam

---

[1]) Inutilis est errorum pridem sublatorum exagitatio; itaque veterum grammaticorum, qui *fecero* coniunctivi futurum appellabant, ratio nulla a me habebitur.

[2]) Singularum formarum exempla auctoritatibus munire nihil opus est post Struvium (Ueber die latein. Declinat. u. Coniugat. p. 172 sqq.) et Hjortium (Den latinske Coniugationslære. Hauniæ 1827 p. 128 sqq.). Tertiæ coniugationis verborum et secundæ ad tertiam accedentium hæc exempla collegerunt (primam personam pono, si ea reperitur, in ceteris aliam, quæ reperitur): *faxo, axo, ausim, capso, accepso, occepso, recepso, iusso* (huius prima persona est apud Virgil. Æneid. XI, 467, sive ab antiquo poeta sumpta sive ad veterem analogiam formata; a Virgilio sumpsit Sil. Italic. XII, 175), *effexis, respexis, excessis, dixis, induxis, taxis, sponsis, obiexis, amissis* (vel potius *amisis*), *parsis, clepsit, excussit, iniexit, exstinxit, adempsit, rapsit, serpsit, surrepsit, incensit, occisit*; addo *incepsit* apud Paulum et *surrempsit* pro *sustulerit* apud Festum, ab antiquo verbo *surrimo* (de *ulso* vid. Struv. p. 179; de *emisim*, quod *empsim* esse debebat, idem ibd. et Muellerus ad Fest. p. 366); *noxit* ab *noceo* in tertiam coniugationem transeunte addit Ramshornius ex Festo v. *Tama*. Primæ coniugationis exempla, quæ

sit perspicua harum formarum ratio, mirere, eam prorsus a 66
recentioribus obscuratam esse, quum præsertim I. G. Vossius veritatem attigisset, de analog. III, 41; quanquam ipse celeriter aberrat; nam et ad paucas tantum tertiæ coniugationis formas hoc accommodat et deinde eo abripitur, ut a verbis frequentativis magnam partem commenticiis (*factare, actare* cet.) deducat, ad extremum autem a præteritis eadem licentia fictis (*faci* cet.) repetit *faceso*, inde *faxo*: cap. autem 42 *excessis* ab *excesseris* derivat, cum multis aliis errans. Plerique enim, ut unam haberent futuri exacti formam, *faxo* ex *faxero, ausim* ex *auserim* orta finxerunt, nec tantum ii, qui popularius scripserunt (ut Zumptius § 161 *ausim* pro *auserim* dictum vult), sed etiam, qui subtilius quæsiverunt. Velut Hjortius, vir doctissimus, professor Soranus, (Den latinske Conjugationslære p. 42, 75, 116, 128 sqq.) hæc omnia, quæ tertiæ coniugationis sunt, a perfectis, quæ, ubi nulla sunt, fingere licere vult, ut *axi, faxi, iaxi, occepsi* cet., ita deducit, ut syncopa quadam litteras *er* excidisse putet. Cuius syncopæ quam rationem sibi excogitarit, intelligere nequeo. Dissimillima est enim ea, qua 67
ex *dixisti* fit *dixti* ob repetitam litteram sibilantem. Eodem tamen iudicio C. O. Muellerus in libro egregio de Etruscis vol. I p. 37 *axim* ab *axerim* repetit.[1]) Quæ autem primæ et secundæ coniugationis sunt, ut *levasso, prohibesso*, Hjortius ab antiqua forma futuri verbi substantivi, *esso* (*eso*), perfecto subiecta deducit, non discedens a vera origine formæ, quæ est

---

multo sunt plura, enumerare supersedeo; [vid. nunc Neue Formenlehre d. Lat. Spr. II p. 540 sqq. ed. 2]: secundæ primam sequentis sunt *prohibessit, habessit, licessit*. Quod e Lucret. III, 445 additur *cohibessit* Wakefieldius edidit *incohibessit*; neutrum verum est, ortum utrumque ex *cohiberier* in superiore versu; nam neque id verbum ad sententiam ferri potest (non *cohiberi* animam aere, superiore versu dixerat; nunc rationem addit), nec tempus aptum est. [Id non adderem, nisi a viro perito erratum viderem, in verbis compositis tertiæ coniugationis eundem hic, atque in ceteris formis, accidere vocalis ĭ in e transitum in syllaba clausa, ut ex *perci-pio* fiat *percep-so*, quemadmodum *perceptum*. Nam male dividimus *perce-ptum*. A. 1842.]

[1]) Hjortius etiam apud Ciceronem de legibus II, 9 *rapserit* defendi posse putat. Non animadvertit vir doctus, Ciceronem, etiamsi *rapsit* esset a *rapserit*, idque Cicero scivisset, tamen non etymologiam formarum exprimere, sed veteris sermonis ipsas formas imitari voluisse.

amarero. sed, etiamsi posset *amasso* seiungi ab eo, quod est *faxo*, in multas tamen incidens salebras. Nam nec ullum est vestigium formæ non contractæ (*amaresso*), nec res procedit in secunda coniugatione; debebat enim esse *prohibuesso*; itaque fingere cogitur *prohiberesso*, ut molestum illud *u* amoliatur, quod ne sic quidem exterminari se patitur; qui enim hic magis occultaretur contrahendo quam in *prohiber-essem*? Nec tamen *prohibessem* quisquam audivit. Deinde *amar-eso* sive *amar-esso* prorsus erit idem atque *amarero*, ut nulla diiunctionis ortæ causa reddi possit. Atque hæc contra civem meum dicta sunto. Sed nihilo melius rem agit Struvius (Ueber lat. Declin. u. Conj. p. 177). Nam is apud antiquissimos perfectum coniunctivi (hanc enim per totum librum formam præponit futuro exacto, unde ducta est) et plusquamperfectum, futurum exactum, perfectum infinitivi ita formata scribit, ut radici adderent *sim*, *sem*, *so*, *se*, in prima autem et secunda coniugatione litteram *s* geminarent. (Ramshornius, qui alioquin Struvium se-
68 quitur, p. 140 sqq., hæc deducit a perfectis in *si*; itaque is, ut Hjortius, *faxi* et *axi* fingere cogitur, deinde hanc formam ex tertia coniugatione tanquam ex alieno solo in primam et secundam receptam putare.) Ex hac opinione eandem habebunt rationem hæ formæ *faxo*, *capsim*, *intellexem*, *dixe*. Multa hic virum bene de grammatica Latina meritum fefellerunt. Primum quin plusquamperfectum coniunctivi maximeque perfectum infinitivi recta via a perfecto indicativi descendant, nemo dubitare potest, quemadmodum altera et vulgaris forma futuri exacti et perfecti coniunctivi descendit.[1]) Itaque *intellexem*, *intellexe* manifestum est orta esse eadem syncopa, qua ex *intellexisti* et *intellexistis* frequentissimo exemplo fit *intel-*

[1]) Cum plusquamperfecto Latino, quod fit adiecto ad radicem in perfecti formam iam conversam imperfecto verbi substantivi (*scrips-eram*), nihil aptius comparari potest, quam quod apud Arabes fieri videmus, ubi plusquamperfecti significatio efficitur, si præterito præposueris ἐκ παραλλήλου verbum substantivum (*kataba* scripsit, *kâna kataba* scripserat). Sed apud eosdem imperfectum interdum eodem modo significatur, coniuncto verbo substantivo et futuro (*kâna jaktobo*). (Vid. Ewaldii Gramm. Arab. I § 202 et 208.) Apud Latinos imperfecti forma antiquior est nec compages tam laxa et perlucida quam plusquamperfecti. Sed eiusdem est generis *amavero*.

lexti, intellextis, extrita inter duas *s* vocali et altera *s* in concursu consonantium elisa.[1]) Rectius igitur hæc pridem a Vossio (III de anal. 42), quem reliqui sequuntur, coniuncta erant, quæ Struvius divellit. Quod ne quis dubitet, primum recte vulgo definiunt, hanc plusquamperfecti et infinitivi formam in iis tantummodo admitti tertiæ coniugationis verbis, quæ per- 69
fectum littera *s* notent, cui observationi duo ex permagna copia exempla plusquamperfecti incerta obstant, infinitivi nulla[2]); *capse, faxe, axe, taxe, obiexe* nemo unquam dixit. Deinde, ut has formas ex syncopa ortas longissime ab antiqua futuri forma diiungamus, vel id admonere potest, quod hac forma et coniunctivo inde derivato nemo post Terentium est usus, si *faxo, faxim, ausim* exceperis, ac ne is quidem nisi parcissime (bis omnino, nisi fallor, *excessis* Andr. IV, 5 (4), 21 et *appellassis* Phorm. IV, 6 [V, 1], 15), contra illa syncopa et Lucretius et Virgilius et Horatius.[3])

---

[1]) Exempla dabit, si opus est, Struvius p. 153, Hjortius p. 127, et pluralis, cuius ii nulla habent, tria saltem Ramshornius p. 139.

[2]) Exempla paulo plura quam Struvius (p. 177 et 178) habet Ramshornius p. 141. Repugnat *percepset* apud Pacuvium Cic. de Off. III, 26, ubi in codicibus est *percepisset*, sed alterum metrum flagitat, si initium versus recte habet. Non negem, Pacuvium semel analogia liberius abusum syncopam admisisse non præcedente *s*. Magis dubito de *faxem* apud Plautum Pseud. I, 5, 84, quod ad inauditum *faxi* refertur. Si quis *faxim* legat, discedat a vera syntaxi sententiarum condicionalium et legitimo temporum usu (*scibam, si id faxim*), nec tamen longius quam ipse discessit Plautus Captiv. III, 5, 54: *si quis hoc gnato tuo Servus faxit, qualem haberes gratiam?* et Cistell. IV, 2, 15: *Nam si nemo hac præteriit, postquam intro abii, Cistella hic iaceret.* Sed si quis diligenter attenderit, forsitan gravius mendum esse putet; neque enim sententia requirere videtur: *si id faxim*, sed: *ni id faxim (te expertem amoris nati habuerim)*. His tertium adiungerem *taxem*, quo utitur exemplo Lindemannus ad Capt. I, 2, 45 (ed. 1823), si usquam apud antiquos legeretur. Sed, ni fallor, vir doctus ipse hoc composuit ad similitudinem eius, quod præcedit, *faxem*. [Frustra Boppius in libro de flexione verborum Sanscrit. p. 98 *faxem* imperfectum facit, nulla omnino analogia. 1842.]

[3]) De *cohibessit* apud Lucretium supra dictum est. *Faxo* in minitando et magnifice promittendo (Virg. Æn. XII, 316) pro futuro simplici dixerunt Virgilius, Ovidius, Livius quoque semel et Virgilii imitator Silius. Pro futuro exacto Livius posuit in antiquarum formularum imitatione XXII, 10, 4 (etiam *clepsit*) et XXV, 12, 10, tum in Appii oratione VI,

70 Sed in hos tantos errores homines docti non incidissent, ut veteres illas formas cum recentiore forma futuri exacti confunderent aut saltem ad præteritum perfectum formasque inde derivatas adiungerent, nisi neglexissent de rebus cum hac quæstione coniunctissimis cogitare. Vulgaris enim futuri exacti forma quod a perfecto orta præteriti significationem ab initio in se continet, coniunctivi forma inde derivata transit aliquando
71 ad solam et veram præteriti significationem, quod antiquæ huic formæ, quia futuri simplicis ab initio est et ad ipsum futurum exactum tantummodo traducta, nunquam accidit. Nemo enim dixit neque: *quæro, quid faxit*, pro eo, quod est *fecerit*, neque: *adeo fuit severus, ut nunquam amassit*, pro eo, quod est *amarit*. Itaque vulgo quidem, quod omnes formas coniunctivi a futuro exacto ortas satis perverse perfecto adscribunt, *faxim* quoque et *ausim* et reliqua eiusmodi perfecta coniunctivi appellant, sed qui paulo prudentius præcipiunt, ad-

41, 12. *Faxim* mansit in certis optandi formulis (etiam *auxitis* in antiqua formula precationis apud Livium XXIX, 27, 3); pro coniunctivo futuri vel præsentis Horatius posuit Sat. II, 6, 5 (*oro, ut faxis*) et Persius Sat. I, 112 (*veto quisquam faxit oletum*) [et Fronto Ep. ad amic. II, 7 p. 193 Naber.: *Estne cautum, ne quis scribam faxit?*]. *Ausim* in dubitanter affirmando apud ceteros legi putabatur (apud Livium et Tacitum e prosæ orationis scriptoribus), apud Ciceronem non item. Sed recte Schuetzius, Ellendtius, Orellius (in ed. min.) in Brut. c. 5, 18 codicibus obsecuti *ausim* pro *ausus sim* ediderunt; nam quum neutrum alibi apud Ciceronem legatur, hoc aliam præterea habet summæ insolentiæ notam in illa forma passiva pro futuro dubitativo posita, de quo infra dicam. Ciceronem in libris de legibus et Livium in carminum et precum antiquarum imitatione inter antiquiores numero, ut par est. In legibus denique et decretis quum frequentissimus sit usus futuri exacti, veteris huius futuri nulla me vestigia memini reperire nisi in lege Thoria (anni 647 a. u. c.), [quam nunc fere incerto nomine anno 643 adscribunt,] fragm. 1 v. 25: *sei quis faxsit, quotiens faxit*, (sed in eadem lege v. 30 est: *quisquis, quod eum ex hac lege facere oportuerit, non fecerit*), et in fragm. legis de magistris aquarum apud Hauboldium (in Monum. legal. extra libros iuris Rom. sparsis) p. 177 et 178: *faxit, iurassit, iudicassit* bis (sed in eadem lege *denuntiarit, venerit, iniuraverit* (?), *iudicarint*). Scrupulum mihi iniicit in hoc fragmento, quod e codice, non ex lapide, Marinius edidit, formæ alibi in inscriptionibus inauditæ repetitio, quum præsertim scribendi ratio non valde antiqua sit. Dicemusne in repetitione vetustioris legis unam et alteram formam retentam esse?

dunt, præsentis significationem habere, id est, futuri. Deinde ab his futuris, quibus per se nulla inest præteriti nota, proficiscuntur futura illa infinitivi *impetrassere, reconciliassere, expugnassere, averruncassere, depeculassere, deargentassere, depoculassere*, quorum nihil simile in altera forma est. Neque tamen hos infinitivos, qui et pauci sunt (hi, quos protuli, unum *impetrassere* quater apud Plautum) et in solis primæ coniugationis verbis, ita commemoro, tanquam insitam penitus in vetere sermone et olim latius sparsam hanc formam fuisse putem; ac potius cavendum diligenter censeo, ne, quæcunque forma insolentior sive ipsius vocabuli sive flexionis in uno alterove loco veteris tragici aut comici reperta sit, eam vere usu receptam et e sermone populi petitam fuisse credamus et pro legitimo testimonio ponamus. Conabantur enim multa poetæ illi, rudi adhuc lingua cum Græcis exemplaribus certantes, analogiaque sæpe licenter et falso utebantur. Sed tamen totum systema, quod appellant, formarum pridem absolutum erat illo tempore, quo primi scriptores Romani vixerunt: nec ullam primariam formam nos nasci videmus, unam et alteram intercidere; itaque plerumque in formis ultra suos fines proferendis illa audacia versabatur et in verbis fingendis componendisque. Hoc tamen eos facile ausos iudicaverim, ut, 72
quum *amasso* haberent ad formam simile eius, quod est γελάσω, si quando obiectum esset futurum infinitivi Græci, tentarent ipsi, nullo populi usu adiuti, possentne brevius dicere quam *amaturum esse* et ad versum aptius, *amassere*. Verum id non tentassent, si *amasso* quicquam in se habuisset ex præterito.[1])

---

[1]) Hoc loco breviter commemoranda videtur Fr. Lindemanni sententia, ne quid prætermisisse videar, quod ad rem pertinuerit. Sed ea minus quam vellem considerate proposita est ad Captiv. I, 2, 43 ed. 1819). Putat enim *faxis, adaxint, exstinxit, respexis, amassis, curassis, negassim* perfecta esse, quæ tamen non raro natura sua, ut omnia perfecta, præsentis notionem adsciscant. Hoc de omnibus perfectis mihi ignotum erat; nunquam enim *scripsi* pro præsente legeram, nec ignoro tamen poetarum et quorundam inferioris ætatis scriptorum morem id, quod sæpe factum sit fierique soleat, perfecto indicativi interdum significandi, quum rem factam pro consuetudine substituant. Deinde non *sæpe* hæ formæ præsentis (sive futuri) notionem habent, sed semper, veram præteriti, ut dixi, nunquam. Tum Lindemannus alius generis vult esse futura *amasso, capso, liberasso* (hoc est, illorum, quæ per-

Illuc igitur revertamur, *faxo* et *amasso* futura esse vetusta, 73 nec quicquam primario usu ad præteritum pertinere. Et tamen, quod et dicendum est per se, ne aliorsum, atque velimus, sententia nostra interpretando trahatur, et quod libenter res ad universam de formis grammaticis disputationem pertinentes attingimus, prorsus puto elementum illud, cuius adiectione a radice distat *faxo* et *incepso*, addo etiam *levasso*, idem esse atque illud, quod *scripsi* et quæ eodem modo cadunt perfecta, habent. Sed hoc *s* in formam *iusso* non venit ex *iussi*, unde sane in *iussero* venit, nec inde significationem traduxit. Quod quale sit, possum fortasse aliqua ex parte comparatione Græcarum formarum ostendere. Nam quum maxime litteræ σ adiectione a radice deflectat futurum, nihil tamen ea littera — esse autem prorsus eandem, non diversæ originis, ostendit convenientia futuri et aoristi in ea omittenda in aliis verbis — ea igitur non impedit, quominus ἔγραψα contrarii temporis, præteriti, significationem accipiat.[1]) Nam tum, quum nondum erant formæ grammaticæ, sed fieri incipiebant, sæpe accidebat necessario, ut ad id, quod ita animum feriret, ut signandum videretur, nulla tamen statim apta et certa nota occurreret, quum præsertim homines magis obscure sentirent, singulare aliquid esse in eo viso, quod animo conciperent et eloqui vellent, quam via et ratione signa quærerent. Itaque, ut ad id, quod agimus, hoc accommodem, quum conciperentur visa actionum tempore diversarum necdum essent tempora verbi, in

fecta appellabat, indicativos aut primas personas), eaque comparat cum *incipesso*, quod futurum esse vult, formam etiam aliquam ipse fingens *incipessim*, quam pro *incepsim* esse dicit. At nusquam est; et obliviscitur, ad quod Hjortius p. 132 attendit, *incipessis* bis apud Plautum cum alio præsente coniungi, *incipessam* cum futuro (*instituam* Mil. glor. II, 2, 82); obliviscitur denique similis verbi *petesso* (apud Festum, Lucretium, Ciceronem ipsum) compositique *expetesso*, ne *facesso* et *capesso* commemorem. Itaque imperativum futuri, quem, quicquid dicant, priscæ linguæ vindicandum putat, non habebimus *incipesse* (Captiv. II, 1, 20). Nihil intercedam, si quis dicat, id elementum, quod in his verbis fingendis radici adiectum sit, atque id, quo vetus futurum formatum sit, cognatæ esse originis.

[1]) In Sanscrita quoque lingua futurum, quod secundum appellatur, radicis *kschip* est *kschepsjâmi*, præteritum, quod augmentatum multiforme vocarunt, quodque aoristo primo respondet, *akschaipsam*.

iis proferendis, luctante animo, ut saltem aliquid a simplicissima ratione diversi significaret, cumulabatur elocutio, adscito sæpe tali aliquo elemento, in quo nihil esset proprii ad certum 74
temporis genus significandum; ex quo, hoc elemento cum radice coniuncto, oriebantur formæ, quæ non tam certa temporum discrimina indicarent quam ad id aliquam haberent inclinationem; eæque deinde usu et quod, quum plures essent, aliæ ab aliis secernebantur novaque accedebant elementa (velut in aoristo augmentum, in Latinorum perfecto, quod in *si* cadit, terminationes certi generis ad personas et numeros significandos), certæ fiebant temporum notæ. Velut id elementum, quod nunc sola littera *s* constat (verbum substantivum id esse, iam alii viderunt), adiunctum ad radicem efficiebat formam, quæ significationem haberet aliquam actionis distinctæ ab aliis et ad certum et unum momentum relatæ, quod non fit, quum animus in præsentium contemplatione hæret; verum hæc forma significatioque nec futuri nec præteriti erat, et utrumque tamen ex ea apud Græcos ortum est. Planissime tota hæc res perspicitur in linguis stirpis Semiticæ, quod eæ in illis rudimentis formarum temporalium substiterunt, neque ex forma magis expressa et accessione elementorum aucta ulterius ad distincta tempora progressæ sunt. (Futurum olim appellabant; nunc certant, ut aptum nomen ex una aliqua certa notione ei rei inveniant, quæ tota est in incerto conatu posita.) Sed in Latina lingua aliter cecidit atque in Græca; nam quum et *faxo* esset, id est *πράξω*, et *scripsi*, id est *ἔγραψα*, tamen neque perfectum in omnibus verbis sic est ex radice deductum, sed quum esset alter præterea conatus præteriti temporis significandi, is in aliis verbis ita est adscitus, ut in lingua iam constituta utraque forma idem valeret (in quo formarum certamine quæ fuerint causarum momenta, quid prius, quid postea acciderit, sæpe frustra quærimus), neque futurum, quod in *so* exibat, 75
mansit, cessitque potius omnino aliis formis fortasse ob ipsam cum præteriti signo copulationem et ambiguitatem. Ac ne id quidem dico, fuisse aliquando in omnibus verbis huiusmodi futurum; multo est enim probabilius, futurum in *so* cadens proprium fuisse verborum in consonantem exeuntium, quorum in multis esset cognatum præteritum, et tum demum, quum *faxo* similiaque iam in alium usum inclinarent, ad illam ana-

logiam facta esse *amasso, levasso*, cetera. Minus iam erit mirum, huiusmodi conatum cessisse levi soni repugnantiæ in iis verbis, quæ proprie exirent in *i* vocalem.[1])

Dixi iam sæpius, hoc futurum ab initio simplex fuisse, non exactum. Is tamen usus in uno remansit verbo, *faxo*, cuius ita positi apud Plautum et Terentium plus quam sexaginta sunt exempla; apud inferiores scriptores aliter positum non reperiri (nisi apud Livium in antiquitatis imitatione), supra dixi; nec difficile est ad inveniendum, cur hoc potissimum vulgatissimi usus verbum significationem antiquam servarit.[2])
76 Præter *faxo* unum apud Plautum invenio huius generis futurum simplex idque in primæ coniugationis verbo, Pœnul. IV, 2, 66:

Nunquam edepol mortalis quisquam fiet e me certior,
Nisi hero meo uni indicasso, atque ei quoque, ut ne enuntiet,
Esse id facinus ex te exortum.

Perspicuum est enim, particula *nisi*, ut sæpissime, non condicionem, sed exceptionem indicari, ut sit: *tantum hero meo indicabo*. Sed ne *faxo* quidem extra primam personam usquam sic positum legitur, et apud veteres illos singulari quadam ratione. Semper enim alteri futuro indicativi verbi ipsum effectum indicantis ex æquo adiungitur: *Faxo, scies*, ita ut reliquæ orationis structuræ interiiciatur hæc affirmatio propriæque in re efficienda operæ testatio. Sed quod semper id fieri dico,

---

[1]) Ne in iis quidem verbis, quæ *u* extremam habent radicalem, ullum est vestigium huiusmodi futuri; in iis tamen, quæ ut *struxi* cadunt in præterito, poterat sine dubio esse. [Quod Muellerus in supplem. annot. ad Fest. ad p. 351 (*bene sponsis*) hanc formam in iis verbis reperiri negat, quorum ultima radicalis liquida sit, casu factum puto, ut in *r* aut *l* nulla sint exempla; nihil enim magis huic formæ obstabat quam iis, quæ usitatæ sunt, *cursus, pulsus*. *M* et *n* apud Latinos mutarum naturam habent.]

[2]) Ne cui forte in mentem veniat putare, *faxo* hac persona tantum pro futuro simplici reperiri, non, ut cetera, pro exacto, indeque commenta nascantur, exempla Plautina indicabo: Menæchm. I, 2, 47 et Bacch. IV, 8, 7 (*Ni illum exanimalem faxo, si convenero, nive exheredem fecero vitæ suæ*). Sed infinita in comœdiis occasio est promittentis et minantis oratione utendi; primæ personæ futuri exacti verbi tam generalis multo rarius locus erat.

primus, ni fallor, dico; est enim in editionibus Plauti et Terentii mira in hac re inconstantia, sic tamen comparata, ut facillime et certissime veritas emergat. Nam et *faxo, scies* et *faxo, scias* et *faxo, dices* et *faxo, dicas* nullo discrimine legi videtur. Nec hoc satis defenditur comparatione usus modorum in interrogationibus pendentibus nondum satis constituti (quanquam is quidem hactenus constat, ut plane superet coniunctivus): in tam perspicua enim diiunctione, ut aut coniungerentur duo verba iuxta posita aut alterum alteri directa ratione subiungeretur, vix videntur iidem scriptores casui permisisse, utrum *faxo, dices* an *faxo, dicas* ponerent, quum præsertim nunquam scripserint *faciam, scies*, sed constantissime: *faciam, ut scias*. Iam si quis locos tantum numerarit, si paucos, in quibus discrepat scriptura, exceperit, apud Plautum et Teren- 77
tium amplius quinquaginta locis indicativum reperiet post *faxo*, coniunctivum circiter sedecim. Accedit, quod facile credas, librarios insolentiam veteris sermonis mutando traduxisse ad eam rationem, quæ et ipsa per se occurreret animo et apud Virgilium, Ovidium, Livium sola esset usitata: hi enim semper coniunctivum, sive addita sive omissa particula, subiiciunt. (Vid. Schell. et Forcell.) Nec id ab hac suspicione abhorret, quod uno omnino loco in omnibus Plauti comœdiis etiam particulam librarii addiderunt.[1]) Verum hæc omnia incerta quis dicat: illud certissimum est omnemque tollit dubitationem: ubicunque enim syllabis et mensura, non sola litteræ *a* et *e* permutatione, a coniunctivo præsentis temporis distat futurum indicativi, ut neque errore librarii neque interpolatione oblitterari verum potuerit, ita constanter futurum indicativi servatur, ut ne unus quidem locus excipiatur: triginta, inquam, quattuor locis legitur *faxo, laudabitis* et similia, nusquam *faxo, amet* aut simile quicquam, bis omnino *faxo, sit*, ubi versus admittit *erit*.[2]) Cavendum tamen videtur, quoniam in novo præcepto 78

[1]) Asinar. V, 2, 48 *faxo, ut scias* (in exitu versus tetram. troch. catal.). Nemo editorum hæsit; nam nemo fere ex iis, qui omnes comœdias ediderunt, in diligenti observatione veteris syntaxis elaboravit; ac plerique tum vixerunt, quum totum hoc genus parum subtiliter tractabatur.

[2]) Apponam testimonia, ut inspicere, qui velit, possit. *Faxo* sequente aut præcedente indicativo his locis legitur: Plaut. Amphitr. I, 1, 199,

versor, ne quis in locis quibusdam hæreat coniunctivique perfectum se repperisse putet, in quibus post *faxo* sequitur futurum exactum indicativi aut rem aliquam, altera quadam re absoluta, simul absolutam fore significans aut rei iam actæ eventum et fructum futurum demonstrans, noto loquendi genere, de quo post dicetur uberius. Huiusmodi sunt illa in Aulularia III, 6, 42: *Ego faxo, et operam et vinum perdiderit simul* (er soll verloren haben), et in Capt. IV, 2, 21: *Qui mihi in cursu obstiterit, faxo, vitæ is obstiterit suæ*, et Men. III, 2, 55: *Faxo, haud multum prandium comederis*, et Trinum. I, 2, 22: *Faxo, haud*
79 *tantillum dederis verborum mihi*. In his igitur omnibus locis, etiam sublato *faxo*, manebit futurum exactum: perfectum coniunctivi prorsus barbare poneretur. In Pœnulo denique I, 2, 133: *Deferto ad me; faxo, actutum constiterit lymphaticum*, futurum exactum pro simplici ponitur adiuncta significatione rei certæ et tanquam pæne iam effectæ (gleich soll es gestillt sein), de quo item post dicendum erit. Huic indicativi usui

III, 4, 14, V, 1, 55, Asin. I, 2, 6 (*Ibo ego ad tresviros, vestraque ibi nomina, faxo, erunt*), IV, 1, 4, Bacch. III, 4, 7, IV, 4, 64 (*iam f. hic erunt*), IV, 7, 33, Capt. V, 4, 13, Cas. II, 8, 48 (*aberit, faxo*), Epid. I, 2, 53 (*iam, faxo, hic erit*), III, 4, 33 (*possidebit, faxo*), V, 1, 49 (*faxo, scibis*), V, 2, 47, Menæchm. II, 2, 51 (*madebunt, f.*), III, 2, 3, IV, 1, 4, IV, 2, 98, V, 2, 40 (*amabit*), V, 5, 47 (*potabis*), V, 5, 53 (*erit*), Mil. II, 5, 53 (*erit*), IV, 8, 57, Pseud. I, 1, 47, I, 3, 153, I, 3, 159 (*aderit*), II, 4, 76 (*erit*), IV, 4, 2 et 6 (*scibis, amplexabere*), V, 2, 29, Pœn. I, 1, 34 (*habebit*), I, 1, 45, I, 2, 158 (*dabit*, sed versus corruptus est), II, 1, 14 (*erunt*), IV, 2, 86 (*disperibit*), ibd. 88 (*eris*), V, 3, 35 (*laudabitis*), V, 4, 18, ibd. 57 et 58 (*scibis, eris*), Pers. I, 3, 81 (*aderunt*), II, 2, 13 (*laudabis*), III, 3, 34 (*erit*), ibd. 41 (*aderit*), Rud. V, 2, 64 (*exibit*), Trucul. I, 2, 21 (*erunt*), II, 4, 74 (*aderit*), IV, 2, 48 (*erit*); Terent. Eun. II, 2, 54 (*insultabis*), IV, 3, 21, Phorm. II, 3 (1), 78 (*aderit*), V, 8 (9), 66 (*aderit*). Coniunctivus sequitur aut præcedit his locis: Plaut. Amphitr. II, 1, 42, III, 3, 17 (*sit*, sed versus recipit *erit*), Asin. V, 2, 26, V, 2, 48 (vid. not. super.), Curcul. IV, 4, 31, Bacch. IV, 8, 23, Mostell. I, 1, 65, V, 2, 12, Menæch. I, 2, 4, III, 3, 16, IV, 2, 81, Pseud. IV, 1, 39, Trin. I, 2, 24, IV, 2, 40, Trucul. II, 8, 13. Terent. Adelph. II, 2, 1 et 2, V, 1 (3), 61, (*sit*, sed versus recipit *erit*). Unius litteræ mutatione ubique indicativus restituendus erit, idemque præferendus in his locis, ubi variat scriptura: Plaut. Rud. II, 7, 20 (rectius Bothius edidit *exarescent* quam Reizius *exarescant*); Terent. Andr. V, 2, 13 (recte Bentleius e quattuor codd. *audies*, iniuria Fr. Ritter *audias* revocavit). [Cfr. Ussing. ad Plaut. Amph. 351.]

prorsus consentaneum est, quod semper *faxim scias* dicitur, non ut *scias* pendeat ab eo, quod est *faxim*, sed ut ea causa, quæ coniunctivum requirat, æque utrumque verbum contingat. Huius generis hæc sunt: Plaut. Amphitr. I, 3, 12 et 13: *Edepol, ne illa si istis rebus te sciat operam dare, Ego faxim, te Amphitruonem esse malis quam Iovem.* et Aulul. III, 5, 20: *Ego faxim* (hoc si fiat), *muli, pretio qui superant equos, Sint viliores Gallicis cantheriis* (add. Trucul. I, 1, 43, Trin. I, 2, 184, Merc. IV, 6, 10), et Truc. II, 3, 27: *Ita ego illam edepol servem itaque parce victitem, ut nulla, faxim, cis dies paucos siet.* In Persa igitur I, 2, 21 sola hæc ferri potest scriptura: *Si id fiat, ne isti, faxim, nusquam appareant* (quam non solum editio Aldina habet, sed Camerarius); in altera: *ne isti, faxim, usquam appareant*, a Plauti usu aliena est coniunctio *faxim, ne.*

Præter hanc futuri *faxo* cum altero futuro coniunctionem semel apud Plautum (Rud. III, 5, 21: *Ego te hodie faxo recte acceptum*), bis apud Terentium (Heautont. II, 2, 100 [v. 341 Fleck.] et Phorm. V, 8 (9), 39), cum participio iungitur, ut apud Virgilium (Æn. XII, 316) cum adiectivo.

Dictum est de futuro simplici, ad quod has formas initio pertinuisse indicavimus. Inde quemadmodum ad futurum exactum significandum transferri potuerint, non est multis verbis declarandum, quum in ea coniunctione, in qua frequentissimus futuri exacti est usus, et ceteras linguas aut simplici futuro contentas esse videamus, ut, quæ ratio inter duas actiones futuras intercedat, ex ipsa coniunctione et rei natura intelligatur, aut etiam præsenti tempore uti (Græcam etiam aoristo coniunctivi), et eiusdem simplicitatis vestigia in Latino sermone reperiamus.[1]) Huc igitur traductæ hæ formæ locum aliquam-

[1]) Exempla rei notæ sumantur Plautina: Amphitr. I, 1, 284 (*vapulabis, ni hinc abis*), Aulul. IV, 4, 17, Capt. III, 4, 55, Curc. IV, 4, 19 (*nisi mihi virgo redditur, Iam ego te, faciam, ut hic formicæ frustillatim differant*), ibd. I, 2, 49: *Tibi ne ego, si fidem servas mecum, Vineam pro aurea statua statuam* [, Pers. V, 2, 46, Rud. V, 1, 1—2]. Futurum simplex quam tenui discrimine ab exacto in tali coniunctione interdum distet etiam apud bonos prosæ orationis scriptores, nemo ignorat. Copulati nullo discrimine futuri simplicis et exacti memorabile exemplum est in lege Rubria de Gall. Cisalp. col. 2 v. 4 sqq.: *sei — con-*

diu tenuerunt, quum priorem amisissent. Et tamen vel hic manent vestigia prioris usus. Nam, ut supra dixi, coniunctivum huius futuri nunquam in præteritum transire, sic ne indicativus quidem prorsus tam longe progreditur in significanda actione in futuro præterita quam alterum illud verum futurum exactum, quanquam ne hoc quidem quisquam annotavit. Nam neque in re, quam simul cum altera absolutum iri putamus, neque in eventu futuro rei præteritæ, quæ duo genera paulo ante attigi, hæc forma ponitur, quod ibi apertius adiuncta futuro præteriti significatio est. Itaque pro eo, quod dicimus: *si hoc feceris* (*faxis*), *magna me cura levaris*, nemo dixit: *si hoc feceris*
81 (*faxis*), *magna me cura levassis*; nec pro eo, quod est: *Si hoc evenerit, frustra laboraveris* (id est: *perierit labor iam effectus*), usquam legitur: *frustra laborassis*, neque horum similia, quum tamen utriusque coniunctionis etiam apud comicos non rara exempla sint.

Absoluta fere sunt, quæ de antiqua hac forma seorsum dicenda erant. Reliqua enim, quæ ad coniunctivum (*faxim*) pertinent, nulla est causa, cur ab iis, quæ de altera forma exponenda erunt, seiungamus, dum ibi ea teneamus, quæ supra dicta sunt de hac forma etiam in coniunctivo a præterito exclusa. Itaque id tantum addamus, ab activa hac forma deflexæ passivæ duo certa esse exempla, *iussitur* apud Catonem (de R. R. 14) et *turbassitur* apud Ciceronem in antiqui legum sermonis imitatione (Legg. III, 4, 11), utrumque cum futuri exacti significatione positum. Hæc passiva forma quantopere nostram disputationem confirmet, eos autem, qui *iusso* et *turbasso* artificiose alio trahunt, refellat, non opus est pluribus exponi. *Nancitor* quoque, quod apud Festum *nactus fuerit* exponitur, Muellerus p. 167 probabiliter pro *nanxitur* scriptum putat et hoc eodem modo dictum, quo *iussitur*. [*Mercassitur* in leg. agr. a. 643 v. 71, *faxitur* in vetere lege apud Livium XXII, 10, 6.]

fessus erit neque — solvet satisve faciet aut se — non defendet seire — non responderit neque faciet cet. et v. 16 sqq.: *quei se — non defenderit aut in iure non responderit neque id solvet satisve faciet* cet. (add. v. 36 et 37). Eodem modo Livius dixit XXXV, 35, 17: *Qui cunctatus fuerit et suum consilium meo interponet, sciat* cet., et Virgilius Georg. I, 155—157.

Illud vix commemoratione dignum esset, uno Plauti loco in versu subditicio legi horribili barbarismo: *ne ut amasso*, nisi id tanquam probum editores vulgo prætermitterent. Editur enim in Casinæ scena extrema 22 sqq.

Si unquam posthac aut amasso Casinam aut occepso modo.
Ne ut eam amasso: si ego unquam adeo posthac tale admissero,
Nulla causa est, quin pendentem me, uxor, virgis verberes.

Secundus versus ignavissimam habet superioris sententiæ repe-
titionem et præter id, quod iam dixi, alterum præterea ora- 82
tionis vitium. Nam *ne* pro *nedum* Gronovius poni vult, *ut* nihil curans; verum requirebatur *non modo*; *nedum* subiungitur sententiæ affirmationem aut negationem habenti, ut ea augeatur; condicioni, ut ea amplior et laxior fiat, nunquam. Ad hæc quum accedat, ut versus in codice Palatino quarto tanquam spurius notetur, quid dubitamus Gruterum sequi et Brunckium, qui in editione Bipontina secunda insulsum additamentum sustulit?

Vulgarem futuri exacti formam ortam esse patet adiuncto ad radicem in perfecti formam conversam futuro verbi substantivi (cfr. p. 67 et p. 68 not.). Itaque quum propter originem significationem haberet ex præterito et futuro mixtam, rei in futuro præteritæ, primum quidem, quod et frequentissimum est et formæ fingendæ sine dubio causam præbuit, ea utebantur in duarum actionum futurarum commemoratione ad eam indicandam, qua demum perfecta altera futura esset, de quo genere nihil est hoc loco dicendum. Sed nescio quomodo grammatici, dum ad hanc solam coniunctionem attendunt, in qua secundaria sententia futurum exactum habet, alterius obliviscuntur, in qua aliquid dicitur certo futuri temporis momento, quum aliqua res incipiat vel etiam antequam finem habeat, absolutum iam fore. Prorsus enim legitime futuro exacto utitur Terentius Heautontim. III, 3, 23: *hic prius se indicarit, quam ego argentum effecero*, ubi poterat etiam simplex poni, quia in hac conformatione (*priusquam*) necessaria non erat rei absolutæ significatio, et Adelph. II, 2, 25: *Nunc si hoc*

omitto ac tum agam, ubi illinc rediero, Nil est; refrixerit res cet., ubi plane ineptum sit *refrigescet*; neque enim tum demum orietur frigus, sed aderit iam. Nec a lege discedit Plautus Trinum. III, 3, 17: *huic ducendi interea abscesserit Lubido*; sed
83 paulo iam liberius est apud Terentium Andr. II, 3, 24: *interea aliquid acciderit boni*, quia, qui ibi loquitur, magis universe, quam spem habeat, significat quam certum finem, ante quem perficiatur, ostendit; sed tamen spatium id futuri temporis comprehendit, per quod otiosus pater quiescet. Hoc modo Cicero ad Att. IX, 15 scribit: *Quum tu hæc leges, ego illum fortasse convenero*, et Livius XL, 11: *Non primus regnum fraterna cæde petiero* (Ich werde nicht der erste sein, der — gesucht hat). Eandem formam habet Lucretius III, 915: *Iam fuerit, neque post unquam revocare licebit*, et Virgilii versus in Æn. lib. II, 581 et 582; nam quod libro IV v. 591 legitur: *Pro Iuppiter, ibit Hic, ait, et nostris illuserit advena regnis?* magis inclinat in eam, de qua post dicam, eventus futuri actionis præteritæ significationem. Hoc autem totum genus, quia eminet præter futurum etiam præteriti significatio, nihil ad alteram formam (*so*), quæ proprie futuri simplicis erat, pertinet.[1])

[1]) Unum attingendum est, ne, si pro noto tritoque omisero, postea ab imperitis alieno loco obiiciatur. Sunt enim quædam condiciones actionum futurarum, quæ non ante eas, sed simul cum iis adesse easque usque ad finem comitari debent, ut facultatis, potestatis, voluntatis. Et tamen facultas illa voluntasve hoc ipso, quod condicionem continet, præcedere alterum videtur, confusa etiam notione potestatis manentis, quæ comitatur actionem, et potestatis datæ factæque, quæ prior est. Hinc fit, ut Latini, qui alterius actionis prius tempus verbi forma notant, hic quoque ea forma uti possint, cuius generis notissimum est *si potuero*, sed similia *si voluero, si licuerit, si placuerit, si otium habuero*, quæ et alii collegerunt et A. Matthiæus in disputatione de usu futuri exacti in Seebodii tabulario philol. II, 1 p. 20 [Vermischte Schriften p. 71 sqq.]. Iam patet, quum ne vere præcedentis quidem actionis tempus singulari illa forma semper signetur (cfr. p. 80 not.), multo minus in hac similitudine semper id fieri, magnamque necessario in hac re libertatem esse scriptoribus ita loquendi, ut res se animo obtulerint, nec multo Ernestii errore, ubique, ubi quidem attendisset, *si potero* substituentis, minorem esse eorum, qui hæc certa et constanti regula distincta volunt, immemores, ut sæpe multi, veterum quoque sermonem natura, non arte, natum fictumque. (Cfr. Lindem. ad Plaut.

Deinde autem, quum sæpe duæ actiones futuræ sic animo concipiantur, ut simul ulterius temporis momentum obversetur, 84
quocum si comparentur, præteritarum speciem habeant, in utraque actione notanda Latini futuro exacto utuntur. Fit autem id tum, quum rei futuræ commemorationi adiungimus alterius significationem in ea sic inclusæ, ut simul cum ea sit, aut iudicantes, qualis prior illa, quum perfecta fuerit, apparitura sit, quidve ea effectum datura sit, aut ostendentes, quid ex ea ita sequatur, ut iam simul cum ipsa existimandum sit perfectum. (*Si id feceris, recte feceris; si illud effecero, simul hoc vicero; si arcem ceperitis, totam urbem ceperitis.*) Hunc usum futuri exacti, positum in notandis actionibus futuris, quod ad finem attinet, tempore paribus, qui ex prima notione eius formæ facillime oritur et vix ab ea discedit, quum superiores minus bene tractavissent, Aug. Matthiæus (eo loco, quem paulo ante in margine nominavi) et exemplis declaravit, etiam iis, 85
in quibus actio primaria imperativo aut ablativis participiorum aliove modo significata esset, ut putidum sit plura cumulare, quæ poterant esse infinita, etiam e comicis, et satis bene expedivit, modo paulo pressius universam rationem complexus esset.[1]) Sed est in hac re error aliquis, qui ne longius serpat,

---

Capt. II, 2, 60 in edit. trium comœd., Ellendt. ad Cic. Brut. § 21, Heinrich. ad Cic. de re p. I p. 206 et 207, qui nescio quomodo recondita et inclusa servat præcepta sua.) Illud non dubium est, quin interdum hæc similitudo actionis præcedentis adeo perspicue excludatur, ut futuro exacto nullus sit locus. Nec ut *si potuero*, sic *quantum potuero* usus recepit. Sed ideo hæc dixi, ne quis, ut Lindemannus l. c., hunc usum certorum verborum in sententia secundaria ex duabus coniugatis confunderet cum usu eiusdem formæ ad futurum simplex accedente in sententiis primariis vel secundariis, narraretque iterum, sæpe sic poni *dixero, videro* apud Ciceronem. *Dixero* ne altero quidem modo. Nam Gœrenzium quid commemorem (ad Cic. de fin. I, 20, 69) in optativi nomine ludentem et, ut solet, quum modorum temporumque Latinam rationem expedire nequit, ad Græci sermonis, cuius mire imperitus est, nomina confugientem? qui hic semel nominatus sit, ne prorsus prætermisisse eum videar, qui etiam singularem de futuri exacti vi optativa dissertationem scripserit.

[1]) Iis exemplis, quæ Matthiæus posuit coniuncti futuri exacti (de re simul cum altera finem habitura) et simplicis (de re post consecutura aut duratura), addi hæc possunt: Cic. ad Fam. XIII, 65, Liv. XXVI, 43. Cic. pro Rab. Post. 16, 44: *Amicissimum hominem si honestate spolia-*

statim expellendus est. Nam grammatici nonnulli celeritatis quandam notionem, quam in futuro exacto inesse volunt, ad hæc omnia accommodant (velut Zumptius § 511). Verum nec tum, quum, qualis futura sit actio, significatur, ulla celeritas indicatur, ut apud Ciceronem de Fat. § 26: *quum evenerint, fato evenerint*, id est, *facta erunt*, nec tum, quum, quem effectum in se contineat, ut quum Cicero dicit (Academic. II § 81): *quam* (rationem) *ut maxime inveneris, non tu, verum testem habere, sed eum non sine causa falsum testimonium dicere ostenderis*; (add. de re p. II § 50). Tum illa inest significatio. quum id, quod consecuturum est, tanquam simul effectum concipitur, quemadmodum supra dixi, quæ figura eo interdum progreditur, ut, futurum effectum in præsentem convertentes, perfecto utamur. (*Vicimus* Cic. Verr. III § 145, al. Vid. Matth.) Quum autem idem sit in effectu significando usus futuri tertii Græcorum, patet, in eo positum esse discrimen Græcæ et Latinæ formæ, quod, quum Latini etiam actionem
86 in futuro perfectam, si cum altera coniuncta comparetur, ea notare vulgo soleant, Græci tum demum actionem in futuro præteritam tertio illo futuri genere significent, si cum ulteriore quodam temporis momento extrinsecus assumpto comparetur. Illa notabilis est sententiarum forma, quæ ex tali oritur rerum coniunctione, ut effectus quasi præterierit, re, quæ efficiat, manente, quum pars sive momentum aliquod eius eum effectum dederit. Eiusmodi coniunctio si ad futurum tempus transferetur, habebimus effectum in futuro præteritum, rem ipsam futuram, id est, futurum exactum sequens, præcedente futuro simplici, ut apud Ciceronem Tusc. II § 63 (quem locum advocat Matthiæus): *Tibi si recta probanti placebis, tum non modo tete viceris, sed omnes et omnia*, et Epp. ad Fam. XVI, 3: *Satis cito te videro, si valebis.* Eodem modo Terentius Adelph.

---

tum audierit, nec sine magno dolore feret, nec id amiserit, quod posse speret recuperari. De scriptura vid. Opusc. nostra priora p. 384 not.) [Significatio utriusque rei simul absolutæ omittitur interdum retineturque in primaria sententia simplex futurum, ut apud Sall. Cat. 51, 25: *illis merito accidet quicquid evenerit*; id necessario fit in oratione infinita, velut apud eundem 51, 43: *qui aliter fecerit, senatum existimare, eum contra rem publicam et salutem omnium facturum*, nisi quod in passiva orationis forma licet dicere *id factum fore.*]

V. 1. 31.[1]) Ceterum ne hæc quidem ad formam in *so* pertinere, patet et dictum est ante p. 80.

Verum hæc nota sunt, quæ eorum causa attigi, quæ post dicenda erunt: ne illud quidem ignotum, et tamen minus tritum, quum sit ad primam notionem accommodatissimum, Latinos actionis præteritæ eventum futurum hac verbi forma notare. Rem significavi supra (p. 78) triaque exempla posui, in quibus omnibus additum erat *faxo*. Eodem genere Plautus utitur Rud. IV. 4. 91: *si falsa dicam, frustra dixero* (quæ hactenus dixi). Græci quoque futurum tertium ita ponunt, ut
Aristophanes Nub. 1439 *μάτην κεκλαύσεται*. Apud Latinos vete- 87
res etiam coniunctivus futuri exacti, ut hoc statim præcipiam ex iis, quæ post dicenda erunt, sic ponebatur, ut apud Plautum Menæchm. V. 9, 1 et 2 (*nihilo hercle ea causa magis Facietis, ut ego hodie abstulerim pallam et spinther, pessumæ*). Bacch. IV. 4. 50 (*Emungam hercle hominem probe hodie, ne id nequicquam dixerit*), Mostell. I. 3, 95, Trucul. II. 3. 9.[2]) Ex inferioris ætatis scriptoribus indicativi sic positi exempla habeo Ciceronis duo, ad Qu. Fr. I. 4 § 4: *Omnibus meis exitio fuero*, et pro Flacco 41. 103 (*prodidero*), tum Virgilii in Æn. IX. 785: *Tantas strages impune per urbem Ediderit, iuvenum primos tot miserit Orco?* a quo non multum discedit libri IV versus 591 (*ibit hic et nostris illuserit advena rebus*), et Iuvenalis initio satiræ primæ: *Impune ergo mihi recitaverit ille togatas, Hic elegos? impune diem consumpserit ingens Telephus?* (ubi Heinrichius coniunctivum pro optativo cum ἄν poni ait, mire ac pæne Gœrenziano modo). Coniunctivi, quem vulgo a perfecto non distinguunt, plura exempla sunt, Ciceronis (ad Att. II. 17:

---

[1]) Ennii versum apud Gell. XI, 4 (*Hæc tu etsi perverse dices, facile Achivos flexeris*) non numero, quia ibi *flexeris* pro futuro dubitativo est, non exacto. Non recte Wunderus in Ciceronis orat. pro Plancio c. 25, 60 ex uno nullius auctoritatis codice edidit: *Horum, si diligenter quæres, vix decimam partem reppereris gloria dignam*. Nihil enim prorsus ibi loci est futuro exacto in eventu quæstionis simpliciter prædicendo. Sed quod Klotzius ex optimis codicibus tenuit: *si — quæres — reperis*, ferendum non est. Recte „nescio quis“ apud Orellium, id est, ut opinor, ipse Orellius *reperies* scribi vult.

[2]) [Eodem pertinet, quod legitur Truc. IV. 2, 23: *mihi commentari liceat, ne oblitus siem, quod didici.*]

ne et opera et oleum philologiæ nostræ perierit, [quocum conferri potest ad Fam. VI, 12, 3: *quin legente te has litteras confecta iam res futura sit*]) et Livii (XXII, 14: *vereor, ne, sic cunctantibus nobis, Romam Hannibali ac Pœnis toties servaverint maiores nostri*, et XXXIII, 11: *ut dura atque aspera belli Ætoli exhauserint, pacis gratiam et fructum Romanus in se vertat*, et XLIV, 22: *Affirmare audeo, me omni ope annisurum esse, ne frustra vos hanc spem de me conceperitis*, et in condicionali sententia VI, 14: *Tum vero ego nequicquam Capitolium arcemque servaverim, si — videam*). Addo Ovidium, ex Pont. I, 1, 5 et 66, [et Met. XIII, 496, Liv. II, 12, 15, XXIX, 27, 9, XXXIX, 16, 5, Sen. Benef. VI, 2, 2 et 3; 9, 2; 13, 1, Sen. Rhet. Contr. VII, 19 p. 230 Bip.] Post præteriti temporis verbum hoc futurum exactum coniunctivi simpliciter in plusquamperfectum transit (ut in passiva forma coniunctivi perfectum pro futuro exacto est), ut apud Ciceronem ad Att. XIII,
88 45: *Scriptum erat, ne committeret, ut frustra properasset* (dass er umsonst geeilt haben sollte) et apud Livium XXI, 33: *ne — frustra traduxisset*, [Cic. de Or. I, 234: *ne — perdidisses*. Virg. Æn. VIII, 206, Tac. Agric. 6, Plin. Paneg. 28, 40. Dure retinetur ex oratione recta ipsum fut. exact. apud Livium XXIII, 23, 4: *ne . . . fuerit*. Confunditur utraque forma Liv. XXIII, 15, 4.] Prorsus huic generi adiunctum est, quum futuro exacto exprimitur, quid futuro tempore affirmari negative de re præterita possit, ut apud Quinctilianum V, 9, 9: *Non utique, qui vestem cruentam habuerit, homicidium fecerit* (wird einen Mord begangen haben); neque enim hoc loco vulgaris illa coniunctio futurorum exactorum est, propiusque *fecerit* accedit ad *fecit* quam ad *faciet*. De futuro in *so* idem hic, quod in superioribus, tenendum est.

Atque hi quidem primi sunt futuri exacti fines; sed liberius paulo usus evagatus est, maxime scilicet et longissime apud comicos, id est, in familiari sermone antiquo, ita tamen, ut etiam apud alios scriptores quædam vestigia eius libertatis reperiantur. De quo genere vulgo, comicis exclusis, nihil aliud docent grammatici, nisi celeritatis aliquam notionem in futuro exacto inesse, quum tamen statim ea subiiciant exempla (sunt enim ea frequentissima apud Ciceronem), in quibus in re differenda et in aliud tempus reiicienda id tempus ponatur (*Post*

videro, al.[1]) Nec qui ad comicos maxime disputationem contulit, Lindemannus (ad Plaut. Capt. II, 2, 60), quam late res pateret, perspexit exemplorumve genera et proprietatem distinxit.[2]) Derivatur autem omnis hic usus ex ea significatione 89
ulterioris temporis momenti, quam inesse in futuro exacto diximus; eiusmodi enim momenti cogitatio non uno modo latenter animum subit.

I. Primum igitur, quum vulgo futuro exacto significaretur effectus in re, quæ commemoratur, simul inclusus, comici omnino in eventu fructuve rei (etiam consequenti) prædicendo illa forma verbi utuntur, quod in omni huiusmodi oratione finis actionis sic respicitur, ut actio in futuro præterita menti obversetur. Sic Plautus Menæchm. II, 1, 45: *Id utrumque, argentum quando habebo, cavero, ne tu delinquas neve ego ira-*

---

[1]) Cfr. Matthiæus l. c. p. 25, Zumptius § 511, Grotefendius Schulgramm. p. 142, Kritzius ad Sall. Iug. 106, 4. Ramshornius (p. 602) etiam urbanitatem inesse vult, omnia alioquin permiscens. [Melius quædam ceteris Weissenbornius anno 1838 exposuit in Gramm. Lat. § 171 not. 1842.]

[2]) Quadruplicem ponit futuri exacti usum, primum vulgatissimum, secundum, in quo actionem futuram momentaneam significet; in eo genere *potuero* numerat pro *potero*, de quo supra dixi, et *videro*; tertium facit, in quo celeritatis indicium sit; quartum, quem his verbis ipse describit: „Habet futurum exactum aliquam communis opinionis aut exspectationis significationem, quum, dum aliquid fit sive geritur, aliud diu ante fieri debuisse de communi sententia exspectatum esse significare volumus, unde postea universam traxit opinionis et cogitationis notionem, quæ alias soli coniunctivo inhæret. Veluti illud est Cic. de Fin. I, 20: *Etenim si loca, si fana* cet. — *adamare solemus, quanto id in hominum consuetudine facilius fieri potuerit et iustius? Wie viel leichter wird das haben statt finden können?* vel, ut recte Gœrenzius vertit: *wie viel leichter wird das, sollte man meinen, statt finden können?*" Nihil vero nec hic nec usquam exspectationis nec opinionis temporis forma significatur, sed ipsa interrogatione, manebitque ea significatio non minus, si de præterito quæretur aut de futuro. Nec ea sententia, quam Lindemannus expressit, valde illa diversa a Gœrenziana (propter verbum *haben*), aut ad locum apta est, in quo de eo, quod fiat, agitur, aut ad formam verbi; nam simpliciter de præterito quærens Cicero *potuit* dixisset. Equidem nec futurum exactum illo loco positum ad Ciceronis usum ullo modo accommodare possum nec coniunctivo dubitativo locum in hac affirmantis interrogatione esse puto.

scar tibi; Terentius Andr. IV, 1, 17 et 18: *Atque aliquis dicat: Nil promoveris. Multum; molestus certe ei fuero atque animo morem gessero*; et Heautontim. I, 1, 34: *Crede, inquam, mihi; Aut consolando aut consilio aut re iuvero*; quibus in locis quam
90 exiguo fine a futuro simplici distet exactum, ex Hecyr. IV, 2, 23 intelligi potest: *Sic optume, ut ego opinor, omnis causas præcidam omnibus, Et me hac suspicione exsolvam et illis morem gessero*, et ex Plauti Asinar. II, 2, 14: *Herum in obsidione linquet, inimicum animos auxerit.*

II. Deinde, ut fit, analogia trahente, transfertur futurum exactum ad significandam rem non in altera inclusam, sed quæ per se simul fieri possit; in quo præteriti notio magis iam obscuratur, nisi quod hæc alterius illius actionis et occasionis spatio absoluta fore videtur. Hoc genus frequens est in particula *eadem*, apud Plaut. Bacch. I, 1, 15: *Eadem biberis; eadem dedero tibi, ubi biberis, savium*; Mostell. IV, 3, 45: *eademque opera hæc tibi narravero*; Pseudol. I, 3, 99, Capt. II, 2, 43.

III. Proximum est, in quo apparet illa, quam solam fere grammatici sequuntur, celeritatis notatio vel rei pæne iam ad exitum perductæ, ut propter eam causam eo, quo iam dixi, modo finis actionis animo comprehendatur. Huiusmodi apud Plautum est Asin. II, 4, 40: *Iam hic me abegerit suo odio* (er wird mich bald vertrieben haben) et Mostellar. V, 2, 52: *Ego illum, ut sit quietus, verberibus subegero* (ich werde ihn bald gezwungen haben), et in eadem fabula III, 1, 62: *Molestus si sum, reddite argentum: abiero* (add. Pseudol. I, 3, 116), et apud Terentium Andr. II, 3, 7: *dictum ac factum, invenerit Aliquam causam, quamobrem eiiciat oppido* (wird er gefunden haben). Itaque et promittentes et minantes hac forma utuntur, velut apud Plaut. Mercat. II, 3, 38: *verum actutum abscesserit*, sæpe addito *iam*, etiam ubi evanescit pæne rei absolutæ cogitatio, ut Cas. III, 4, 23 (*ego iam per hortum iussero Meam istuc transire uxorem*), et Bacchid. IV, 9, 143: *iam ego huc revenero* (*werde zurück sein*, non solum: *kommen*); add.
91 Cas. II, 4, 18 et Mil. III, 2, 49. Interdum quidem celeritatis significatio prorsus cedit affirmationi minantis, ut apud Terent. Heautont. I, 1, 55: *set si id non facis, Ego, quod me in te*

sit facere dignum, invenero, quo exemplo non optime utitur Lindemannus.

IV. Ex ea, quam initio attigi, significatione rei, quæ iam absoluta certo momento fore videatur, is oritur usus, quo futurum exactum ponitur de eo, quod quis interim, dum aliud quid fit, aliquantisper facit, etsi nulla subest significatio rei perficiendæ, sed quod tamen actionis intra temporis spatium conclusæ finis et ulterius tempus animo obversatur. Huius generis hæc sunt: Plaut. Aulul. IV, 5, 6: *Tantisper hic ego ad ianuam concessero*; Mostel. III, 1, 157: *huc concessero, Dum mihi senatum consilii in cor convoco*; Pseudol. I, 5, 160: *Tibicen vos interea hic delectaverit*[1]); Trinumm. III, 1, 24: *Huc aliquantum abscessero.* Addo Mil. II, 2, 45. Trin. IV, 2, 165. Epid. III, 4, 78 (etsi ibi non tam hoc dicit: *abibo paulisper* quam hoc: *nunc abibo, sed post redibo*; celeritatis, quam Lindemannus inesse putat ob præcedens, opinor, *propera*, nulla est significatio) et Terent. Heautont. I, 1, 122.

V. Paulo longius a prima origine discedit, omni fere præteriti notione sublata ac ne absolutionis quidem nisi obscure retenta, futuri exacti usus in rei dilatione significanda; differtur tamen res in unum quoddam momentum temporis futuri, quod expletura est; et hæc fere sola remanet notio seiuncti et transeuntis momenti et sæpe ab alia actione pendentis.[2])
Sæpe adduntur particulæ *mox* et *post*. Plaut. Capt. I, 2, 91: 92
(*Ibo intro* cet.) *Ad fratrem, quo ire dixeram, mox ivero*; Cas. III, 2, 15: *post convenero* (sed v. 18: *ubi nuptiæ Fuerint, tum istum convenibo*); Pseudol. II, 2, 52: *at ego, quando eum esse censebo domi, rediero*, et II, 4, 31: *vobis post narravero*, et II, 4, 65: *ipsi dixero* (non tibi nunc). Add. Pers. II, 2, 3, Truculent. II, 6, 66, Terent. Hec. IV, 4, 78. Coniuncta autem cum differendi notione est curæ aut in alium aut in se transferendæ, quo simul ea cura differtur. Itaque sic dixit Terentius Andr. II, 6, 25: *Ego, istæc recte ut fiant, videro*, et Adelph. IV, 1,

---

[1]) Præter hoc nullum habeo exemplum nisi primæ personæ.

[2]) Non utique inest significatio momenti *celeriter* transituri, quod nonnulli videntur credere. Nam qui *Post videro* dicit, is potius eius rei considerationem promittit non brevissimam. (Das wird später betrachtet werden, zu betrachten sein.)

22: *Fuge modo intro; ego videro*; cfr. Adelph. V, 1 (3). 59 et III, 3, 83, ubi est: *de istoc ipse viderit.* Nec ulla est causa, cur vulgo ad unum omnes grammatici hoc postremum et similia plurima apud omnes scriptores coniunctivo modo (permissivo) dicta putent, adversante primæ personæ usu. Nemo enim legit: *Ego viderim*, id est, permitte, ut ego videam. Ac ne quis dubitet, Heinsius ad Ovid. ex Pont. I, 2, 9 Græcum comparavit: *τί πρὸς ἡμᾶς; σὺ ὄψει.*

VI. Quod dixi de notione actionis futuræ cum altera quodam modo connexæ, id maxime in iis locis confirmatur, ubi de actione alteram subsequenti futurum exactum dicitur, ut iam non modo præteriti nihil in se habeat, sed ulterioris futuri loco sit. Huiusmodi hæc sunt apud Plautum: Mostell. III, 3, 18: *Vel mihi denumerato; ego illi porro denumeravero*, et V, 2, 22: *Surge, ego isti assedero*, et Menæchm. III, 3, 21: *Da sodes abs te, post ego reddidero tibi*, et Pœn. V, 2, 24: *Si non* (respondebunt), *tum ad horum mores linguam vortero.*

94 Atque hæc, de quibus hactenus dixi, ad certa genera sic revocari poterant, ut proprietas quædam futuri exacti appareret, etsi tenendum est, adeo eam exiguam esse, ut, omissa levi illa significationis inflexione, omnibus locis poni potuerit futurum simplex, quod infinitis locis plane similibus ponitur. Ac postremum quidem genus nescio an rectius exclusurus fuerim, quoniam illi loci perparvo discrimine et fortasse casu differunt ab iis, in quibus plane pro futuro simplici ponitur exactum. Huc enim sensim licentia et oblivio significationis temporis præteriti excessit, sed, ut videtur, in prima tantum persona. Neque negari ullo modo potest, separatis iis, quos posui, locis et si qui similes sunt, magnum tamen relinqui numerum apud Plautum, nonnullos apud Terentium, in quibus nullum prorsus discrimen utriusque futuri appareat. Nec satis est in uno alterove horum locorum (quos omnes in inferiorem marginem reieci) aliquid excogitari, nisi id similitudine quadam perpetua plurium locorum confirmetur. Longe plurimi omnem conatum respuunt eorum, qui eadem, quæ nostris linguis, etiam veteribus accidere, ut interdum promiscuum formarum usum,
95 concedere nolunt.[1]) Ne id quidem (propter Mercat. III, 2, 5

---

[1]) Plaut. Amphitr. III, 2, 49 (*Ibo egomet, comitem mihi pudicitiam duxero*), III, 4, 16 (*Capiam coronam mihi in caput; assimulabo me esse*

et similes locos) dici potest, tantum de actionibus separatis, non de perpetuis consiliis futurum exactum pro simplici poni, etsi frequentius ita ponitur. Illud in hac re memorabile est, quia hic transitus in futuri simplicis locum factus est per significationem actionis finitæ ex præterito inhærentem (quod ita esse, vel hinc confirmatur), nunquam illis, quos enumeravi, modis positum reperiri futurum in *so*, quod quum primariam simplicis futuri significationem, retenta futuri exacti, amisisisset (si *faxo* excipimus), non potuit eam illa via recuperare. Itaque, quod sæpenumero in linguarum historia persequenda accidit, videmus quasi per orbem in contrarium ductas formarum significationes esse, ut et simplex futurum suam amitteret, et id, in quo inesset præteriti adiuncta notio, futuri simplicis aliquando haberet.

Sed hactenus de comicis dixi; videndum est deinceps, quod de industria seposui, quænam huius liberioris usus vestigia apud inferioris et maxime Ciceronianæ ætatis scriptores supersint. Ac primum (I) illi, quum de futura actione sic loquuntur, ut perfectæ effectus et fructus animo maxime obversetur, rarius, sed utuntur tamen futuro exacto (quod supra primum posui), velut Cicero de Fin. III, 4, 14: *Multumque ad ea, quæ*

---

ebrium, Atque illuc sursum escendero; inde optume aspellam virum): Asin. II, 2, 61, Aulul. III, 6, 34, Capt. II, 2, 91 et III, 1, 35 (*Sic egero: Nunc ibo ad portum hinc*, cet. Idem est, quod apud Ciceronem in consilio declarando *Sic agam*, ut ad Fam. XIV, 4, 3: *opinor, sic agam*, ad quam formam in primo fragmento orationis contra contionem Metelli scribendum est: *Sic agam, ut opinor; insequar* cet.); Cas. IV, 2, 2 et 7, Epid. V, 1, 50. Bacchid. IV, 6, 5, Mostell. II, 2, 93, IV, 3, 15, V, 1, 54, Mercat. II, 3, 78, II, 4, 29, III, 2, 5 (*recolam — servibo — delectavero*), Pseud. II, 2, 35, Pœn. IV, 2, 35, Pers. I, 1, 51, I, 3, 55, II, 2, 3, II, 2, 68, II, 3, 16—17, IV, 4, 26, Rud. II, 2, 24 (*si videro, exquisivero*), III, 5, 9 (*Quid ages? — Ego recessero*), Stich. II, 2, 27 (*cape — capiam; converre — fecero*), IV, 2, 13 et 27, Trinum. I, 2, 23, II, 4, 64, III, 2, 29 (ubi Lindemannus ait esse *statim perscribere possum*; est tantum: *vel perscribam*, id est, perscribere possum; nec in tempore verbi editores superiores hæserant), III, 2, 84; Terent. Heautont. III, 5 (IV, 1), 8, Phorm. IV, 3, 76 (*Inde sumam; uxori, tibi opus esse, dixero*), V, 5 (6), 42 (*rape me. Fecero*), Adelph. I, 2, 47. In primo Terentii loco tertia persona est. Plauti Epid. II, 2, 87 incertæ est scripturæ; in Mil. II, 3, 61 *deterruerit* est coniunctivus potentialis. [Hauptius: *deterrebit.*]

quærimus, explicatio tua ista profecerit, et ibd. IV, 15, 41: *sin est etiam corpus* (in natura), *ista explanatio naturæ nempe hoc effecerit, ut ea, quæ ante explicationem tenebamus, relinquamus*, [ad Att. I, 4, 1,] et Livius VIII, 33: *Videro, cessurusne provocationi sis, cui rex Romanus Tullus Hostilius cessit*, id est, consequar, ut videam, et Cæsar de Bell. Gall. IV, 25: *Ego certe meum rei publicæ atque imperatori officium præstitero*, id est, curabo, ut præstitum sit. Add. Liv. XXVIII, 44 extr., Virg. Æn. X, 334. (II) Quam supra tertio loco et celeritatis et certæ affirmationis significationem inesse dixi, ea apud Ciceronem manifesta est Tuscul. I § 74: *Quum vero causam iustam deus ipse dederit —, ne ille, medius fidius, vir sapiens lætus ex his tenebris in lucem illam excesserit, nec tamen — ruperit, sed — exierit*, et apud Livium XXV, 38, 17: *Clamor in portis auditus et primus impetus castra ceperit.* Eodem refero duos Ciceronis locos, in quibus affirmatio eminet, simul autem actionis cum altera connexio (vid. supra V), Tusc. II § 16: *quam quis ignominiam non pertulerit, — si decreverit* cet.? et Legg. III § 43: *Quis non studiose rei p. subvenerit, hac tam præclara legis voce laudatus?* Coniunctivus esse nequit. Huc pertineret, si quidem sanum esset, *potuerit* in Cic. de Fin. I § 69; sed ibi nulla talis connexio est. Sed plane huc pertinet, quod de Re p. I, 13, 20 legitur: *Libenter tibi, Læli, ut de eo disseras, equidem concessero.* Paratum enim Philus se dicit Lælio disserendi locum statim facere. Transeuntis momenti et actionis semel perficiendæ et abscidendæ notio cum affirmatione apparet in Ciceronis oratione pro Plancio 33, 79: *Multo citius meam salutem pro te abiecero quam Cn. Plancii salutem tradidero contentioni tuæ* (id est fere: ich werde lieber auf einmal)[1]) et ad
96 Att. III, 19: *Nusquam facilius hanc miserrimam vitam vel sustentabo vel, quod multo est melius, abiecero*, et in earundem epistolarum libr. IX, 7, 5: *quem quidem* (triumphum) *facile et libenter abiecero* (quasi dicas: der soll leicht und gern weggeworfen sein), postremo pro Sulla c. 32, 90 (*Libenter reddiderit*). Eadem asseverandi vis transfertur ad negationem in Ciceronis ad Att. libri IV ep. 1: *quem* (complexum tuum) *semel nactus nunquam dimisero.* Simile est apud Virgilium Æn. IX,

[1]) [Cfr. Liv. III, 52, 8: *citius caruerimus.*]

280: *Me nulla dies tam fortibus ausis dissimilem Arguerit.* (III) Eius generis, quod supra quartum feci, quum res significaretur, quæ tantisper et ad tempus ageretur, apud Ciceronem exemplum est ad Attic. V, 1 § 3: *Tu invita mulieres; ego accivero pueros* (ich werde unterdessen cet.). (IV) Frequentissimus deinde est apud Ciceronem et alios futuri exacti usus in differendo (quod quintum supra erat), nec tamen hæc verbi forma universe eam significationem retinuit, sed, ut fit sæpissime (quod de *faxo* vidimus ante), in uno verbo mansit, *videro*, (*videris, viderit*, quos frustra coniunctivos appellant).[1]) Unum præterea me legere nunc memini, *fuerit*, Cic. Tuscul. V § 10: *Cuius de disciplina aliud tempus fuerit fortasse dicendi.* (V) Illius generis, quod supra extremum et sextum posui, unum reperio exemplum apud Ciceronem ad Att. XIV, 16, 1: *post* 97
in hæc Puteolana et Cumana regna renavigaro. Intelligent omnes, hæc ita cum iis, quæ de comicis disputavi, convenire, ut illa, quæ ibi posui, genera non sine causa ex promiscuo usu secreverim. Futuri exacti prorsus pro simplici positi rarissima apud poetas optimæ ætatis exempla animadverti, apud Virgilium Æn. [VI, 88: *defuerint*, deinde: *quas non oraveris urbes?* et] IX, 297 (*Namque erit ista mihi genetrix nomenque Creusæ Solum defuerit*) et X, 503 (*Tempus erit, magno quum optaverit emptum Intactum Pallanta*) et XI, 688, apud Propertium II. 5, 21 et 22: *Nec tibi periuro scindam de corpore vestem, Nec mea præclusas fregerit ira fores* cet. [Cfr. I, 15, 29 et 30.][2]).

Quoniam de indicativo modo huius temporis et utraque forma dictum est, venimus ad coniunctivum, in cuius ratione explicanda multi sunt et magni errores, ex uno fonte promanantes, quod eum ab indicativo suo futuri temporis seiunctum ad perfectum adiunxerunt; rectam viam nemo adhuc, quod sciam, ingressus est. Primum igitur, ut a *faxo* fit *faxim*, a *levasso levassim*, eadem coniunctivi terminatione, quæ est in *sim* et *velim* et *edim*, sic ab *amavero* fit *amaverim*. Eius, quod

---

[1]) Exempla, si opus est, collegerunt Matthiæus l. c. p. 26, Ramsh. p. 603, Zumptius § 511. (*Sed videro* Cic. ad Qu. Fr. II, 15 (13), 2, spatium sumens cogitandi et se deliberaturum promittens.)

[2]) Quod editur in Ciceronis ad Att. XIII, 21, 2: *continuo scieris*, coniectura non recta natum est.

est *amari*, nullus est omnino coniunctivus, si de origine formæ quærimus, qui adiecto *erim* deduci nullo modo potest; adeoque erit ipsam explicationem ordine persequentibus perspicuum, formæ eius, quæ vulgo perfectum coniunctivi appellatur, varios usus a futuro sensim ortos et progressos esse, ut refutatione receptæ doctrinæ supersederi possit. Sed quum hic coniunctivus ab indicativo litteris tantum in prima persona singularis numeri distaret, quæsitum est olim, mensurane syllabæ pænul-
98 timæ modi distinguerentur in prima et secunda persona pluralis numeri; de quo veteres grammatici quidam dissentiunt, poetarum usus satis ostendit, nullum esse discrimen, syllaba in
99 utroque modo ancipite.[1]) Nec *edimus* coniunctivo modo discernitur quantitate ab indicativo (Plaut. Pœn. III, 1, 34).

---

[1]) Tractavit hanc rem, paulo tamen levius, Fr. Ritter in Elem. Gramm. Lat. p. 45 post Vossium (Aristarch. II, 21 et 31, a quo Seyfertus, qui citari solet, sua sumpsit in Gramm. Lat. I p. 369). Sed Ritteri censor, Duebnerus (in Iahnii Ann. Philol. 1831, 3 p. 139) tempora distinguenda esse tradit veterum grammaticorum regula, eamque rem diu notam fuisse. Sane Diomedes perfectum (id est, coniunctivum, quanquam veteres grammatici omnia in his formis miscent et confundunt) brevem pænultimam, futurum longam habere scribit (p. 331); sed Probus (p. 1413) utriusque temporis syllabam longam facit; Agrœtius (p. 2267) mihi videtur utrobique ancipitem esse dicere. Verum esse, quod supra positum est, hæc ostendent: *ĭmus* coniunctivo modo est apud Plaut. Bacch. V, 2, 14, Ter. Phorm. V, 1 (2), 7, Virgil. Æneid. VI, 514, indicativo Plaut. Pœn. III, 4, 17, Rud. II, 1, 15 (*capsimus*), Lucret. I, 156; *īmus* coniunctivo apud Plaut. Trucul. I, 1, 40 (*faximus*) et Cistell. I, 1, 11, Terent. Ad. II, 4, 7, indicativo Catull. V, 10; *ĭtis* indicativo apud Plaut. Mil. glor. II, 2, 1 et 2 et 5, Ovid. Metam. II, 516, ex Ponto IV, 5, 45, coniunctivo nondum repperi; *ītis* indicativo apud Ovid. ter in vocibus, quæ aliter in versum includi non poterant (Metam. VI, 357, ex Pont. IV, 5, 6 et 16), coniunctivo apud Enn. Cic. de Offic. I, 12 (in simili voce) et Plaut. Mil. III, 2, 48. Opinor, syllabas natura breves, sed parum certa quantitate, productas esse plerumque duabus brevibus præcedentibus. Qui in Seebodii tabul. I p. 494 de hac re scripsit (a Zumptio citatus), magnum locorum numerum ad idem demonstrandum notatum habuisse videtur (equidem sero ad hanc rem attendere cœpi), sed nec locos ipsos indicavit nec pluralem numerum a secunda persona singularis numeri seiunxit, ad quam veterum grammaticorum controversia non pertinet. Nec distinxit Ramshornius (p. 1048), qui *is* in coniunctivo brevem, in indicativo longam esse scripsit, deinde omnibus indistincte exemplis longæ mensuræ notam

I. Iam hæc coniunctivi forma principio plane respondet indicativo suo estque futurum exactum coniunctivi, quod nomen inauditum ad aures accidet, sed parebunt aures veritati. Sic igitur ponitur apud comicos primum in sententiis condicionalibus aut suapte natura coniunctivum habentibus aut propter implicationem orationis; suapte natura, ut Plaut. Aulul. II, 2, 51 (*Nunc si filiam locassim meam tibi, in mentem venit, Te bovem esse* cet.; refertur enim *si locassim* cogitatione ad id, quod sequitur: *iaceam ego* cet.) et Terent. Eun. V, 2, 22: *debeam, Credo, isti quicquam furcifero, si id fecerim*; etiam Plaut. Capt. III, 4, 67: *Quid, si iusserim?* Respondetur: *sapias magis.*[1]) Huiusmodi, sed paulo durius est apud Virgilium Æneid. XII, 40 sqq.: *Quid consanguinei Rutuli, quid cetera dicet Italia, ad mortem si te (Fors dicta refutet!) Prodiderim?* Exspectabatur enim *dicat*; sed mixta est syntaxis ex simplici interrogatione de re futura et ex interrogatione condicionali. [Similiter, sed inclinans ad affirmationem dubitativam Liv. XXVI, 49, 3 et XXVII, 27, 12.] Propter nexum orationis positus coniunctivus est apud Plaut. Mostell. III, 3, 19 (*At enim, ne quid captioni mihi sit, si dederim tibi*) et Trin. III, 3, 26, et apud Terentium Andr. I, 2, 29: *ea lege, ut, si te inde exemerim, ego pro te molam*; Andr. III, 2, 14 (ubi propter Vossium de Anal. III, 15 100 addo, *metuor, si resciverim* esse: *metuor, quid facturus sim, si resciverim*, id est prope: *ne resciscam*, ut apud Tac. Ann. I, 11: *quibus unus metus, si intelligere viderentur*), Adelph. II, 1, 17. Deinde etiam post alias particulas ob implicatæ constructionis legem hic coniunctivus reperitur, ut apud Plaut. Bacch. II, 1, 6: *venero te, Ne Nicobulum me sinas . . . prius convenire, quam sodalem viderim Mnesilochi*, et apud eundem Mil. Glor. IV, 3, 3: *nam nullo pacto potest Prius hæc in ædes recipi, quam illam omiserim.*

---

apposuit, in thesi tamen etiam brevem esse posse tradidit; quasi thesis ex longis breves facere (id est longas pro brevibus recipere) possit, quemadmodum arsis interdum longas ex brevibus. [Cfr. Neue Formenlehre der Lat. Spr. II, 509 sqq. ed. 2.]

[1]) Futurum exactum indicativi est in hac loquendi forma Asin. III, 3, 130: *quid, si optaro?* Coniunctivus, sed præsentis Capt. III, 4, 80 (*quid, si adeam hunc insanum?*), Curcul. I, 2, 57, Merc. III, 3, 17, Pœn. III, 3, 95. Apparet libertas syntaxis Plautinæ.

Coniunctivum futuri exacti de eventu futuro rei præteritæ positi iam supra exemplis declaravi (p. 87). Nec desunt exempla coniunctivi ei futuro exacto respondentis, quod liberius ponitur, velut de re celeriter consecutura Terent. Heautont. II. 3 (2), 75: *ubi* (id est, eo modo, ut), *si paululum modo quid te fugerit, ego perierim*; recta oratione esset: *Si paululum te fugerit, periero.* Reliqua iam in indicativo tam tenui fine a futuro simplici distinguuntur, ut eosdem gradus in coniunctivo, qui multo magis eo transit, persequi inutile sit. In Pseudolo tamen I, 3, 142 (*si tu argentum attuleris, cum illo perdiderim fidem*) coniunctivus dubitanter promittens (is est enim, non condicionalis) potius, ob adiunctum futurum exactum, respondet indicativo *perdidero* quam *perdam.* [Cod. Palimps. *perdidero.*] [1])

101 Ne in inferioris quidem ætatis et prosæ orationis scriptoribus alio nomine utendum est in frequenti huius formæ usu post *si, quum, ubi* aliasque particulas aut pronomen relativum in sententiis ad futurum tempus relatis, velut apud Cic. ad Famil. I, 7, 9: *Hæc profecto vides, quanto illustriora futura sint, quum aliquantum ex provincia atque ex imperio laudis accesserit*; aut pro Sulla 9, 27: *satis adeptum fore, si nullam in me periculum redundarit.* Neque enim quod in passivo, omissa futuri significutione, quæ assumitur ex sententia primaria. præterito utuntur saltem ad actionem perfectam notandam, id ad activum transferendum continuo est; nec quicquam ex eo efficitur, quod in oratione ex præterito suspensa plusquamper-

---

[1]) Persecutus sum fere eos locos, qui virum egregium, Io. G. Vossium in eum errorem induxerunt, ut (de Anal. III, 15) terminationes *ero* et *erim* antiquitus promiscuas fuisse putaret; ceteri enim, quos e Plauto addidit, aperte depravati sunt, Trucul. II, 7, 68 (qui versus, a pluribus tentatus, sic emendandus videtur, ut *ceperim* a superiore versu pendeat), Mostell. V, 1, 64 (ubi probabilis est Acidalii coniectura: *designaveris. Tibi* cet.), Pseud. I, 1, 94 (vid. Both. Equidem totum versum subditicium puto, cuius sententia inest in duobus proximis, ex quibus effectus ipse est, partim iisdem verbis). Restat Pacuvii versus apud Nonium (p. 505 Merc.): *Ut, quæ egi, ago, axim, verruncent bene*, ubi *axim* dubitanter ponitur de incertis futuri temporis rebus. Si id Vossius dixisset, modorum terminos non tam accurate definitos esse apud Plautum quam postea, vera dixisset, sed quæ non ad has solas formas pertinerent.

fectum fit. Destitutus enim sermo formis ad eandem seriem temporum notandam in oratione ad præteritum relata necessario utitur notis minus distinctis. In perfectum hæc forma coniunctivi tum transit, quum respondet indicativo perfecti, velut ex eo, quod est: *quum usus progrediens familiaritatem effecit, tum amor efflorescit*, fit (Cic. de Fin. I, 20, 69): *dicunt, quum — effecerit, tum — efflorescere.* Tantum intelligendum est, veteres, quum hanc formam ex futuro in præteritum transeuntem ponerent, non semper certo sensu tempora distinxisse, ut præcise ipsi dicere possent, ubi pro futuro exacto, 102
ubi pro perfecto ponerent.[1]) Sed tamen in huiusmodi quidem exemplo orationis non aliunde suspensæ, quale est apud Ciceronem Academ. II § 81: *quam* (rationem) *ut maxime inveneris (quod haud scio an non possis), non tu verum testem habere, sed eum non sine causa falsum testimonium dicere ostenderis,* alterum futurum exactum arguit, quomodo prius ad sensum Romanorum acciderit. Nec in hoc Livii loco res dubia est (XXVIII, 43, 16): *tam, hercule, quam, si victor ex Africa redierim, ea ipsa elevare*, aut in hoc (ibd. 8, 4): *nec pro difficili id bellum habendum, in quo, si modo congressus cum hostibus sis, viceris.* Ceterum ipse scio, Romanos interdum ad exprimendam prorsus futuri temporis notionem paulo durius in hac forma indicativo primæ personæ usos esse; certe id Cicero fecit Philipp. VII § 8: *quæro oroque vos, — ne id prius, quam, quale sit, explicaro, repudietis*; tota enim orationis cohærentia in re cogitata, quæ, si senatores repudiarint, nulla futura est, ad coniunctivum inclinat, ut non minus aperte de Fin. IV, 72.[2])

---

[1]) Restituendum est in transcursu hoc futurum exactum Livio in libr XXVI, 32, 4, ubi, perturbata temporum consecutione, editur: *Si ab inferis exsistat rex Hiero, quo ore aut Syracusas aut Romam ei ostendi posse, quum, ubi semirutam ac spoliatam patriam respexisset, ingrediens Romam in vestibulo urbis, prope in porta, spolia patriæ suæ risurus sit?* Codices Drakenborchii et optimus Florentinus et mediocres et pessimi habent *respexerit.*

[2]) Alia exempla habet Ellendtius in comment. de formis enunciatorum condicionalium p. 60, sed non recte futurum exactum coniunctivo carere scribit. Eadem est ratio futuri simplicis, velut Philipp. VIII

103 II. A notione futuri exacti coniunctivus, ut indicativus, transit in notionem futuri coniunctivi simplicis, cum eo tamen, ut fere ibi tantum ponatur, ubi rei futuræ non per se cogitatio suscipiatur, sed inclusa in consilio, voluntate, conatu aut in hypothesi (in sententiis finalibus et condicionalibus), quo fit, ut plerumque, inferiore autem ætate semper, præsens tempus ponatur. Dixi tamen, fere tantum sic poni; nam in fragmento Accii ex Epinausimache apud Non. p. 485 Merc. (*Contra, quantum obfueris, si victus sies, considera, et quo revoces summam exerciti*) *obfueris* in interrogatione pendenti est pæne pro *obfuturis sis*, ab indicativo tamen: *obfueris, si victus eris*. Sed id, quod dixi, futuri genus primum in condicionalibus sententiis reperitur, partim præcedente in condicione præsenti coniunctivi tempore, ut apud Plautum Amphitr. I, 3, 12, Casin. II, 7, 1, Epid. II, 2, 73, Mil. III, 1, 75 (*quid optassis*), Merc. IV, 6, 10, Pœn. IV, 2, 64, apud Terent. Hecyr. III, 4, 10, partim sequente in re ea, quæ a condicione pendet, ut Asin. III, 3, 13 (*si licessit*), Bacchid. V, 1, 17; partim futurum exactum utrobique ponitur, ut Trucul. I, 1, 40 (*si faximus — faxim*). In uno et altero loco, si ad indicativam formam sententia redigitur, futurum exactum non solum licenter, sed magis proprie poni potest, ut Cas. II, 7, 1 de fructu rei perfectæ et Pœn. IV, 2, 64 de celeritate rei consequentis. Deinde hoc futurum post *ut* et *ne* ponitur, velut Plaut. Aul. IV, 2, 4 (*quæso, ut prohibessis*), [Rud. II, 1, 16 (*Venerem veneremur, ut . . . adiuverit*)], Capt. IV, 2, 11 (*minor, ne quis obstiterit*), Mil. II, 3, 62 (*Hic obsistam, ne imprudenti huc ea se surrepsit mihi*), Pers. IV, 3, 9 (*nec metuo, ne quis mihi in iure abiurassit*), Pœn. I, 3, 37 (*nunc mihi cautio est, ne meamet culpa meo amori obiexim moram*). Frequentissimum est post *cave ne*, [velut Plaut. Cas. II, 5, 24, Epid. III, 4, 3, Men. V, 7, 5, Mil. IV, 8, 58, Ter. Heaut. I, 2, 13, Adelph. III, 4, 12]. Post *ut* ultimus
104 ex iis, quos habemus, eo usus est Horatius Sat. II, 6,

---

§ 27: (postulat,) *tamdiu ut obtineat, dum M. Brutus, C. Cassius provincias obtinebunt.* Cfr. XI § 30, de Offic. III § 121, de Invent. II § 132, ubi non recte Ernestius *administrarit*; nam futuro exacto nihil est loci.

5.[1]) Omissum est *ut* apud Plaut. Bacch. II, 3, 100: *mihi dederit velim.*[2]) Prorsus eminet futuri significatio in sententia consecutiva apud Plautum Rud. III, 4, 25: *Ita hinc ego te ornatum amittam, tu ipsus te ut non noveris*, id est, cogniturus sis, et apud Lucret. II, 982: *nunquam consistere ut ausis*, id est, ita ut non ausurus sis. Ad hos duos locos mire adiungitur Sallustii in oratione Lepidi (hist. lib. I, fragm. 41, 19 Dietsch.): *Quorum adeo Sullam non pœnitet, ut et facta in gloria numeret et, si liceat, avidius fecerit.*

Iam patet, quum hæc forma pro præsenti coniunctivi tempore, sed tantum dubitativi, ut statim dicam, retenta esset, nihil aliud quam casu ad veterem loquendi formam redisse Quintilianum et Tacitum et qui alii, prolatis rursus eius coniunctivi finibus, sic ausi sunt loqui: *ut ita dixerim* (Tac. Agric. 3), *ne longius abierim* (id Ann. VI, 22), *ut sic dixerim* (Quintil. I proœm. 23 et I, 6, 1 et VIII, 3, 55; Tac. Ann. XIV, 53)[3]), Pers. I, 4: *ne mihi prætulerint.* Quod apud Livium legitur VIII, 18: *ne cui auctorum fidem abrogaverim*, de eventu futuro actionis intelligendum est (*ne cui fidem abrogasse videar reperiarve*).

III. Huic, quem exposui, usui futuri exacti coniunctivi per futurum simplex in præsentis significationem transeuntis adiunctus est et finitimus usus eius in optando prohibendove[4]), in quo semper admixta est aliqua futuri temporis cogitatio 105
adeo latens, ut vulgo non exprimatur. Exempla auctoritatesque in hoc genere ponere supervacaneum est. (*Di te servassint. Vos salus servassit. Id te Iuppiter prohibessit. Cave excessis. Nil curassis. Ne appellassis. Nullus dixeris* cet.).

---

[1]) [Cicero *cave cogitaris* dixit ad Qu. Fr. III, 9, 4; cfr. Prop. II (III), 13, 41, Curt. V, 9, 21. Liv. XXIX, 27 in precandi formula vetustatis colorem secutus posuit: *precor, . . . auxitis . . . faxitis.*]

[2]) Apud Ciceronem ad Att. IX, 9, 1 (*Quare fac, ut ostendis, ne destiteris ad me, quicquid tibi in mentem venerit, scribere*) aut scribendum videtur: *neve destiteris* aut sic interpungenda oratio post *ostendis*, ut per se addatur *ne destiteris*; nam Ciceroni ex hoc uno loco illam loquendi formam tribuere non audeo.

[3]) Walchius ad Tac. Agric. p. 133 aoristi inane nomen, semper paratum, adhibet.

[4]) [Etiam in prima persona, ut apud Livium XXII, 3, 10 et XLI, 24, 15.]

Quod autem recte annotant de inferioris ætatis scriptoribus, apud quos tantum in vetando hæc forma mansit (*ne feceris*), in iubendo eam non poni, confirmat etiam comicorum usus; nam apud Plaut. Mil. II, 6, 89 (*etiam illud, quod scies, nescireris*) verbum negativum pro negatione est; in Pseudolo autem I, 3, 3, ubi Bothius verba *Bene curassis*, quæ corrupta esse alii senserant, Callidoro dedit satis perverse, e cod. Ambrosiano scribendum est: *Nihil curassis.*[1])

---

[1]) Quod apud Livium legitur II, 40, 9: *de his videris*, is indicativus est curam differentis et transferentis, quem supra declaravi, idemque apud Cic. ad Attic. XIV, 20: *Quid credas, videris.* Vid. supra p. 92. Apud Ciceronem autem de Off. I § 59 ea orationis forma est, ut magis dicatur, quid quisque, ipsa natura duce, per se facturus sit, quam præscribatur et iubeatur, dubitativa et hypothetica futura forma ob secundam personam fictam. Ceterum quod nonnulli, ut A. Grotefendius, quid interesset inter *ne facias* et *ne feceris*, docere conati sunt, adhibito Livii loco ex libr. XXI, 44, 6, in quo *ne transieris* de re ad unum momentum pertinenti, *ne quid rei sit* de longioris temporis perpetuo commercio dici putant, infinitis locis id refelli potest; sed opus non est, quoniam satis constat, usum loquendi persona verbi hæc distinguere, non temporis diversa significatione, ut *ne facias* apud comicos quidem non infrequens sit (Plaut. Bacch. III, 3, 41, Mil. Gl. IV, 9, 1, Ter. Eun. II, 3, 97 [Mostellariæ septem locos enumerat Lorenzius ad v. 453, aliarum fabularum multos C. F. W. Muellerus in Ann. Philol. vol. LXXXIII p. 272 sqq.]), apud Augusteæ autem ætatis poetas (qui fere *ne fac* dicunt) rarissimum (Hor. Sat. II, 3, 88: *ne sis patruus mihi*; Virgilius in Æneide saltem nusquam sic dixit), in prosa oratione prorsus inusitatum, nisi in secunda persona subiecti generalis loco ficta, in qua etiam affirmative præcipientes præsens coniunctivi tempus pro imperativo ponunt. (*Isto bono utare, dum adsit, quum absit, ne requiras*, Cic. Cat. M. § 33. Ad Fam. XVI, 13 Cicero non scripsit, quod inde Ramshornius p. 614 posuit: *ad nos venias*, sed: *cura, ut — ad nos venias.*) Quod coniunctionis *ne facias* Zumptius Ciceronianum affert exemplum [§ 586, vel potius afferebat; nam nunc in octava editione hæc mutavit, etsi nondum *ne fac* solis poetis reddidit, 1842], sumptum e Verr. III, 94, 219, id rectius interpungendo tollitur: *Negligite præterita, si vultis; sed, ne reliquas spes turbetis atque omnes provincias evertatis, id providete, ne avaritiæ — viam patefaciatis illustrem atque latam. Negligite* et *providete* contraria sunt; priori sententiæ per *ne* pendenti, ut sæpe, altera per epexegesin superadditur. Eadem est ratio eius loci, quem Ramshornius p. 620 ex oratione pro Cluent. 2, 6 protulit; nam hæc: *deinde — ne repugnetis eamque — remittatis* pendent a verbo *postulo* (*primum, ut ne — deinde, ne — tum autem, ne*). Quod ad Qu.

Huic futuro coniunctivi activo notum est in passiva forma 106
in vetando respondere *ne commotus sis* et similia (vid. Terent. 107
Heaut. IV, 4 (6), 22, Phorm. III, 2 (5), 29, Cic. pro Mur. 31, 65, ad Fam. VII, 18, 3, ad Att. II, 24, 1, ad Qu. Fr. II, 12 (10), 5, Liv. V, 53, 3, IX, 11 extr. (*moratus sit nemo*); *neve fueris assensus*, Cic. Acad. II § 125; *ne tamen territus fueris*, Tac. Hist. I, 16; *ne pigrere* apud Cic. ad Att. XIV, 1 pendet a *quæso*, quod præcedit). Id ne quem commoveat tanquam ad perfectum quam ad futurum activi accommodatius — (quanquam

---

Fr. lib. I, 4 init. scribitur: *Amabo te, mi frater, ne assignes*, ibi non per se ponitur *ne assignes*, sed in familiari sermone pendet a verbo *amabo*, quemadmodum apud Plautum et Terentium dicitur *amabo te, ut facias.* [Cfr. ad Fam. XV, 17, 4.] Ad Att. I, 13, 3 (*is fuit princeps, ne tu forte aliquem nostrum putes*) quomodo adiungatur *ne*, apparet ex iis, quæ dixi ad Cic. Fin. II § 77. [De loco, qui est ad Att. XIII, 49, 2 (*tibi mando, de illo nostro exquiras, de me ne labores*) sufficit admonitio Wesenbergii in Emendatt. Epistol. Cic. p. 26 not., idemque de loco corrupto ad Attic. XIII, 23 extr. exposuit. 1842.] Relinquitur ad Att. IX, 18, 3: *Tu, malum, actum ne agas*, quod habet speciem proverbialis formæ ex antiquo sermone servatæ. Hæc quum ita essent, Cicero de Divin. II § 127 non contraria posuit *facito, ne facias* (nec *ne facito*), sed *facito, ne feceris*, neque Quintilianus I, 5, 50 quum de *ne* et *non* scriberet, *facias* addidit (neque *fac*), sed *feceris.* Apud Livium nullum omnino contrarium exemplum est nisi in loco gravissime corrupto XXX, 44, 7, ubi Hannibal in vehementissima obiurgatione senatorum Carthaginiensium, ut nunc scriptum est, sic loquitur: *Nec esse in vos odio vestro ab Romanis consultum credatis.* Quæ verba ut possint hoc significare: *Nec Romanos ideo tam acerbe in vos statuisse putaveritis, ut odium suum explerent* (non possunt autem, nemo enim unquam sic dixit *consulere in aliquem odio eius*, nec Livius *odium vestrum* pro *vestri* posuit), sed ut possint, quid absurdius quam Hannibalem induci Romanos defendentem et crudelitatis crimen ab iis removentem? Itaque emendationem tentant editores. Sed parum attendunt ad ea, quæ sequuntur, in quibus hæc ratio superioris sententiæ subiicitur: *Nulla magna civitas diu quiescere potest; si foris hostem non habet, domi invenit.* Hæc cum superioribus cohærebunt, si intellectum erit, de *otio* Carthaginiensium, non de *odio* Hannibalem loqui. Erant, qui arma adempta, incensas naves, interdictum externis bellis ea opinione consolarentur, quasi eo pretio otium saltem emptum esset. Hos Hannibal refellit: *Nec est, cur vos otio vestro a Romanis consultum credatis.* [Cfr. Em. Liv. p. 440 sqq. ed. 2.] (*Ne timete* Livius semel dixit, sed in asseveratione superiori sententiæ adiecta, III, 2, 9.)

quem poterit movere, quum videat illa *curassis, excessis* cet., quæ perfecta nunquam fiunt?) — sed tamen ne quis admiretur saltem, tenendum est, genus hoc loquendi tum demum ortum esse, quum *fecerim* iam etiam pro perfecto coniunctivi haud dubie esset, cui quum ex hac parte responderet verbi causa *miratus sim*, eam analogiam traductam esse etiam, ut fit, ad eum usum formæ *fecerim*, cui nec illa nec ulla alia passivi forma responderet (nam etiam *fueris assensus* nimis expressam habebat præteriti significationem), idque eo facilius, quod et pro futuro exacto coniunctivi passivi illo perfecto uti
108 cogerentur, ut supra dictum est, nec tam esset certa et præcisa præteriti significatio in *miratus sum* quam in *feci*. Illud enim compositum est ex participio, quod initio inter præsens et præteritum medium fuisse, liquet ex *operatus* et *feriatus*, quæ præsentium locum obtinent. Quod autem dixi, hoc genus postea ortum, velim attendi, unum esse apud Plautum exemplum, Mil. Gl. II, 2, 62, idque in hoc ipso participio, *feriatus ne sis*, [et, quod gravius est, coniectura incerta natum]. Apparet, totum hoc genus positum esse in analogia paulum a via deflectenti.[1])

IV. Sequitur ipso iam ordine et loco satis explicatus frequentissimus usus huius formæ dubitativus et potentialis, in quo omnes perfecti coniunctivi nomine utuntur. Quis enim non videt, quum aut fieri aliquid posse dicamus (ut Liv. IX, 24: *Hoc quidem adscensu vel tres armati quamlibet multitudinem arcuerint*), aut de nostro ipsorum iudicio agendive consilio dubitanter loquamur, has rerum significationes ita in futurum incidere, ut tamen, quum aut eius rei natura, quæ nunc sit, aut iudicium nostrum declaretur aut consilium in condicione positum sit, simul in præsens tempus oratio inclinet? Ceterum ex veteribus illis futuris in *so* exeuntibus hac significatione præter vocem usitatissimam apud poetas, Livium, Tacitum, *ausim*, reperitur *faxim* (Plaut. Pœn. V, 2, 131: *male faxim lubens*, coll. Cic. Tusc. V § 82: *a te impetrarim lubenter*, et
109 Terent. Adelph. V, 3 (5), 6: *Lubens tibi bene faxim*); ex aliis verbis solum inveni apud Plaut. Asin. II, 4, 96: *Haud negassim.*

---

[1]) Perspicuum esse opinor, cur Græcorum aoristorum, qui sunt *ἐγέλασα*, *ἐπῄνεσα*, cet., comparationem nihil ad rem pertinere arbitrer.

Quod autem Zumptius, solus e recentioribus grammaticis, (§ 527 not. 1) rarissime perfectum coniunctivi passivum sic poni scribit, id nimirum hanc habet causam nunc apertam, quod non perfecti, sed futuri hic est usus. Et tamen, ut Velleius Paterculus sic diceret (I, 18: *neque ego hoc magis miratus sim*), eadem analogiæ fallacis illecebra factum est, quam paulo ante in consimili genere commemoravi, idque magis etiam in Livii lib. XXII, [36 in sententia pendenti: *ut vix ausus sim*,] 59 apparet: *ne illi quidem — se nobis merito prætulerint gloriatique sint* cet.[1]) Idem libro XXX, 14 *gloriatus fuerim* sic dixit, [itemque XXVIII, 41, 6. Antiquiora exempla sunt apud Terent. And. I, 2, 32: *ubivis facilius passus sim quam in hac re me deludier*, Adelph. III, 3, 89: *Haud cito mali quid ortum ex hoc sit publice*].

Possum, opinor, supersedere refutatione vulgaris de perfecto coniunctivi dubitativo doctrinæ, quod Zumptius (§ 527) eodem modo pro præsenti positum opinatur, quo futurum exactum pro simplici positum explicare conatus est. Verum longe alius hic fingitur transitus et qui plus admirationis habeat; nec sane, quo in illa re usus erat discrimine, celeritatis et rei absolutæ significatio est in hac dubitanter dicendi forma. Alii autem, ut et, qui e perfecto præsens fieri potuerit, et quid inter *crediderim* et *credam* intersit, doceant, utuntur virgula illa divina, aoristi nomine; de quo non huius rei causa, sed totius generis aliquid dicam. Nam qui tam facile in grammatica Latina aoristi nomine utuntur, primum debent accuratius considerare, qualis in Græca lingua ea notio sit, deinde apud Latinos qualia initia et fundamenta eorum, quorum partem Græcorum comparatione explanare conantur. Nam aoristus Græcorum indicativo modo præteriti temporis est, extra indicativum et 110
participium omnino non magis præteriti temporis quam præsentis propria forma est; caret etiam, sed in participio quoque, parte illa, quæ est nota præteriti, augmento. Itaque comparatio reliquorum modorum aoristi nihil prorsus ad Latinum sermonem pertinet, cuius nulla est eiusmodi verbi pars; in indicativo autem quum raro et intra certos fines præteriti significatio obscuretur, nullus tamen est eiusmodi aoristi in

---

[1]) De Cic. Brut. 5, 18 (ubi erat *ausus sim*) dictum est supra p. 70 not.

præsens transitus, qualis hic in Latino sermone fingitur. Itaque hæc omittamus simulque illud fateamur (quod ex comparatione passivæ formæ apertissimum fit), fines præsentis et futuri coniunctivi dubitativi nullos esse certos, nisi quod in futuro interdum (velut in secunda persona hypothetica) paulo apertius eminet imago condicionis aliquando eventuræ.

Unum illud addam, futuri dubitativi usum omnem pertinere ad sententias per se positas; quod propter Propertii locum dico, qui est in libro II (III Lachm.), 34 v. 53, ubi quod editur: *Nec* (solet quærere), *si post Stygias aliquid restaverit undas*, non solum ob formam ipsam barbaram reprehendi debet (cui qui ex supino excusationem quærunt, nec reduplicationis meminerunt, quam hoc verbum habet, nec considerant, ea ratione etiam *sonavi* similiaque defendi posse), sed quod ne *restiterit* quidem illo loco dici pro *restet* potest. Multo autem minus Propertius futurum exactum pro futuro coniunctivi in interrogatione pendenti posuit eo modo, quo Accius *obfueris* (v. p. 103). Notandus est igitur versus, quem etiam codex Neapolitanus mendi arguit.[1])

111 V. Hactenus persecuti sumus formam futuri exacti, deposita præteriti significatione, in futurum et pæne præsens coniunctivi modi transeuntem. Huic est transitui inclinatio contraria et in alteram partem primæ notionis vergens, qua, deposita futuri significatione, præteriti solam retinet fitque plane iustum perfectum coniunctivi. Sed huius conversionis progressus notare non possumus, effectum videmus; nisi quod in illis, quæ exposui de usu futuri exacti coniunctivi in notando effectu futuræ actionis, qui ad tempus præteritum et ad præteritæ actionis eventum spectaret, satis patebat unum aliquod rei vestigium. Quum enim sic dicimus: *Frustra laboravero*, in uno verbo utrumque tempus est; quum autem (vid. supr. p. 87):

---

[1]) [Apud Ciceronem in libro II de Re p. § 54 futurum dubitativum subiectum videtur particulæ *ut* in effectu significando (*ut, quod proditum memoria est, X viros, qui leges scripserint, sine provocatione creatos, satis ostenderit, reliquos sine provocatione magistratus non fuisse*). Sed ipsi illi particulæ nullus ibi locus est, quum hoc, quod dicitur, nullo modo ex superioribus efficiatur. Ipsa orationis forma et argumentorum continuatio declarat, scribendum esse *et* (*itemque — et — Luciique*). 1842.]

efficiam, ut frustra laboraveris, futuri notio prope translata est in prius verbum, præteriti remanente multo maiore ex parte in altero. Hæc autem ita, ut dixi, esse, demonstrat perspicue, quod aliquoties commemoravi, discidium utriusque formæ futuri exacti, quum ea, in qua nihil esset proprie ex præterito (*so*), hinc prorsus excludatur. [Fugit me genus perrarum loquendi commemorare, in quo ea verbi forma, de qua agimus, sic ponitur, ut aliquid futuro tempore factum et peractum fingatur, quemadmodum apud Cic. in Verr. act. II, 1 § 12 *emerserit* et deinde *evaserit*. Apparet enim, hoc diversum esse ab eo, quod simpliciter de præterito tempore fingatur concedaturque, velut in noto exemplo: *malus civis fuit Carbo; fuerit aliis* cet. Cic. in Verr. act. II lib. I § 37.]

Absoluta est ea quæstio, quam A. Gellius (Noct. Attic. XVIII, 2) aliquando inter Saturnaliorum hilaritatem in hominum doctorum convivio propositam narrat, „*scripserim, venerim, legerim* cuius temporis verba essent, præteriti an futuri an utriusque“. Neque enim quemquam hic, ubi rei universæ non recte tractatæ rationem aperire eaque, quæ minus nota essent, explicare propositum erat, reliqua de usu perfecti coniunctivi 112
præcepta exspectare opinor.[1])

Sed restat operæ nostræ appendix quædam. Admonent enim ea, quæ paulo ante de comparatione aoristi Græci dixi, ut de aliis quoque quibusdam perfecti Latini ponendi modis, ad quos explicandos interdum recte, sæpe secus ea comparatio adhibita est, aliquid dicam, si forte unum et alterum ab inani nominum, re non intellecta, iactatione deterrere possim. Nam et vetustæ Latinorumque propriæ loquendi formæ cum recen-

[1]) Errorem quendam scribarum et editorum perfectum coniunctivi sive futurum exactum (nescio enim, utrum esse velint) post *si* et *quum* vocesve relativas universales (*quicunque*, cet.) perfecto indicativi substituentium notavi partim in præfatione Catonis et Lælii nuper a me editorum p. XIX, partim alibi tollam. [Consilium exsecutus sum ad Cic. de Fin. V § 41 et quædam addidi nuper in iis monitis, quæ grammaticæ meæ Latinæ adiunxi. Nam quum illam ad Ciceronis locum notam scripsi, nondum animadverteram in eiusmodi locis, qualis est in libr. IV de Fin. 74: *quid habent admirationis, quum prope accesseris?* non minus perfectum esse, sed translatum in coniunctivum propter vim secundæ personæ hypotheticæ. 1842.]

tioribus et a Græcis petitis confunduntur et id, quod et apud Græcos et apud Latinos certos definitosque terminos habet, incuriose ad ea transfertur, quæ longe distant, et res simplicissimæ artificiose perturbantur.

Ac primum de indicativi perfecto ad eas res significandas, quæ fieri solerent, posito quum multi non distinctissime dixissent[1]), nuperrime Walchius (ad Taciti Agricol. p. 104) rem
113 non clariorem certioremque fecit, sed rectos fines negligendo implicatiorem reddidit campumque latissimum pravis interpretationibus aperuit. Qui quod dicit, primam notionem aoristi Græci esse rei prius et nunc et in posterum præteritæ, talesque res eas esse, quæ in ætatis alicuius habitu animorum, more, usu positæ sint, id quale sit, ignorare me fateor; nam nec qualis res sit, quæ sic animo concipiatur, pæne tanquam posterior rota nunquam priorem assequens, intelligo, nec talem unquam fuisse in ulla lingua formam verbi credo, qua non temporis aliqua ratio, sed rei ipsius natura præsens et futurum excludentis notaretur; id scio, et Græci aoristi notionem primam, quod ad indicativum attineat, positam esse in simplicissima rei præteritæ significatione, in narrando, nec Græcos unquam, quum ingenium moremve ætatis alicuius commemorent, aoristo uti, nisi ubi de præterita ætate narrent. Sed confudit vir optimus *aliquam ætatem* et *omnes ætates*, proque ea re, quæ, quum et sit et fuerit et futura sit, potest et præsenti tempore verbi fieri interdum dici et præterito aliquando facta narrari, substituit mirabilem illam rem semper præteritam. Relinquitur igitur ex hac obscuris verbis involuta doctrina nihil aliud, nisi quod satis notum erat, in re et sæpe facta et fieri solita Græcos hoc posterius, fieri solere, significare ita, ut factam narrent. Neque alio pertinent exempla collecta a Walchio, nihilo illa iis aptiora, quæ ex libro notissimo Matthiæi peti poterant.[2]) Sed ex illa confusa doctrina factum est, ut Walchius in Latina imitatione nullo fere discrimine, a præ-

---

[1]) Vid. Gronovius ad Senec. Hippol. 510 et ad Senec. Epist. 114, Bentleius ad Horat. Od. III, 23, 19, Wopkensii Lect. Tull. p. 238, Buttmannus ad Quintilian. XII, 9, 4. Gœrenzium, Beierum, Frotscherum, Kritzium suis locis nominabo.

[2]) Grammat. Græc. § 502, 3 ed. 2.

senti perfectum distingueret eumque usum magis etiam quam alii ad alienissimos locos transferret. Positus est, ut dixi, omnis usus in eo, ut ex re facta (id enim grammatice dicitur) 114
efficiatur sententia generalis, quum concludatur, idem alias quoque fieri; erit igitur pro ipsa hac sententia narratio idem exprimens, si addideris verbum aliquod (*sæpe, multi, plerique*), quo significetur res frequenter facta. Atque in hac omissione huiusmodi verborum posita est prima proprietas, etsi interdum illo modo significatur etiam id, quod fieri semper et perpetuo solet, longius iam usu progrediente, eaque consuetudo præsentis temporis describitur, quæ non apte narrando exprimatur.[1]) Faciunt igitur prave, qui eos locos huc referunt, in quibus, eiusmodi vocibus additis, simplex est narratio; nisi forte et apud nos et apud Germanos perfectum pro præsente positum dicetur, quod generalis sententia de re nunc etiam fieri solita exprimitur addito ad vocem *Mangen en* aut ad *Mancher* præteriti temporis verbo. Nihil igitur hoc facit Ciceronis locus de Fin. I § 49, quem huc trahunt Gœrenzius et Ramshornius (p. 600), nihil Sallustii Catil. 51, 11 (*multi iniurias suas gravius æquo habuere*), quosque locos ibi Kritzius laudavit, Sallust. Catil. 11 (in quo ex contrario est: *quam nemo sapiens concupivit*; addas licet *unquam*), Tac. Ann. III, 66 extr., nihil, quo Walchius utitur, Sall. Catil. c. 2 (*sed multi mortales* cet.). Ne Horatii quidem locus Od. III, 29, 16 ad hoc genus referendus est ob additum *plerumque*. Nec minor eorum est error, qui cum hac loquendi ratione confundunt usum Latinorum in significando effectu semper redeunte, si res aliqua redierit, ubi perfectum rem præcedentem et ante peractam indicat, prorsus ad regulam (*Quocunque adspexisti, furiæ occurrunt* cet.). Con- 115
fudit tamen hæc vir egregius I. Fr. Gronovius (ad Senec. epist. 114), nuper etiam Frotscherus ad Quintil. X, 7, 14. Nam de iis locis quid dicam, in quibus certa definitæ rei narratio ab interpretibus convertitur in sententiam generalem, ut observatiunculæ de aoristo inculcandæ occasio sit? Fecit hoc Beierus

---

[1]) Parum recte, si de ratione locutionis quæras, etiam Bentleius l. l., *Perpetui*, inquit, *hoc temporis est, perinde ac si dixisset*: explicant, explicabunt, explicuerunt. Relabimur pæne ad Sanctii doctrinam de perfecto infinitivi omnium temporum vice fungente.

ad Cic. de Off. I § 155, ubi Cicero superiorum philosophorum, quorum etiam nomina aliquot subiicit, exemplo rem conficit; idemque error Bentleii est in Hor. Od. III, 11, 15, ubi generali descriptioni subiicitur exemplum: *Cessit immanis tibi blandienti Ianitor aulæ* cet. Cfr. Od. II, 18, 33 sqq.[1]) His erroribus sublatis, apparet, Græci illius aoristi imitationem Latinam neque ad veteres prosæ orationis scriptores pertinere (nulla enim apud eos alia exempla nisi, qualia dixi, sunt) nec ad vetustissimos poetas; nam nec Plautus nec Terentius ita locutus est, nec, si memoria non fallit, Lucretius. Ac propter hoc ipsum imitationem dixi; cuius prima vestigia demonstrare possumus apud Ciceronem in versibus ex Græco translatis; nam de Divinat. I § 14 pro Arati ἐβάψατο est *demersit* et § 15 similiter *duxere*; tum apud Catullum LXII, v. 53 et 55 et LXIV v. 148 (*Dicta nihil metuere, nihil periuria curant*). Deinde Virgilius et Horatius sic locuti sunt (ille Georg. I, 49, IV, 213, Æn. X, 726, XI, 810 sqq., XII, 755, hic Od. I, 34, 16, Epist. I, 2, 47, A. P. 343), tum insecuti poetæ, quorum exemplis supersederi
113 potest, imitatique poeticum loquendi usum prosæ orationis scriptores, primus, opinor, eorum, quos habemus, Seneca philosophus idemque sæpissime (de Ira II, 3, 3, de Tranquill. animi 4 § 1 (6, 3): *alius eloquentiæ fiducia prolabitur, alius patrimonio suo plus imperavit*; de Const. sapient. 11 § 2: *nam et pueri os parentum feriunt et crines matris turbavit laceravitque infans et sputo adspersit*; de Benefic. II, 2 § 2: *salutaris est — obtinuit*, II, 24, VI, 30 § 4, Epist. 7 § 6 et 23 § 7).[2]) Quintilianum, veteris loquendi normæ studiosum, iniuria in hac causa testem citant. Nam XII, 9, 14 ex eo, quod in superioribus oratoribus acciderit, consilium se ait cepisse rei explicandæ. Idem est igitur *fuit* ac si dixisset *fuisse video*. In decimi autem libri c. 1, 2 *scivit*, si verum est, significat *didicit, scientiam conse-*

[1]) Eodem modo Ramshornius l. l. pervertit Iuven. II, 64, non inspecto versu 36, ubi incipit narratio. Perverse idem huc trahit Virgil. Georg. II, 490 et Hor. A. P. 412; utrobique verum est perfectum; nec felix vocatur, qui potest rerum causas cognoscere, sed qui eam potestatem habuit eaque usus res cognovit, et, qui cursu certat, eos labores ante peregit, quibus corpus exercetur.

[2]) [Gertzius alicubi (locum non reperio) hos præterea locos collegit: de Ira II, 12, 4 et 21, 9, III, 8, 2, ad Marc. 21, 7 et 22, 2.]

cutus est, ut apud Livium II, 11: *et sciere perfugæ indicio.* De utroque loco eo certius iudicari potest, quod hic usus propter naturam suam, mixtam ex narratione et sententia generali, non reperitur nisi in principali et demonstrativa propositione aut summum comparativa.[1]) Walchius quidem etiam in cau- 117
sali sententia post *quod* Quintilianum sic locutum putavit VIII, 3, 30: *quod rei studiosus non verba rebus aptavit, sed res extrinsecus arcessit, quibus hæc verba conveniant*, nec coniunctione offensus verborum *aptavit — arcessit*, et oblitus, in optimis codicibus esse *arcesset*. *Aptavit* ergo nihil est aliud nisi frequentissimi exempli scribarum error, quem et alibi homines parum tempestive docti (interdum quidem eo magis, quod non valde docti erant) hac observatione defenderunt. Velut apud Iuvenalem III, 168 edunt nunc: *quod turpe negavit Translatus subito ad Marsos mensamque Sabellam*; verum non, quid fieri soleat, poeta significat (nec solebant sic transferri homines), sed experimentum fieri iubet: *Transfer: negabit.* Futurum habet etiam scholiastes Sangallensis (p. 97 Cram.), etsi is videri potest legisse *negabis.*[2]) Taciti denique verba in initio Agricolæ adeo sunt aperta et perspicua (*Clarorum virorum facta moresque posteris tradere — ne nostris quidem temporibus*

---

[1]) Male igitur Walchius primum, quod posuit, exemplum Græcum huc traxit, Plat. Alcibiad. I p. 103 B: *κατανενόηκα, ὡς πρὸς τοὺς ἐραστὰς ἔσχες*, eo manifestius, quod nullos iam, præter unum Socratem, Alcibiades amatores habere dicitur, ut non, qualis erga eos soleat esse, sed qualis fuerit, agatur. Apud Curtium III, 19 Zumpt. (III, 8, 10) (*quæ se — occuluerint*) Alexander iam latens (*delituisse* dixit, non *delitescere*) comparatur cum feris, quæ iam in latebras irrepserunt. Quid ad indicativum contra bonos codd. et sermonis legem tuendum illa observatio faciat, nescio. [Propertius tamen, durus orationis artifex, III (IV Lachm.), 5, 33 et 34 in interrogatione pendenti in commemoratione eorum, quæ fieri soleant, inter præsentia hæc posuit: *Aut cur Perrhæbi tremuere cacumina Pindi Solis et atratis luxerit orbis equis*, unius alicuius terræ motus aut defectionis solis factæ imaginem animo concipiens. 1842. In relativa sententia perfectum hoc posuit Sen. Ep. 75, 12.]

[2]) Duobus aliis eiusdem poetæ locis, in quibus narratio est rei factæ (IX, 80 et X, 7) abusus est Weber ad Pers. II, 5, ubi itidem restituendum est, quod plures codices habent: *At bona pars hominum tacita libabit acerra.* Prope accedit ad condicionalem formam: *libet, videas libantem.*

quanquam incuriosa suorum ætas omisit), adeo abhorrent ab aoristi aut consuetudinis notione, adeo a sententia generali, ut prorsus nesciam, qui in mentem Walchio venerit perfectum plane pro præsente accipere, ne Tacito liceret dicere, quod dixisset (hat auch unseres Zeitalter nicht aufgegeben). Nec melius capite secundo verba interpretando pervertit: *At mihi nunc narraturo venia opus fuit*, ubi sequitur etiam: *quam non petissem*, non *peterem*, quod aptum esset præsentis temporis
118 significationi præcedenti. Quanquam ineptus mihi videor, qui hæc refellam, in quibus prima fundamenta sermonis Latini perturbantur. Agricolæ c. 9 si verum est *elegit*, de quo dubito, etsi propter additum *aliquando* potest pro vero perfecto accipi, tamen id incommode respondet superiori: *non semper errat.* Sunt in spisso illo commentario alia magno cum supercilio et valde σεμνῶς disputata, quæ non multo melius habent. Sed ego illud attendi velim in hoc exemplo, quemadmodum sæpe in hoc studiorum genere serpant errores; nam quum verum esset, aoristum Græcum *interdum certa ratione* ita poni, ut non multum abesset a præsentis significatione, idemque apud *nonnullos* scriptores Latinos accidere, hinc gradatim effectum est, ut inter præsens et perfectum nihil interesse videretur.[1])

[1]) Alia quædam, in quibus Ramshornius p. 599 perfectum Latinum comparat cum aoristo Græco tanquam non vulgari modo positum, satis erit in margine attigisse. Primum ponit locum Terentii, in quo aliquis, expositis, quæ fieri velit, concludit orationem verbo *dixi*; secundum Ciceronis, in quo timore liberatus exclamat: *Respiravi.* Deinde addit nota illa ex comicis *perii, interii* cet., quæ rei absolutæ et iam factæ significationem habent, ab aoristo longissime diiuncta, nisi ὄλωλα aoristum putat; tum ex Cicerone *vicimus*, positum eo modo, quo dixi p. 85, sane νενικήκαμεν non ἐνικήσαμεν, (vid. Matthiæi Gram. Gr. § 500). Saltem, qui de aoristo loqui vellet, grammaticam aliquam Græcam inspicere debebat. Postremo eiusdem Ciceronis locum ex epistola adscribit, in quo Cicero sententiam superioris epistolæ exponit; id Ramshornius ita accipit, quasi, quid nunc velit, explicet. Unum est recte observatum in nota, Plautum Asin. II, 4, 4 *salvere iussi* eo modo dixisse, quo aoristus primæ personæ apud Græcos ponitur (vid. Matthiæi Gr. Græc. § 506, 1) de iis animi significationibus, quæ quum maxime aut verbis aut alio modo (risu, lacrimis) fiunt, quum eas quasi iam factas is, qui loquitur, indicat, ad animi præcedentem motum respiciens. Ovidii locus in A. Am. II, 593, qui simul laudatur, nihil huc pertinet, in quo Ovidius post exemplum, quo præceptum confirmarat,

Restat infinitivi perfectum; nam ne de eius quidem usu 119
ad præsens accedente satis distincte traditum est, quanquam,
quod ad nomen attinet, cui non dictus Hylas? Primum enim
iam alii (velut Zumptius § 590) a ceteris ea verba locutiones-
que segregarunt, quibus significatur iudicium ad rem iam per-
fectam spectans, cautiores quam Vechnerus (Hellenolex. p. 144
ed. Goth. 1733) et Heusingerus (in notis ad eum loc.) aut
Walchius (ad Agricol. p. 133), qui omnia confundunt. Post
illa enim verba perfectum infinitivi, etsi ad nostras aures inso-
lentius accidit potestque etiam Latine præsens poni, tamen
minime significationem præteriti temporis amittit. Nec sane,
quod ne Zumptius quidem commemoravit, eodem modo apud
omnia ponitur perfectum, sed in aliis (*satis est, contentus sum,
satis habeo, operæ pretium est, honestum est alicui*, Liv. II, 24)
propter significationis naturam etiam post præsens, in aliis (*non
pigebit, melius erit*) tantum post futurum de promisso eventu
rei futuræ; nec *pudet fecisse* pro eo, quod est *pudet facere*,
apud bonæ ætatis scriptores prosæ orationis invenitur.[1]) His
adiungendus est notus Latinorum mos verbis, quæ voluntatem
significant, sententiam infinitam passivam (aut verbi intransi-
tivi) perfecti temporis subiiciendi, quod voluntas ad rei abso-
lutionem spectat. (*Expetit*, quod non fere annotatur, præter
Ennium Cic. de Offic. II § 23, sic posuit Terent. Hec. IV, 5
(V, 1), 1: *me conventam esse expetit*, et Livius XL, 10: *perisse* 120
(me) *expetunt*.) Hæc adeo ab aoristo differunt, quocum com-
parantur, ut, si quid simile Græce fingere velis, perfecto neces-
sario utendum sit ad exemplum Herodotei illius (II, 173):
ἐθέλοι κατεσπουδάσθαι aut huius Polybiani loci (III, 62): *ἐφ' ᾧ
τὸν μὲν νικήσαντα τὰ προκείμενα λαμβάνειν ἆθλα, τὸν δὲ νικηθέντα τῶν
παρόντων ἀπηλλάχθαι κακῶν, τελευτήσαντα τὸν βίον.* (Cfr. Bernhardyi
Syntaxis linguæ Græcæ p. 379.)[2])

---

redit ad præceptum, quod iam ante posuerat v. 557 sqq. Non possum mirari desinere, quam sine ulla cura sententiæ et cohærentiæ orationis grammaticus ille locos scriptorum corraserit.

[1]) *Non pœnitebit curasse* (Quint. I, 1, 34) etsi est: non gravabor curare, tamen tam perspicuam habet rationem, ut in numerum non referam.

[2]) Eadem est ratio participiorum præteriti temporis verbis *nolo, volo, cupio*, subiectorum, quæ cum locutionibus prorsus alius generis (*habeo explo-*

Hæc igitur Latina, in quibus perfecti notio manet. Illa vere Græca figura, ut appellat Servius ad Æneid. VI, 78, et ab Augusteæ demum ætatis poetis frequentata, in qua plane non solum post ea verba, quæ videntur aliquam significationem finitæ actionis continere, ut *pudet, iuvat* (Tibull. I, 1, 46: *iuvat audire — et detinuisse*), sed post omnia verba, quæ infinitivum adsciscunt, perfectum pro præsente ponitur, nullo prorsus discrimine. Nam id, quod in Græco sermone erat inter aoristum et præsens infinitivi, tenue et ipsum, evanescebat necessario in Latino, in quo notio aoristi nullum habebat funda-
121 mentum.[1]) Apud vetustiores poetas adeo hoc rarum est, ut unum Plauti locum huius generis notarim, Aulul. V, 1, 19: *non potes probasse nugas.* Apparet, id semel incuria vertentis e Græco mansisse, non genus ipsum receptum, quod postea factum est. Lucretius item, si recte attendi, semel sic dixit, III, 69: *dum se effugisse volunt longeque remosse.* Sed quum esset postea hoc genus a poetis adscitum (e quibus poetæ elegiaci sæpe metri causa in versu pentametro perfectum ponunt, in hexametro præsens, ut Tibullus I, 1, 73 et 74, I, 8, 11 et 12, I, 10, 61 et 62), in prosam orationem rarissime irrepsit et apud eos demum scriptores, qui iam valde a vetere loquendi castitate desciscunt, ut apud Gell. III, 3: *satis potest fidei fecisse*, et Iustin. V, 4: *posuisse cupiunt*, et Palladium X, 7: *sevisse convenit.*[2]) Nam Quintilianum (VIII, 6, 30), quem Zumptius antestatur, non ita locutum esse, optimorum codicum vestigia satis ostendunt, ex quibus tamen veram scripturam non efficio. Apud scriptorem autem dialogi de oratoribus c. 24, quum supra (c. 16) Messala se cogitationes suas aper-

---

ratum cet.) confundit Ramshornius p. 665. Verbi *oportet* paululum differt ratio; nam tantum præterito participium subiicitur aut perfectum infinitivi significans rem, quæ debuerit facta esse. (Cfr. *Tunc decuit flesse*, Liv. XXX, 44, 7; Virg. Æn. X, 94.)

[1]) Acceleratæ actionis significationem in perfecto infinitivi inesse putat Schmidius ad Horatii Epist. I, 17, 5, quam e Græca grammatica transtulit, non ex Latinis exemplis effecit. Exemplorum omnia plena sunt, petique possunt a Vechnero et Heusingero l. l. De verbo *posse*, quoniam Heusingeri exempla fere subtraham, hæc substituam: Virg. Æn. VI, 79, Ovid. Fast. II, 322, A. Am. II, 583.

[2]) Collecta hæc sunt ab Heusingero ad Vechner. l. l.

turum esse promisisset, interiectaque deinde esset Apri in con-
trariam partem vehemens et elegans oratio, Maternus, quasi
verens, ne interea Messala consilium mutaverit, *Tuum tamen*,
inquit, *Messala, propositum immutasse non debes.* Legitimum
est igitur perfectum. Plinius etiam, etsi minime poeticæ ora-
tionis colorem reformidat, tamen H. N. XXXV, 2 sic dixisse
potest: *pace Messalarum dixisse liceat*, ut maxime perfectæ rei
(dicti) eventum significaret. Superest Seneca rhetor, ex cuius
præfatione libr. I Controvers. Heusingerus hunc locum pro-
tulit: *Alioquin in illo atriolo, in quo duo grandes prætextatos
ait secum declamare, audisse eum potui et illud ingenium, quod* 122
solum populus Romanus par imperio habuit, cognoscere. Sunt
quædam codicum discrepantiæ a Grutero notatæ, quæ tamen
fere tantum ad *potui* a nonnullis prave in *potuissem* mutatum,
quasi id ad condicionalem sententiam aptius esset, pertinent et
ad *eum*, quod omnes codd. omittere videntur.[1]) Nimis igitur
audacter secuit, qui id effecit, quod in editione Bipontina re-
perio: *Alioquin in illo atriolo, in quo duo grandes — declamare
solitos, potui ingenium — cognoscere.* Neque recte addidit
solitos. Nam narrabat Cicero in epistolis, illos eo ipso tempore
secum declamare (vid. Suet. de rhetor. 1). Et tamen mendum
hærere, ne illud commemorem, de quo nunc controversia est,
patet quum ex defectu pronominis in codicibus tum ex con-
iunctione *audisse et cognoscere*, quæ poetis hæc versus modulo
accommodantibus concedi potest, huic scriptori nullo modo.
Scribendum est lenissima mutatione: *Alioquin in illo atriolo —
potui adesse et — cognoscere.* Apud ipsum quoque Cice-
ronem perfectum infinitivi sic positum esse de Divinat. II
§ 73, fuerunt, qui putarent ob insolentiam aliquam orationis
iuncturæ: *Tum igitur esset auspicium, si modo esset ei libe-
rum, se ostendisse.* Sed Cicero *se ostendisse* non ad *liberum
esset* rettulit, sed ad *auspicium esset* tanquam subiectum:

---

[1]) Quod codex Palat. 3 post *alioquin* habet *potuissem eum audivisse*, id, quum idem recto loco habeat *audisse potui*, tantum abest, ut ipsa hæc verba suspecta faciat, ut confirmet etiam. Nam librarii, nec iustum ordinem ferentes nec rectum verbi modum, ex vera hactenus scriptura suam illam interpolationem effecerunt.

„Avem se ostendisse (dass der Vogel sich gezeigt hätte), auspicium esset.“

At multo plura exempla huius aoristi habent illi, quos
123 commemoravi, grammatici et interpretes. Videamus igitur, qualia sint. Primum Heusingerus ex Cornelii Nepotis[1]) Eumene c. 9, 2 affert: *quod diebus quinque hostis transisse posset*, cuius est simile apud Livium XXXVII, 19: *quod* (bellum) *possumus — ante hiemem, dis volentibus, perfecisse.* Utroque loco perfectum propria significatione positum est ad indicandam rei absolutionem, eodem modo, quo apud Sallustium Iugurth. c. 106: *milites cenatos esse iubet*, et apud Ovidium Trist. IV, 2, 2: *Iam Victa potes flexo procubuisse genu* (hoc est: iam potest victoria absoluta esse), et coniunctivo modo apud Livium XXVIII, 14, 7: *Tesseram dedit, ut ante lucem pransi essent.*[2]) Neque aliter dixit Varro L. L. IX p. 133 Bip. [§ 32 Muell.]: *Quis enim potest non una* (hoc corruptum) *animadvertisse, in omni oratione* cet.*?* (Wer kann es unbemerkt gelassen haben?)

Præter hæc unum exemplum Heusingerus, alterum Rams-
124 hornius ex alio genere protulit, quod si totum cognitum erit, facile intelligetur, ab illa aoristi Græci poetica imitatione longissime diiunctum esse. Ut enim hæc recens est, ita illa, de quibus dicam, ad vetustissimum sermonem pertinent et procedente tempore ex usu sublata sunt. Antiqui enim Latini verbo, quod est *volo*, sæpissime in vetando, in publica legum

---

[1]) Cornelium enim hunc esse, mihi non eripitur, in quo nec ullum vestigium inferioris ætatis rerum aut cogitandi rationis deprehendo nec ullam notam sermonis temporum Theodosianorum, in quorum cognitionem paulo diligentius vellem se insinuassent, qui nuperrime etiam de Probo tantopere asseverarunt; tum autem Cornelii simplicitatem et minus expolitum dicendi genus et quodammodo quotidiano propius non cum Ciceronis exculta elegantia comparassent, sed cum iis notis familiaris et quotidiani generis sermonis, quæ exstant apud Cæsarem, quanquam ipse multo elegantior est, et apud Varronem in rerum rusticarum libris, quatenus antiquarium non agit.

[2]) Advocari etiam Sallustii video verba ex Iugurth. 31: *neque ego vos, Quirites, hortor, ut malitis cives vestros perperam quam recte fecisse* cet., valde perversa sententia; non agitur de eo, quod cives faciant, sed de quæstione, quid fecerint. Optare debet populus, ut recte *fecisse* in iudicio comperiantur, non quæstionem remittere.

voce fere constanter, perfectum infinitivi subiiciebant, cuius usus inferioris quoque ætatis scriptores exempla quædam habent, tracta ex imitatione veteris loquendi generis. Primum in senatusconsulto de Bacchanalibus plus decies scriptum est: *ne quis coisse, ne quis habuisse velit* et id genus alia, similiterque in antiqua lege de magistris aquarum (in Hauboldii monum. legalibus p. 178): *neve cretulentum exegisse velit*, tum in vetere formula edicti consularis apud Gellium (XIII, 15): *ne quis magistratus minor de cælo servasse velit.* Itaque Livius in exponendo argumento senatusconsulti de Bacchanalibus paulo ante id, quod nunc exstat, facti veterem orationis colorem servavit, XXXIX, 14, 8: *ne quis coisse aut convenisse sacrorum causa velit*, et in edicto consulum ibd. 17, 3: *ne quis quid fugæ causa vendidisse neve emisse vellet*; servavit etiam XXXVIII, 11, 9 in pacis cum Ætolis factæ condicionibus exponendis: *ne quem eorum Ætoli recepisse velint.* Illius senatusconsulti tempori par Cato de re rust. 5 scripsit: *ne quid* (villicus) *emisse velit, insciente domino, ne quid celavisse velit.* Catonem sequantur comici, apud quos duo tantum exempla repperi, Plauti in Pœnulo IV, 2, 50: *Nolito edepol devellisse*, Terentii in Hecyra IV, 1, 48: *Interdico, ne extra ædis puerum extulisse velis.* His proximus est C. Gracchus (apud Gell. X, 3): *edixerunt, ne quis in balneis lavisse vellet*; excipiet eum M. Varro fragm. lib. XX Rerum hum. (apud Non. v. *spurcus* p. 394 Merc.): *ne quis lictorem, spurcum hominem, liberum prehendere iussisse velit*, 125
quæ verba sumpsisse potest ex vetere formula. Ex senatusconsulto certe transtulit Valerius Maximus II, 4, 2, sed inscite variavit: *ne quis in urbe subsellia posuisse sedensve ludos spectare vellet.* Contra Suetonius Iul. 80 prorsus ad vulgarem normam: *ne quis senatori novo curiam monstrare velit.* In ipso libello Cæsariani temporis utrum antiquiore forma *monstrasse* an recentiore *monstrare* fuerit, coniecturam facere nolo.[1]) Sed antiquiorem formam secuti interdum poetæ, ut Horatius Sat. II, 3, 187: *Ne quis humasse velit Aiacem, Atrida, vetas cur?*

[1]) [Antiquam formam habet edict. ædil. (Cæsariani fere temporis) apud Macr. Saturn. II, 6: *ne quis in arenam nisi pomum misisse vellet.* Variatur in inscriptione C. I. Lat. VI nr. 10173. Antiquam tenet inscriptio sepulcralis Or. nr. 4421.]

et Ovidius Am. I. 4. 38: *Oscula præcipue nulla dedisse velis.* Hunc perfecti usum translatum reperio ad sententias non vetantes, sed negantes apud Livium XXIV, 16, 11: *Priusquam omnes iure libertatis æquassem, neminem nota strenui aut ignavi militis notasse volui* (add. XXII, 59, 10), apud Horatium Sat. I, 2, 28: *Sunt, qui nolint tetigisse nisi illas,* postremo apud Plinium Hist. Nat. X, 30 extr. (qui locus a compluribus affertur): *quum illam* (ciconiam) *nemo velit attigisse.*[1]) Livius denique in optando sine negatione dixit XXX, 14: *Hanc te quoque ad ceteras tuas eximias virtutes, Masinissa, adiecisse velim,* et aliter XLII, 11: *plurimi annales et quibus credidisse malis,* utroque loco perfectam et absolutam actionem significans, altero, quemadmodum dicitur: *gratum mihi erit, si adieceris,* non *adiicies,* altero, quemadmodum dicitur: *non pigebit credidisse.*[2])
126 Originem autem totius huius generis quærenti nihil probabilius occurrit, quam omne profluxisse ex illa vetandi et pæne minandi significatione, cuius antiquissima sunt exempla; ea spectabat ad rei absolutionem, quæ vetabatur, non voluntas ipsa per se. Simile est igitur hoc quodammodo eius, quod supra de infinitivo passivo post idem verbum (*velle*) et post *expetere* posito annotatum est. Iam patet, quam incuriose Walchius in Emendationibus Livianis p. 50 usus sit eo, quod barbare scriptum exstat in Livii editionibus XXIV, 18: *qui post Cannensem pugnam rem publicam deseruisse Italiaque excessisse velle dicebantur*; in quo præterea non attendit ad solœcismum præsentis *velle* pro præterito *voluisse.* Sed verba hæc: *pugnam — excessisse* in nullo codice fide digno reperta sunt: pessimi lacunam partim hoc modo expleverunt, partim aliter et grammaticæ convenientius: *fugæ consilium habuisse dicebantur* aut: *agitasse de Italia deserenda dic.* aut: *Italiam deserere voluisse dic.*

---

[1]) Catonis verba apud Gell. VIII [VI], 3, quæ quis ad hoc genus referre possit, scribenda hoc modo sunt: *Atque ego quidem arbitror, Rhodienses noluisse nos ita depugnare, uti depugnatum est, neque regem Persen vinci; sed non* (vulgo: *Persen vicisse, non*) *Rhodienses id modo voluere, sed multos populos ac nationes idem voluisse arbitror.*

[2]) [Nihil nisi actionis perfectio significatur XXIII, 15, 10: *sibi assumpsisse . . . maluit.* Longius progressus Liv. XXXII, 21, 32 dixit: *pepercisse volunt,* de quo olim hic dubitaveram; postea dubitationem pressi, scrupulus tamen hæret.]

Usus est autem hoc loco et simul alio, in quo est *expetunt perisse* (de quo ante dixi), tum Ovidii, in quo est poetica aoristi imitatio (quanquam tum Walchius ne hunc quidem, qui est, aoristum vocari volebat), ad defendendum locum corruptum in eiusdem Livii lib. II c. 24: *nec posse, quum hostes prope ad portas essent, bello prævertisse quicquam, nec, si sit laxamenti aliquid, aut plebi honestum esse, nisi mercede accepta, arma pro patria non cepisse, neque patribus satis decorum* cet. 127
Frustra Walchius hic confugit ad rei absolutæ significationem, quæ in hunc locum nullo modo cadit, ubi non (quemadmodum in Cornelii Eumene et Liv. XXXVII, 19), quando quid perfectum esse possit, agitur, sed quid nunc primum faciendum sit aut fuerit. Deinde aliud est orationis vitium; nam et constans Livii mos in reddendo longiore tenore alienæ orationis (ita ut sententia non proxime pendeat a verbo finito) et huius loci forma (*curæ esse patribus ostendit, ut consulatur* et mox: *nec, si sit laxamenti aliquid*) postulabat, ut scriberetur aut: *nec posse* (nunc), *quum hostes prope ad portas sint*, aut (de consilio capto, quum metus ille alteri deliberationi intervenisset): *nec potuisse, quum — essent.* Itaque et mendum esse puto et eius sedem non in *prævertisse*, quod nemo pro *præverti* suppositurus erat, sed in *posse* teneri. Eo sublato effici hæc forma poterat: *metum pro universa re p. intervenisse; nec, quum hostes prope ad portas essent, bello prævertisse quicquam, nec, si sit* cet. Sed nec subiectum (*patres*) facile e superioribus petitur[1]) nec mendi origo apparet. Itaque multo hæc præstat emendatio: *nec coss., quum essent, b. p. q., nec* cet. Primum Servilius, quid ipse et collega, publici consilii moderatores, necessario fecerint, dicit; deinde, etiamsi exiguum a belli cura laxamenti sit, neque plebi neque patribus honestum esse, nunc alia agi.[2]) [De correctione aliter nunc iudico. Vid. Em. Liv. p. 72.]

---

[1]) Video dubitari, an subiectum sit *quicquam*. Sed *res prævertit rei* Latinum non est. Ex duobus Plauti locis, quos Schellerus laudat, in altero (Amphitr. V, 1, 17), ubi dativus non est, *prævertit* significat *prævalet, vincit* (cfr. Schell. 2 e et Cic. Off. III § 102), alterum Schellerus ipse melius expedivit.

[2]) In transcursu velim in Livii loco attendi ad anacoluthon; nam quum dicendum esset: *neque aut plebi honestum esse — aut patribus satis*

128 Unum etiam, quoniam perfecti infinitivi mentio incidit, addam. Dictum est enim nuper (a Walchio ad Tacit. Agricol. p. 141) repetitumque (a Bœttichero in Lex. Tacit. p. 458), eam formam interdum pro infinitivo condicionali poni, velut apud Tac. Agricol. 4 *hausisse* pro *hausurum fuisse* et Ann. IV, 28: *non enim se cædem principis et res novas uno socio cogitasse*, apud Ciceronem quoque Philipp. II § 5: *non tam iucundum mihi videri debuit, non interfectum* (*me*) *a te, quam miserum, te id impune facere potuisse.* Sed ut in hoc Ciceronis loco recta oratione necessario esset ex more Ciceronis: *non me interfecisti, sed tamen id impune facere potuisti* (faciendi potestatem habuisti), sic in altero Taciti loco in Agricola infinitivus respondet indicativo in notissima apud Tacitum sententiarum coniunctione: *studium philosophiæ acrius hauserat, ni prudentia matris — animum coercuisset*, qua, obscurata condicionis significatione, indicatur, iam aliquatenus hausisse. In annalium loco ne ea quidem proprietas est orationis, sed reus, crimen depellens, ut accusator conscios nominet, ita postulat, ut hoc dicat: „Non enim (id saltem concedendum est), si, quod criminaris, cædem principis et res novas cogitavi, solus id cogitavi". Perversum esset *cogitassem.* Patet igitur, in hoc loco nihil esse singulare; in altero apparere, quod, etsi nusquam annotatum est, multos puto intellexisse, quodque multis exemplis ostendi poterat, ubi in recta oratione tolli condicionalis rationis significatio possit, ibi etiam in infinitivo tolli, [quemadmodum fit apud Livium III, 9, 8. 50, 6. 72, 7; XXX, 10, 21,] aliter quidem nunquam. Ciceronis loco addi potest
129 alter plane eiusdem generis ex oratione pro Plancio § 88: *Vinci autem improbos a bonis, fateor fuisse præclarum, si finem eum vincendi viderem.* Dicitur enim recte: *Vinci improbos a bonis præclarum erat, si* cet. [Durius etiam *fuisse* ponitur de Or. II, 26, 110.] Quod autem in his Livii verbis in lib. XXXV, 15: *Id enim iam specimen sui dederat, ut, si vita longior contigisset, magni iustique regis in eo indolem fuisse appareret*, video *fuisse* pro *futurum fuisse* positum putari, erratur,

---

decorum, pro altero *aut*, obversante animo altera particula *nec*, scripsit: *neque patribus*, ut *aut* particulam respondentem non habeat.

ut sæpe, in nomine *indolis*, quasi ea pro ingenio dicatur. *Fuit* iam in adolescente indoles magni regis. quam si longior vita ali et maturari sivisset, reapse rex magnus *fuisset* (*futurus fuit*).

Atque hæc nunc, maxime ex commentariis scholarum, quas superiore æstate de quibusdam partibus grammaticæ Latinæ habuimus, deprompta disputasse sufficiat; unum et alterum locum alio fortasse tempore attingemus.

XV (III).

De emendandis Ciceronis libris de legibus disputatio.

---

130 Ciceronis de legibus libros ut hoc tempore mendis aliquot, quæ longa ætas et librariorum culpa invexit, liberare coner, duæ me causæ impellunt, altera domestica, altera extrinsecus adveniens. Decem prope anni sunt, ex quo, quum primum honorum academicorum gradum capessebam, de his libris et iis, qui academici inscribuntur, emendandis nonnulla conscripsi et edidi. Postea sæpius, quum ad eos libros delatus essem, cupido incessit, quoniam tenue illud opusculum tironis videretur, limatius aliquid atque exquisitius de eodem argumento scribendi. Ut enim, quæ in illo libello multis locis contra proximorum superiorum editorum alterius singularem iudicandi perversitatem et inscitiam cum sapientiæ cuiusdam affectatione coniunctam, alterius levem et ignavam et ineruditam opinationem disputaveram, fere omnia vera erant et ut minora non pauca recte exposita, vindicata, distincta, emendata, sic, quum nec alioquin satis exercitatus et eruditus essem, nec naturam codicum Ciceronianorum usumque quum universe tum proprie in his libris experiendo cognossem, raro vulnera inte-
131 rius latentia aperire et, remedio ex vestigiis librorum non interpolatorum eruto, sanare potueram (ut Acad. II § 34), interdum tantum emendationem inchoare (ut Legg. I § 46), nonnunquam cum aliis inanem speciem interpolatæ scripturæ

persequens et utcunque exornans mendi sedem non perspexeram aliove modo a vero aberraveram. Hæc quum, ut dixi, sæpius animum subissent, postquam hac æstate duos posteriores libros de legibus scholis enarrare constitui, cogitare cœpi, aut nunc illud consilium exsequendum esse aut fortasse abiiciendum. Deinde ad hanc animi inclinationem accessit alterius illius, quam extrinsecus allatam significavi, causæ momentum. Quum enim sciam, in Batavis novam librorum de legibus et recensionem et enarrationem quum maxime parari a viro egregie ad eam rem instructo, faciendum videtur, ut, si quid ego ad meliorem horum librorum formam conferre possim, id nunc potissimum promatur, quo is, si velit, uti possit. Malo enim, quid nunc de multis locis sentiam, scire ipsum et fortasse etiam aliis narrare, quam quid ante decem annos senserim.

Librorum de legibus codices omnes ex uno lacero et valde corrupto et negligenter scripto[1]) derivati sunt, in quo præter alia menda sæpe etiam propter compendia scribendi male intellecta erratum erat[2]) et quum hi tum alii errores non raro eatenus occultati, ut, si non sententiæ integræ, at vocum tamen
efficerentur formæ Latinæ.[3]) Nonnunquam iam error novos 132
errores genuerat.[4]) Unum erat singulare mendorum genus non infrequens in verbis omissis, cuius aliquot exempla postea demonstrabo, unum et alterum iam ab aliis notatum erat.[5]) Hæc quum ita sint, multo plura menda demonstrari in his libris possunt quam probabiliter corrigi; in emendando autem paulo liberius versari iubemur quam in iis libris, quorum antiqui et

---

[1]) Negligentiæ et festinationis insigne specimen est in eo, quod voces extrema parte (quæ compendio notata erat) truncatas cum aliis librarius conflavit, velut II § 50 *pontificum* ex *pontifices cum*, II § 57 *contractet* ex *contractam et* cet.

[2]) Vid. exempli causa, quæ dicam de II § 32 (*summos* ex *si. n. deos*, et *quod* ex *dis*). Contra II § 47 (*ergo* ex *eo*) pro compendio librarius accepit, quod plenum erat.

[3]) Ut II § 22 *quocirca*.

[4]) Velut II § 56, quum ex adiectivo aliquo effectum esset *in eo*, pro *haud*, quod sequebatur, scriptum est *quod*.

[5]) Ut I § 26 *obscuras nec satis * intelligentias inchoavit*.

probi codices supersunt, nec possumus semper sic singulorum apicum mutatorum rationem reddere. Et tamen omnis emendatio proficisci hic quoque debet ab investigatione eius scripturæ, quæ in eo fuerit codice, ex quo nostri sensim propagati sunt. In ea investigatione tollendus est mihi ante omnia error recentissimi editoris, Io. C. Orellii, V. Cl., cui, quum libros de legibus post Gœrenzium et Moserum recognosceret, accidit partim aliorum partim sua culpa, ut, qui duo codices omnium, qui paulo diligentius collati sunt, fide dignissimi sunt, non quod ipsi non sint, ut ceteri, mendosissimi, sed quod fidelius id exemplum, ex quo omnes orti sunt, exprimunt, ut eos, inquam, omnino testium numero excluderet, quum tamen ego rem suspicione attigissem, sed nec perspicue demonstrassem nec usus ea admodum essem. Nam Moserus, qui primus illorum codicum scripturas edidit, nihil senserat. Ii codices sunt Hauniensis et quem brevitatis causa Victorianum nominabo, quem Moserus copiarum Victorianarum alterarum (b) nomine designat. In priore, id est, in diligentissima collatione codicis vetusti Vossiani, nunc, ut opinor, Leidensis, quæ erroris causa fuerit,
133 alibi dixi.[1]) Nam qui Moseri causa scripturas excerpsit, duas annotatas coniecturas a codicis scripturis non seiunxit. Procedit collatio ad lib. II c. 8 med.; extrema annotatur scriptura *providendo* pro *providento* § 20. Ipse codex plurane contineat, quod vix credo, Bakius nos docebit.[2]) De Victoriano sic res habet. Moserus duplices copias Victorianas (sic enim appellat) habuit, Monacho subministratas. Earum priores, quas littera A notavit, constant ex annotationibus ipsius Victorii, quibus et aliarum editionum scripturæ et interdum codicum (ut II, 9 init.) continentur et coniecturæ aliorum et ipsius Victorii, loco-

---

[1]) Epist. crit. ad Orell. p. 4 not. Neque tamen, quod ibi scripsi, Io. Alb. Fabricius se codicem contulisse annotavit; non Fabricii ea est manus, qui nomen suum postea libro inscripsit, sed alius, a quo ad eum liber pervenit. Collatio facta est cum editione Commelini a. 1596. Est in bibl. universitatis Haun. (non in regia) inter codd. Fabricianos moduli minoris n. 24.

[2]) [Collatio est codicis Vossiani antiquissimi n. 100, quem Bakius littera A signavit. Is codex omnes tres libros continet, ut casu quodam Gudium in media opera substitisse appareat.]

rum denique similium significationes, id genus alia.[1]) Hoc Orellius (neque enim ipse Moserus, aliter esse, intellexerat) transtulit ad alteras, quarum diversissima est ratio. Nihil est enim in iis præter perpetuam et diligentem vetusti codicis collationem, Hauniensi illi sive Vossiano similis, omnia, ut erant in codice, cum librarii erroribus perscripta, nihil coniecturæ aut emendationis.

Sed quod hos codices ceteris integriores iudico aut saltem nullos tam integros diligenter collatos esse dico, confirmabitur ea sententia paucorum locorum documento, quos extra reliquorum ordinem præcipiam. Et primus quidem iam ante 134
emendatus ab Oudendorpio et me est, in libro I, 4, 14, ubi soli hi, quos dico, codices et præterea duo alii Leidenses ab Oudendorpio inspecti ea vestigia servarunt, ex quibus veritas emersit; ceteri varie interpolati sunt. Alter sit locus, e quo nunc demum interpolatio tolletur, non minus memorabilis, ex libro II c. 8 § 19. ubi in ipsa legis formula vulgo sic scribitur: *Separatim nemo habessit deos, neve novos sive advenas, nisi publice adscitos, privatim colunto. Constructa a patribus delubra in urbibus habento.* Tanquam duo præcepta ponuntur per *neve* coniuncta: *Separatim nemo habessit deos* et: *novos sive advenas nisi publice adscitos privatim ne colunto.* At genus est *separatim* habere deos; eorum, qui separatim haberi possunt, duæ sunt species, novorum et advenarum. Ergo in explicatione legis est c. 10, 25: *suosque deos aut novos aut alienigenas coli confusionem habet religionum.* Deinde vitiosum est *sive*, quoniam diversa hæc sunt, non eadem.[2]) Nec ita scriptum est nisi in paucissimis nullius auctoritatis codicibus (Maffeiani libri pleni erant coniecturarum); ceteri omnes habent *sed ne.* Itaque Handius vidit, quod iam Manutio in mentem venerat, scribendum esse: *neve advenas.* Id non vidit, a priore *neve* non

---

[1]) Itaque scripturæ ibi annotatæ „non ultra centum per hos tres libros loca attingunt" (Mos. p. XVIII) et „confirmant multas virorum doctorum coniecturas" (ibd. Apparet, quæ sit confirmatio).

[2]) Moserus Rathio, hoc saltem loco prudentiori, opponit, *sive* hanc habere sententiam: *sive etiam sint advenæ.* Neque quomodo *sive* pro *vel si* poneretur, neque quid negativa diiunctio postularet, vidit.

novam incipere sententiam, sed hæc superioribus sic subiungi: *Separatim nemo habessit deos, neve novos neve advenas, nisi publice adscitos.* Pendere igitur videntur extrema illa: *privatim colunto* et aliquid desiderari. Idem suspicari possumus ex
135 interpretatione legis, ubi hæc subiiciuntur § 26: *Nam a patribus acceptos ita placet coli, si huic legi paruerint ipsi patres.* (Sic enim emendavit Wyttenbachius, quæ emendatio mox multo magis confirmabitur.)[1]) Erat igitur aliquod legis præceptum ad hanc rem spectans. Sed sequitur: *Constructa a patribus delubra in urbibus habento.*[2]) Ridiculam legem! Qui enim præcipi id potest, quod totum non in ipsius, cui præcipitur, potestate positum sit, sed in patrum facto? Si enim nulla delubra patres construxerunt, nulla posteri habere ab iis constructa possunt; ipsi possunt et exstruere et habere. Atque hoc præcipere volebat Cicero; nam ex interpretatione legis apparet, animo scribentis obversatam esse contrariam Persarum sententiam, qui nulla esse templa deorum volebant. (Itaque *Patrum delubra*, quod ibi scribitur, in eadem perversitate est, a Wyttenbachio ob aliam causam correctum, quod *patrum delubra* ea, quæ patres exstruxissent, non recte dicerentur. Poterat addere, necessarium esse *ipsi patres.*) Atque hæc tam perversa sententia in ceteris codicibus est omnibus; in iis duobus, quos dixi, totus locus sic scriptus est: *privatim colunto q u o s r i t e a patribus delubra habento.* Iam aperta res est. Quum in eo codice, ex quo nostri descripti sunt, vocabulum unum aut etiam plura excidissent, emendator sententiam superiorem in *colunto* finivit, *quos rite* mutavit in *con-*
136 *structa*, salva grammatica et specie sententiæ, ipsa sententia pessumdata. Ea emendatio in solos illos duos codices non pervenit, ex quibus apparet, Ciceronem hac forma sententiam legis concepisse: *Separatim nemo habessit deos neve novos neve*

---

[1]) Superioris sententiæ et initii huius „palmaris emendatio" non Gœrenzio debetur, sed Ursino aliisque.

[2]) Voces *in urbibus* nullus habet codex, nec iis opus est, quanquam in legis explicatione adduntur, quod templa fere in urbibus erant. Generaliter dicitur: *delubra habento*; deinde speciatim additur de lucis in agris ceterisque, ut ne contrarii quidem causa (oppositionem appellant) necessarium additamentum sit.

advenas, nisi publice adscitos. Privatim colunto, quos rite a patribus [cultos acceperint].[1]) *Delubra habento.*

Quod in codicibus veræ scripturæ proximum est, veteris mendi manifesta conservatio, id hoc loco uterque habet codex, contra libro I c. 11, 31 solus Hauniensis; quem locum eo magis commemoro, quod eadem eius ratio est atque huius, quem nuper tractavi atque lacunam habere ostendi. Nam quum ex omnium codicum vestigiis facile intelligatur, Ciceronem non id scripsisse, quod nunc, planissima sane sententia, editur: *levitate enim et suavitate delectans sic ab errore mentis, tanquam salutare aliquid, adscicitur*, tamen, quod genus mendi lateat, unus demonstrat codex Hauniensis, hac scriptura: *levitatis est enim et suavitatis* . . . . (lacuna est trium verborum) *delectans sic* cet. Genitivos, qui pendebant a vocabulo, quod excidit, ceteri etiam codices servarunt; lacunæ indicium sustulerunt. Frustra igitur, quum pars sententiæ exciderit, editores ex iis, quæ supersunt, integri aliquid efficere conantur.

Sed hæc in locis defectu laborantibus. Adiungam alia exempla ex diversa scriptura. Libr. I c. 13, 36 editur: *Verum philosophorum more, non veterum quidem illorum, sed eorum, qui quasi officinas instruxerunt sapientiæ, quæ fuse olim disputabantur ac libere, ea nunc articulatim distincteque dicuntur.* 137
Cicero hic, ut alibi, cum veterum philosophorum, id est, et superiorum et Platonis maxime et qui circa illum erant, ratione comparat eorum, qui postea in scholis unumquemque doctrinæ locum argumentando rationibusque concludendis exponebant, idque ita facit, ut, quanquam hos fere solos in scribendo vere sequebatur et sequi cogebatur, quod flumini illi profundo Platonicæ meditationis aut Aristoteliæ exiguam et invalidam cymbam committere non audebat, illos tamen, ut semper, verbo tenus præferat et extollat, hactenus quidem etiam ex animi sentententia, quod et obscura quadam cogitatorum admira-

---

[1]) Hoc est, in quibus colendis ipsi patres legi paruerint, ut est in explicatione legis. Seiungitur a separato cultu privatus familiarum cultus a maioribus acceptus. In supplemento nihil præter sententiam præsto.

tione afficiebatur et orationis, Platonicæ certe, splendorem et vim rhetoricam ut orator magni faciebat. Itaque iam illud de *officinis* sapientiæ cum ironia quadam et contemptu dicitur. Tum superiores *fuse ac libere* disputasse dicit; sed huic non recte contrarium ponitur *articulatim distincteque.* Nam *distincte* semper in laude ponitur; neque veteres illos distincte disputasse negare poterat, etsi minute disputasse negabat. Aliud igitur requiritur vocabulum, quod magis in reprehensionem putidae divisionis et minute concisæ disputationis inclinet. Id latet in eorundem codicum scriptura *detecta*, pro qua ex simili codice Victorius *desecta* edidit, sive ea coniectura est ex illa ducta. Debebat effici *articulatim dissecta. Dissecandi* potius quam *concidendi* verbo Cicero usus est propter eam imaginem, quæ est in *articulatim.*

Lib. II c. 5, 12 editur nunc: *M. Lege autem carens civitas anne ob id ipsum habenda nullo loco? Q. Dici aliter non potest.* Auctores habet hæc scriptura in voce *anne*, de qua quæro, quattuor Gœrenzii codices, unum Moseri, Monacensem. Ceteri fere *ne* habent, ut tres Gœrenzii, Davisii omnes, Moseri duo. Fefellit
138 igitur non solum Gruterum et, qui in philosophis libris minus attendebat, Ernestium, sed Gœrenzium, Moserum, Orellium pravus usus particulæ *anne* in interrogatione simplici et directa; quanquam nonnullos animadverto esse, qui, particulæ *an* quis sit usus apud antiquiores scriptores, sciant, de *anne* idem valere nesciant. Quod unum fert Ciceronis loquendi usus (nam ne verbum quidem omitti in huiusmodi interrogatione potest), habet codex Hauniensis: *estne*, hoc est, *nonne est*, quemadmodum præcessit: *id estne numerandum in bonis?* eamque scripturam et Iunta et R. Stephanus olim reppererant, Lambinus et Davisius probarant. At exoritur Gœrenzius, „nusquam Ciceronem *estne* in enunciato negationem innuente ponere“ affirmans, idque sapienter, etsi minus Latine, dixisse Mosero videtur. Ergone ad negationem inclinat hæc interrogatio? Negat igitur Cicero, civitatem lege carentem nullo loco habendam esse? Immo nihil affirmat magis et in eo tota disputatio versatur. Itaque respondetur: *Dici aliter non potest.* Scilicet nec Gœrenzius nec Moserus interrogationem affirmativam de prædicato negativo (*nullo loco habenda*) ab interroga-

tione negativa distinxit.[1]) Vera igitur scriptura ex iis codicibus, de quibus certi aliquid constat, in uno reperta est Hauniensi; ea quum esset in plerisque codicibus corrupta, omisso *est*, extremo loco infelix emendator vitiosum illud *anne* invexit, 139
quod quum tres Gœrenzii codices obsideat, quos ille meliores appellare consuevit, iam ex hoc specimine de illa bonitate coniectura fieri potest.

Puto ex his exemplis præiudicium aliquod factum esse tale, quale volui, de horum codicum auctoritate, quibus non tantum tribuo, ut tanquam certos duces sequar, sed ut tanquam paulo plerumque ceteris certiores.[2]) Ceterum Victoriano Hauniensem præstare videri, ex iis ipsis, quos tractavimus, locis patet, si modo Victoriani scripturæ æque diligenter enotatæ et editæ sunt. Illud simul patefactum est, veteres quosdam editores, Iuntam, Victorium ipsum, Stephanum codices habuisse horum similes. De Gruteri codicibus in his libris, ubi non magna aliqua et perpetua diiunctio est, difficile est iudicare. Ex Davisii Parisiensis et regius digni erant diligentiore usu, quanquam minime ab interpolationibus liberi sunt (ut in I, 4, 14). Oxonienses tres pessimæ notæ sunt. Gœrenzius suos in duas familias descripsit, quorum quos meliores credidit, quantum ex iis, quæ parum plene excerpsit, iudicare potest, quanquam non tam negligenter et mendose quam ceteri eius scripti erant, tamen neque perpetuo discrimine ab iis distinguebantur et, ut ex iis locis, de quibus dixi, apparet, multas iam interpolationes et correctiones susceperant. Ex Moseri codicibus Monacensis, longe mendosissime scriptus, interdum vestigia veri alibi obscurata servavit.

---

[1]) Gœrenzius, ut solet, quum incredibiliter in notissimis rebus errat, valde σεμνῶς addit: „Cum vulgata sæpissime Cicero.“ Non nimis scit, quid dicat, quum oracula fundit, quæ tamen per aliquot annos auctoritatem habuerunt. Itaque non contendam, hoc eum censisse, sæpissime Ciceronem in interrogatione simplici non annexa *an* et *anne* ponere. Nihil sensisse potius dicam. Et tamen idem vitium orationis omnes editores fugit alio horum librorum loco, de quo post dicam.

[2]) Uno loco (I, 23, 61) additamento depravati sunt, ubi alii nonnulli integram scripturam servant. Sed id additamentum non ex interpolatione ortum est, sed ex annotatione marginali casu in orationem contextam recepta.

Hæc universe explicanda putavi; reliquam disputationem
140 per seriem locorum, quibus medicinam afferre posse videor, deducam. Nec faciam, quod adolescens feci, ut aut errores singulos editorum castigem et mendorum iam ab aliis animadversorum pravas defensiones refellam (velut I § 3, ubi Gœrenzius Orellio persuasit, rectissime interrogationem simplicem sine particula subnecti dicique *quæro, factum sit* pro *factumne sit*)[1]) aut aliorum neglectas emendationes commendem aut minutas discrepantias persequar (velut I § 24, ubi pro *ista*, quod pronomen alienum est, restitui debet *ita*, aut III § 18, ubi grammatica ratio, contra ac creditum est, *quemquam* postulat, *quempiam* repudiat; est enim generalis reprehensio universæ rei). Nec ea attingam, in quibus alios refellere possum, nihil ipse, quod satisfaciat, afferre (velut II § 22, ubi Orellius non attendit ad vim excludendi, quæ est in formula *quod fiat sine re aliqua*, et notam et pluribus post alios a me olim expositam). Eos seligam locos, in quibus et vulneris naturam perspexisse et remedium repperisse videor.

Lib. I cap. 12 § 33 editur omnium consensu: *Sequitur igitur, ad participandum alium ab alio communicandumque inter omnes ius homines* (rectior altera Davisii coniectura: *ius nos*) *natura esse factos*. Nec tamen structuræ ratio facile expeditur.
141 Turnebum video sic interpretari, ut hoc dicatur, homines natos esse, ut participent alius ab alio. Quid participent, non exprimitur, quod exprimi debebat. Vereor autem, ut legitime ponatur accusativus *alium*, grammatice ita ad *homines* (s. *nos*) accommodatus, ut simul subiecti locum teneat verbi, quod est *participandum*. Schellerus contra *ad participandum alium* intelligit *ad alium participem reddendum*, in quo itidem desideratur res communicata; tum prorsus vitiosa est coniunctio *ad*

---

[1]) Nonnulli post priores nostras curas accesserunt in hoc genere Orellii errores, totam rem paulo festinantius administrantis, interdum mira fingentis, quale est III § 24, quod hæc verba: *Ti. Gracchum non solum neglectus, sed etiam sublatus intercessor servaverat* sic enarrat: *intercessor, quem neglexit et sustulit, servare potuisset, si non neglexisset et sustulisset.* Et in hac interpretatione non dubitat comparare nota illa *æquum fuerat, melius fuerat*, similia. Ceterum velim scire, ex quo malo servandus fuerit Gracchus, si nihil seditiose fecisset.

participandum alium ab alio pro eo, quod est *ut alius ab alio participetur*, quoniam adiecta illa *ab alio* postulant, ut *alius* subiecti locum teneat; tenet autem *nos* s. *homines*, quum sic dicitur, *nos natos esse ad alium participandum*. Itaque efficitur, *a nobis participari alium ab alio*, quod nugatorium est, pro eo, quod esse debebat, *nos alium ab alio participari*. Hæc quum sint vulgaris scripturæ incommoda, sequendi sine dubio sunt, quos Iunta et Victorius pluresque veteres editores secuti sunt, codices; in iis (Moseri saltem omnibus; nam Gruterus, Davisius, Gœrenzius silent) scriptum est: *ad participandum alium alio*, id est, ad alium alio bono et commodo, si quo possimus, impertiendum. Huic apte adiungitur, ut ius communicetur *inter omnes*. Nam officia paucioribus præstari possunt nec eadem omnibus; et tamen illa benevolentia et caritas comprehenditur summa iustitiæ notione. Legitima est autem hæc antiqui illius vocabuli cum ablativo constructio et ex ipsa notione derivata, recteque statuunt, qui etiam apud Plautum Mil. Gl. II, 2, 107 *sermoni* ablativum putant. [Cod. Ambros. ipsum *sermone* habet.][1])

De loco difficili, qui est lib. I c. 17 initio, ita olim dis- 112
putavi, ut extremam partem recte constituerem et orationis formam explicarem (in Orellii editione gravi errore excidit *non* in verbis *An ea non aliter*, ut nulla omnino sententia supersit); priorem partem minus bene tractavi. Nam et verbum *indicamus* incerta ignotorum codicum auctoritate adscivi et *aliter* ante *indicabuntur* contra optimos codices delevi (nam in Vict. non esse, nihil est, quod credere iubeat) et prave initio affirmationem (*Nos — indicamus*) pro interrogatione effeci. Eodem modo hic locus corruptus est, quo alios corruptos videmus, verborum aliquot omissione. Ex integrorum codicum scriptura (exempli loco Hauniensis ponam: — *probauit. Nos ingenia iuvenum non item at ingenuo natura virtutes et vitia quæ exsistunt ab ingeniis aliter iudicabuntur* cet.) primum efficitur hæc inter-

[1]) C. 13, 37, ne quid turbæ oriatur ex errore in annotatione Moseri commisso, sciri velim, in Vossiano cod. esse: *sed iter huius sermonis quod si tu id est*, una extrema littera redundante. In iis, quæ sequuntur, bis posita præpositio hanc maxime scripturam commendare videtur: *ad res p. firmandas, ad stabiliendos iure et sanandos populos*.

rogationis coniunctio: *an ingenia natura, virtutes et vitia, quæ exsistunt ab ingeniis, aliter iudicabuntur?* Deinde præcessisse eandem conformationem sententiæ apparet, sed tantum alteram partem superesse: — *ingenia iuvenum non item?* Excidit prius membrum coniunctæ interrogationis, isque defectus proxima perturbavit; nam nec *nos* locum habet et pro *probabitur*, quod superior sententia requirit, in omnibus codicibus est aut *probauit* aut *probabit.* Locus igitur sic edi debet: *itemque inconstantia, quod est vitium, sua natura [iudicabitur. An arboris aut eculei ingenium natura] probabimus, ingenia iuvenum non item?* cet. Ex *probabitnos* effeci *probabimus* et potius post la-
143 cunam quam ante eam hoc verbum positum iudicavi; incommodissime enim dicitur, inconstantiam, quod sit vitium, sua natura *probari.*

Lib. I, 19, 50 editur: *Innocentes ergo et verecundi sunt, ut bene audiant et ut rumorem bonum colligant? Erubescunt pudici etiam loqui de pudicitia.* Poterat hæc scriptura satis copiose accusari. Nam nec tenellus hic pudor de pudicitia loquendi Romani est ingenii nec, quod caput est, ullo modo eius rei commemoratio ad hunc locum pertinet, ubi quæritur, præmii spe et pœnæ metu modesti homines et verecundi sint an ipsius virtutis causa, nec cum iis, quæ proxime antecedunt, coniungitur, ubi ficta boni rumoris causa modestia significata est. Sed accusatione opus non est, quod codicum auctoritate dubitatio omnis eximitur. Nam si Turnebi librum et S. Victoris apud Gruterum excipias, in nullo codice scriptum est *pudici*, sed *pudet iam* aut, geminata syllaba, *pudet etiam.* Rectissime igitur iam veteres editores sententias separaverant, quarum prior hæc est: *Innocentes ergo et verecundi sunt, ut bene audiant, et, ut rumorem bonum colligant, erubescunt.* Aptissime ipse rubor ingenuus in ista ratione captatio famæ fieri dicitur. (Ceterum affirmative hæc per conclusionem et demonstrationem pravitatis dicuntur, non interrogative.) Tum non minus recte additur: *Pudet iam* (si hæc vera sunt) *loqui de pudicitia* (quæ dissimulatio est impudicitiæ). Itaque hæc mihi nullam habere dubitationem videntur, quæ adeo difficilia et obscura visa sunt, ut Turnebus librarii annotationem de lacuna codicis in his verbis deprehendisse sibi videretur. Sed difficiliora sunt, quæ sequuntur: *Ac nimis istorum philosophorum*

pudet, qui nullum vitium vitare nisi iudicio ipso notatum putant;
in quibus (ut hoc primum transigam) pro *nimis istorum* e co-
dicum optimorum vestigiis (Haun. et Victor. *mystorum*) et e
cod. S^cti^ Victoris apud Gruterum scribendum est, ut Iunta, Vic- 144
torius, Rob. Stephanus ediderant, *me istorum*, sublato comico
illo *nimis pudet* pro eo, quod est *valde pudet*. Sed hoc par-
vum; deinde autem *vitare*, quod Davisius satis prave defendere
conatus est, comparata constructione verbi, quod est *censeo*,
apud Horatium et inferioris ætatis scriptores (qui *censeo facere*
ut *iubeo* dicunt), Wyttenbachius in *vitandum* mutabat, Gœren-
zius, assentientibus Beiero et Orellio, delet. Nemo quicquam
dixit de pronomine *ipso*, quod incommode et perverse ponitur;
quæritur enim, utrum *vitium ipsum* per se fugiendum sit an
metu iudicii (non *iudicii ipsius*, tanquam aliud sit adiunctum).
Sed codices considerantibus aliæ et maiores oriuntur dubita-
tiones. Nam in codice Haun. est: *que* (sic) *ullum inditium
vitare nisi vitio ipso mutatum putant*. Atque, quod nemo com-
memoratione dignum putavit, hunc ordinem et hos casus ver-
borum *iudicium* — *vitio*, omnes aut longe plurimi codices
habuerunt, certe omnes Davisii, qui ipse eius rei testis est, et
apud Moserum præter Victorianum etiam infimi, Creuzerianus
et Wyttenbachianus; de quarto, Monacensi, tacetur. Gœren-
zius, ut solet, tacet de iis, quibus uti nescivit.[1]) Idem in
veterum editorum libris fuisse, perspicitur ex iis, quæ Moserus 145
de Cratandro et Hervagio annotavit. (Ipse ut in hac scrip-
tione veteres editiones compararem, nec temporis brevitas
permisit nec utilitatis inde proventuræ spes incitavit.) Iam

[1]) Orellium hoc et infinita similia in selectæ varietatis annotatione prætermisisse, non tam seorsum reprehendo quam intelligi volo, quam nullius utilitatis sit totum illud excerpendi genus, quo celeriter, dum librum aliquem festinanter recognoscimus, defungi possumus. Quæ sit enim memorabilis scriptura, tum demum intelligi potest, quum et universi apparatus critici natura perspecta est et in singulis locis omnia momenta exquisita vel potius iam veritas inventa. Damnum autem ista selectio habet non leve, quod homines ea confidunt omniaque in tuto posita putant, ubi nihil adscriptum est. Uno modo recte fieri delectus potest in varietatis annotatione, ut aut codicum certorum et probatorum aut diligenter collatorum scripturæ perscribantur aut editionum, comparationis causa. Cetera specie ludunt lectores criticam omni modo adhibere volentes, quid sit critica, nescientes.

hunc ordinem verum esse, perspicue demonstrat, de quo ante dixi, pronomen. Tum autem pro *notatum*, quod interpolando ad *vitium* accommodatum est, ceteri quoque meliores (Victorianus et Davisii) habent *mutatum*, deteriores (Davisii et Moseri) *multatum*. Quod autem ad veritatem ducit, *ullum* aut in uno est Hauniensi aut ex eo uno enotatum. Efficitur enim ex eius scriptura hæc loci forma: *qui ullum iudicium pertinacius vitio ipso vitandum putant*. In verbis *vitare nisi* comparativum adverbii latere, ex cuius terminatione ortum sit *nisi*, certum est; ipsumne adverbium repererim, nescio. *Vitandum*, ut sæpissime, transiit in *vitatum*, deinde in *mutatum*. Hæc demum vera est et ad ea, quæ sequuntur, accommodata sententia, non iudicia, sed ipsa vitia esse timenda; ea contra, quæ in vulgata scriptura erat, falsa. Neque enim Epicurei vitium tum demum, si iudicio iam notatum esset, fugiendum putabant, sed eo esse vitium, quod metum et periculum iudicii futuri afferret.[1])

146 Lib. II c. 2, 5 Cicero ad ea, quæ de civium Romanorum, qui ex municipiis orti erant, patria disputat, comparationem adiungit veteris Atticorum status; verba autem, quibus hunc significat, corrupta sunt, quæ sic Orellius edidit: *vestri Attici, priusquam Theseus eos demigrare ex agris et in astu, quod appellatur, omnes se conferre iussit, symphrantidem et Attici*, recte nullam ex infinitis pæne coniecturis superiorum probans. Ipsa quidem comparatio qua in re posita sit, obscurum esse recte attendenti non potest, a qua quidam ita aberrarunt, ut, mutato *priusquam* in *postquam*, ad instituta Thesei comparationem spectare putarent; alii autem rem a similitudine municipiorum et urbis Romanæ longe abhorrentem induxerunt, *φρατρίας*, et de ea subabsurdi aliquid effinxerunt, quasi quis dicat eosdem et Romanos esse et tribules aut curiales. Proprietas eius rei,

[1]) Ex minoribus rebus in extrema parte huius libri unum attingam, c. 22, 59 non recte editum esse ab Ernestio, Gœrenzio, Mosero, Orellio e paucissimis et malis codd. (Vindob. Gœrenzii et Monac. Moseri): *principia rerum omnium, quasi adumbratas intelligentias*, pro eo, quod ex ceteris Lambinus et Davisius tenuerunt, *principio*. Scientiæ ista principia sunt, rerum omnium principia prorsus contra Ciceronis mentem dicuntur. Longe alia sunt in ethicis *principia naturæ*, id est, a natura data et commendata. *Principio* refertur ad id, quod adiicitur de iis intelligentiis illustrandis.

de qua Cicero loquitur, in eo posita erat, quod extra commu-
nem civitatem eamque urbem, quæ eius caput erat (nam
civitatem Romani, antiqua notione retenta, re mutata, ad ur-
bem, non tantum ad rem publicam Romanam cogitatione re-
ferebant), alia erant oppida et cœtus eorum, qui illius
communis civitatis et urbis et rei publicæ participes erant.
Huius similem dicit fuisse, non eum statum, qui post Theseum
et Athenarum *συνοικισμόν* fuerit (nam quum ex agris demigras-
sent et in astu se contulissent, nulli erant extra Athenas
cœtus, qui municipiorum similes essent)[1]), sed eum, qui ante
Theseum fuisset, quum omnes quidem Atticæ incolæ uni im- 147
perio parerent unamque rem publicam haberent (sic enim
Cicero rem animo proponebat eamque rationem sequuntur
narrationes de Ægeo et ipso Theseo), caput etiam quoddam et
sedem imperii Athenas, sed tamen sua quique oppida, duode-
cim illa Cecropia, suos cœtus, suas quasdam minores res pu-
blicas tenerent (*πρυτανεῖα καὶ βουλευτήρια καὶ ἀρχάς*, quæ sublata
dicit Plutarchus Thes. 24). Eo igitur tempore iidem homines
et communiter Attici erant (non Athenienses; nam hoc dissi-
mile, quod Athenæ non omnes sua civitate comprehendebant)
et separatim suam quique minorem patriam habebant, quem-
admodum Cicero et Romanus erat et Arpinas. Hoc a Cice-
rone dictum esse apparet; et forma quidem orationis non
obscura est in his *iidem et Attici*; priora insunt in litteris *sym-
phrantidem*, nisi quod *iidem* iam inde dissolutum est. Facile
tamen expeditur verbum prorsus necessarium, cuius prima
tantum littera deest, *erant*; in codice quidem Hauniensi plane
perscriptum est, quod quale sit, intelliget, qui animadverterit,
in aliis codd. scribi *symfrantidem*, littera F; ea quum esset
orta ex E, prius illud *sym*, quod Græce sonare videbatur,
Græcam litteram et monstrum vocabuli genuit. Restat ea
appellatio, quæ contraria esse debet communi Atticorum no-
mini, pro qua codices habent *sym*, *sin*, alia, Hauniensis *sinis*
(ut videtur). Ac Turnebi quidem coniectura, qui *Sunii* scrip-

---

[1]) Cicero quidem etiam paulo plus dicit quam veritas fert, tanquam hominum omnis multitudo postea in urbe perpetuo vixerit; nimis enim pressit notionem *τοῦ συνοικισμοῦ* et narrationis de Theseo vulgarem colorem reddidit.

sit, non solum formam nominis pravam habet (Sunienses enim erant), sed sententiam; neque enim omnes Attici simul Sunienses erant, sed alii Marathonii et sic porro. Quod quum intelligeret Orellius, nullam tamen probabilitatis speciem sequens, sic fere scribi posse putavit: *et Eleusinii et Rhamnusii*, ac præterea in idem vitium sententiæ aperte incidit; falsa enim
148 hæc quoque erunt, nisi omnia nomina oppidorum enumeraveris. Nullum igitur nomen certi loci positum erat a Cicerone, sed generis significatio. Equidem neque ex litterarum ductibus neque ex copia vocabulorum rei aptorum quicquam aliud exsculpo nisi: *et sui erant iidem et Attici*, id est, suorum seorsum oppidorum homines.

C. 9 init. legis formula in recentioribus editionibus hæc est: *Fœderum, pacis, belli, induciarum oratores fetiales iudicesve sunto: bella disceptanto*, ducta in voce *iudicesve* scriptura e coniectura Schefferi et e codice Bruxiano Gœrenzii; qui cuius aut unde fuerit, ignoratur; sed sæpius ex eo Gœrenzius eas scripturas protulit, quas coniectura non ante multa sæcula inventas constat.[1]) Hoc quidem loco satis patet, disiunctivam particulam ab affirmativo præcepto alienam esse; nec aptum erit *que*, quod in hac legis simplicitate male inter verba coniuncta interponetur *fetiales*. Codices pro *ve* habent *non*, præter Victorianum, in quo ob imperativum scriptum est *ne*. Equidem, etsi erroris originem non intelligo, prorsus tollendam particulam puto, eo magis, quod in omnibus codicibus est *oratorum*, quod vix ex *oratores* ortum est; et pæne adducor, ut illud ipsum verum putem, intelligamque res per alios legatos et oratores actas et ad fetialium iudicium revocatas.[2]) Illud mihi

---

[1]) Huiusmodi est, quod nunc inde editur in libro II § 14: *quanquam quidem illi*; Cicero scripsisset: *quanquam illi quidem*.

[2]) [Scribendum esse: *oratorum fetiales ius noscunto*, dixi breviter in libro de rei publicæ Romanæ institutis II p. 670 ed. Germ. Emendationis certæ initia eruuntur ex genitivis (nam *oratorum*, non *oratores*, omnes habent codices) et ex *non sunto*, in quo, quoniam *non* tollere violentum ac temerarium est, verbum unum latere necesse est, nec id aliud esse potest nisi *noscunto*. Interpositum igitur fuit substantivum genitivos regens, ipsum a *noscunto* pendens. Nec sane fetiales iudices fœderum, belli, legatorum erant, de quibus senatus populusque iudicabat, sed iura cærimoniasque ad hæc pertinentes tenebant. Itaque *ius*

certius videtur, inter nomina *fœderum, pacis, induciarum* male *belli* nomen medium interiici, quum præsertim separatim sequatur: *bella disceptanto.* In interpretatione huius legis (c. 14, 34) editur: *in quo* (bello) *et suscipiendo et gerendo et deponendo ius ut plurimum valet et fides, horumque ut publici interpretes essent, lege sanximus.* Ineptum in hac scriptura esse *ut pluri-* 149
mum (quod præterea apud Plinium non *plerumque* sed *quum plurimum* significat), a multis intellectum est; sed in codicibus aliquot (Victor., Monac., Oxon. E) est: *valeret ut fides,* tum in omnibus (saltem Moseri et Oxx.): *forumque*; scribendum est igitur: *ius ut plurimum valeret et fides eorumque* (E pro F) *ut publici interpretes essent, lege sanximus.*

C. 11, 28 in magno codicum dissensu editur nunc: *Araque, quæ vetustissima est in Palatio, Febris, et altera Esquiliis, Malæ Fortunæ, detestataque omnia eiusmodi repudianda sunt.* Pro *araque, quæ* omnes codices habent *ara quæ* aut *ara que* (quod idem est); pro *vetustissima est* plures et meliores *vetus stat,* quod ortum est ex *vetusta.* Itaque, sublata inutili circumlocutione, primum scribendum est: *araque vetusta in Palatio Febris et altera Esquiliis Malæ Fortunæ.* Deinde autem et incommode post *detestataque omnia* additur *eiusmodi,* quod iam inest in *detestataque,* et perversissime dicuntur *detestata omnia esse repudianda,* quasi quisquam, quæ detestetur, ea non repudiet; nec erant illæ aræ detestatæ, quæ colebantur; rerum erant detestandarum. In codicibus non paucis, duobus quidem melioribus, Parisiensi et regio Davisii, est *detestataeque.* Scribendum igitur videtur, eadem participiorum mutatione facta quam supra iam commemoravi (ad I, 19, 50): *detestandæ, atque omnia eiusmodi repudianda.* Recte ei, quod de aris singulatim dictum erat, additur de toto genere præceptum.

Cap. 13, 32 editur: *Egone? divinationem, quam Græci μαντικήν appellant, esse censeo et huius hanc ipsam partem, quæ est in avibus ceterisque signis disciplinæ nostræ: quod, quum summos deos esse concedamus, eorumque mente mundum regi, et eorundem benignitatem hominum consulere generi, et posse nobis*

Cicero scripserat; inde factum est *iudices* (quod in codicibus antiquis sæpe per compendium *iud* scribitur), postquam ex *noscunto* natum erat (*non*) *sunto.*]

150 *signa rerum futurarum ostendere, non video, cur esse divinationem negem.* Ante *disciplinæ* in codicibus additur *quod* aut *quos* aut *quo*; quod ne quem turbet, ortum est ex eo, quod scriba codicis eius, ex quo nostri derivati sunt, primum non intellexerat compendium, quo notabatur syllaba *dis* (ex quo in cod. Erf. in oratione de provinciis consularibus scribitur *quod serui* pro *disserui* et *quod sensi* pro *dissensi* et (18, 43) *cupi quod simos* pro *cupidissimos*), deinde autem *disciplinæ* recte ille quidem perscripsit, sed *quod* non delevit. Verum voces *quod quum* et *deos* ab omnibus omnino codicibus et veteribus editionibus absunt; nec *concedamus* scribitur, sed *concedimus.* Relinquuntur igitur hæc fragmenta, ex quibus sententia efficiatur: *summos esse concedimus, eorumque mente* cet. Ea autem sententia non causalis esse debet, ut in vulgata interpolatione, sed condicionalis; sequitur enim assumptio, comprobans id, quod hic pro condicione positum est: *Sunt autem ea, quæ posui* cet. Omnia, quæ desideramus, insunt nec valde involuta latent in voce *summos*; scriptum enim erat: *si .n. deos*, hoc est: *Si enim deos esse concedimus, eorumque* cet. Nulli sunt in hoc Stoicorum de divinatione loco summi et imi di, sed generatim, si di sint, divinationem esse, concluditur. Vid. de Divinat. I, 38 cet.

C. 16, 40 et 41: *Quod et nunc multis fit in fanis. Alexander in Cilicia deposuisse apud Solos* (scrib. e vestigiis codd. *Solenses*) *in delubro pecuniam dicitur et Atheniensis Clisthenes Iunoni Samiæ, civis egregius, quum rebus timeret suis, filiarum dotes credidit.* Attigi hunc locum in emendationum libello p. 75, dixique, etiamsi defendatur *et nunc* pro *etiam nunc*, tamen nullo modo sic sine coniunctione subiici posse superioris temporis exempla, itaque scribendum esse: *Quod et nunc multis*
151 *fit in fanis et Alexander* cet. Nec nunc ab eo iudicio discedo. Neque enim video, quid obstet, quod Orellius obiicit, sequens *et Atheniensis*, quasi plus quam duo membra coniungi sic nequeant. Sed aliud est mendum gravius. Cur enim de Alexandro Cicero scribit: *deposuisse dicitur*, de Clisthene, cuius ætas remotior, res minus notæ erant, *credidit?* Sequitur: *Sed iam de periuriis, de incesto, nihil sane hoc quidem loco disputandum est.* Nemo, opinor, non sentiet, prave positum esse *sed*, quasi contrarii aliquid inferatur, quum transeatur ad no-

vum et diversum legis caput, in quo una apta est particula *iam.* Lenissima adhibenda correctio est, ut fiat: *credidisse. Iam* cet. Non ita raro hæc terminatio infinitivi et *sed* confunduntur. Itaque infra c. 25, 62 omnes iure edunt, Manutium sequentes: *vides. Sed* —; in codicibus est *vidisse.*

C. 16, 41 et c. 17, 42, ubi Cicero deorum iudicium de violatis religionibus in suo casu apparuisse dicit, quum sic scriberetur: *velimque hoc, quod loquar, diis immortalibus gratum potius videri quam grave. Omnia tum perditorum civium scelere, discessu meo, religionum iura polluta sunt, vexati nostri Lares familiares, in eorum sedibus exædificatum templum Licentiæ, pulsus a delubris is, qui illa servarat. Circumspicite celeriter animo (nihil enim attinet, quemquam nominari), qui sint rerum exitus consecuti* — quum sic, inquam, scriberetur, Victorius et alii lacunæ notam post *grave* posuerunt; eam Gœrenzius et Schuetzius sustulerunt, quod nihil deesset; Wyttenbachius unum vocabulum *hominibus* desiderari iudicavit: in quo hoc sensit, *grave* ad deos non recte referri, qui supra contentionem evecti essent, ad homines pertinere, qui superbe se extollentem vix ferrent. Sed quam veteres illi iudicii sui causam habuissent, nemo videtur animadvertisse, nisi quod Wagnerus hæsit in particula *tum.* Ea enim sic ponitur, tanquam Cicero certum tempus iam significaverit. Atqui præparatione usus est, dicturus de se ipse gloriosius; nullamdum rem gestam casumve commemoravit. Itaque Victorius et alii temporis illius, quo expulsus esset, significationem aliquam præcessisse putabant; nec potest aliter statui, si *tum* rectum est.[1]) Et tamen si sic statuitur, abundat *discessu meo.* Sed qui attenderit ad orationis formam, præterea, ut nunc est, post *Circumspicite* in initio novæ sententiæ, ubi post primam narrationis partem iubentur, qui audiunt, animos transferre ad id, quod deinde consecutum sit, desiderabit aut *iam* aut *nunc.* Scilicet hæc Cicero coniunxerat hoc modo: *Quum perditorum civium scelere, discessu meo religionum iura polluta sunt, — pulsus a delubris is, qui illa servarat, circumspicite* cet. Hæc

---

[1]) Lepide Moserus „*Tum,* inquit, universe continuandæ narrationi inservit.“ Atqui narrare nondum Cicero cœperat.

si ita sunt, *omnia* ferri non potest.[1]) Sed aut fallor aut in eo inest illud ipsum, quod Wyttenbachius desiderabat, *hominibus*, quod male diiunctum a superioribus et compendio scriptum in hanc formam transiit. Pro *animo* Davisius recte e codicum vestigiis (*animus*) *animis* scribendum coniecit.

Eodem capite § 44 olim edebatur e codicibus: *Reprimam iam, et non insequar longius*; nunc editur *iam me*, quod apud primum est Stephanum, necessaria sane adiectione; sed *et non*
153 hoc loco ferendum non est. Unam litteram geminatam, alteram sublatam oportuit: *Reprimam iam me; non insequar longius.* Quod hic abundabat, in proximis superioribus deesse, recte Lambinus sensit; sed mutanda simul distinctio verborum: *iudicia perrupta ab iisdem et corrupta; hominum, non deorum.* Sic hæc adiecta eandem vim habent, quam Gœrenzius efficere studebat addito *at*.

[C. 18, 45, ubi exponitur, quæ rerum genera Plato et ipse Cicero dis consecrari posse velint, codices et editiones consentiunt in hac scriptura: *Hæc illi* (Platoni) *placent. Sed ego cetera non tam restricte præfinio, vel hominum vitiis vel subsidiis temporum victus. Terræ cultum segniorem suspicor fore, si ad eam utendam ferroque subiiciendam superstitionis aliquid accesserit.* Sed ego, quæ hic *subsidia temporum* dicantur, prorsus non intelligo; videntur enim ea esse aut quibus sublevati gravia et periculosa tempora feramus, quod ab hoc loco alienissimum est, aut quibus temporum opportunitas nos ad aliquid efficiendum adiuvet; quanquam num sic *subsidia* pro præsidiis et *tempora* de opportunitate et felici temporis condicione dicantur, merito dubitari potest; verum ut sic dicatur, neque de re efficienda hic agitur neque subsidiis *vincimur*, sed iuvamur. Wyttenbachius enarrat: „quia homines nunc plus pecuniæ possident quam temporibus Platonis", *subsidia* fere eo modo accipiens, quo Gallice dicuntur *ressources*; verum ne id quidem usu sermonis confirmatur et vehementissime repugnat vocabulum *victus* et alterius membri dissimilitudo.

---

[1]) Ferent, qui huiusmodi verborum traiectiones in prosa oratione admitti putant, qualis est: *Falsam quum in hoc ἔμφασιν inesse videret acutissimus Wolfius* cet. Verum talia scribi a Ciceronis editore, quum præsertim de ordine vocabulorum quæreret, non debebant.

Cicero scripsisse videtur: *vel hominum vitiis vel insidiis temporum victus.* Hanc ætatem, quæ nunc sit, et hos mores sic quasi insidiari sibi philosophorumque iudicio dicit, ut veterem Platonis severitatem retinere non possit. Iam aptissime, ut 154 *homines* et *tempora*, sic *vitia* et *insidiæ* componuntur. 1842.]

C. 19, 47, ubi Cicero de pontificum cognitione iuris agit, sic scribitur: *Totumne? Quid ita? Quid enim ad pontificem de iure parietum aut aquarum aut ullo omnino? Ergo, quod cum religione coniunctum est.* Plus dicitur multo, quam Cicero vult, de *nullo omnino* iure civili pontifici quærendum esse.[1]) Itaque mitigare alii student *aut tali ullo omnino* scribentes ex vestigiis codicum minime perspicuis et parum Ciceroniane (*talis ullus*), alii expellunt, substituto *aut luminum.* Batavus tamen quidam (in Observatt. Miscell., ex quibus tot inutilia Creuzerus excerpsit) attendit ad codices, qui magno consensu *si* addunt ante *ergo*, ex quo recte effecit *nisi*; sed *ergo* iniuria delevit, quod ex *eo* ortum est; quam facile, sciunt, qui compendia scribendi norunt. Scribendum est igitur: *aut ullo omnino nisi eo, quod cum religione coniunctum est?*

Paulo post, hac et proxima sectione (48), miror latuisse annotationem grammatici alicuius in Ciceronis orationem illatam, quam ut nunc deprehensam convincam, paulo plura verba describenda sunt: *Cur igitur hæc tanta facimus, quum cetera perparva sint, de sacris autem, qui locus patet latius, hæc sit una sententia, ut conserventur semper et deinceps familiis prodantur, et, ut in lege posui, perpetua sint sacra? Hoc posito, hæc iura pontificum auctoritate consecuta sunt, ut, ne morte patrisfamilias sacrorum memoria occideret, iis essent ea adiuncta, ad quos eiusdem morte pecunia pervenerit. Hoc uno posito,* 155 *quod est ad cognitionem disciplinæ satis, innumerabilia nascuntur, quibus implentur iurisconsultorum libri. Quæruntur enim, qui adstringantur sacris* cet. Offendit iam alios repetitum illud *Hoc posito*; verum gravior in sententiæ quam in verbi repetitione et perturbatione offensio est. Ea enim, quæ inferius posita sunt, ex superiore tanquam capite et fonte deri-

---

[1]) Neque enim iuvat effugia tentantes, quod addidi ipse, *civili*; nam quæ sequuntur, non ex pontificio iure sunt, sed ex civili, quæ cum religione coniuncta sunt.

vantur. Sed priora illa: *hæc iura pontificum auctoritate* cet. ipsa deducta sunt a primo illo capite et summo, quo sacra perpetua esse et familiis deinceps prodi iubentur, nec quicquam continent, quod non ab eodem initio distinctius deinde iterum explicetur. Itaque alterum quoque *Hoc uno posito* refertur sententia non ad proxime præcedentia, sed eodem, quo illa, ut, circumscripta et sublata hac sententia: *Hoc posito hæc iura — pervenerit*, non solum nihil desideretur, sed omnia tum demum ordine procedant. In ipsis autem his verbis primum non recte *iura* plurali numero dicuntur, quum unum ponatur, ut sacra iis sint adiuncta, qui pecuniam acceperint; deinde ipsum hoc, sacra *adiungi* hominibus, non nimis placet, valde autem displicet prava consecutio temporum: *consecuta sunt, ut — essent, ad quos pervenerit*; debebat enim esse *pervenisset*. Tum si quis superiorem sententiam consideraverit, facile sentiet, extremum vocabulum *sacra* vitiose redundare et trahi post illa: *de sacris autem*. Simul autem velim attendi, non optime dici: *pontificum auctoritate hæc iura consecuta sunt* pro eo, quod est *constituta*, contra recte: *sacra pontificum auctoritate hæc iura consecuta sunt*. Iam in codicibus pro verbis *hoc posito* scribitur fere *hæc posita*, in paucis aliter, *hic posita*, *hoc ponite*. (Victorianus habuerat *hæc posita*, sed deleta hæc in eo erant.) Hæc omnia qui animo comprehenderit, non negabit, a Cicerone hæc sic perscripta fuisse: — *et, ut in lege posui,*
150 *perpetua sint. Hoc uno posito, quod est ad cognitionem disciplinæ satis, innumerabilia nascuntur, quibus implentur iurisconsultorum libri*. Ad hæc adscripta est annotatio, ea, quæ deinceps explicantur, in brevius contrahens: *Sacra hæc iura pontificum auctoritate consecuta sunt, ut — pervenerit*. Ea in codice eo, ex quo nostri derivati sunt, sic verbis Ciceronis inserta est, ut prima verba proximæ sententiæ Ciceronianæ (*hoc posito* cet.) intermiscerentur et depravarentur. Prorsus eiusdem generis annotatio, quæ rem a Cicerone tractatam breviter indicat, Ciceronis verbis adiuncta est in plerisque codicibus libr. II, 2, 5: *Habet civitates duas, sed illas unam civitatem putat.*

C. 20, 50 scriptum est: *Videtis igitur, omnia pendere ex uno illo, quod pontifices pecuniam sacris coniungi volunt; iisdemque ferias et cærimonias adscribendas putant.* Satis perverse pecunia sacris coniungi dicitur, tanquam sacra ad

certos homines perveniant eaque sequantur hereditates, non iam civili iure et testamentis ordinatæ, sed pontificum decretis. Heredes pecuniæ etiam sacra suscipere pontifices volebant. Videamus nunc codices; quanquam eorum testimonium prope obscuravit non solum superiorum pravum institutum, sed Gœrenzii socordia: omnes enim tacent; sed Moseri codices, nullo excepto, et vetustissima quæque editio habent: *quod pontificum pecuniam sacro coniungi volunt*, ex quo efficitur nullo negotio: *quod pontifices cum pecunia sacra coniungi volunt.* In proximis verbis editores, indigne neglecta facillima et verissima Davisii correctione: *quom est partitio* pro *quod e. p.*, mendi notam apponere maluerunt; contrarium mox refertur: *in donatione.*

C. 22, 56 Orellius „in loco alioqui desperato" recepisse se ait „egregiam Moseri correctionem", sic scribentis: *Eodemque ritu in eo sepulcro, quo haud procul a Fonti ara regem no-* 157
strum Numam conditum accepimus: gentemque Corneliam usque ad memoriam nostram hac sepultura scimus esse usam. Egregiam vero! in qua quivis grammaticam orationis structuram perturbatam animadvertat, quoniam ad illa: *Eodemque ritu in eo sepulcro* post relativam sententiam interpositam nihil redditur, idque, quod Cicero dicere volebat, eodem ritu Numam sepultum esse, scite occultetur. Itaque quod vere egregium Wagneri inventum de Fonti ara Moserus ad vocem *procul* et ad codices accommodavit, *a Fonti ara* scribens, id accipiamus; in ceteris aliam viam ingredi cogimur. In codicibus (ut ea omittam, quæ ad verba *a Fonti ara* pertinent, recte restituta) est: *Eodemque ritu in eo sepulcro quod procul a Fonti ara regem nostrum Numam conditum accepimus.* Tota loci demonstrandi ratio postulat *haud*; relativum oratio nullo modo recipit; ipsa enim verba *regem nostrum*, ne alia dicam, ostendunt, hanc esse primariam sententiam, qua id contineatur, quod rei a Xenophonte de Cyro traditæ simile sit. *Quod* igitur commutandum est cum altera particula litteris non ita multum distante: voces autem *in eo* ortæ sunt ex adiectivo, quo significata erat materia sepulcri, quæ nisi nominata esset, prorsus abundaret ipsum *sepulcri* vocabulum. Id adiectivum nec vetus fabula satis demonstrat (Liv. XL. 29, Plin. Hist. Nat. XIII. 27, Plut. Numa 22) nec vestigia codicum. Lapideas arcas fuisse, Livius et Plutarchus dicunt. [*Tophino sepulcro* recte restituit Opper-

mannus, vir a disciplina mea philologica postea ad alia studia traductus.]

C. 22, 57 ab instituto meo paululum discedens alienam coniecturam commendabo, ut simul errores nuper commissos tollam. Scribunt enim editores, Mercerium in nonnullis corrigendis sequentes: *Itaque in eo, qui in navi necatus, deinde in mare proiectus esset, decrerit P. Mucius, familiam puram, quod*
158 *os supra terram non exstaret; porcam heredi esse contractam; habendas triduum ferias et porco femina piaculum pati: si in mari mortuus esset, eadem, præter piaculum et ferias.* Mercerius tamen et editores ante Gœrenzium recte *et* ante *habendas* addebant; nam ex *contractam et* ortum est in codicibus *contractet.* Sed Orellius hæc prorsus perversa esse putat, quod, detracto piaculo et feriis, nihil remaneat in altera parte. Itaque, non sane leniter, corrigit, primum: *porcam heredi non esse contractam,* tum: *eadem, piaculum et ferias*; efficit autem, ut prorsus perverse P. Mucius, positis duobus diversis, ad quæ exspectentur diversa præcepta (si in navi quis necatus esset et si in mari), idem in utraque re decernat. Cur igitur diversitatem rei significarat? Verum omnia bene habent, quod ad ipsa præcepta attinet. Ipse enim Orellius intellexit, in codicum scriptura, dempto piaculo et feriis, remanere, quod maximum est, *porcam contractam* (id est, sacrum quotannis porca faciendum et fortasse alia)[1]); sed id unum negat in altero membro significari posse voce *eadem.* Scilicet ea pertinet ad totum Mucii decretum, familiam puram esse, quod os non exstaret, sed porcam contractam esse. Quod autem paulo levior expiatio constituitur in eo, qui in mari mortuus sit, quam in eo, qui in navi necatus et proiectus, hæc sine dubio causa est, quod in hoc occasio fuisset ossis excipiendi, quod terra operiretur. Itaque hæc, quæ recta sunt, ne moveamus; illud ne feramus, quod superiores aliquot recte non tulerunt, *piaculum pati porco* dici, qui piaculare sacrum faciat; multo autem minus hæc coniungi: *habendas triduum ferias et piaculum pati* pro *pati-*
159 *endum.* Tum vero animum attendamus ad deficientem in verbis *si in mari* cet. sententiarum coniunctionem. Legemus,

---

[1]) Vid. Marius Victorin. lib. II p. 2470 Putsch. et Ciceronis verba § 55 posita: *quæ in porca contracta iura sint.*

opinor, non dubitanter: *et porco femina piandum; at si* cet. Davisii hoc est inventum, nisi quod *atqui* posuit, particulam hinc prorsus alienam.

C. 23, 58: *Sed in urbe sepeliri lex vetat. Sic decretum a pontificum collegio, non esse ius, in loco publico fieri sepulcrum.* Neque cur in priore sententia per adversativam particulam repetatur, quod iam dictum erat, apparet, neque quo spectet in altera sententia particula *sic*. Utrumque perspicuum erit, retractis duabus litteris, quæ post *Set* exciderunt: *Set ut in urbe sepeliri lex vetat, sic decretum* cet. Iam repetitur, quid sit in lege, ut similitudinis significatione transitus fiat. Paulo ante in codicibus est: *Quid post XII in urbe sepulti sunt clari viri?* Suppletum est: *Quid? qui post XII in urbe sepulti sunt, clari viri?* non recte. Sic enim significatur, ante de hominibus esse dictum, et de hominibus quæritur. Dictum autem erat de re, et de ea Atticus interrogat, qui accommodari ad legem id possit, quod post eam latam factum constet. Itaque scribendum erat: *Quid, quod — sepulti sunt clari viri?*[1])

C. 25, 62: *Nostræ quidem legis interpretes, quo capite iubemur sumptus et luctum removere a deorum manium iure, hoc intelligunt in primis, sepulcrorum magnificentiam esse minuendam.* Sic Orellius edidit, in *iubentur*, quod est in codicibus, mutando multorum secutus iudicium, non recte tamen. Sed alius est prior et ad omnes pervagatus error. Neque enim, ut putaverunt, Cicero hic de lege aliqua Romana eius- 160
que interpretibus loquitur. Nam nec ulla erat huiusmodi lex tam universe scripta, nec quid iurisconsulti intelligerent, Cicero quærebat, nec illi sic exponebant legum sententias, ut docerent tanquam magistri et morum correctores, sepulcrorum magnificentiam esse minuendam. *Nostram legem* quum dicit, suam intelligit, supra positam § 22 (*sumptum in ollos luctumque minuunto*), et in ea se scribenda vel maxime nimiam sepulcrorum magnificentiam notasse dicit. Itaque non *intelligunt* Cicero

---

[1]) Mirum est, mox § 59 silentio præteriri necessariam prorsus Davisii correctionem: *lamentationisque funebris* pro *lam. funeris.* Non dicitur usitate *lamentatio funeris* de genere (recte contra dicetur *inter ipsam lamentationem funeris*), multo minus *minuendæ lamentationis funeris.*

scripsit, sed, quod est in Moseri codice Victoriano et Monacensi et Oxon. duobus quodque in multis aliis editores reppperissent, si attendissent, *intelligant.* Explicat ipse, quid intelligi velit. Inepte igitur de sua lege *iubemur* dicit, recte *iubentur*. Nam etsi ad omnes lex pertinebat, tamen, quia ceteri nominati non erant, verbum rettulit ad *interpretes*, qui ipsi eadem lege tenebantur.

C. 25, 63: *Sequebantur epulæ, quas inibant propinqui coronati, apud quas de mortui laude quum quid veri erat prædicatum (nam mentiri nefas habebatur), iusta confecta erant.* Mirere, neminem editorem sensisse, quam barbare diceretur, *apud epulas* de laude mortuorum prædicatum esse, quod Latine est *in epulis, inter epulas.* Sed ut hic facilis emendatio est (*apud quos*), sic de reliqua parte sententiæ hoc tantum dicere possum, partitivam loquendi formam (*quid veri*) tantum ad condicionalem sententiam aptam esse (*si quid veri*) aut ad relativam indefinitam (*quicquid veri*); neque enim *aliquid veri* prædicandum erat, sed *vera* aut si quid veri poterat. Eodem codicum vestigia ducunt.[1])

161 Venio ad librum tertium, in quo parcior emendationum copia est. In eius capite quarto extremo legis formula hæc ponitur: *Censores fide leges custodiunto*; in qua *fide custodire*, sive ablativus sive adverbium (ipsum usu non frequentatum) intelligetur, æque inusitate dictum erit; et, si esset usitate dictum, aliam haberet vim *fide leges custodire*, non eam, quæ hic requiritur, legum tabulas servare, ne corrumpantur. Eo diligentius consideranda codicum scriptura, in quibus est fere *fidem legem* (in Fabr., S. Vict., Pal. 3, 4 apud Gruterum, plerisque Davisii, quinque Gœrenzii, duobus Moseri). Ex hoc fit, quod unum ad rem aptum est: *Censores fidem legum custodi-*

[1]) Paulo ante, ubi in codicibus scribitur: *mos . . . . . hoc ius terra humandi, quam quum proximi fecerant, obductaque terra erat,* quum duplex esset corrigendi via, ut aut pronomen mutaretur (*quod*) aut verbum (*iniecerant*), editores hanc posteriorem iniuria prætulerunt, ex qua fœdissima efficitur tautologia: *quum terram iniecerant obductaque terra erat.* In nominativo et accusativo singulari pronominis relativi compendiis notato late patet corrigendi libertas. *Ocius* pro *hoc ius* vix verum est; nec festinandi significatio, quæ inest, apta videtur, nec *humandi* recte accusativo caret.

unto, hoc est, operam danto, ut certis et incorruptis monumentis testatum sit, quæ sint leges quidque in iis sit. Sequitur statim: *Discedite, et tabellam iubebo dari.* Sic enim Orellius edens. Quid, inquit, impedit, quo minus pessimæ Ascensii coniecturæ (*disce rem*) optimam Davisii substituamus, *discedite*? Libet paulo longius interrogando progredi: Quid impedit, quo minus codicum scripturam restituamus, *discedere*? Nam quod adiungitur activo infinitivo simplici accusativus cum infinitivo passivæ formæ, nihil prorsus offensionis aut insolentiæ habet, quum posterior infinitivus ad idem, quo prior, subiectum referri nequeat. Est autem, quod postulet, ut *discedere* scribatur. Qui enim sic loquitur: *discedite, et iubebo*, hoc posterius 162
quodammodo priori tanquam condicioni præcedenti adiungit, quod ab hoc loco alienum est, ubi Cicero simpliciter, quid mox fieri velit, significat. Quanquam ne illo quidem modo Cicero loquitur; is enim semper in eventu imperatæ actionis significando imperativo futurum sine coniunctione subiicit; inferioris ætatis scriptores *et* interponunt, estque hoc perpetuum discrimen, ut hunc sumam, Senecæ et Ciceronis, a nullo, quod sciam, annotatum.[1])

C. 11, 26 oratio sic inter personas distribuitur et scribitur: M. *Perseveras tu quidem et in tua vetere sententia permanes.* Q. *Nunc mehercule.* At. *Ego sane a Quinto nostro dissentio. Sed ea, quæ restant, audiamus.* Mire in respondendo et affirmando Quintus temporis particula utitur, quasi verens, ne postea a sententia desciscat, quod ipsum, si significare vellet, aliter dicendum erat (*Ego vero, nunc quidem*)[2]); ceterum ipsum responsum valde superfluum est, quoniam proxime dixit satis

---

[1]) Ciceronis est: *Genus animadversionis videte: quæretis* cet. (Verr. Act. II, 1. 17. 45) et: *Attendite: iam intelligetis* (ibd. II. 23, 57): Senecæ: *Recognosce et intelliges* (ep. 4 § 8): *considera et intelliges* (ep. 13 § 16; cfr. ep. 16 § 7. 20 § 6, de Benef. IV. 18 § 4). [Ciceronis formam sequitur Liv. XXXVII. 54. 27; Senecæ reperiri semel apud Virg. Ecl. 3, 104 admonet Siesbyeus, idemque, Ciceronem interdum imperativo huiusmodi futurum particula *tum* adiungere, ut p. Flacc. 4. 10; p. Planc. 18. 45; Tusc. V. 34. 99.] Erratum vidi apud Ciceronem in hoc genere ab editoribus.

[2]) Hoc incommodum sensit Rauius in Variarum Lectionum libro ad Cic. orationes pertinenti (Lugd. Bat. 1834) p. 60, qui *nam mehercule* scribi volebat.

perspicue: *Haud equidem assentior; tu tamen ad reliqua pergas velim.* Mire etiam Atticus abrupte et pæne rustice dissensus sui nihil ad rem pertinentis declarationem interponit, in qua Lambinus saltem contrariæ sententiæ et cum reliqua oratione nexus notam aliquam requirebat (*At ego*). Sed caput illud est.
163 Hic enim Atticus a Quinti sententia tribunorum plebis potestatem improbantis graviter dissentit, mox c. 17 init. idem, nihil sibi unquam populare placuisse, dicit; itaque sine dubio cum Quinto ei conveniebat. Patet, hæc male divulsa esse et unum vocabulum commutatione non infrequenti vitiatum. Attico enim omnia tribuenda sunt sic scripta: *Nec mehercule ego sane a Quinto nostro dissentio.* Optime, quum Marcus Quinti se veterem dissensum agnoscere dixisset, Atticus suam sententiam Quinti adiungit. Ad coniunctionem vocum *mehercule sane* conferri potest lib. II, 4, 8: *sane quidem hercule*; alia ex Terentio habet Schellerus p. 9715, Forcellinus etiam Plaut. Trin. III, 3, 53.

C. 15, 33: *Nam ego in ista sum sententia, qua te fuisse semper scio, nihil ut fuerit in suffragiis voce melius; sed, obtineri an possit, videndum est.* Hunc locum significabam supra p. 138 in nota. Quem enim, ubi admonitus erit, fallet, contra vetustiorum usum dici: *videndum est, an obtineri possit?* Subvenit unus codex Monacensis; nam de ceteris siletur; rectene de omnibus, nescio; in illo est: *sed optimum etiam possunt*, id est: *sed optinerine iam possit.* Aptissimum est *iam.* Quærit enim, num his temporibus fieri possit, quod antea facile fuerit. Mirum est, in re nec ignota nec difficili etiam nunc peccari. Velut de N. D. lib. II, 18, 48, ubi optimus quisque codex habet: *ne hoc quidem physici intelligere potuistis* cet., editores, ne scilicet interrogationis index desideraretur, e pessimis arripuerunt: *an ne hoc quidem* cet. Et tamen nihil eos offendit in eadem orationis forma (apodosi interrogativa a *ne — quidem* incipienti) de N. D. I, 44, 122 aut de Fin. II, 24, 79 [aut Verr. II, 40, 98. IV, 35, 78. V, 63, 163. Phil. II, 45, 115]. De Divinat. I, 39, 84 post Hottingerum male sic interpungunt, ut hæc sit interrogatio: *Si ratio mecum facit, si eventa, — si*
164 *sapientissimi viri, qui — urbes condiderunt, an, dum bestiæ loquantur, exspectamus?* Ferri *an* nequit. Rectum est: *Quid est igitur, cur dubitandum sit, quin sint ea, quæ disputari, ve-*

rissima, si ratio mecum facit, si — condiderunt? An — exspectamus? Iam *an* annectitur superiori sententiæ, contrarium inferens. In loco corrupto Verr. IV, 12, 27 (qui locus in bonis codicibus excidit) Orellius nuper (in orationibus selectis) miro usus est artificio. Ipse enim disiunctionem nescio quam excogitavit, cuius prius membrum verbis significatum non est. Ceterum, quum alter dixisset: *Petivit a me, ut mitterem*, simpliciter interrogandus erat: *Misistine igitur?* non disiunctive. Apud scriptorem rhetoricorum ad Herennium lib. II, 15, 22 ex hac codicum prope omnium scriptura: *deinde spectandum est, aeque magnum sit illud peccatum* effici debebit *aequene*, non *an aeque*. In libro I de Invent. 53, 101 etiam in disiunctivæ interrogationis initio ponitur *an*: recte tamen improbatum est a Lambino. Apud Livium mendosus est in hoc genere locus XLIV, 25, 11: *nihil interesse, an Pellae pecunia esset*, ubi sententia manifesto disiunctionem flagitat: hoc enim dicitur, non satis esse, pecuniam Samothracæ poni; nihilo enim minus quam si Pellæ esset in Persei potestate fore. Recte igitur ad sensum Crevierius: *ibi an Pellae*. Contra XLV, 20 (*consulti ab Iunio consule patres, stantibus in comitio legatis, an locum, lautia senatumque darent*) particula, ut post dubitandi verba, ponitur cum levi ad affirmationem inclinatione, qui usus translatus ad deliberandi et consulendi verba et sensim longius progressus, obscurata paulatim illa significatione, novam effecit prox- 165
imæ ætatis consuetudinem. [quæ apud ipsum Livium aliquatenus apparet, ut XXXI, 48, 6, ubi Weissenbornius duos alios locos adscripsit.] Referebat enim Iunius rem consuetam, quam concessum iri putabat.

C. 16, 36: *Ac nostro quidem, quum res esset ad se delata, Scaurus consul, Utinam, inquit, M. Cicero, isto animo atque virtute in summa re publica nobiscum versari quam in municipali maluisses.* Ex *qui*, quod omnes codices addunt ante *quum*, Lambinus recte *avo* effecisse videtur; certe *noster* sic absolute non dicitur Ciceroniano more. Sed aliud me offendit, pronomen reflexivum pro demonstrativo sic positum, ut excusationem non habeat (vid. Opusc. priora p. 189), quod subiectum, ad quod referatur, in altera demum sententia sequitur; nec ipsum demonstrativum ferri eo loco posset. Itaque vereor, ne *se* ortum sit ex compendio aliquo vocis *senatum*.

C. 19, 44 in codicibus scriptum est: *quo quid iniustius* (quam leges ferri in privos homines), *quum legis hæc vis sit, scitum est iussum in omnes.* Quæ debeat esse sententia, constat; verba restituere editores varie conati sunt; nuper probata est Rathii coniectura: *ut sit scitum et iussum in omnes.* Ea tamen in eo reprehendenda mihi videtur, quod minus apta ad hunc locum est legis definitio, huiusmodi præsertim, quæ tantum hoc ipsum contineat, non ferri in privos homines; magis enim, quid esset legi propositum, qui eius effectus, dicendum erat, ut inde natura eius perspiceretur. Tum vereor, ut satis Ciceroniane dicatur *iussum in omnes.* Mihi ex codicum vestigiis hoc potius effici videtur: *ut unum sit ius in omnes.* [Eodem capite paulo post (§ 45) additamento depravata Ciceronis oratio est; editur enim: *L. Cotta dicebat, nihil omnino actum esse de nobis; præter enim quam quod comitia illa essent armis gesta*
166 *servilibus, præterea neque tributa capitis comitia rata esse posse neque ulla privilegii.* Sed comitia *geri* armis neque dixit quisquam neque dicere potuit. Cotta primum universam illam rem de Cicerone eiiciendo vi gestam dixerat (*præterquam quod illa essent armis gesta*), deinde comitia reprehenderat contra leges habita. Librarius aliquis, qui omnis huius loci disputationem de comitiis esse videbat, etiam ad pronomen *illa* eam vocem addendam putavit. Abest ea a cod. Oxon. ψ. Vocabulum *præterquam* num Cicero hoc uno loco diviserit interposito *enim*, valde dubium est; nam tres Gœrenzii codices, tres item Moseri (Vict. B) *enim* omittunt, quod non prorsus necessarium est. 1842.]

XVI (IV).

De locis aliquot Iuvenalis explicandis disputatio altera.[1]

Anniversarium hoc scribendi munus eiusmodi est, ut, 167
quum ex præsentis temporis occasione ducatur et cum futuri spe coniunctum sit, magnam tamen habeat vim ad præteritorum memoriam scriptori saltem renovandam. Sive enim ea, propter quæ ad scribendum vocatur, animo contemplatur, aut optimi regis non tam annos computare in mentem venit quam res singulis annis pro salute civium gestas recordari et nullam vitæ partem a rei publicæ cura vacuam, aut litterarum, studiorum, institutorum academicorum vicissitudines hominumque res mutabiles obversantur, sive ab hac imagine retro ad semet ipsum animum revocavit (quis est enim, cui non in maximarum rerum cogitatione suarum quoque rerum memoria subinde intercurrat?), continuum illud, in qui versatur, studiorum curriculum quasi quibusdam notis distinctum conspicatur, ut et progressiones et flexiones anfractusque facilius animadvertat. In quo spectaculo quam in varias partes animus trahatur, quum alia, si non absoluta, at aucta tamen et longius provecta, alia ac fortasse plura inchoata ac deinde intermissa

---

[1]) Edita a. 1837 mense Ianuario in indicendo cœtu academico ad natalicia regis Frederici VI agenda. Prior disputatio exstat in Opusculis prioribus a p. 29 ad 63.

168 aut prorsus relicta, nonnulla etiam non recte instituta et pæne a se damnata videat, non opus est dici. Nec in eorum studiorum memoria animus consistit, ad quæ proxime opusculorum argumenta pertinent; cetera quoque occurrunt, quæ, spe consiliisque agitata, maximam partem non ulterius progressa iacent. Atque hæc omnia eo magis fiunt, si ad idem argumentum simili occasione tractandum sive quis casus sive deliberata quædam ratio scribentem deduxit; quod mihi hoc tempore accidit. Septem enim ipsi sunt anni, quum primum hoc cœtus academicos indicendi munere tanquam meo ac proprio functus sum; extra ordinem iam antea exsecutus eram. Enarrabam tum Iuvenalis satiras quasdam selectas studioseque id agebam, ut et eos locos, qui minus recte a superioribus interpretibus tractati essent, perspicue explicarem et incertam quandam et instabilem interpretandi rationem ad severiores leges revocandam esse ostenderem. Itaque ex his ipsis scholis scribendi mihi materia nata est, commentationemque de locis aliquot Iuvenalis interpretandis edidi; quæ quum duos fere abhinc annos typis repeteretur inter opuscula mea academica et ad Iuvenalem animum paulisper convertisset, renovassetque memoriam eorum, quæ in eius satirarum vulgatis enarrationibus desiderarentur, et materiam mihi alterius disputationis collectam esse significavi et me eam fortasse aliquando conscripturum.[1]) Id promissum ut nunc potissimum exsolvam, eadem suadet, quæ primum de hac re scribendi initium dedit, scholarum mearum ratio, in quibus Iuvenalem quum maxime tracto. Nec tenuitas huius argumenti in dispersa, ut ita dicam, locorum decerptorum tractatione positi, quæ mihi ipsi nunc
169 fortasse maior videtur quam ante septem annos blandiente novitate visa est, etsi ne tunc quidem me fugiebat, ab hoc consilio me demovet, quum præsertim in toto hoc sollemnium academicorum genere, nisi quid singulare inciderit, splendorem rerum ad diem festum aptarum oratori reservare omnes consueverint, programmatum materiam ex uniuscuiusque studiorum recessibus petere. Itaque compressa nunc intra animum ea, quam dixi, temporis interiecti recordatione et consideratione, hæc, quæ nunc scribemus, sic iis, quæ ante septem annos

[1]) P. 63 not.

scripsimus, coniungemus et continuabimus, ut etiam eos, si qui, quid universe de superiorum interpretum opera in Iuvenalis satiris posita iudicemus et in quo novo enarratori maxime elaborandum putemus, cognoscere cupient, ad illa ablegemus statimque ad singula veniamus, non utique ordinem satirarum sequentes, sed ut quæque se obtulerint, expedientes et interdum ea, quæ in disputandi errorisque tollendi genere similitudinem aliquam habebunt, connectentes. Et primum, quoniam tum unum et alterum locum attigimus, cuius mala verborum interpunctione sensus obscuratus esset, alios quosdam locos simili ac nonnullos paulo notabiliore errore liberemus.

In satira undecima, quo loco Iuvenalis omnia antiquis temporibus, quum homines frugaliter viverent, luxuriæ et elegantiæ ignari, meliora fuisse ostendit, hæc ponit (v. 111 sqq.):

Templorum quoque maiestas præsentior, et vox
Nocte fere media mediamque audita per urbem,
Litore ab Oceani Gallis venientibus et dis
Officium vatis peragentibus, his monuit nos.
Hanc rebus Latiis curam præstare solebat
Fictilis et nullo violatus Iuppiter auro.

Non fugit editores, vocem *his* in v. 114 parum commodam 170
esse ac potius plane alienam. Quibus enim aliis rebus nisi suo ipsa sono vox illa, quam Aio Locutio tribuerunt, Romanos monuit? Et ubi eæ significatæ sunt, ut illo pronomine demonstrari possint? Itaque Marshallus *hos* scribi voluit, barbaro loquendi genere, Rupertius *hic*, quasi cavendum poetæ fuerit, ne vox missa *mediam per urbem* alibi Romanos monuisse crederetur.[1] Omnia perspicua erunt oratione sic distributa:

et vox
Nocte fere media mediamque audita (*est*) per urbem,
Litore ab Oceani Gallis venientibus et dis
Officium vatis peragentibus. His (*hac voce et huiusmodi signis*) monuit nos,
Hanc rebus Latiis curam præstare solebat
Fictilis et nullo violatus Iuppiter auro.

---

[1]) [Nihilo melius Heinrichius *hinc* legi vult; G. E. Weber *hic* mire interpretatur *dabei*, bei diesen einfachen Sitten. 1842.]

Ipsa anaphora pronominis veram distinctionem ostendit, quam obscuravit omissio verbi substantivi et versus inter duas sententias divisus. Hoc quidem non hoc uno loco poetæ nocuit. Nam in satira secunda, quo loco Iuvenalis dicit, veterum illorum Romanorum umbras apud inferos indignari, quoties fœda et maculosa talis hominis, quales nunc multi sint, umbra ad eos veniat, et deinde adiungit, fines quidem imperii prolatos, sed victos tamen et barbaros moribus castioribus esse quam Romanos, quorum urbs scelerum domicilium sit, hi leguntur versus (157 sqq.):

Cuperent lustrari, si qua darentur
Sulphura cum tædis et si foret humida laurus.
171 Illuc, heu, miseri traducimur. Arma quidem ultra
Litora Iuvernæ promovimus cet.

Nemo facile dixerit, quo pertineat interiecta illa de necessitate moriendi et ad inferos veniendi querela. Itaque Rupertius aliam excogitavit interpretationem, ut *illuc traducimur* esset: *eo turpitudinis venimus* (quasi hoc sit *traduci aliquo*), hoc autem *eo* ad ea, quæ sequuntur, referatur, nulla orationis structura.[1]) Quanto præstitisset Valesium sequi, a codicibus præsertim adiutum, qui sic verba distinxit et scripsit:

et si foret humida laurus
Illic. Heu! miseri traducimur. Arma cet.

ut *traducimur* sit: ludibrio sumus.

Gravius perturbatus est nec sola mala verborum distinctione, sed tamen hac quoque et quidem sæpius locus, qui in satira duodecima legitur inde a versu 17, ubi poeta describit, quæ pericula Catullus amicus in mari superaverit:

Nam præter pelagi casus et fulguris ictum
Evasi densæ cælum abscondere tenebræ
Nube una subitusque antennas impulit ignis,
Quum se quisque illo percussum crederet et mox
Attonitus nullum conferri posse putaret

---

[1]) [Heinrichius enarrat: *A pristina virtute ad hanc infamiam duci nos patimur.* Nec *illuc* est *huc* neque *traducimur* sic dici potuit. 1842.]

Naufragium velis ardentibus. Omnia fiunt
Talia, tam graviter, si quando poetica surgit
Tempestas. Genus ecce aliud discriminis: audi
Et miserere iterum, quanquam sint cetera sortis
Eiusdem: pars dira quidem, sed cognita multis
Et quam votiva testantur fana tabella
Plurima.

In his quam essent multa prava, iam ab aliis intellectum est, 32
duoque, quæ præcipua erant, ab E. G. Webero recte expedita. Quis enim primum non videt, perverse *præter fulmen* commemorari ignem alium et huic incendium tribui? deinde quæ ista est coniunctio et rerum consecutio: *Antennas impulit ignis, quum se quisque illo percussum crederet?* Ac prius illud incommodum Carolus Schmidtius, qui *Iuvenalis satirarum delectum* Bielefeldæ a. 1835 edidit[1]), sic evitare studet, ut versus 18 initio (*evasi*) versum 24 (*genus ecce aliud* cet.) continuet, cetera omnia parenthesi concludat. In quo, ut non dicam, mirifice parenthesin induci, ubi nullum minimum insistentis et convertentis se alio orationis vestigium sit, quale tandem illud est, quod post parenthesin, quæ ipsa duas periodos maxima interpunctione diiunctas contineat, ita continuatur oratio, quasi nihil interiectum fuerit: *Præter pelagi casus et fulminis ictum ecce aliud genus discriminis?* Tum participium *evasi* frustra excusat, quod recte Weberus barbarum et inauditum dixerat: neque enim solum ab usu loquendi respuitur, sed ab analogia, quoniam huiusmodi verba, qualia sunt *evado, excedo, invado, pervado*, quanquam cum accusativo coniunguntur, tamen passive apud bonos scriptores non dicuntur; apud Palladium *invasus*, apud Ammianum *pervasus* legas, apud Tertullianum *excessus*. Sed ut sit bonum vocabulum, ineptissime tamen dicitur *ictus fulminis evasi*, quum ictus evitatus significetur, quasi *ictum sagittæ vitatæ* pro *vitato ictu* dixeris. Verissime igitur iam Pithœus et nuper is, quem nominavi, Weberus ex uno Pithœi codice reponi voluerunt:

---

[1]) Hunc quum sæpius reprehensurus sim, æquum est non dissimulare, unum et alterum locum, de quo eram dicturus, ab eo occupatum esse; velut sat. V v. 141 sqq. breviter, sed recte enarravit.

173 Nam præter pelagi casus et fulminis ictum
Evasit.

Fefellit *et* pro *etiam* inter duos accusativos positum. Deinde recte Weberus et Schmidtius descriptionem ictus (*Densæ cælum abscondere tenebræ Nube una, subitusque antennas impulit ignis*) puncto diiungunt ab iis, quæ pertinent ad eius effectum demonstrandum, ut hæc nova sit sententia:

Quum se quisque illo percussum crederet et mox
Attonitus nullum conferri posse putaret
Naufragium velis ardentibus, omnia fiunt
Talia, tam graviter, si quando poetica surgit
Tempestas.

Sed facile omnes sentient. extrema hæc exitum non habere, quum et comparationis, verbis *talia* et *tam* significatæ, alterum membrum desit, et illud *si quando*, quo referatur, non habeat. Lepide hæc, quæ sensu carent, excusat Schmidtius. Nam et apud Ciceronem ad *tum* particulam ut hic ad *tam* referri *si quando* (*utinam tum essem natus, si quando Romani dona accipere cœpissent*, de Off. II, 21). Itaque ex eo, quod Latini particulæ demonstrativæ definitæ subiiciunt relativam non definitam, prorsus ut dicunt *is, si quis*, sequitur, dici etiam *tam-si* pro *tam-quam*! Deinde addit interpretationem Germanicam huiusmodi: *Und als sie nun in Todesfurcht schweben, da geschieht alles in gleicher Weise so fort, mit solcher Heftigkeit, wenn einmal ein Stürm sich bei den Poeten erhebt!* Sunt enim, qui putent, se, quum Latinis absurdis absurda Germanica adiecerint, illa præclare defendisse, quod genus criticæ etiam in Ciceronis scriptis nunc ipsum strenue a nonnullis exerceri video. Sententia orietur, si addideris *als* (*als wenn*). Sed hoc
174 quoque mendum pridem sublatum erat a Schurzfleischio, qui intellexit ante *quando* ob litterarum, in compendiis præsertim, summam similitudinem excidisse *quam*:

omnia fiunt
Talia, tam graviter, quam quando poetica surgit
Tempestas.

Atque hoc quoque Weberus recte probarat.[1]) Sed hærent in proximis:

audi
Et miserere iterum, quanquam sint cetera sortis
Eiusdem.

Sortis eiusdem Rupertius vult esse *non minus tristia*: atqui tum non contraria hæc sunt. ut *quanquam* poni debuerit. sed confirmant superiora. Schmidtii interpretationem omittere malo. Miror sane, non attendisse editores ad eam vocem. quæ sequitur, prorsus mire et nude posita. *pars.* Apparet enim. hæc sic continuari debere:

quanquam sint cetera sortis
Eiusdem pars dira quidem, sed cognita multis cet.

Poeta, tanquam nimis graviter *miserere iterum* dixerit. hæc. quæ additurus est. de bonorum iactura. dira illa quidem ait
esse. sed tamen partem et quasi appendicem eiusdem sortis, 177
naufragii et periculi maritimi, multis notam. Sed nescio quomodo hæc tempestatis descriptio non minus interpretes exercet. quam ipsa Catullum exercuit. Statim enim se non expediunt ex his verbis v. 30 sqq.:

Quum plenus fluctu medius foret alveus et iam.
Alternum puppis latus evertentibus undis
Arboris incertæ, nullam prudentia cani
Rectoris conferret opem, decidere iactu
Cœpit.

---

[1]) O. Iahnius (Zeitschrift für die Alterthumswissenschaft, a. 1837, 112 p. 850) comparationem eo modo inversam putat in hoc loco, quo ego olim (Opusc. pr. p. 56) in sat. III v. 194 inversam esse ostendi, ut demonstrative ponatur res ad comparandum adscita. Verum ipse animadvertit, obstare protasin, cui reddenda est apodosis, quæ. quid tum ipsum factum sit. declaret. Itaque anacolutho quodam primariam apodosis sententiam suppressam putat, ut sic fere expleri debeat: *tum — omitto ortam tempestatem describere; prorsus eam exprimunt poetarum gravissimæ descriptiones.* Sed huiusmodi ἀποσιώπησιν et conversionem orationis sententiæque nullo indicio significatam non puto ferri posse.

Nam *puppis* et *arboris incertæ* nullo modo coeunt, ne commemorem, *arborem incertam* pro navi instabili sine exemplo dici.[1]) Quanquam ipsius navis instabilitas satis exprimitur toto versu, ut vel propterea eo referri *arbor incerta* nequeat. Et distinctionem quidem veram Schmidtius repperit, incidens post *et* et post *undis*, in interpretando labitur; vult enim puppim, id est, navim per appositionem sic appellari; sed et ignavissima illa appositio est nec *arbor*, ut dixi, sic poni potest. Coniungenda hæc sunt in hunc modum: *Quum alveus medius fluctu plenus foret et arboris incertæ*, id est, mali instabilis et iamiam casuri, quod efficiebatur ex gravissima iactatione (*alternum puppis latus evertentibus undis*), *nullam* (id est, omissa in vehementi et celeriter decurrente oratione particula, *et nullam*) *prudentia cani rectoris conferret opem* cet. Arborem pro malo non solum Virgilius et Paulus Ictus dixerunt, quos Schellerus, et Lucanus ac Silius, quos Forcellinus laudat. sed Plinius quoque Epist.
176 IX, 26: *stridunt funes, curvatur arbor, gubernacula gemunt.* Ac malum hic intelligendum esse, Schurzfleischius vidit, nec aliter vetus scholiastes accepit.[2])

Sed de hoc genere satis dictum est; nam illud vix admonitione dignum, male in satira VII v. 36 sqq. sic distingui verba:

Accipe nunc artes, ne quid tibi conferat iste,
Quem colis, et Musarum et Apollinis æde relicta.

Nam in hac coniunctione *ne* pertinere debebat ad *accipe* (accipe artes eius eo consilio, ne); quod quum sententiæ repugnet, sic exponunt, supplementum a se, non a Iuvenale sumentes: „audi artes, quibus ille utitur, ne“ cet. Scribendum erat:

---

[1]) *Arbor*, quæ stans et erecta cogitatur, non potest sic pro materia et deinde pro navi dici, ut navis iactata arbor incerta appelletur; aliter Ovidius Heroid. XII, 8 *arborem Peliada* Argo dixit, originem navis significans (Pelischer Stamm); aliter etiam Virgilius de remis.

[2]) [Heinrichius *marmoris incerti* legi vult, coniectura et inutili et infelici. Omnino vix dici potest, quantum commentarii Heinrichiani infra famam et exspectationem reperti sint, quamque pravo acumine sæpe sana perverterit, aperta et perspicua inanibus suspicionibus et opinionibus obscuraverit. 1842.]

Accipe nunc artes. Ne quid tibi conferat iste,
Quem colis et Musarum et Apollinis æde relicta.
Ipse facit versus cet.

Placet his subnectere locum, in quo syntaxis forma interpretes fefellit. In satira prima versu 155 sqq. hæc leguntur:

Pone Tigellinum: tæda lucebis in illa,
Qua stantes ardent, qui fixo gutture fumant,
Et latum media sulcum diducis arena.

Sic enim Rupertius in secunda editione scripsit, *diducis*; Gesnerus et alii *deducis* scribi malunt, hominem unco per arenam tractum intelligentes; quos omnes redarguit non tam codicum auctoritas, tertiam huius verbi personam tuentium, quam grammatica ratio simplex et aperta; quam enim excusationem 177
habet, quem, ut cum rhetoribus loquar, colorem recipit præsens illud cum futuro coniunctum, hoc quidem sententiarum nexu, ubi, posito imperativo, quid actionem aut conatum secuturum sit, ostenditur? Nec eos nunc refellendos puto, qui, hoc animadverso incommodo, obliti, quid esset *ponere aliquem* et quid postularet secunda verbi, quod est *pone*, persona, eversa denique omni loci sententia, *lucebis* mutatum ierunt in *lucebit*, ut *diducet* altero loco scribi posset, quoniam *diduces* metrum excludit. Defendendum igitur erit *deducit*, quod codices habent, et defendendum accommodate ad rem. Consentiunt enim, significari crudelissimum illud supplicii genus, quo Nero in Christianis, alii in aliis usi sunt, ut miseri, stipite per guttur adacto, tunicam induti ignis alimentis illitam, ad palum deligati et defossi destituerentur, igne circumdato. (Vid., quos interpretes hic appellant et ad VIII, 235.) Defensio autem inventa erit, invento subiecto verbi, quod est *deducit*. Id repetendum est ex *qua* ea ratione, qua frequenter et apud Græcos et apud Latinos relativum semel positum ad alterum orationis membrum alio casu auditur, nec raro ea, qua hic, forma, ut nominativus ex casu obliquo eruatur. Sic hoc dicitur: *et quæ sulcum deducit media arena*. Hunc sulcum ducebat tæda illa, quum plures homines continua serie defossi ardebant. De orationis paulo negligentioris forma, quod ad Græcos attinet, satis erit ac potius plus quam satis Matthiæum citasse testem

in gramm. Græc. § 428 p. 958 ed. 3; de Latinis exempla aliquot addenda sunt paucis iis, quæ Ruddimannus tom. II p. 27 Lips. posuit. Sic igitur Cicero in Tuscul. I § 72: *quibusque fuisset minima cum corporibus contagio seseque ab iis semper sevocassent*; de Orat. II § 43: *quod et a Crasso tactum est et ille ipse Aristoteles adiunxit*; in Vatin. § 24: *M. Bibulum, cuius inclusione contentus non eras, interficere volueras, spoliaras consulatu, patria privare cupiebas*; eodemque modo Quintilianus X, 3, 11: *Sunt autem, quibus nihil sit satis, omnia aliter dicere, quam occurrit, velint*, ubi coniunctivus ostendit, hæc extrema non per se poni, sed relativo adhærere.[1]) [Hirt. Bell. Alex. 56: *quibus pecunias imperasset neque contulissent*; Bell. Afr. 64, 97. Cautionem de casibus pronominis addidi ad Cic. de Fin. lib. V § 26 p. 649 sqq. 1842.] Atque hæc omissio quum interdum durior videatur et tamen priore loco relativum quasi commune duorum membrorum positum sit (velut significata aliqua divisione hoc modo: *qui nec — nec, et — et*), ut novum relativum non commode in orationem includi possit (quoniam inconcinne diceretur: *ii, qui nec extra urbem vixerant nec quos peregrinitas infecerat*), novum oritur σχῆμα λέξεως, substituto demonstrativo pro altero relativo, de quo genere post Wopkensium (Lectt. Tull. p. 105) et Heindorfium (ad Cic. de N. D. p. 246) dictum est ab Ellendtio ad Ciceronis Brut. c. 74, 258 et Kritzio ad Sall. Iugurth. 101, 5, qui prius illud genus non satis distinguunt. Itaque apud Cic. in Verr. IV § 9: *Mancipium, quo et omnes utimur et non præbetur a populo*, subiectum verbi *præbetur* inest illud quidem in *quo*, sed tamen, si quis explicatius et plenius facere volet, non dicendum erit *et quod*, quoniam hoc non coibit cum superiore *quo et*, sed: *nec id præbetur a populo*.[2]) [Demonstrativo ipsum substantivum addidit Cic. Phil. I, 24: *eisque legibus*.]

---

1) [Ipse Iuvenalis XV, 169 sqq.: *quorum non sufficit iræ occidisse aliquem, sed . . . crediderunt.*]

2) [Inconcinnitatem illam, quam in Verrinarum loco significavi oriri, si scribatur: *et quod non præbetur*, non semper Ciceronem evitasse, Siesbyeus admonet his prolatis exemplis: p. Cæl. 26, Finn. IV, 61, Verr. IV, 9, 21. Cfr. quæ annotavi ad Finn. II, 15 p. 161 ed. 3.] [In Iu-

Deinceps locos aliquot attingam, in quibus a vera verborum significatione et sententiarum consecutione aberratum 179 est. Quorum primus sit, qui in septima satira legitur inde a versu 106, ubi poeta oratorum præmia non minus exigua esse dicit, quam quæ ceteri consequantur, qui artibus et litteris operam dent:

Dic igitur, quid causidicis civilia præstent
Officia et magno comites in fasce libelli.
Ipsi magna sonant, sed tunc, quum creditor audit,
Præcipue, vel si tetigit latus acrior illo,
Qui venit ad dubium magno cum codice nomen.
Tunc immensa cavi spirant mendacia folles
Conspuiturque sinus. Veram deprendere messem
Si libet, hinc centum patrimonia causidicorum,
Parte alia solum russati pone Lacernæ.

In hoc loco quod initium erat rectæ interpretationis, Heineckius vidit. Quum enim vulgo verba *Ipsi magna sonant* cet. de causidicis in foro dicentibus intelligerent, ad quam interpretationem Schmidtius, Heineckio reprehenso, rediit et eam varietate aliqua exornavit, Heineckius vidit, quod et ex verbis ipsis intelligitur (*magna sonant*) et ex versus 112 initio (*Conspuiturque sinus*, quæ verba vetus scholiastes recte interpretatus est) et ex commemoratione creditoris et alterius illius, qui acrius latus tangit, postremo autem perspicue ex his contrarie relatis: *Ipsi magna sonant* et *Veram deprendere messem si libet* cet., Iuvenalem primum causidicorum suas mercedes verbis exaggerantium mendacia et vanitatem ridere. In singulis partibus nonnihil lapsus est. Hæc est igitur, ut, omissa refutatione, veriora exponamus, sententiarum progressio: Ipsi quidem omnia magna loquuntur, magnas sibi mercedes solvi solere dicunt (*magna sonant*); sed quando hoc dicunt? tum præcipue, quum ii audiunt, quos causidicorum interest bene de illorum reditibus sentire et magnas illis mercedes venire 180

venalis loco Heinrichius *diducis* tuetur, præsens cum futuro recte coniungi affirmans; sed ipsum per se præsens omnino excluditur. Deinde, ut duo supplicii genera efficiat, pro *et* scribit *aut*. 1842.]

putare.[1]) Quinam hi sunt? Primum creditor causidici ipsius: nam ut hic fidem suam tueatur et spem creditori faciat facilis solutionis, reditus suos exaggerat; deinde id fit, quum acrior etiam creditore latus tetigit et magis hominem excitavit litigator et litigator dives et dubiam causam afferens, dubium nomen petens; nam ab hoc eo maior merces exprimetur, quo plus vulgo causidicum accipere solere crediderit.[2]) Tum igitur mendacia spirant folles: tum adeo præclare sua negotia geri causidici prædicant, ut invidiæ ex nimia fortuna detestandæ et fascini avertendi causa vetere superstitione in sinum despuant. Nam hoc est *conspuiturque sinus*, quod mire de vehementia et celeritate loquendi intelligunt, quasi vulgo causidici Romani hoc laborarint vitio in mediis verbis sputum et spumam emittendi.[3]) Hæc igitur ipsi causidici; vera eorum messis adeo ab hac verborum iactantia distat, ut unus de circo auriga plus possideat quam centum causidici.

181 In satira octava quo loco poeta nobilium fœditatem, operam suam scenæ et amphitheatro locantium, exagitat, magnæ sunt interpretum turbæ, etiam recentissimorum, in his versibus, qui ponuntur, postquam scenam et mimos a nobilibus et patriciis actos commemoravit (192 sqq.):

Quanti sua funera vendant,
Quid refert? Vendunt nullo cogente Nerone,
Nec dubitant celsi prætoris vendere ludis.

---

[1]) Mirifice Schmidtius coniungit: *quum præcipue*, commate deleto, ut ordo sit *præcipue quum*, et de illo positu etiam disputat. Quid perspicuum est, si hoc non est: *præcipue tum sonant, quum*? *Præcipue* pertinet ad *tum*, prorsusque hoc, quod temporale est, discernendum est a *præsertim quum*, quod semper causam specialem adiungit et coniunctivum habet; non expedit se Schmidius ad Hor. Epist. II, 1, 262.

[2]) *Latus tangere*, quod in elegia de obitu Mæcenatis v. 30 de eo, qui ferro vulnerat, ponitur, ubi ex contexta oratione id patet, per se non minus generaliter dicitur quam *latus fodicare*. Hoc loco intelligitur causidicus quasi stimulo quodam excitatus ad mentiendum. Dives litigator intelligitur ex magni codicis commemoratione, multa nomina continentis.

[3]) De superstitionis genere satis erit inspexisse Plin. Hist. N. XXVIII, 7, Interpp. ad Theocr. Idyll. VI, 39, Iacobs. Animadv. in Antholog. Tom. II p. 2 p. 346, ne alios excitem.

Finge tamen gladios inde atque hinc pulpita poni;[1])
Quid satius? Mortem sic quisquam exhorruit, ut sit
Zelotypus Thymeles, stupidi collega Corinthi?
Res haud mira tamen citharœdo principe mimus
Nobilis. Hæc ultra quid erit nisi ludus? Et illic
Dedecus urbis habes cet.

Prima verba accipiunt de nobilibus se ad gladiatoriam pugnam auctorantibus. Itaque merito, qui paulo attentiore animo hæc legunt, mirantur, unde hæc subito interiiciatur interrogatio, quum de gladiatoribus omnino nihil poeta dixerit, sed de scena tantum. Et redit ad scenam versu 196 (nam qui in illo versu de gladiatoribus quoque cogitaverunt, quantopere errent, et patet et mox exponetur), ac postea demum quærit, quid post hæc restet et supersit turpitudinis, nisi ut gladiatores etiam fiant; nam hanc esse versus 199 sententiam, paulo post defendam, si defensione opus est.[2]) Itaque tanta hæc perturbatio videtur esse, ut maior nulla esse possit; quam qui poetæ 182
ipsi imputat, Schmidtius, versum 199, ex quo apparet poetæ sententiarum ordo et progressio, corrumpere coactus est. Verum salva res est. Nam *funera vendere* ad gladiatoriam pugnam ne propter ipsam quidem locutionis vim pertinere potest; nam nec omnibus gladiatoribus certa mors erat, nec, qui morti se spondent, *mortem* vendunt, sed *vitam*. Apparet igitur,

[1]) Recte sic Rupertius pro *pone*, quod nullo modo (rem ipsam et veram significans) respondet alteri *finge*. Immo iubet poeta fingi, ab altera parte gladios ostendi, ab altera pulpita.

[2]) Rupertius in eo quoque hærebat, quod in gladiatorio munere commemoraretur prætor, quum Claudius prætores gladiatores dare vetuisset; itaque quum de gladiatoribus non dubitaret, versum 194, in quo prætoris mentio fieret, damnabat. Hoc de prætoribus Weberus verum esse negat, nec tamen valde perite disputat. Nam Dio LX, 5 sane sine exceptione dicit τοὺς ἀγῶνας τοὺς ὁπλομάχους prætores facere vetitos; quod autem Fabricius de ceteris ludis adscripsit, oblitus erat vir egregius, in iis ludis, quos, olim liberæ rei publicæ tempore ab ædilibus factos, postea prætores edere consueverant, nullos fuisse gladiatores, scenicos et circenses omnes fuisse. Weberus quidem ludorum genera prorsus non distinguit, qui argumentum ducat ex Sat. XI, 193 sqq., ubi Megalenses, qui circenses erant, nominantur, de gladiatoribus nihil dicitur.

figurate illud a Iuvenale dictum esse. Nam Fabios, Mamercos Æmilios, ceteros patricios et nobilissimos homines, quum scenæ operam locent, non se vendere dicit, qui iam nulli sint, exstincta hoc scelere nobilitate illa, sublato genere, nomine pæne deleto, ut potius funus suum et reliquias mortuas tanti generis vendere videantur.[1]) Hoc expedito cetera facile decurrunt. Operam illi scenæ locabant pretio et gratia fortasse adducti; negat poeta hoc referre, si modo non coacti faciant; verum non cogi nec imperatori crudeli, sed prætori hoc præstare.[2])
183 Deinde sic pergit et urget: „Finge tamen, a sævo tyranno ab altera parte mortis supplicium (*gladios*), ab altera scenam poni, ut inter hæc detur optio; utrum melius erit? Estne quisquam, qui dubitet? adeo mortis timidus, ut eius vitandæ causa se in scena, ridicula suscepta persona, traducat?“ Patet, ut dixi, nihil alienius esse a mente poetæ et verbis quam eorum sententiam, qui optionem honestæ mortis aut fœdi obsequii in optionem gladiatoriæ aut scenicæ operæ sic mutant, ut etiam Iuvenalis homines hortetur ad arenam ingrediendam. *Quid* Iuvenalis pro *utrum* dixit, non plane sine exemplo, etsi ex iis, quæ afferunt Ruddimannus II p. 86 et Ramshornius p. 565 ed. 2, alia corrupta sunt, ut Cæs. B. G. V, 44, ubi optimi

---

[1]) [Mire Heinrichius *funera sua*, nullo addito verbo, *vitam* interpretatur. G. E. Weber etsi recte intellexit, operam scenæ locatam etiam hic significari, tamen verba ipsa *sua funera* contortissime enarrat. 1842.]

[2]) *Celsum prætorem* plerique P. Iuventium Celsum iurisconsultum intelligunt, quem, nescio unde (nam ego nullam prorsus auctoritatem reperio eius rei nec in Plinii epist. VI, 5 ullam video temporis notam), a. 855 (102 p. Ch.) præturam gessisse statuunt, eundemque sat. VI, 245 nominatum putant, scholiastam sequentes; nam poetæ verba (*principium* et *loci*) multo magis oratorem quam iurisperitum significant. Equidem, quum non solum nihil de huius Celsi ludis et nobilibus tum in scenam productis traditum sit, sed perverse prorsus in ista interpretatione communis temporum macula in unum annum coniiciatur, recte Rupertium sensisse credo, *celsum* adiectivum esse. Aptissime amplitudo prætoris in sella curuli sedentis significatur, ut eo acerbius fœditas nobilium hominum huic se inter vilem histrionum gregem offerentium notetur. [Sic etiam Heinrichius. Contra G. E. Weber ex Celsi præturæ anno, quem nullo testimonio confirmat, concludit, hanc satiram non scriptam esse ante a. 101 post Ch., quod sane meliore argumento pridem constabat e versu 120. 1842.]

codices habent *uter alteri*[1]), alia perversa interpretatione huc
tracta, ut Cic. pro Rosc. Comœd. § 21, ubi *quis quem* universe
dicitur (*qualis qualem*), [quæ ratio etiam obtinet p. Rosc. Am.
78 et 152,] aut incredibili errore, ut Liv. XXVII, 40, quem
locum satis erit inspexisse; et tamen Ramshornius, ne videretur hunc locum non inspectum transcripsisse a Ruddimanno,
ipse addidit Cæs. B. C. I, 66, eadem interrogativi et relativi con- 184
fusione. Restat [Liv. III, 39, 9, V, 53, 7, VII, 9, 7, X, 12, 5,
XXI, 39, 6, XXXII, 14, 5.] Virgilii (Æn. XII, 719 et 727), Persii
(2, 20), Phædri (IV. 24, 2) auctoritas ex meliore ætate, quibus
præter Iuvenalem addendus est Tacitus Ann. I, 47: *quos igitur
anteferret* (Germaniæ an Pannoniæ milites)?[2]) Sed redimus ad
Iuvenalis sententiam explicandam; qui negat, mirum esse
mimum nobilem, quum princeps citharœdus sit. „Quid ultra
hæc restare, nisi ludum lanistæ et arenam? Nec id deesse;
Gracchum pugnasse, ac ne ea quidem armatura, qua facies
absconderetur.“ Quid apertius? quid magis coagmentatum, ut
dissolvi non queat? Et tamen hoc ex recentioribus soli intellexerunt, scholiastam secuti, Galli Achaintrius et Dusaultius.
Nam Rupertius aliique sic enarrant: „Post hæc quid videbimus
in urbe præter ludos?“, quasi hoc sit *ultra* illa, quæ dixit, ac
non illa ipsa, aut sic quicquam sit, quo referatur id, quod sequitur: *Et illic* (sic codd. et editores recentissimi pro *illud*)
dedecus cet.[3]) At occurrit Rupertius et, si illud poeta voluisset, quod nos dicimus, saltem *munus* dicturum fuisse, non
ludum, docet; nam *ludum* semper ad scenam spectare, *munus*
ad gladiatores. Errat non leviter; nam *ludi* sunt *scenici*,
plurali numero, nunquam *ludus*, ut vel hoc argumento ipsius

---

[1]) [Immo meliores tuentur *quinam*, ut alterum corrigendo natum suspicari cogamur.]

[2]) [Addit Siesbyeus Ovid. ex Ponto I, 3, 72, Cestium Pium apud M. Senecam (p. 195 Kiessl.), Sen. ep. 48, 4, Lucan. I, 126. Cicero ad Att. XVI, 14, 1 (*ut, quem velis, nescias*), quoniam etiam *velis*, non *malis* posuit, universe loqui videtur et significare, neminem omnino esse, quem quis velit, nec alia ratio est in Verr. II, 155. Ad totam rem expediendam illud quoque utiliter a Siesbyeo annotatur, non raro scriptores a generali et incerta interrogatione transire ad certam duorum in interrogando diiunctionem, velut Terentium Andr. I, 3, 4, Cic. Verr. IV, 24, de Orat. I, 220, ab.]

[3]) [Eodem modo Heinrichius. 1842.]

evertatur interpretatio; contra *ludus* erat *gladiatorius*, in quo lanista magistro artem discebant; vid. Cic. Catil. II, 5, Cæsar
185 B. C. I, 14, Sueton. Cæs. 31; nec aliter Horatium vocabulum posuisse Epist. I, 1, 3, ipsum *includendi*, quo utitur, verbum ostendit; nam de arena, quo fere trahunt, nunquam, mihi crede, dicitur. Iam mihi videat aliquis, quomodo hæc Schmidtius corruperit. Primum illa: *citharœdo principe, mimus nobilis*, negat probari posse, nisi satira Nerone imperante scripta sit; esse autem scriptam, ut omnes sciant, Traiano. Mire profecto. Quid est enim magis perspicuum, quam sæpe Iuvenalem sic in vitia invehi, ut ea, quibus ipse recitaverit, tempora ab superioribus, ex quibus vitiorum exempla sumat, non diligenter distinguat, ac sæpe se in hæc transferat scribendi figura, quoniam universa fœditas, in uno exemplo eminens, ad omnem illam ætatem pertineat? Ista quidem ratione perfacile Schmidtio ipsi persuadebo, valde scilicet admiraturo, hanc satiram vere Neronis ætate scriptam esse. Quid enim? Nonne v. 170 poeta dicit: *Præstare Neronem Securum valet hæc ætas*? Eodem imperante etiam prima scripta erit ob v. 155. Sed iocari desinamus. Propter hanc igitur inexplicabilem difficultatem et quod ne is quidem, quid *ludus* esset, tenebat, totum locum, a Rigaltio nescio unde et a Pithœo ex eius codice omnium longe optimo, confirmante scholiasta[1]), constitutum, vulgares codices secutus sic edidit:

Res haud mira tamen; citharœdo principe natus
Nobilis hæc ultra quid erit nisi ludus?

hac, ut vult, sententia: Quid mirum illud esse? [quæras fortasse, quid? nam nihil præcessit, quo illud referatur; 1842.] nonne eos, qui Nerone citharœdo principe nati sint, eo perversitatis progredi debere, ut gladiatores fiant? Addit, nobiles,
186 qui, quum hæc satira scriberetur, ista scelera per ætatem committere possent, re vera Neronis tempore natos esse debuisse. In qua sententia novitatem saltem amabimus; nam didiceramus, regis ad exemplum totum componi agmen, idque lepide Iuvenalis significasse videbatur; nunc autem, quali

---

[1]) „Non est turpe, nobilem mimum agere, quum ipse imperator citharœdus sit et in scena cantaverit."

quisque principe, tanquam astro aliquo, natus sit, talem fieri ac peiorem etiam, audimus. Deinde autem scire cupiemus, qui hæc e verbis efficiantur et quid sit hoc: *nobilis quid erit nisi ludus?* Videlicet „*ludus* hic dicitur pro *ludio* sive *ludione*, quo nomine sæpe venit gladiator. Ut hic *ludus* pro *ludio*, ita *regna* pro *regibus* (?), ita *cœna* pro *cœnantibus* 2, 120, *convivia* pro *conviris* 5, 82, et *pugna* pro *pugnantibus* supra v. 132 et alia multa.“ O magnam confusionem! Quid est enim aliud, ex eo, quod *convivium* de omni numero convivarum dicatur, efficere, dici etiam: *ego fio convivium*, ut sit *conviva*, et *regnum*, ut sit *rex*? Verum cur hæc ego tam multis commemoro? Nisi quod ægre fero eos ipsos, qui grammaticam subtilitatem Iuvenali interpretando adhibere et superiorum rationem emendare conantur, ad eandem licentiam revolvi et, collectis undique observationibus, ipsam naturam sermonis negligere. Idem, quem hic notavi in nomine *ludi* gladiatorii, error ad alium quoque Iuvenalis locum manavit, sat. XI v. 20, ubi homines nequam et luxuriosos, postquam bona comederint, ab illa cenarum magnificentia ad vilem gladiatorum artem et alimenta redigi dicit: *sic veniunt ad miscellanea ludi*. Nam Salmasius (ad Treb. Pollionis Claud. c. 5. tom. II p. 362) *ludi* pro *ludii*, nominativo casu, esse putat, grammaticam non curans, ut *ludii* sint gladiatores. Rupertius *ludi* item pro *ludii* accipit, sed genitivo casu; verum parum apte diceretur: *veniunt* (plur. numero) ad miscellanea *gladiatoris*; *lanistæ* recte diceretur. Tum, quo uterque nititur quodque Schmidtius etiam in satira octava cer- 187
tissimum putat, in eo falluntur; neque enim gladiator *ludii* appellatione proprie significari poterat, quam plerique histrionibus tribuunt, Iuvenalis semel pro communi generis nomine sic posuit, ut Hippiam, gladiatoris amore captam, ludiam diceret. Glossarum auctoritas, usui loquendi repugnans, nulla est. Alio modo labuntur, qui *ludos* miscellos intelligunt, spreta scholiastæ explicatione vocis, quæ est *miscellanea*.[1])

Subiungam locum, cuius quum universa sententia dubia esse nequeat, tamen ipsa verba interpretes non expediunt, errore locutionis non infrequentis, sed parum perspectæ et alibi quoque apud Iuvenalem non intellectæ labentes. Nam in satira

---

[1]) [De hoc loco satiræ XI Heinrichius recte iudicavit. 1842.]

XIII, ubi aliquis se pecuniæ et lucri causa quidvis facturum et passurum dicit, edunt (v. 95 et 96):

> Et phthisis et vomicæ putres et dimidium crus
> Sunt tanti?

Enarrat Rupertius: „Sunt tanti æstimanda, ut non eligantur cum opibus et patienter ferantur?“ Mirum vero *tanti æstimanda* de phthisi et vomicis. Delenda est interrogationis nota, ut hæc sit sententia: „Et phthisin et cetera ea condicione (ut lucrum faciam) subire operæ pretium est.“ Verum hoc ut a multis intelligatur, paulo plura dicenda sunt. Video enim plerosque in hoc loquendi genere, ambiguo sane et ancipiti, coniectura magis singulorum locorum sententiam utcunque assequi, quam certa ratione naturam eius et usum tenere, prorsusque confundere significationes non solum diversas, sed contrarias, quas qui unus, quem sciam, paulo dilucidius explicavit, Spaldingius (ad Quintilianum I, 6, 38 in notis criticis), non satis auditus
188 est a ceteris nec ipse satis significationum flexus transitusque et omnes recessus congestis exemplis persecutus est.[1]) Id ego eo studiosius facere conabor, quod minus, quam par erat, in hoc genere a philologis elaborari puto, ut mobilitas veteris sermonis et inclinationis atque inde ortæ discrepantiæ et repugnantiæ cognoscantur. Quin sunt, qui actum putent de his studiis, si percrebruerit, eadem veteribus linguis accidere atque nostris, id est, vere eas aliquando in vita et ore hominum versatas esse. Primum igitur quum *tanti esse* aut *non esse* aliquid dicimus, sequente *ut*, simpliciter significamus, tantum rei pretium esse aut non esse, ut hoc vel hoc momentum habeat,

---

[1]) Quemadmodum vulgo hæc dicendi formula tractetur, perspici potest e Schelleri lexico col. 11155, qui, positis duabus significationibus contrariis, neutrius ratione explicata, utramque æque bene in omnibus fere locis adhiberi posse putat. Forcellinus alteram significationem prorsus omisit, ut plus dimidia pars locorum eius interpretationi repugnet. Idem accidit Beneckio in nota ad Cic. Catil. I, 9, 22, qui tamen recte ridiculam aliorum interpretationem e gestu oratoris repetitam refutavit. [Ut Forcellinus, ita Freundius solam primam et simplicissimam significationem ponit; cetera omnia omittit, nisi quod inter exempla adscribit Ciceronis locum ex secundæ orationis Catilinariæ cap. 7 et Ovidii ex secundo libro Metamorphoseon, utrumque interpretationi propositæ repugnantem. 1842.]

hoc et hoc propter eam fieri debeat. Exempla, si opus est, sumi possunt ex Ciceronis his locis: III de Off. 20. 82 (*Est ergo ulla res tanti aut commodum ullum tam expetendum, ut viri boni splendorem et nomen amittas?*). pro Rosc. Comœd. § 22, pro Cæc. § 18, pro Milone § 63, ad Atticum XI. 16 (*Non adducor, quemquam bonum ullam salutem putare mihi tanti fuisse, ut eam peterem ab illo*), ibd. XII. 3 et 5 extr.; addique dialogi de oratoribus c. 40 extr. et quæ. hoc unum genus
persequens, e Propertio affert Burmannus ad III, 18, 4 p. 669. 189
Unum illud animadversione dignum, quod in sententia subiecta nudum rei suscipiendæ subeundæve nomen ponitur, non. quod nostri sermonis consuetudo postulat, id verbum formave verbi, qua officium voluntasve significetur, velut apertissime in Cic. epist. ad Att. XI, 16; neque enim Cicero putat optimates negare, se salutem petisse, sed, ne sibi petendam fuisse negent, veretur. [Ov. Met. X. 619: *Tanti putat connubia nostra, Ut pereat, si*, hoc est: ut perire velit.] Itaque ad hunc modum dixit Claudianus in Rufin. II v. 249: *Non est victoria tanti, ut videar vicisse mihi*, id est. ut hanc speciem sustinere velim, quasi mihi vicerim. Non cepit hunc locum Gesnerus. Hac perspecta brevitate, facile intelligetur, huc pertinere Iuvenalis locum parum recte ab interpretibus tractatum in satira X, versu 97 et 98: *Sed quæ præclara et prospera tanti, Ut rebus lætis par sit mensura malorum?* Hoc enim dicit: tantum habent pretium, ut propter ea parem quis esse velit mensuram malorum? sive: ut parem aliquis simul malorum summam suscipere velit? Negat poeta optandam esse eam felicitatem, quam sequatur periculum et calamitas, eamque sententiam multis exsequitur. Deinde, manente eadem huius locutionis significatione, subiecti locum tenet infinitivus; itaque hoc dicitur, tanti esse æstimandam æstimarive hanc actionem, ut, dummodo illa fiat, aliquid faciendum subeundumve sit, aut non esse tanti æstimandam æstimarive. Idque, ut superius, aut absolute dicitur aut, addito dativo, de certa persona. Huius generis hæc sunt exempla: Cæl. in Cic. Epp. ad Famil. VIII, 14: *Tanti non fuit Arsacem capere, ut earum rerum, quæ hic gestæ sunt, spectaculo careres*[1]); Ovid. Amor. I, 10, 49 et 50:

---

[1]) [Senec. Suasor. 7, 5: *non est tanti servari Ciceronem, ut servatum Antonio debeam.*]

Non fuit armillas tanti pepigisse Sabinas, Ut premerent sacræ
190 *virginis arma caput* (cfr. ibd. II, 5, 1 et 2: *Nullus amor tanti est —, ut mihi sint toties maxima vota mori*); Lucan. Pharsal. III, 51: *Nec vincere tanti, Ut bellum differret, erat* (viro).[1]) Hinc porro, omisso *ut* et certæ rei significatione, quæ fieri propter aliquid debeat debueritve, ponitur nude *tanti est*, ut significetur, agendi aliquid causam esse, sive de certa re, quæ actionis merces sit quæque substantivo aut infinitivo expressa subiecti locum teneat, velut apud Cic. p. Cæl. 15, 36: *Non putat tua dona esse tanti*, et apud Senec. de Clem. I, 9, 5: *Non est tanti vita, si* cet., Quæst. Nat. VI, 3, 4: *Quum timendi sit causa, non est tanti scire, ne timeas?*[2]), sive ea quoque significatione omissa, ut tantummodo universe intelligatur, de quo loquamur, facere operæ pretium esse, tanti esse id, de quo cogitetur, ut agendum sit, velut apud Ciceronem in Verr. IV, 12, 28: *Fuit tanti, mihi crede: haberes, quod defenderes.* Operæ pretium ait Cicero futurum fuisse in tabulas rem referre et utilitatem id ad defensionem habiturum fuisse. [Eodem modo Plin. Min. ep. VIII, 2, 8; negative dixit Sen. Quæst. Nat. V, 18, 7: *Non erat tanti, si ad pacem per ista veheremur: nunc quum evaserimus tot scopulos, . . . quis erit huius laboris fructus?*] Apparet hic iam transitus in aliam significationem et pæne iam factus est, nisi quod obscurum est verbi subiectum. Nam quum dici proprie deberet, *effectum actionis* tanti esse, ut *actio* propter eum suscipienda esset, dicitur fere *actio ipsa* esse tanti; nam in illa brevitate facilius id subiectum suppletur. (*Fuit tanti id facere*, non: *defensionem habere, ut propterea facere debueris.*) Contra manet magis in prima significatione, quod simili brevitate dicitur: *Nihil est tanti*, hoc est, nihil habet tantum pretium, ut curandum et aliquid agendum sit, non curo, nihil ita mea refert, ut agere aliquid velim. Minus recte Tursellinus vult esse: „non expedit"; paulo melius: „non tanti faciendum est". Ter hoc Cicero in familiari sermone

---

[1]) Huius usus inflexio quædam est apud Virgilium in Æn. III, 453, de rei incommodæ vi et momento ad retardandum: *Hic tibi ne qua moræ fuerint dispendia tanti, Quin adeas vatem.*

[2]) [In Senec. Phœniss. v. 2 *tanti est* apud infinitivum præteriti tempus prorsus significat: *non pœnitet.*]

posuit, ad Atticum II, 13: *Iuratus tibi possum dicere, nihil esse tanti*; V, 8 extr.: *Nihil nobis fuerat tanti*[1]); XIII, 42: *Nunc nihil mihi tanti est. Faciam, quod volunt.* (Verba sunt Quinti Ciceronis adolescentis, qui antehac se matris et avunculi sen- 191
tentiæ adversatum dixit.) Eodem significatu ad Attic. XV, 26, 3, dixit: *Nec mihi quicquam esse tanti.* [Hor. A. P. 303.] Sed deinde prorsus perficitur ille, quem dixi, transitus. Nam quum eo redacta esset quotidiano usu hæc locutio, ut nihil in ea audienda sentiretur, nisi universe, agendi causam esse, nec satis animo occurreret, quemadmodum ea significatio inesset, inversa omnino ratione, subiecti loco poni cœpta est, non, ut antea, res pretium habens, propter quam fieri aliquid deberet (merx emenda), sed res ea, quam quis alius rei consequendæ causa suscipere fierive pati vellet deberetve (pretium solvendum), sive substantivo sive infinitivo sive accusativo cum infinitivo comprehensa sive in sententiarum cohærentia sic latens, ut facile erueretur; per *ut* particulam aut *dum modo* aut *dum* annectebatur rei consequendæ significatio, quæ tamen non raro omittebatur. Iam igitur *tanti est* quum dicitur, hanc habet vim, ferendum aliquid esse rei alicuius causa, subeundum, negligendum; paratum aliquem esse ad aliquid, facile pati, non nolle, interdum, omni evanescente rei molestæ significatione, operæ pretium esse. Exemplorum copia rem certam et perspicuam reddet. Sic igitur Cicero in Catil. II, 7, 15: *Est mihi tanti, Quirites, huius invidiæ tempestatem subire, dummodo a vobis huius belli periculum depellatur*[2]); idem ibd. I, 9, 22: *Sed est mihi tanti* (non *exilium tuum*, sed, quod præcessit, *invidiam istam suscipere*), *dummodo ista privata sit calamitas et* 192
a rei publicæ periculis seiungatur; id. ad Attic. V, 20, 6: *Quid quæris? Fuit tanti* (provinciæ molestiam subire); idem in Verr. IV, 20, 43: *Est tanti* (te isto crimine liberari), *dum ego tabulas adspicere possim*; Seneca de Benefic. VI, 35: *Qui optat amico*

---

[1]) Male Grævius et Orellius *fuerit.* Hoc Cicero dicit: Tum, quum res acta est, totum negotium non curaveram nec animadverteram.

[2]) „Die Formel *est tanti* wird immer gebraucht, wenn angezeigt werden soll, dass etwas von solcher Wichtigkeit sei, weshalb etwas gethan oder unternommen werden kann.“ Beneckius ad loc. proximum. *Subire invidiam* sane non erat res expetenda, propter quam aliquid fieret; sed pretium hoc erat belli depellendi.

aliquam necessitatem, quam adiutorio suo fideque discutiat, quod est ingrati, se illi præfert et tanti æstimat illum miserum esse, ut ipse gratus sit, ob hoc ipsum ingratus (*æstimat tanti* idem est ac si dixisset: *ei tanti est*); idem ibd. VI, 22: *Est tanti, ut tu coarguaris, ista concidere?*; idem ibd. III, 23: *Tanti iudicaverunt, ne domina occideretur, videri dominam occidisse* (id est: sustinuerunt videri); id. epist. 68, 10: *Tanti est ab hominibus vinci, dum a me fortuna vincatur*; [id. ibd. 76, 6: *Sed est tanti laborare omnia bona semel occupaturo,* hoc est: quum occupaturus sis; ibd. 81, 2 et 110, 4;] idem de Benef. IV, 39: *Fuit tanti non revocare promissum suum* (id est, tolerabile et subeundum damnum); Quintilianus VII, 2, 42: *an etiam tanti putaverit pœnam subire*[1]); dialog. de oratoribus c. 37: *non quia tanti fuit rei publicæ malos cives ferre, ut uberem ad dicendum materiam oratores haberent*; Plin. Panegyr. 6: *Si tamen hæc sola erat ratio, quæ te publicæ salutis gubernaculis admoveret, prope est, ut exclamem, tanti fuisse* (fœdas illas prætorianorum turbas videre, ut te acciperemus); Martial. VIII, 69, 4: *Tanti non est, ut placeam tibi, perire* (quem locum qui sollicitarunt, ut primam illam formam efficerent: *ut peream, tibi placere,* refutavit iam Spaldingius l. l.); id. X, 12, 5: *Sed desiderium tanti est* (id est: *feram meum desiderium tui*), *ut messe vel una Urbano releves colla perusta iugo*; Plinius Mai. Hist. Nat. IX,
193 79: *Postea visum tanti in extremam Italiam petere Brundusium ostreas*; idem XXII, 42: *Silybum ne in Cilicia quidem aut Syria Phœnicia, ubi nascitur, coquere tanti est* (id est prorsus: operæ pretium est). [Idem XXIII, 27: *Tanti putavit usu pedum . . . carere, dummodo et dolore illo careret.*] Longissime deflectitur ab origine, quum substantivum subiecti loco in hac significatione ponitur et rei, cuius causa aliquid fiat, mentio omittitur, sæpe etiam cogitatio obscuratur, quomodo Ovidius dixit Metamorph. II, 424: *Aut si rescierit, sunt, o, sunt iurgia tanti*, id est: *subeantur iurgia, non recuso in hac causa*; imperite nonnulli ibi quoque interrogandi signum addiderunt; Martialis I,

---

[1]) Eiusdem Quintiliani locus alter, qui est I, 6, 38, non minus mihi incertus est quam Spaldingio; in formula ipsa nulla est difficultas, quam rectissime Spaldingius ibi hanc alteram significationem habere animadvertit.

12, 11: *Nunc et damna iuvant, sunt ipsa pericula tanti; Stantia non poterant tecta probare deos*; quo loco etiam de re præterita dicitur; Plinius VIII, 4: *Circumventi* (elephanti) *a venantibus primos constituunt, quibus* (dentes) *sunt minimi, ne tanti prœlium putetur* (id est: ut venatores operæ pretium ne putent tantillæ prædæ spe prœlium inire). Horum locorum prorsus similis est Iuvenalis ille, a quo profecti sumus.[1])

Restat illud. Quemadmodum hæc forma Romanos sensim in alium usum transiens fefellerat, sic, quum esset aliquid commune in utroque usu, causæ, cur ageretur, significatio, sed alio ac contrario modo expressa, ubi interdum utrumque usum coniungebant, vix ipsi diversitatem sentiebant, saltem non perspicue animadvertebant, velut Ovidius in Remediis Amoris v. 750 et 751: *Non tamen hoc tanti est, pauper ut esse velis; At tibi sit tanti non indulgere theatris, Dum bene de vacuo pectore cedat amor*. Apparet, in priore versu mercis non tanto pretio emendæ, in altero rei propter talem causam suscipiendæ significationem inesse. Quin in unum utraque significatio coaluit loco aliquo Senecæ mira quadam dicendi brevitate, tali posito subiecto, in quo rei expetendæ et rei ferendæ notio coniungeretur; nam de Providentia 5, 11 Phaethon sic loquitur: *Placet* 194
via; escendo; est tanti per ista ire casuro. Expetendum est *per ista ire* (*Tanti est per ista ire, ut cadam*, priore significatione), ferendus casus et mors ob talem causam (*Tanti est cadere, ut per ista eam*, secunda significatione).

Non usus sum in hac disputatione aliquot locis, quibus forsitan putet quis utendum fuisse. Raro exemplo, sed recte, scribitur apud Cic. ep. ad Brut. I, 16, 4: *Nihil tanti fuit, quo venderemus fidem nostram et libertatem*, hoc est: nulla res tanti fuit, ut propterea. Contra quod editur apud Ovidium (Heroid. IX, 9 et 10): *At non ille velit, cui nox, si creditur, una Non tanti, ut tantus conciperere, fuit*, ad ceterorum similitudinem nullo modo accedit. Nam, si priore significatione uti velis, quid hoc est, noluisse Iovem unam noctem accipere ea condicione, ut tantus fieret Hercules? sin altera, non minus absur-

---

[1]) [Commode Siesbyeus comparat plane similem significationis ambiguitatem in eo, quod est *nihil moror*, quod dicitur et de commodo et de incommodo negligendo et contemnendo.]

dum erit, noluisse Iovem unam noctem subire, ut Hercules tantus efficeretur. Præterea utraque ratione Iuppiter dicitur noluisse Herculem magnum fieri, quum sententia poetæ sit, voluisse. Recte igitur probatur altera scriptura *tanta*. In Ciceronis Tusculanarum libro secundo extremo Bentleii aliorumque scriptura: *Urgentibus asperis et odiosis doloribus, si tanti non sit, ut ferendi sint, quo sit confugiendum, vides*, omnino aberrat ab usu huius formæ; neque enim absolute dicitur *tanti est, ut aliquid fieri debeat*, sed *hoc est tanti, ut* (propter id) *a. f. d.* Deinde sententia nulla est. Verum idem cadit in codicum scripturæ enarrationem nuper paulo gloriosius propositam: „wenn auf die Schmerzen so viel ankommt, dass man sie aus moralischen Gründen, was natürlich oft vorkommt, ertragen muss". Quod est enim illud *pretium* dolorum, propter
195 quod ferendi sint? Quid istud ipsum: Es kommt so viel auf die Schmerzen an, dass man sie ertragen muss? Vereor, ne sit hoc ex eo genere, quod attigi supra p. 173. Laudo Manutii et Lambini simplex et rectum iudicium.

Sed redeundum est aliquando ad Iuvenalem, a quo nimis pæne longe nos abduxit huius loquendi generis pervestigatio, et, omissis, quæ similia annotari de vera verborum vi non ubique perspecta poterant[1]), dicendum de paucis locis, in quibus non tam explicatio quam emendatio poetæ verbis adhibenda est, quod genus nondum attigimus.

In satira sexta hi leguntur versus inde a 461:

Interea fœda adspectu ridendaque multo
Pane tumet facies, aut pinguia Poppæana
Spirat, et hinc miseri viscantur labra mariti.

---

[1]) Exempli causa unum ponam. XIII, 136 *decies lectos diversa parte libellos* Rupertius intelligit tabulas lectas „variis in locis coramque testibus, qui singuli eas signarint", quasi id ad rem pertineat, per quot loca circumlatæ sint, aut quasi sic dicatur *diversus* et *pars*. *Diversa parte* est *a parte contraria adversarii*, quemadmodum *ex diverso* apud Tacitum (Hist. II, 75, III, 5, III, 73) et Suetonium (Octav. 27). Sæpe sic Quintilianus (vid. Bonnelli Lex.). Suetonius Iul. 29 *consules e parte diversa* dixit, hoc est, contrariæ factionis. Eodem modo scripsit Iuvenalis VII, 156: *quæ veniant diversa parte sagittæ*, quod Schmidtius non intellexit.

Ad mœchum veniet lota cute; quando videri
Vult formosa domi? Mœchis foliata parantur;
His emitur, quicquid graciles huc mittitis Indi.
Tandem aperit vultum et tectoria prima reponit;
Incipit agnosci cet.

In his aliquid esse turbati, iam Gonsalus ad Petronium senserat et post eum Dusaultius et Rupertius. Incommode enim prorsus ab incepta descriptione faciei obductæ divelli illa: *Tandem* 196
aperit vultum cet. Itaque ea, quæ interposita sunt, reiici volunt aut post versum 470 aut post v. 473. Priore loco nexum non minus turbabunt hæc interiecta, posteriore languide adhærebunt post gravissimam clausulam: *facies dicetur an ulcus?* Præterea non omnia illi incommoda viderunt. Quo enim refertur illud *Interea*, quod initio v. 461 legitur? Præcessit enim: *Intolerabilius nihil est quam femina dives.*[1]) Atque hoc ipsum vocabulum, quæ sit hoc loco facta transpositio et quis verus versuum ordo sit, apertissime demonstrat. Sic enim decurrere oratio debet, ternis versibus sedem permutantibus:

Ad mœchum veniet lota cute. Quando videri
Vult formosa domi? Mœchis foliata parantur;
His emitur, quicquid graciles huc mittitis Indi.
Interea fœda adspectu ridendaque multo
Pane tumet facies, aut pinguia Poppæana
Spirat, et hinc miseri viscantur labra mariti.
Tandem aperit vultum cet.

Iam recta omnia sunt: Mœcho se ornat, non domi munda est; mœchi causa pretiosa aromata emit; interea domi fœdo adspectu, vultu obducto est; tandem cet. Similem versuum transpositionem, sed duorum, animadverterunt editores et correxerunt supra in hac satira. Nam v. 306, 307, 308 in codicibus sic ponuntur:

I nunc et dubita, qua sorbeat aera sanna
Tullia, quid dicat notæ collactea Mauræ,
Maura Pudicitiæ veterem quum præterit aram.

---

[1]) [Nescio quid ad hanc difficultatem, quæ summa est, removendam Heinrichius dicturus fuerit, qui ceteras „genere quodam parenthesis“ expedire sibi videtur. 1842.]

Recte Achaintrius et Rupertius duos posteriores sedem permu-
197 tare iusserunt; contra quos qui disputavit, E. G. Weberus, ut sæpe, quid quærendum esset, non intellexit. Quid enim agat Maura in vulgata scriptura, ubi una Tullia Pudicitiam rideat, non dicit, nec cur, quod maxime perversum est, tum Tullia rideat, quum Maura aram prætereat, non quum ipsa; ac ne id quidem sentit, sic hæc poni: *quid dicat notæ collactea Mauræ*, nova interrogatione, ut prorsus diversæ fiant Tullia et collactea Mauræ ἀνώνυμος. Deinde quum Mauram plebeiam, Tulliam patriciam facit, atque illam a patricia ara removet, non videt, primum Tulliam tota descriptione adiungi tanquam appendicem notæ Mauræ; deinde, in isto versuum ordine, Maura aliquid tamen cum ara habet rationis, Tullia nihil; postremo, ut condonetur, quod oblitus est, Plebeiæ quoque Pudicitiæ aram fuisse (quod poterat discere, si inspexisset locos a Rupertio citatos, quorum numeros transcripsit), poeta nihil de mulieribus ad aram sacra facientibus dicit (quæ sine dubio multis sæculis nulla erant), sed de prætereuntibus et, quum oculi in Pudicitiæ consecrationem inciderunt, gestu et oratione illudentibus. Scripsit igitur poeta:

qua sorbeat aera sanna
Maura, Pudicitiæ veterem quum præterit aram,
Tullia quid dicat, notæ collactea Mauræ.

Iam utraque præterire aram, utraque irridere dicitur.[1])

In eadem sexta satira, quo loco poeta de superstitione et studio futura ex vatibus exquirendi agit, postquam de divitibus feminis dictum est, quæ augurem Phrygem et Indum conductum et astrologos consulant, hi subiiciuntur versus (v. 588 sqq.):

Plebeium in circo positum est et in aggere fatum.
Quæ nudis longum ostendit cervicibus aurum,
198 Consulit ante phalas delphinorumque columnas,
An saga vendenti nubat, caupone relicto.

---

[1]) [Heinrichius Achaintrio obloquitur; difficultates non sentit nec removet. 1842.]

Offendit multos in muliere de vulgo, quæ a poeta *divitibus*, quas v. 585 nominavit, contraria ponitur, *longi auri* mentio alienissima; nam ut meretrix intelligatur (quæ intelligi non debet, quum poeta satis significarit feminam nuptam de tenui plebe, cauponis uxorem, sed, ut tum erant mores, de divortio cogitantem), verum ut intelligatur, nihilo aptior erit hæc non frivoli ornatus, sed solidarum divitiarum significatio. Non urgebo igitur ea dicendo. quæ de ipsa *longi auri* appellatione dici iure possunt. Itaque Salmasius et alii *nudis*, quod apte ponitur de huiusmodi femina decoris et modestiæ parum curiosa, mutant in *nullis*, nec tamen consequuntur, quod volunt; nam perverse dicitur *nullis cervicibus, nullo collo* aurum ostendere, quasi una femina plura colla habeat. Hoc Rupertius animadverso mavult legere *nullum longis*, mutatione violentissima; et præterea *longum collum* recte dicitur, in cervicibus longitudo eminere et conspici non solet. Non in his verbis mendum latet, sed in ipso auri nomine, quod pro aptiore, sed minus noto vocabulo duabus litteris mutatis substitutum esse, certum mihi videtur. Scripsit enim sine dubio Iuvenalis:

Quæ nudis longum ostendit cervicibus *armum*.

Robustam de plebe mulierem describit et inornatam, nudis cervicibus longum humerum ostendentem; eum, rem augens, appellat vocabulo a bestiis traducto, quemadmodum Virgilius (Æneid. XI, 644) in homine corporis ingentis. Lucanus etiam sine hac significatione posuit Pharsal. IX, 831, ubi Murius manum veneno corruptam sibi amputat (*totoque simul demittit ab armo*). Est hic Iuvenalis locus inter paucos illos, ubi in omnibus codicibus non solum paululum inflexa aliqua vox est, sed verum verbum prorsus oblitteratum. Id ex scholiis no- 199
vimus accidisse in satira IV v. 43, ubi pro *torrentis* inepte substitutum est *torpentis* (palus enim Mæotica torpebat, non Ponti ostia, ac ne palus quidem nunc, *rupta solibus glacie*), et in sat. VIII v. 155, ubi quum poeta vocabulo e re sacra petito *robum* iuvencum commemorasset, *torvus* subiectus est. Utroque loco verum Orellius restituit (in eclogis poet. Lat.). Atque hoc loco vocabulum oblitteratum longe, ut ita dicam, arcessendum erat; faciliore negotio expedietur octavæ satiræ locus, ubi Iuvenalis, comparatis Nerone et Oresta matricidis,

quum Orestem et aliis multis rebus a Neronis scelere seiungendum docuisset, et quod nec in scena cantasset nec Troica scripsisset, harum artium principe indignarum fœditatem vehementissime augens in hæc erumpit verba (v. 221 sqq.):

> Quid enim Verginius armis
> Debuit ulcisci magis aut cum Vindice Galba?
> Quid Nero tam sæva crudaque tyrannide fecit?

Optima priora; hæc posterior interrogatio quid sibi vult? cuius nulla alia esse potest sententia, nisi Neronem nihil mali fecisse in principatu; quod et per se absurdum est nec cohæret cum iis, quæ sequuntur, ad artes ludicras Neronis spectantia: *Hæc opera atque hæ sunt generosi principis artes, Gaudentis fœdo peregrina ad pulpita saltu Prostitui* cet. Nam quod illa verba in hanc sententiam interpretantur: *Quid maxime fuit indignum, quod in omni sua tyrannide admisit Nero?*, id in verbis non est. Itaque iure hæret Rupertius. Schmidtius autem mira narrat. Nam versum 223 sic exponit: „Quid fecit Nero intra tot longæ crudelisque dominationis annos, propter quod iure libereque præferri possit Senecæ ignobili?“ Valde de suo libe-
200 ralis est; nam non solum addit, quæ non dixit poeta, sed quæ vix videatur dicere voluisse. Nemo enim facile in his: *Quid fecit tam sæva tyrannide?* putet de bene factis et meritis quæri. Quod autem hæc verba negat pertinere ad priorem sententiam, sed poetam, absoluta digressione de Neronis vitiis, redire ad id, quod inde a versu 211 tractare instituerit, id vix cuiquam persuadebit, qui viderit, prorsus de iisdem Neronis vitiis et scenicis artibus agi proximis versibus. Quod non difficile erat videre, venit etiam Rupertio in mentem (in comment. not. 73), sed firmiter comprehensum non est, versum 223 non per se legendum esse, ex quo efficitur absurdissima sententia, sed superiori coniungendum, nulla prope mutatione; difficillime enim sæpe in codicibus distinguas compendia vocum *quid* et *quod* estque earum perpetua confusio. Scribendum est igitur:

> Quid enim Virginius armis
> Debuit ulcisci magis aut cum Vindice Galba,
> *Quod* Nero tam sæva crudaque tyrannide fecit?

hoc est, quid ex omnibus eius factis? Prorsus idem mendum in eadem orationis forma irrepsit in verba M. Antonii, quæ ex eius litteris profert Cicero in oratione Philipp. XIII § 34, ubi editur: *Denique quid non aut probavistis aut fecistis? Quid faciat, si reviviscat Cn. Pompeius ipse?* Ridicule utrumque interrogatur; nam nec omnia omnino senatores probarant aut fecerant, nec illos urgebat inanis quæstio de voluntate Pompeii, si revivisceret. Illa eos interrogatio premebat, qua arguebantur, quum Cæsaris acta se servaturos iurassent, omnia ea ipsi fecisse, quæ Pompeius facturus fuisset, si viveret: *Denique quid non aut probavistis aut fecistis, quod faciat, si reviviscat, Cn. Pompeius ipse?*

Uni præterea loco coniectura subvenire conabor; is in satira decima est, versu 55. Nam exposito, quam prava vota 201
homines concipiant, quam stultis precibus deos fatigent, sic poeta hanc partem concludit:

> Ergo supervacua aut perniciosa petuntur,
> Propter quæ fas est genua incerare deorum.

Velim scire, quomodo hæc tot editores et interpretes toleraverint ac tam facilia putarint, ut verbum nullum de sententia facerent. Nam dicere, fas esse genua deorum incerare propter ea, quæ supervacua et perniciosa sint, quæ est amentia? Ironia autem, quo non dubito quin confugiatur[1], qualis hæc est, ut simplicissimæ veritatis professioni (*supervacua aut perniciosa*) per relativum adiungatur contrarium? Laudo igitur Rupertium, atque eo magis, quod sæpe iam grammatice interpretandi aut certa ratione et firmiter veri investigandi artem ei defuisse questus sum, laudo, inquam, quod hic et alibi saltem sensit difficultatem et ingenue professus est; quod autem *fas* mutat, ut sit *mos*, non possum laudare; nimis enim absurdam tautologiam hoc habet: „perniciosa petuntur, propter quæ mos est deos precari“, id est, quæ mos est petere. Mihi non dubium est, quin propter hoc *fas est* librarii, non animadversa interpunctione, infinitivum unius litteræ mutatione effecerint ex imperativo. Iuvenalis enim, postquam, quid vulgo

[1]) [Confugit ad eam Heinrichius. 1842.]

fieret, exposuit, gravem addit admonitionem, hoc modo eos compellans, quos sibi adesse et se audire fingit:

Propter quæ fas est, genua incerate deorum.

Locis coniectura emendatis unum subiungam, in quo novam et veram scripturam e codice nondum inspecto proferre licet, aliis prope accedentibus et fortasse sola eorum culpa, qui eos contulerunt, non prorsus confirmantibus. Nam in sat. XIV,
202 postquam Iuvenalis populi iudicium avarum hominem tanquam frugi laudantis notavit, ad hoc iudicium patres in filiorum ingeniis formandis se accommodare ostendit his versibus (119 sqq.)

Et pater ergo animi felices credit avaros,
Qui miratur opes, qui nulla exempla beati
Pauperis esse putat; iuvenes hortatur, ut illam
Ire viam pergant et eidem incumbere sectæ.

Perverse idem dicit in relativa sententia, quod in primaria; ferendum esset, si poeta rem verbis amplificans hæc ita coniunxisset: „Avaros felices credit, opes miratur, pauperem beatum neminem putat"; nunc quasi definiturus, qualis pater avaros felices putet, nihil aliud dicit, nisi eum id iudicare, qui ita iudicet. Atque hæc sane scriptura Pithœani codicis auctoritate videtur confirmari et veteris scholii (in quo hæc verba: *qui miratur opes* sic enarrantur: *qui patrimonio et divitiis gaudet*); sed reliqui fere codices, Parisienses quidem omnes [, etiam duo Haunn. in bibl. reg. n. 2030 et 2033. 1842.], habere dicuntur *mirantur—putant—hortantur*; et hoc quidem postremum falsum est; illa duo rectissima, ut avari describantur, quos felices pater credat, quorum sectam filios sequi velit. Et sic prorsus scribitur in codice membranaceo bibliothecæ regiæ Hauniensis (n. 2032):

Felices credit avaros,
Qui mirantur opes, qui nulla exempla beati
Pauperis esse putant; iuvenes hortatur cet.

Ad extremum rem levem per se attingam, sed in qua tamen errores et inconstantiam quandam enarratorum et editorum non unius Iuvenalis tollere, si fieri possit, operæ pretium sit. Sæpius enim in summis divitiis significandis apud huius

ætatis scriptores Licinus sive Licinius quidam sic appellatur, ut unius noti hominis nomine pro exemplo scriptores uti ap- 203
pareat. De eo homine quum alia non satis constanter traduntur, tum nomen ei, ut dixi, alibi Licino, alibi Licinio est, videnturque nonnulli atque adeo plerique utrumque nomen promiscue poni putare, quod rationi et consuetudini Latinæ prorsus repugnat. Iuvenalis duo sunt loci, prior in sat. I v. 109, ubi libertinus superbiens

> Ego, *inquit*, possideo plus
> Pallante et Licinis;

alter in satira XIV v. 305 et 306:

> Dispositis prædives hamis vigilare cohortem
> Servorum noctu Licinus iubet.[1])

Eundem Persius nominat in sat. secundæ v. 36:

> Nunc Licini in campos, nunc Crassi mittit in agros:

ubi mire Casaubonus de vetere illo tribuno Licinio Stolone cogitat, quasi eius agrorum mensura, quamvis sua ipse lege damnatus sit, huic ætati optabilis et cum Crassi ædibus comparanda visa sit.

Ad Persii locum scholiastes profert epigramma Varronis, ut ait, quod omisso auctoris nomine scholia Crucquiana ad Horatii A. P. v. 301 adscribunt:

> Marmoreo Licinus tumulo iacet, at Cato parvo,
> Pompeius nullo; quis putet esse deos?

Ac Varronis quidem nomen valde est dubium, quoniam is homo, de cuius monumento *pretiosi operis via Salaria prope urbem ad secundum lapidem* epigramma compositum esse scholiastes tradit, bonum ceteroquin, ut apparet, et copiosum auctorem sequens, M. Varronis superstes fuit.[2]) Nam et Persii 204
scholiastes et Iuvenalis (ad sat. I, l. l., ubi in initio scholii

---

[1]) Utroque loco Rupertius de gente Licinia et Licinio Augusti liberto ita loquitur, ut diversa esse nomina obliviscatur.

[2]) Galliæ præerat libertus is Augusti, de quo agitur, procurator a. 16 et 15 a. Chr. n. (vid. Dionis Cassii locus, qui mox afferetur); post procurationem Romæ præda usum, Macrobii narratio significare videtur; Iuvenalis scholiastes Tiberio imperante obisse dicit.

propter Pallantis nomen prave etiam Licinus Claudii libertus dicitur, mox omnia copiose explicantur), Licinum, C. Iulii Cæsaris servum et dispensatorem, Gallum, ab ipso C. Cæsare aut ab Augusto manumissum, deinde Galliæ procuratorem, intelligunt; estque ea persona aptissima. Eundem Licini tumulum Martialis significare videtur VIII, 3, 6: *Altaque quum Licini marmora pulvis erunt.* Illud dubium videri potest, rectene Horatii scholiastes eundem esse putet Licinum tonsorem in A. P. v. 301 nominatum; quanquam neque incredibile est, illam operam ante manumissionem Licinum dominis præstitisse satisque id Horatio fuisse ad eum tonsoris nomine et munere ornandum, et Persii quoque scholiastes *tonsorem ac libertum* Augusti Cæsaris appellat. Augustum tamen dicat aliquis vix eo homine in tali ministerio abusum, quem procurationi idoneum iudicaret, et Horatium tonsorem artem vulgo exercentem significare. Ergo hoc incertum. Sed illum Augusti libertum et procuratorem prosæ orationis scriptores fere *Licinium* appellant eoque nomine illi in divitiarum exemplo utuntur. De procuratione rapacissima notus Dionis est locus in libro LIV, 21[1]), eoque spectant Senecæ, si Senecæ sunt, verba in ludo de morte Claudii c. 6: *Lugduni Licinius multos annos regnavit.* Patronum Augustum et ingentes divitias Macrobius Saturn. II, 4 commemorat. *Licinum* tamen appellare videtur Seneca in
205 epistola 119, 9 (*quorum nomina cum Crasso Licinoque numerantur*) et 120, 19 (*Licinum divitiis, Apicium cenis, Mæcenatem deliciis provocant*), qui Augustum non nominat, sed, prorsus ut Iuvenalis et Persius, pro ditissimo homine hoc nomen ponit; sed Schweighauserus utroque loco ex omnibus codicibus, quos habuit præstantissimos, *Licinio* et *Licinium* scripsit.[2]) Restant Suetonius, apud quem in capite 67 vitæ Octaviani, ubi libertos eius gratiosos commemorat, editur fere: *Licinium Enceladum aliosque*, sed e codicum vestigiis Oudendorpius restituit: *Licinum, Eunum, Celadum*, quanquam *Licinum, Liciniumne* propius

---

[1]) Etiam Xiphilino *Λικίνιος* est.

[2]) In paucorum manibus illa Schweighauseri editio esse videtur; quanquam pauci omnino istas epistolas legunt; sed tanta est illorum codicum præstantia, ut, qui illinc testimonia sumere velit, satis tuto non sumat nisi Schweighausero adhibito. [Video nunc eius editionis præstantiam intellectam esse a Fickerto. 1842.]

accedat, non dicas, et Sidonius Apollinaris, a quo lib. V epist. 7 permixti enumerantur potentes Cæsarum liberti et delatores, *Narcissus, Asiaticus, Massa, Marcellus, Carus, Parthenius, Licinus, Pallas*; nam sic ibi editur, *Licinus*. Quid igitur censemus? Opinor, primum non dubitanter unum hominem in omnibus his locis, Horatii fortasse excepto, intelligendum esse putabimus; deinde eius verum nomen *Licinus* apud poetas, metro defendente, servatum esse, extra poetas in celeberrimum Liciniorum nomen mutatum, qui quam proclivis fuerit error, vel inde perspicuum est, quod aut ipsi Persii et Iuvenalis scholiastæ, quum aliud nomen in poetæ versu haberent, falsum posuerunt aut corrupta eorum scriptura a librariis est. Ubique igitur apud Latinos *Licinum* restitui iubebo; nam Dionem, non intercedam, si quis dicat Græcum plus duobus sæculis post Augustum ipsum aberrasse a vera, sed rara nominis forma, quo cognomine et Porcii et Fabii usi sunt.

XVII (V).

De locis aliquot grammaticæ Latinæ admonitiones et observationes.[1])

206 Neminem arbitror iure mirari posse, eum, cui Latinæ linguæ Latinarumque litterarum docendarum munus mandatum sit, de grammatica Latina scribere. Itaque nulla excusatione opus esse puto, quod iam iterum huiusmodi materiam scriptionis academicæ deligo, dummodo ea afferam, quæ novitate aliqua et rerum dubiarum aut ignoratarum explicatione hunc locum mereri videantur. Sed tamen, quoniam antea unum quendam locum late patentem continua disputatione persecutus sum[2]), nunc miscellas observationes et admonitiones propono, dicam breviter, qui me casus et ad hoc argumenti genus et ad hanc scribendi formam hoc tempore detulerit. Carolus Zumptius, professor Berolinensis, vir clarissimus, quum grammaticam suam Latinam septimum edidisset (a. 1834), petiit a me, ut, si quid forte mihi librum evolventi occurrisset, quod mutandum augendumve putarem, ei significarem. Accidit, ut
207 paulo post, æstate a. 1835, de selectis quibusdam locis gramma-

[1]) [Editæ a. 1837. Harum quoque admonitionum summas nunc brevissime contractas in grammaticæ Latinæ institutionibus scholarum usui scriptis posui. 1842.]

[2]) De formarum quarundam verbi Latini natura et usu. [Supra p. 60 sqq.]

ticæ Latinæ scholas academicas haberem; quarum quanquam
tota ratio alia quædam esse debebat, quam quæ iis libris con-
venit, qui scholasticæ institutionis causa scribuntur (qualis
autem fuerit, ex illa de usu et natura formarum quarundam
verbi Latini disputatione intelligi fere potest), tamen, quum
compararem, quid quaque de re vulgo in probatissimis libris
traderetur, et in eo negotio vel præcipue Zumptii librum ad-
hiberem quum propter bona eius tum propter usum late per-
vagatum, subnascebatur materia aliqua observationum et anno-
tationum de eiusmodi rebus, quæ non in hoc vel illo libro,
sed communi quodam errore non recte tradi viderentur, et quæ
separatim particulatimque corrigi possent. Itaque quum scirem,
Zumptium octavam libri sui editionem parare, decrevi ex his
quædam seligere eorumque ei copiam facere, si uti vellet.
Simul autem, quod ea aut a communibus opinionibus abhorre-
bant aut interdum attingebant veterum scriptorum locos non
recte aut scriptos aut intellectos, rationes et causas iudiciorum,
quæ in eiusmodi libro explicari non possent, plenius perscri-
bendas putabam, ut, quum eæ alibi editæ essent, tuto summæ
ipsæ sententiarum illic poni possent. Itaque feci. Sed quum
tarde rem agerem, tum demum chartæ illæ Berolinum vene-
runt, quum Zumptii liber iam typis descriptus esset, ut iis uti
non posset, nisi in uno folio typis reddito. Ego autem, quum
hoc tempore aliquid edendum mihi sit, omne autem tempus,
quod a muneris publici negotiis superest, alius labor pridem
susceptus vindicet, paratis utendum ratus, quoniam nova in-
stitui et perfici non possunt, maiorem partem illorum, quæ
tum plenius perscripseram, nonnullis demptis aut additis, hic
edo. Nec, quum hac sim usus præfatione, quæsitum iri credo,
cur, omissa omni disputatione de via ac ratione ampliores 208
grammaticæ Latinæ locos tradendi, singularum quarundam
rerum veram formam demonstrandam susceperim. Ac qui-
busdam, maxime scholarum magistris, hæc ipsa magis placi-
tura credo, quod facilius et quasi recta via in usum converti
possunt.

I. De forma sententiarum interrogativarum in oratione obliqua.[1])

Qua lege sententiæ interrogativæ, quum oratio cogitatiove aliena narrando (oblique) redderetur, quod genus apud historicos frequentissimum est, aliæ in infinitivum transirent, aliæ coniunctivum modum haberent, quum superiores parum diligenter quæsissent nec ullam certam regulam constituissent, aliquot abhinc annos Kruegerus eam rem investigandam suscepit[2]), eiusque præcepta, qui postea de grammatica Latina scripserunt, sequuntur.[3]) Putat autem is, eas interrogationes, quæ tantum formam rhetoricam habeant interrogandi, significationem aut aientem aut negantem, in infinitivum transire, ceteras finito tempore coniunctivi modi efferri. Sed primum vir doctus in materia colligenda perverse multos locos scriptorum veterum immiscuit huic quæstioni, qui ab ea essent alieni, quum interrogativa sententia initio posita penderet ab ipso verbo, oratioque postea demum in obliquam formam dicta aliena reddendi transiret; velut (nam uno et altero exemplo defungi licet) in voce *quisnam* adscripsit Livii verba ex libri
209 III c. 40: *quonam fato accidisset, mirari se dictitans*, et in voce *ne* hæc ex libr. XXXVI, 3: *ad collegium fetialium rettulit, ipsine Antiocho utique bellum indiceretur.*[4]) Deinde in re ipsa a

---

[1]) [Hunc locum post me tractavit O. Riemann in opere quadrimenstri, quod inscribitur Revue de philologie, a. 1883, p. 113 sqq., sed dum vir accurate doctus discrimina logica et rhetorica sententiarum interrogativarum copiose et subtiliter persequitur, rationem grammaticam in ipsa communi interrogandi forma eiusque simplici atque aperta divisione positam obscurasse potius quam verius exposuisse videtur.]

[2]) Ueber den Accus. c. infin. nach Fragewörtern, dem Pronomen relat. so wie nach Coniunctionen in der oratio obliqua. Fasciculus primus est libri, quem inscripsit: Untersuchungen aus dem Gebiete der lat. Sprachlehre, editus Brunsuici 1820.

[3]) Cfr. Zumptius § 603, Billrothius § 338 not., Ramshornius § 186, II, 3 b p. 799 sqq., ne alios citem.

[4]) Apud Liv. III, 7 (*ut, totis passim castris fremitu orto, quid in vasto ac deserto agro — tempus tererent? —, signa repente convellerent*) interrogandi significatio inest in verbis *fremitu orto.* Libro VI, c. 36 extr., quod nihil oblique refertur præter interrogationes, non solum in

vero aberravit non uno modo. Primum enim, ut interrogationes ad nudam affirmationis aut negationis significationem redigeret, aliquoties non solum contorte, sed prorsus falso verba scriptorum interpretari coactus est; velut Taciti in Annal. XIII, 43: *Cur enim neminem alium delectum esse?* Significari vult: *alium deligendum fuisse.* Iam hoc ipsum tale est, ut eo modo quidvis ad affirmationem redigi possit, quum non quæras, quid dicatur, sed eam animi sententiam substituas, a qua oratio orta sit. Verum ne significatur quidem ab accusatoribus, quorum ibi oratio redditur, alium deligendum fuisse; hoc dicunt, mirari se, cur, si vere Suilius a Messalina coactus sit, neminem alium idem facere coegerit, eaque interrogatione id, quod Suilius de se dixerat, falsum esse arguunt. Causam igitur requirunt rei incredibilis, quæ Suilii defensione contineatur. Deinde alii loci omne illud artificium respuunt, apertissime quidem disiunctivæ interrogationes, qualis est apud Tacitum in Hist. I, 50: *Nunc pro Othone an pro Vitellio in templa ituros?*
Homines miseri in dubitatione inexplicabili consilium exquirunt. 210
Tum in genere interrogationis perfrequenti, pro eo, quod recta oratione est: *Quid fecisti?*, quum negatur, alterum quicquam fecisse, non dicitur, quod præcepta illa postulant: *Quid fecisse?*, sed, ut paulo post ostendam, constanter: *Quid fecisset?* Postremo Kruegerus nihil separatim dixit de iis interrogationibus, quæ finita oratione coniunctivum habent, quasi hæc quoque forma: *Quid facerem?* in infinitivum converti possit: nam ea quoque negationem aliquam continet. Sed, quod caput est, totum illud discrimen sententiarum, quo utitur Kruegerus, nullum est. Nam finitam orationis formam et coniunctivum modum retineri putat in iis interrogationibus, in quibus is, qui interrogat, vere responsum requirat; verum, quum continuæ et perpetuæ alius hominis orationis argumentum et series refertur, quod proprium est orationis obliquæ, nullæ omnino sunt tales interrogationes, quas is, cuius refertur oratio, sic propo-

---

prima sententia, sed etiam in secunda retinetur forma interrogationis pendentis (ne quis *placere* scribi malit). Lib. XXXVII, 15, 1 interpositæ in initio orationis alienæ voces *Quid tandem?* non prohibent, quo minus prima sententia pendeat. [Etiam apud Tacitum Hist. II, 74 prima hæc interrogatio: *quis ille dies foret* cet. prorsus subnectitur verbo *reputabat.* 1842.]

suerit, ut, facta dicendi intermissione, responsum exspectaret; omnes ex rhetorico illo genere sunt, per quas quærendo affirmamus, negamus, refutamus adversarios, reprehendimus homines aut laudamus, conquerimur, quæque sunt similia. Itaque hinc nulla regula ad genera discernenda sumi potest; nec id obscurum erit ea exempla, quibus Kruegerus et alii utuntur, intuenti, velut illud, quo Billrothius, ex Cæsaris Bello Gall. I, 40, ubi putat veram esse interrogationem, quod coniunctivo Cæsar utitur. Quæsivitne igitur Cæsar, cuius est oratio, quicquam e militibus, ad quod sibi responderi vellet? Immo is non minus interrogando argumentatur quam in eo exemplo, quod contrarium statim ex Livii lib. I c. 50 ponitur, Turnus: *An quicquam superbius esse* cet.? Et quod Billrothius illic ad-
211 scribit: *et quæsivit*, quid eum prohibuit hic quoque adscribere: *et quæsivit, num quicquam* cet.?[1])

Confitendum est igitur, nihil adhuc de hoc genere orationis traditum esse, quod veritatem attingeret. Et tamen res certis et facillimis regulis comprehendi potest hoc modo:

A. Omnis interrogatio, quæ recta oratione fit simpliciter per modum indicativum *primæ et tertiæ personæ*, in oratione obliqua transit in accusativum cum infinitivo. Quum enim interrogatio nihil aliud sit nisi declaratio aut universe ad affirmandum negandumve proposita aut cuius pars aliqua ignoratur et quæritur, quumque infinita sententiarum forma in perpetua oratione obliqua non ad certam aliquam et proximam declarandi sentiendive significationem, sed ad generalem et remotam referatur, etiam interrogativæ sententiæ ei interpositæ, quoniam nulli certo verbo subnectuntur, deposita sua nota, communem

---

[1]) Omnino errant, qui obliviscuntur (obliviscuntur autem multi et sæpe), grammaticam versari in ipsa forma sententiarum atque ex ea omnia pendere, et grammaticam proprietatem ex eo explicant, quod res eadem alio modo concipi et proponi potuerit. Cuius generis exemplum est, quum, ne cogantur rectius de pronominibus *quisquam* et *ullus* præcipere, hanc sententiam: *Titus maior est quam quisquam alius*, negativam dicunt. Itaque qui nuper de his vocabulis egit, Stuerenburgius (post Ciceronis libros de off.), quod ab illa falsa negationis notione profectus erat, omnes, quos norat, certi generis locos, in quibus vel maxime eminet natura pronominis, generalem affirmationem significantis, quum sic dicitur: *Mihi accidere potest, quod cuiquam potest*, corrupit; corrupisset plures, si collectos habuisset; sed de his alias.

illam alienæ declarationis formam subeunt.[1]) Ergo: *Quid* 212
merui? (*Hoc merui*) fit: *Quid se meruisse?* (*Hoc se meruisse*). Pronomen *se* tamen non ita raro omittitur.

B. Omnis interrogatio indicativi modi *secundæ personæ* transit in coniunctivum, mutato, quod narratur interrogatum ante esse, tempore verbi. *Quid fecisti?* fit: *Quid fecisset?* Causa retenti contra superiorem regulam, quæ hoc quoque genus complecti debebat, verbi finiti formæque eius, quæ interrogationis pendentis propria est, non solum orta videtur ex studio quodam personas verbi etiam in obliqua orationis forma significandi (quod discrimen tolleretur, si hic quoque esset: *Quid fecisse?* nam primam personam ostendit additum plerumque *se*), sed etiam ex eo, quod, quum aliena oratio refertur, in iis, quæ quis ex eo ipso, quocum locutus est, interrogavit, magis ipsa interrogandi notio oboritur, ut quasi ex hac latenti notione sententia nexa et apta procedat.

C. Omnis interrogatio, quæ recta oratione coniunctivum habet, eum modum in oratione obliqua retinet, mutato tantum, ubi opus est, tempore. *Quid facerem?* fit: *Quid faceret? Quis credat?* fit: *Quis crederet?*[2]) Alioquin enim ea, quæ in coniunctivo est, significatio periret nec quicquam interesset inter simplicem interrogationem et dubitativam.

Hæc præcepta, ut perspicua sunt, ita vera esse, his exemplis confirmabitur, quæ e Livii, Cæsaris, Taciti libris collegi; apud solos historicos cur hoc genus frequens sit, satis apertum est.

A. 1. Primæ personæ: E *Livio*: VII, 18: *Quid se vivere,*
quid in parte civium censeri, si cet. (hoc est: *quid vivimus?*) 213
XXVI, 35: *Nam unde paraturos navales socios?* (*parabimus?*) XXVIII, 24: *quid sese inter pacatos facere? cur in Italiam non revehi?* (*quid facimus? cur non revehimur?*) XXXIV, 11: *quo enim se — ituros?* (*ibimus?*) ibd. 33: *quibus aliis copiis —*

---

[1]) [Sic nunc rem verbis complecti conatus sum, ut satisfacerem benevolentissimæ admonitioni et dubitationi L. C. M. Aubertii, professoris Christianiensis, quam in epistola ad me data et typis exscripta a. 1839 exposuit. 1842.]

[2]) Quia, ut paulo post ostendam, Latine dicitur: *Quid facturus fuit, si hoc accidisset?* non: *quid facturus fuisset?* obliqua etiam oratione fiet: *Quid facturum fuisse?*

bellum gesturos? (*geremus?* si *geretis* significaretur, esset, saltem ad regulam, *gesturi essent?* de omissso reflexivo cfr. XXVI, 35). E *Cæsare*: Bell. Gall. I, 14: *Quod si veteres contumelias oblivisci vellet, num etiam recentium iniuriarum memoriam deponere posse?* (*si volo, — possum?* Reflexivum omissum est.) E *Tacito*: Hist. I, 50: *Nunc pro Othone an pro Vitellio in templa ituros?* (*ibimus?*) III. 20: *An oppugnationem inchoaturos adempto omni prospectu?* (*inchoabimus?*) Ann. I, 17: *Quando ausuros exposcere remedia?* (*audebimus?* Quanquam de hoc loco dubitari potest, de quo dicam inferius).

2. Tertiæ personæ tot sunt exempla, ut notare putidum sit; sufficiant ex septem *Livii* libris hæc: I, 50 (bis); II, 41; III, 9, 39, 56, 64, 72; IV, 2 (*Quot quantasque res Canuleium aggressum?* et sæpius), 43 (*Unde si quid increpet terroris, sine patricio magistratu placere rem publicam opprimi?*, ubi notanda est omissio particulæ interrogativæ, quæ ferri hic et huiusmodi locis potest, in interrogatione vehementer urgente), 57, 60; V, 24, 45; VI, 17 (sæpius), 23; VII, 4 (*utrum — an*), 6, 11, 32, 38, 39; e *Cæsare* B. G. V, 28, B. C. I, 9, e *Tacito* Ann. I, 17, 26 (bis), 46; II, 70; III, 34, 44, 58, 69; [disiunctiva interrogandi forma præter Hist. I, 50 est etiam Ann. XVI, 28;] per reliquos libros progredi operæ pretium non est. Potius annotandum, nonnullis locis non recte pro interrogatione accipi, quæ alia forma dicantur, ut apud Livium XXI, 30 (*Cepisse quondam Gallos ea, quæ adiri posse Pœnus desperet*). Hannibal narrando turpitudinem rei ostendit; inter-
214 rogando sententia pervertitur, quasi negari possit, Gallos ea loca cepisse; dicendum tum erat: *num desperare Pœnum, adiri posse, quæ Galli ceperint?* Etiam libro XXVI, 8 (*Qui — ausus non esset, — spem cepisse*) exclamatio indignantis est (*Is — cepit!*), non interrogatio, quæ hæc esset: *eumne cepisse?*[1])

B. E *Livio*: III, 72: *Scaptione hoc assignaturos putarent finitimos populos?* (*putatis?*) V, 2: *Quam putarent continuatæ militiæ causam esse* (*putatis?*) V, 20: *Quid de præda faciendum censerent?* (*censetis?*) X, 13: *Quid se iam senem sollicitarent?*

---

[1]) Peius in oratione recta apud Livium VII, 40 pro ironica dehortatione (*ne destiteritis*) substituunt interrogationem, quasi sit: *non desistetis?*

(*sollicitatis?*) Add. X, 24 et 35, XXVII, 34, XXXIV, 43, XXXVI, 40 (*utro tandem modo credat?* id est, *credis, P. Semproni?*). Bis Livius sic extulit interrogationem hortativam, particula *quin* notatam: IV, 43 (*Quin illi copularent concordiam?* id est: *Quin copulatis?*) et XXXIX, 32 (*Quin ille — se præberet?* id est: *Quin — te præbes?*).[1] [Add. III, 61, 14, XXXVIII, 43, 9, XL, 40, 4. Eodem modo Corn. Nep. Eum. 11.] E *Cæsare*: B. G. I, 40: *Quid tandem vererentur? aut cur — desperarent?* (*veremini?*) ibd. I, 44: *Quid sibi vellet? cur in suas possessiones veniret?* (*tibi vis? — venis?*) IV, 16: *Cur postularet?* E *Tacito*: Ann. I, 19: *Si tenderent, — cur meditentur?* (*meditamini?*) ibd. 26: *Cur venisset?* 40: *cur haberet?* Hist. III, 70: *Cur enim — petisset?* [Interrogationem hortativam, particula *quin* notatam, sic Tacitus extulit Ann. XII, 20, XIII, 49; Hist. III, 2, 66.]

C. E *Livio*: VII, 20: *Eane meritos crederet quisquam hostes repente sine causa factos?* (hoc est: *credat quisquam?*) 215 ibd. 38: *Cur autem potius Campani agrum Italiæ uberrimum quam victor exercitus haberet?* (*cur potius — habeat?*) XLV, 19: *Attalum vero, quia* (ineptum hoc; scrib. *qui*) *ætate proximus sit, quis non pro rege habeat?* (Retinuit Livius *habeat* ex imitatione rectæ orationis; poterat dicere *haberet.*) E *Cæsare*: B. G. I, 40: *Cur hunc — quisquam iudicaret?* (*cur hunc — quisquam iudicet?*) ibd. 43: *quis pati posset?* (*quis pati possit?* Licebat, neglecta significatione potentiali, dicere *potest?* quod obliqua oratione esset: *quem posse?*) V, 29: *Quis sibi hoc persuaderet?* (*persuadeat?*) VII, 37: *Cur enim potius Ædui ad Cæsarem disceptatorem quam Romani ad Æduos veniant?* (Retinuit Cæsar præsens ex recta oratione, ut Livius XLV, 19); B. C. I, 72: *Cur etiam secundo prœlio aliquos ex suos amitteret? — periclitaretur?* (*cur — amittam? — pericliter?*)[2]

Apparet, quam aperte et facile hæc distinguantur. Et

---

[1]) *Quin se facere?* pro eo, quod est: *Quin facimus?*, non reperio, nec dictum puto, quod particula illa infinitivum respueret.

[2]) Extra hanc disputationem est forma vehementer et cum indignatione interrogandi per *ne ut*, quam Livius bis in oratione obliqua retinuit, IV, 2 et, mutato verbi tempore, V, 24 extr.

tamen, si id genus excipias, quod postremum posui, quod nunquam in infinitivum transit, pauca quædam exempla sunt, quæ exiguum, quo genera separantur, finem transgrediuntur et in alienam formam incidunt. Primum enim pro infinitivo in interrogatione primæ et tertiæ personæ rarissime omnino, sed tamen non plane nunquam coniunctivus ponitur, occurrente animo notione verbi interrogationem significantis, ut inde pendere sententia videatur, quemadmodum supra de secunda persona dixi. Fit id aliquoties, ubi in interrogando reprehensio et accusatio quædam inest (cuiusmodi tamen interrogationes
216 longe plurimæ regulam sequuntur). Exempla ponam ex tribus illis scriptoribus non, ut ante, selecta, sed omnia, ut appareat, quam sint pauca. Livius igitur VII, 15 scripsit: *Ecquis sequeretur eorum, qui modo ducturi fuerint?* Regula postulabat: *ecquem sequi?* Sed hærebat animo proxime præcedens *rogitans*. Cæsar B. C. I, 32 dixit: *cur ferri passus esset?* pro: *passum esse?* Tacitus Ann. XI, 19: *Cur hostem conciret?* (In huiusmodi, qualis hoc loco est, brevissima significatione sermonis hominum reprehendentium, nulla continuatione orationis, nullo posito alienæ orationis indicio, omnino vix locum habet infinitivus; nimis enim aperte animo obversatur ad orationem vinciendam non generale declarandi, sed speciale quærendi verbum, cui accommodetur sententia.) Idem XIII, 42: *Qua sapientia — ter millies sestertium paravisset?* Hist. IV, 4: *Si privatus esset, cur publice loqueretur?* et ibd. 62: *Quale illud iter? quis dux viæ?* (Ad hos duos locos [et ad Ann. I, 41] eadem pertinent, quæ de Ann. XI, 19 dixi.) Singulare est in prima persona exemplum apud Tacitum Hist. IV, 24: *Quin potius — exsolverent* (*quin — exsolvimus?*)[1]) In Hist. IV, 69 (*Quod caput bello? unde ius auspiciumque peteretur? quam sedem imperio legerent?*) similiter, ut supra interrogandi, sic hic deliberandi notio occurrebat, nulla præcedente orationis alienæ per infinitivum relatæ parte. Prorsus a regula deflectit, quod est apud Livium V, 2: *Quidnam illi consules dictatoresve facturi essent?* Debebat scribere: *Quidnam illos — facturos esse?* Comparetur modo apud ipsum VIII, 31: *Quid illum facturum*

---

[1]) Videantur, quæ paulo ante de particula *quin* dicta sunt.

fuisse? et c. 33 extr. sæpius.[1]) Hæc igitur exempla a prima forma aberrant. Deinde autem rarissime etiam in secunda 217 persona primæ et tertiæ regula servatur, ut infinitivus ponatur. Sic Livius XLV, 19: *Utrum enim partem regni petiturum esse an totum erepturum?* (id est: *petiturus es?*) et VI, 39: *Quæ munera quando tandem satis grato animo æstimaturos?* (id est, *æstimabitis?*) In libro IV c. 43 ambiguum est, *propulsaturos* utrum *propulsabimus* an *propulsabitis* significet.[2]) Apud Tacitum quoque Ann. I, 17 *Quando ausuros?* potest esse: *quando audebitis?* [et XV, 59 *Quanto laudabilius periturum?* respondet rectæ interrogationi huic: *quanto laudabilius peribis?*]

Errores leviculos librariorum et interpretum non operose colligam. Apud Cæsarem B. G. V, 29, ubi editur: *Cottæ consilium quem haberet exitum?*, patet, scribendum esse *habere*. Recte etiam I. F. Gronovius apud Livium IV, 44, 4 corrigit: *Quidnam id rei esse?* Neque enim in hunc locum cadit ulla eiusmodi excusatio, qualem reperiebamus in iis, qui paulo ante positi sunt. Contra idem Gronovius, cui, quum nullam huius generis regulam sequeretur, exquisiti aliquid et elegans infinitivus habere videbatur, corruptum ibat Livii locum, qui est in lib. X, 13, 10: *quid ergo attineret leges ferri, rogitans*; malebat is *attinere*, neque Dukerus et Drakenborchius dissentiebant. Idem maluerunt librarii et pervicerunt in libro IV, 58, 13, ubi editur: *quid iam integri esse in corpore loci* cet., — *rogitantes*; scribendum esse necessario *esset*, ut pendeat a participio subiecto, vix opus est dici.[3])

---

[1]) [Apud Livium IV, 15, 5 hæc verba: *Et quis homo?* non seorsum sententiam faciunt, sed continuatione et appositione adiunguntur ad præcedens Mælii nomen. Ciceronem notum est fere *at quis* dicere, neque tamen semper, v. vol. I, 516. 1842.]

[2]) [Addit Aubertius III, 39, 9: *Quid enim eos per populum egisse?* 1842. Avertitur quodammodo indignantis interrogatio ad alios, qui audiant.]

[3]) Nullo loco gravius erratum in hoc genere vidi quam a recentissimis Taciti editoribus (I. Bekkerum excipio, multum reliquorum dissimilem) in Histor. II, 18, ubi, reductis veteribus sordibus, edunt: *Providentiam ducis laudari? quin prodi Othonem et accitum Cæcinam clamitabant.* Neque omitti hic interrogandi particula poterat, nec quisquam ab huiusmodi interrogatione orsus est, quum proxime infinitivum et verbum regens (*clamitabant*) subiiceret, nec, qui negarent, laudandam esse ducis

218 II. Discrimen formarum *amatus sum* et *amatus fui* a veteribus et bonis scriptoribus constantissime servatum. Præsens pro perfecto durius a poetis positum.

Multum interesse, utrum *amatum* aliquem *esse* an *fuisse* dicamus, omnes docent[1]); contra *amatus fui*, indicativo modo, ab eo, quod est *amatus sum*, alii grammatici sic disiungunt, ut discrimen perpetuum esse negent, velut Billrothius p. 293, alii prorsus illud pro hoc dici statuunt, ut Zumptius § 168 et § 495; nec aliter veterum scriptorum editores iudicant, partim apertis verbis, velut Heindorfius ad Horatii Satir. I, 6, 13, partim silentio, eiusmodi scripturam tolerantes, in qua ita statui necesse sit. Apud eos quoque, qui, ut Latine scribant, operam

---

providentiam, sic interrogarent: *Laudaturne* (id est enim: *laudari?*), sed: *Laudetne quisquam?*, nec, quod caput est, quicquam ad sententiam absurdius quam hic aut tribunos centurionesque providentiam ducis laudantes induci aut milites eam laudem non ferentes. Ruebant milites in hostem, retinentemque ducem proditorem appellabant. Contra ubi describitur pænitentia militum suo incommodo admonitorum, ibi vero recte illa providentiæ laudatio commemoratur. [Prorsus perverse hac forma abutuntur quidam in Ciceronis Bruto § 196, ut defendant librorum scripturam: *quam captiosum esse populo* cet. Non oratio ipsa et verba Scævolæ ibi redduntur, sed indicatur, de quibus rebus dixerit, quibusque argumentis usus sit. 1842.] [Prorsus inusitate apud Liv. XXVII, 40, 2 his verbis: *quum illa angeret cura* pro interrogatione pendenti subiicitur quasi in media oratione obliqua hæc interrogationis forma infinita: *quos tam propitios urbi atque imperio fore deos, ut* cet. Vereor, ne ante *urbi* exciderit *arbitrarentur*, oculo ab litteris *arbit* aberrante ad *urbi*; in P est *urbit.*]

[1]) [Velut in noto loco orationis Ciceronianæ de imp. Pompeii § 20: *copias ornatas fuisse — urbem obsessam esse.* Non recte Haasius ad Reisigii scholas de gramm. Lat. not. 447 negat discrimen apparere apud Cic. de N. D. II § 11: *vitio sibi tabernaculum captum fuisse.* Apparebit magis, si active dixeris: *vitio se tabernaculum captum habuisse,* h. e., *usum esse* (in comitiis habendis) *tabernaculo vitio capto* (ante comitia). 1842.] Apud Livium III, 39, 9 sic verba interpungenda sunt: *Fuisse, regibus exactis, patricios magistratus, creatos postea . . . plebeios,* ubi vulgo *Fuisse creatos* iungunt. [Apud Cic. p. Quinctio 29, 89 scribendum videtur: *prohibitum quievisse* omisso *fuisse.*]

dant, non pauca reperias ad hanc formam scripta. Et tamen 219 hæc duo apud antiquos et natura et usu adeo sunt discreta, ut nunquam ante cadentem orationis veteris castitatem commutentur nisi mendo scripturæ aut interpretandi inscitia. Quum enim Latine dicimus, verbi causa, *fixum est*, utrumque significari potest, et fixisse aliquem, participio et verbo substantivo in unam notionem perfecti passivi coalescentibus, et nunc illud fixum manere, ut participium statum aliquem rei significet, verbum, eum statum nunc esse. Nec enim Latinus sermo præteritum tempus rei gestæ et præsens rei agendo effectæ et manentis nota ulla distinguit. Quum autem *fixum fuit* dicitur, unum significatur, præteritum tempus rei effectæ et in statu aliquo manentis, ut participio status, verbo, eum fuisse, declaretur. Itaque Cicero pro Sestio 25, 55 quum dicit: *leges quum quæ latæ sunt, tum vero, quæ promulgatæ fuerunt*, alias narrat latas esse, alias aliquamdiu promulgatas pependisse, eodemque modo pro Sulla 23, 65 dicit: *lex dies fuit proposita paucos*, et in oratione prima in Cat. 7, 16 (*qui tibi persæpe ad cædem constituti fuerunt*) *habuisse* Catilinam senatores ad cædem *constitutos* (non *constituisse* tantum) significat, et in eadem oratione § 24 (*constitutum fuit*) non solum constitutum esse sacrarium dicit, sed, quum esset semel constitutum, aliquamdiu mansisse. Non minus huius formæ proprietas eminet in orat. pro Balbo § 20: *Totum hoc in ea fuit positum semper ratione atque sententia*, aut in oratione pro domo c. 43, 111: *Eius non* 22 *longe a Tanagris simulacrum e marmore in sepulcro positum fuit*; neque enim narrat signum positum esse, sed ibi fuisse (positum fuisse) nec iam esse. [Cic. Verr. II, 104, IV, 103 et 127, de Or. III, 3, 10.] Livii verba, quæ sunt libri I c. 19 (*Bis deinde — clausus fuit Ianus*) plures proferunt et recte sic intelligunt, ut bis accidisse narretur, ut aliquamdiu Ianus clausus maneret. Sed quam certum sit formarum discrimen, ex illis Livii locis apparet, in quibus hoc altero modo de monumentis operibusque loquitur, quæ (prorsus ut in illo orationis pro domo loco) hac una nota significat aliquando alicubi fuisse, sua ætate non superesse, velut [II, 13 extr. (*in summa Sacra via fuit posita virgo insidens equo*) et] VII, 3 (*fixa fuit* (lex) *dextro lateri ædis Iovis*) et VI, 29, ubi, quum sic dicit: *Dedicatum est* (signum Iovis Imperatoris) *inter cellam Iovis ac Mi-*

nervæ, tabulaque sub eo fixa, monumentum rerum gestarum, his ferme incisa litteris fuit, aperte rei factæ narrationem a commemoratione monumenti, quod olim aliquamdiu illo loco fuisset, ipsa verbi forma distinguit. Eadem ratio est libr. XXIII, 19 extr. (*Idem titulus tribus signis in æde Fortunæ positis fuit subiectus*; præcedit: *Statua eius indicio fuit* (non *est*), *Præneste in foro posita*), tum libr. XXXVIII, 56, 3: *Nam et Literni monumentum monumentoque statua superimposita fuit, quam tempestate deiectam nuper vidimus ipsi*, quo loco nihil potest esse apertius. Nec obscura erit vis huius formæ recte attendenti in libro XXXVIII, 36, 4: *Supplicatio in triduum pro collegio decemvirorum imperata fuit in omnibus compitis*; neque enim Livium simpliciter narrare *imperatam esse* supplicationem, satis patet ex adiectis verbis *in compitis*; hoc dicit, supplicationem, quam decemviri imperassent, fuisse in omnibus compitis. At legitur tamen apud eundem Livium libro XXX, 26,
221 9: *Cautior tamen quam promptior hic habitus fuit.* Sed codex Florentinus, post Puteaneum, de quo nihil annotatur et qui parum diligenter collatus est, longe optimus, recte omittit *fuit*. Libro III, 24, 10, ubi editur: *Fuerunt censa civium capita* cet., ipse verborum ordo (ineptissime enim verbum substantivum primo loco ponitur) mendum arguit, codices permulti, detracta una littera, tollunt: *idque lustrum ab origine urbis decimum conditum ferunt. Censa civium capita* cet. Perpetuus Livii usus in huiusmodi numeris notandis postulat, ut primo loco ponatur *Censa*. Libro XXI, 50 editur: *Mille et septingenti fuere in navibus capti, milites nautæque*; sed codex Puteani, Florentinus, Lovelianus quintus recte scriptum habent: *Mille et septingenti fuere in navibus captis milites nautæque.* Restat locus in extrema parte Livii, quæ ab uno codice Laurishamensi pendet, nondum satis diligenter explorato, libr. XLV, 23, 6: *sed a vobis prohibiti præstare fuimus*, ubi non *sumus* restituendum est, (manebit enim, qua non minus mendum arguitur, vitiosa verborum collocatio: *prohibiti præstare sumus*), sed scribendum: *sed a vobis prohibiti præstare nequivimus.* Et hæc quidem de Livio.[1]) Zumptius autem aliique etiam Ciceroniano testi-

[1]) [Apud Livium XXVI c. 27, 5 *continuatum* non conflatur cum *est*, sed pro adiectivo est. Cfr. II, 13, 9: *Apud regem Etruscum non tuta solum, sed honorata etiam virtus fuit.* 1842.]

monio utuntur ad utriusque formæ promiscuum usum ostendendum. Verum in eo, quem is advocat, loco, pro Plancio c. 20, 50, codex optimus, Erfurtensis, non *repudiata fuit*, sed *repudiata est* scriptum habet, ut nunc Klotzius edidit; valde vereor, ut recte codex Bavaricus inspectus sit.[1]) Idem mendum hæret in Philippica V, 17, 47, ubi codices vulgares habent *extincta fuit*. Vaticanus *extincta sunt*, id est, *extinctast*; nam ex 222
hac scriptura menda illa orta sunt, quum *est* partim transiret in *sunt*, partim, quia hoc ferri non poterat, omitteretur, deinde *fuit* subiiceretur. [Ex eodem erroris fonte manavit, quod in oratione II de leg. agr. § 92 editur: *colonia deducta fuit*, pro quo quum in codice Erfurtensi esset *deducta sit*, scribendum esse *deductast*, non fugit Wesenbergium meum. Observv. Critt. in orat. pro Sest. p. 45.[2]) 1842.] Itaque etiam in oratione pro Font. 20, 4, quum codices haberent: *ut illa* (Macedonia) *per hunc a Thracum adventu ac depopulatione defensa, sic* cet., iam Faernus et Lambinus viderant, scribendum esse *defensast*, quos Orellius secutus est; ceteri hic quoque pravum illud *defensa fuit* effecerant.[3]) Apud Cæsarem unum huius generis exemplum est, in corruptissimis Belli Civilis libris. (Adeo enim, quod multi in testimoniis rerum grammaticarum colligendis aut ignorare aut non curare videntur, depravati hi libri ad nos pervenerunt, ut nullum historici Latini, quod

[1]) [Cod. Tegernseensis, quem antea Bavaricum appellabamus, habet *repudiata sunt*, ex *st* ortum.]

[2]) Dixi de hoc genere mendi in Opusc. prioribus p. 184; in Catone § 63 codex regius habet *morata sunt* pro *moratast*, ceteri verbum omittunt. De N. D. I § 95 alii codices habent *dicenda sunt*, alii *dicenda sit* pro *dicendast*. [Multo plura exempla substituti *sit* pro *st* collegi ad lib. III de Fin. § 58 p. 448, [p. 444 ed. tert.,] nec desunt, quæ addantur; velut apud Festum in prima codicis pagina (p. 167 Lind.) scribitur: *Mamiliorum familia progenita sit a Mamilia Telegoni filia* pro *progenitast*; prave editur *progenita fuit*. Apud Varr. L. L. V p. 9 Bip. pro eo, quod editur etiam a Spengelio et Muellero: *et quod terra sit humus, ideo is humatus, mortuus qui terra sit obrutus*, scribendum est bis *terra st*. 1842.]

[3]) [In Ciceronis Bruto 58, 212, ubi editur: *Crassi testamento qui fuit adoptatus*, gravius subesse mendum vel verborum ordo arguit.]

quidem exstet, opus tam malam habuerit fortunam, e Ciceronis operibus prope soli legum libri.) Is locus in libro tertio est c. 101: *Sed opportunissime nuntiis allatis, oppidum fuit*
223 *defensum Cassiusque ad Sulpicianam inde classem profectus est Vibonem*, ubi manifestum est, quum scriptum esset *oppidum defensum*, ut unum *est* ad duo participia communiter pertineret, librario alicui verbum addendum visum esse. Suetonii item unus huiusmodi est locus vel potius Augusti, in Claudio c. 4: *quid est, quod dubitemus, quin per eosdem articulos et gradus producendus sit, per quos frater eius productus fuit.* Sed codex omnium præstantissimus, Memmianus Salmasii, et sex alii apud Oudendorpium habent *productus sit*, estque coniunctivus aptus ad obliquam orationis formam. Apud Valerium Maximum VII, 4, Ext. 2 Pighius edidit: *quoniam decepti magis quam victi fuimus.* Sed Torrenius annotavit „editiones ante Pighium exhibere cum omnibus fere MSS.' *quam victi sumus*“, idque recte is restituit. Non habeo quod addam e prosæ orationis scriptoribus nisi Cornelii Nepotis locum in Epamin. c. 8 (*ausus fuit*), ubi sententiæ plusquamperfectum accommodatius esset. Equidem, qui has vitas ipsius Cornelii esse iudico, aut *fuerat* scribendum puto aut ex *ausust* factum esse *ausus fuit.*[1]) In poetarum melioris ætatis libris neque ipse quicquam huiusmodi notavi neque ab aliis annotatum video præter unum Propertii duosque aut tres Ovidii locos, qui diligentius inspecti prorsus eripiuntur. Nam Propertius his verbis (II, 31, 2): *Porticus a magno Cæsare aperta fuit*, non hoc dicit: *Søilegangen blev aabnet* (*ward geæffnet*), sed hoc: *var aabnet, stod aabnet af C.* (*stand v. C. geæffnet*). Ovidius Fast. I, 42 (*Quæ sequitur, numero turba notata fuit*), si vera est scriptura, dicit, quemadmodum Romulus notatos menses habuerit, antequam duo a Numa adderentur; sed tamen unus perbonus codex (apud Merkelium) habet: *notata suo est*, duo alii *notata suo.* Eiusdem libri versus 238 in plurimis et optimis codicibus et in plerisque exemplis editis recte sic scribitur: *Dicta quoque est*
224 *Latium terra, latente deo*, ut mirer pro testimonio proferri de-

---

[1]) [Apud Iustinum duobus locis prave scribitur sive ipsius sive librariorum culpa XIX, 1, 9 (*prœliatum fuit*) et XXXII, 1, 6 (*ausi non fuerunt*). Tertium locum puto a me prætermissum esse.]

pravatam hanc scripturam: *Dicta fuit Latium.* Postremo ex Pont. III, 5, 23 *fui solitus* significat: *wie ich gewohnt gewesen bin*, ut *solitus* pro adiectivo sit (*assuetus*)[, ad quam formam Gellius quoque XII, 5, 13 *solitus fuit* pro *solebat* dixit].[1]) Apparet, opinor, eum loquendi modum, quo *occisus fuit* pro *occisus est* ponitur, relinquendum esse ultimæ ætatis scriptoribus, velut ei, qui epitomas Livianorum librorum composuit (vid. epit. 27), et similibus. Excipio, quæ apud Plautum in quattuor deponentibus inveniuntur, *scivi et miratus fui* (Pœnul. V, 6, 10), *opinatus fui* (Amphitr. I, 1, 31), *vectus fui* (Mil. Gl. II, 1, 40), *oblitus fui* (Amphitr. I, 1, 301 et Merc. II, 4, 13), et si quod est simile aliud eiusdem ætatis exemplum. Videntur enim in antiquo sermone interdum participia quædam deponentium et passivorum sic potuisse poni, ut magis absolute condicionem et statum significarent, pæne in adiectivi notionem transeuntia, deinde verbum adiungeretur per se præteriti forma, ut *miratus fui* non tam hoc esset: *jeg har forundret mig*, quam: *jeg har været forundret.* Simile est, quod accidit in *feriandi* et *operandi* verbis, ut *feriatus sum* et *operatus sum* pro præsentibus sint.[2])

Pæne oblitus sum Horatii, apud quem in Sat. I, 6, 13 multi scribendum putarunt: *Valeri genus, unde Superbus Tarquinius regno pulsus fuit*, eadem sententia ac si esset: *pulsus est*, ut evitarent præsens nimis, ut credebant, ab illo loco abhorrens, *fugit*. Verum quoniam ostendi, Horatium *pulsus fuit* 225 ea significatione scribere non potuisse, utemur vera et certa scriptura ad aliam litem dirimendam. Patet enim, Horatium liberius præsenti historico uti, non in continua et incitata narratione, sed in brevi rei præteritæ significatione, per prono-

[1]) [Pauca quædam hoc loco in hac altera editione addita non distinxi a ceteris, quia incommodum et molestum erat. Tetigit nuper hanc rem Haasius ad Reisigii scholas de gramm. Lat. not. 447 parum feliciter. Nam *factus fui* et *factus sum* prorsus eandem rationem habere putavit, atque *factus fueram* et *factus eram*, quod longe est secus propter naturam et usum formæ illius *fueram*; tum incaute testimoniis usus est. 1842.]

[2]) [Præter deponentia in verbis vere passivis hæc exempla apud Plautum notavi: *legatus fui* (Mil. Gl. II, 1, 24 et Truc. I, 1, 75), *conductus fui* (Aulul. III, 3, 10), *expensus fui* (Merc. II, 4, 20).]

men relativum interiecta. Idem Virgilius facit non raro, quum in relativa sententia (Æn. II, 275, VIII, 141, ubi *tollit* est *sustulit et nunc sustinet*, IX, 266, 361, 362, XI, 172, quibus locis pro plusquamperfecto præsens est, frustraque a Wagnero ad certorum substantivorum proprietatem hic usus adstringitur), tum in demonstratione certi puncti præteriti temporis (Æn. II, 665, IV, 549, [Ecl. VIII, 45]). Imitati alii poetæ, ut Persius in satira quarta v. 2: *Barbatum hoc crede magistrum Dicere, sorbitio tollit quem dira cicutæ.*[1]) Non dubitabimus igitur, quin idem Horatius ausus sit post coniunctionem *quum*, præsentisque sit temporis *donat* in Sat. I, 2, 56 (*amator Originis ille, qui patrium mimæ donat fundumque laremque*) et *dormit* in Sat. II, 3, 61 (*quam Fufius ebrius olim, Quum Ilionam edormit*), quibus locis utitur Zumptius § 160 not. ad syncopam præteriti defendendam. Neque, quum illi, quos posui, Virgilii loci omne huiusmodi artificium respuant, id adhibebimus in aliis locis prorsus eiusdem formæ (Georg. I, 279 *creat*, Æn. IV, 228 *promisit — vindicat*, X, 518 *quos educat Ufens*). Illam syncopam ego in quarta coniugatione, in qua facilem explicatum habet geminatæ eiusdem vocalis contractio, certam video esse apud poetas post Augustum, apud Augusteæ ætatis poetas incertissimam, et propter exemplorum in tertia persona summam
220 paucitatem (nam apud Virgilium Æneid. IX, 9 ultima in *petit*, etiamsi præsens est, recte illo versus loco producitur), et quod *redi* et similia in prima persona, quæ apud Persium et in Senecæ tragœdiis leguntur, illi non habent; in prima autem et secunda coniugatione prorsus nego locum habere (cfr. F. Ritteri Element. gramm. Lat. p. 142), maximeque miror eam probari potuisse in prima persona pluralis numeri, ubi omne formarum præsentis et præteriti discrimen tollitur, ne mora quidem vocalis discrepante. Terentii quidem, qui citatur, locum (Adelph. III, 3, 10: *omnem rem modo seni, quo pacto haberet, enarramus ordine*) certissimum habere præsens. intel-

[1]) Fingi poeta vult Socratem adesse et hoc dicere; Socratem ipsum significat commemoratione rei præteritæ, quæ in eo acciderit: ne quis imperitus hoc dici putet, nunc eum tolli.

[2]) [Cum altero hoc Horatii loco comparari possunt Plauti Amphitr. II, 2, 36 (*reliqui . . . quum abeo*), Capt. II, 2, 32 (*Virum, quum inde abimus, liquimus*).]

ligitur comparato simili particulæ *modo* usu in Hecyr. III, 5, 8: *advenis modo?* et in Adelph. III, 1, 2: *modo dolores occipiunt primulum*, ex quibus locis olim efficiebant, *modo* esse *nunc*. (Vid. disputat. mea de Asconio p. 136 not. 4.) Concedendus est igitur poetis liberior hic et audacior usus præsentis historici, quem intra fines paulo artiores ne prosæ quidem orationis scriptoribus eripimus, fatendumque, eandem rationem habere *flemus* apud Propertium II, 7, 2; expellenda vero monstra illa, quæ finguntur, perfectorum *irritat* (apud Lucretium I, 71), *conturbat*, cet.[1])

III. In condicionali sententia semper dicitur *Facturus fui* (*eram*), *si scissem*, nunquam *facturus fuissem*.[2]) 227

Hoc ita esse, scripsi iam in opusculis prioribus p. 199, causamque addidi, quod condicionalis significatio inesset in ipso participio tanquam actionis fieri paratæ. Sed tamen, quoniam et vulgo aliter traditur et vel eos, qui Mureti et Ruhnkenii scriptis notas addunt, video, si quod se iis veræ formæ exemplum obtulerit, adscribere, eam pro altera, quam ego inveniri apud bonos scriptores nego, positam esse, conabor rem dubitationi eximere. Dixi ibi, maxime inde hoc præceptum confirmari, quod in condicionali sententia pendenti *fuerim facturus* constanter diceretur, non *facturus fuissem*. Ubicunque enim sententia condicionalis (condicionis non factæ) temporis præteriti simul aliam habet coniunctivi ponendi causam, quod aut interrogative pendet aut consecutiva est aut causalis

---

[1]) Grammaticorum veterum in hac re, ubi quæritur de forma sermonis longe antiquioris, quæ ex scriptura intelligi non poterat, nulla potest esse auctoritas. Nomen formæ dabant ex vulgari syntaxis regula. [Minus recte et caute disputavit Lachmannus ad Lucr. V, 396 p. 290, nec Neuius Lat. Formenlehre II p. 534 inanem syncopæ speciem abiicere ausus est. Vera syncopa usus est Ennius in *nomus*. *Suemus* antiquam habet præsentis formam aut saltem pro præsenti fictam.]

[2]) Hoc est, quod supra dixi nunc a Zumptio § 498 maximam partem ad meam mentem correctum esse. Sed tamen confirmationem omittendam non putavi.

(*quum*), ibi, ne obscuretur condicionalis significatio, si sic v. c. dicatur: *nescio, num fecissem*, altera illa forma substituitur, quæ condicionis significationem in participio inclusam habet.[1])

228 Itaque huiusmodi sententiarum condicionalium, quæ hanc necessario formam habent, multo maior est numerus quam earum, in quibus indicativus ponitur (*facturus fui*) cum levi significationis inclinatione. Huius formæ exempla Ciceroniana ad ea, quæ in opusculis prioribus adscripta sunt, hæc accedant: Ad Attic. II epist. 16 (*quid futurum fuerit, si Bibulus in forum descendisset, se divinare non potuisse*), pro Planc. 20, 50, in Pison. 7, 14. Notabilis est locus ad constantiam perspiciendam pro Sulla 15, 44 (*quum indicatus tuus inimicus esset, et esset eius rei frequens senatus testis, tibi prius etiam edituri fuerint indicium scribæ mei, si voluisses, quam in codicem rettulissent, cur tacuisti?*). Indicativæ

1) [Retenti in huiusmodi sententiis plusquamperfecti coniunctivi simplicis paucissima sunt exempla; apud Ciceronem quidem, quod certum sit, non habeo nunc nisi unum, in Brut. 33, 126: *Eloquentia quidem nescio an habuisset parem neminem*, ubi puto aliquid valuisse proprietatem vocum *nescio an*, quæ pæne pro uno adverbio sunt. In Philipp. II § 88 verbo *quæro*, ut alibi, subiecta esse potest interrogatio recta, non pendens: *quæro: quid tum tu egisses?*, etsi non pro certo dixerim, sic accipienda illa verba esse. Livius plusquamperfectum simplex retinuit II. 33: *ut, nisi fœdus cum Latinis monumento esset, Postumium Cominium bellum gessisse cum Volscis, memoria cessisset.* Contra imperfectum coniunctivi condicionale minus illud quidem sæpe quam pro nostri aut Græci sermonis more (*ὥστε οὐκ ἂν ἐποίουν*), sed tamen aliquando simul interrogative pendet aut in consecutiva sententia ponitur particulæve causali *quum* subiicitur. (Cic. pro Rosc. Am. 41, 119, pro Sulla 20, 58 (*putaret*), de prov. cons. 4, 7, pro Marc. 6, 17, de Fin. II, 15, 49.) 1842.] [Plusquamperfecti retenti tria alia exempla Ciceroniana postea repperi: Brut. 41. 151 post *haud scio an*, et in *potuisset*, ubi nullum participium aderat, de Invent. II, 24, 73 (*perissentne* pro *perituri fuerint*), II, 41, 120 (*quemadmodum scripsisset*); pro Mil. 38 *quum* temporale est (*quo tempore*). Val. Max. IV, 4, 9 et Phædr. I, 11, 15 vix numero. Livii exempla addo X, 46, 6 et XXXI, 23, 11, utrumque in verbo *potuisset*. Imperfecti, quod dixeram non raro reperiri, hæc exempla Siesbyeus notavit: de Invent. II, 113; de Or. I, 165; Brut. 160; Verr. III, 166, IV, 13; ad Fam. XIII, 23, 2; 44; 74. In passiva verbi forma retentum plusquamperfectum apud Cic. pro Sest. 62: *quod ille si repudiasset, dubitatis quin ei vis esset allata*, excusationem habet ex difficultate *περιφράσεως*.]

formæ ceteris exemplis addi potest ad Attic. XIV, 14, 2. (Ovid. ex Pont. I, 7, 42.) Deinde autem Livii usum persequamur, apud quem indicativæ formæ aliquot, coniunctivæ permulti loci sunt. Is enim absolute sic loquitur: V, 53, 9: *et quod singuli facturi fuimus, hoc — recusamus facere?* XXXVIII, 47, 4: *quos ego, si — prohiberent, citaturus fui.* In libro XL, 14 extr. hunc indicativum cum plusquamperfecto coniunctivi compositum non ferentes sive librarii sive editores, quum difficile esset plusquamperfectum coniunctivi efficere, prorsus barbare perfectum coniunctivi substituerunt: *quo modo — fefellissent? quo modo autem — ipsi erasuri fuerint?* [scr. esse *fuerunt* 229
iam Bauerus intellexit.] In subiuncta ac pendenti sententia sic scribit: IV, 38 extr.: *quin, si — possent, daturi fuerint*; V, 51: *ut — non, si me — revocaretis, rediturus fuerim*; eiusdemmodi sunt hi loci: [IV, 29, 6,] IX, 17, 2, XXII, 32, 3, XXIV, 26, 12, XXVI, 10, 7, XXVI, 26, 7, XXVIII, 16, 2, XXXI, 7, 3, XXXV, 1, 3, XXXVIII, 31, 3, XL, 56, 7.[1]) Nemo non videt in libro XLI, 24, 4, ubi editur: *divinat etiam, quæ futura fuerant, si Philippus vixisset*, æque pravum esse tempus ac modum verbi, scribendumque [quod iam Gronovius sensit] *futura fuerint*, quemadmodum paulo post Kreyssigius, Sigonio obsequens, edidit: *nec* (scimus), *quid Philippus, si vixisset, facturus f u e r i t*, pro eo, quod edebatur, *fuerat*.[2]) Plusquamperfectum ibi demum locum habet, ubi sententia interrogativa pendet a præteriti temporis verbo; ibi enim propter communem legem hæc forma: *scio, quid facturus fuerit*, transit in hanc: *sciebam, quid facturus* (antea) *fuisset*; vid. Liv. [X, 45, 3, XXIII, 39, 2,] XXVIII, 24, 2, XXXVIII, 46, 6 (ubi in *admonente* latet *admonebat*). Libro XXXVI, 5, 6 plusquamperfectum dicitur suo sensu, non condicionali: *fuerant* (ante) *accepturi*, coniunctivus propter orationis universam formam

---

1) [Huius formæ particulæ *nedum* subiectæ exemplum habet Tac. Hist. II, 38.]

2) Apud Lucretium V, 1342 Wakefieldius et Forbigerus ediderunt:

sed vix adducor, ut ante
Non quierint animo præsentire atque videre,
Quam commune malum fieret fœdumque futurum.

Monstrum est *fit futurum*; scribendum autem: *Quam commune malum fuerit fœdumque futurum.*

hypotheticam ponitur; [eadem ratio est XXXVI. 27, 3 et apud Cæs. B. G. I, 40, 14.] Apud Ciceronem erratum est in hac forma in oratione pro Ligario 12, 34, ubi quum recte ederetur: *An potest quisquam dubitare, quin, si Q. Ligarius in Italia esse potuisset, in eadem sententia futurus fuerit, in qua fratres fuerunt?*, nuper ex aliis codicibus, quorum maior solet
230 esse auctoritas, scriptum est: *fuisset futurus*; sed illam auctoritatem in hac oratione sæpe manifestis mendis interpolationibusque minui, alibi exponam uberius. (Quod in libro II de Invent. § 73 et 76 scribitur: *quum omnes perituri milites essent, nisi ad hanc pactionem venissent, utrum satius fuerit amittere milites an ad hanc pactionem venire*, ibi *essent* accommodatum est ad præteritum tempus sententiæ primariæ in verbo *fuerit.*) Patet, opinor, verum esse, quod initio posui; nec dubitabo in uno, qui obstat, Ciceronis loco (de Divin. II, 8, 21: *aut, si fato, etiamsi obtemperasset auspiciis, idem eventurum fuisset*) librariorum temeritatem accusare scriptumque a Cicerone putare *fuit.*[1])

IV. Particula *num* non ponitur in priore membro interrogationis disiunctivæ.

Vetus est error, quod *num* quemadmodum *utrum*, rarius tamen aut cum levi significationis inclinatione, in priore membro interrogationis disiunctivæ poni traditur[2]), tollendus aliquando. Nam illa particula tota natura sua in una et simplici interrogatione sedem habet; sed fefellit eos, qui primum ita præceperunt, quod simplici interrogationi per *num* positæ uno et altero loco annectitur tanquam contraria nova interrogatio, priorem corrigens et longius progrediens responsum certa coniectura præcipiendo, prorsus ut quum dicimus (Cic. Tusc. II § 42): *unde igitur ordiar? an eadem breviter attingam?* aut (id.

---

[1]) [Non longe remotum est ab hac quæstione, quod in oratione Miloniana c. 18, 48 legitur in sententia condicionem continente: *Si quidem exiturus ad cædem e villa non fuisset.* Hæc enim condicio contraria est non huic affirmationi: *Sed exiit*, verum huic: *sed exiturus fuit*, et hoc significat: *Si quidem non constitutum habuisset exire.* 1842.]

[2]) Velut apud Zumptium § 354, Ramshornium p. 717, al.

de Divin. II § 31): *quid est, quod declarari possit habitu ex-* 231
torum et colore? an hoc eiusdemmodi est, quale Pherecydeum illud cet., quæque alia et attuli et expedivi in Epistola ad Orellium p. 77 et afferre plura poteram (Tusc. I, 47, 112, Cat. Mai. § 15 et 23, de Divinat. II § 117, Verrin. III § 60); nam Handius in Tursellino vol. II p. 345 et 353 hæc divellit nec prorsus recte tractavit. Itaque ipse, ut ceteri, et hic et p. 334 disiunctivam interrogationem esse putat in his Ciceronis verbis de Or. I, 58, 249: *Num igitur, si cui fundus inspiciendus aut imperandum villico sit* (scr. necessario *villicost*), *Magonis Carthaginiensis sunt libri perdiscendi, an hac communi intelligentia contenti esse possumus?* Verum Antonius non, tanquam dubitet, disiunctive quærit, sed simpliciter, ita ut negandi vim interrogatio obtineat (— *perdiscendi?*), deinde ipse alteram interrogationem in eandem sententiam addit. Similis est ratio in Cic. libro II de Legg. § 5: *Numquid duas habetis patrias?* (hoc Atticus quærit admirans; tum subiicit:) *an est una illa patria communis?* Tertium testimonium addit Ramshornius p. 717 ex Ciceronis Lælio 8, 26, ubi sane aperta est disiunctio; verum pridem ex optimis codicibus restitutum est *utrum.* Quartum ipse adiiciam et subtraham idem. Nam in oratione Ciceronis pro Rosc. Com. 9, 26 editur: *Nihil hunc in societatem fraudis fecisse ostendisti. Fecit pactionem. Num tabulas habet an non?* Verum qui codicum scripturas inspexerit (standum est autem fere Oxoniensium testimonio, quoniam alii collati non sunt), de ceteris dubitabit, de eo non dubitabit, quin hæc verba: *ostendisti fecit pactionem num* ex temeraria interpolatione veteris alicuius editoris orta sint. E codicum vestigiis efficitur, pro *ostendisti* scriptum fuisse *indicasti* sive quis *indicasti* mavult, deinde verba quædam intercidisse, tum
recte positum: *Tabulas habet an non?* Non igitur Latine scrip- 232
serit, qui pro eo, quod apud Ciceronem est (ad Fam. II, 5): *unum illud nescio, gratulerne tibi an timeam*, substituerit: *num gratuler an timeam*, quod eodem loco habet Handius, Tursell. vol. I p. 334.[1])

---

[1]) [Quod in Rhet. ad Herenn. II, 16, 23 legitur: *num culpa ventum sit in necessitudinem, num culpam veniendi necessitudo fecerit*, corruptum esse, non solum particula arguit, in utroque disiunctionis membro po-

V. *Quod* pro accusativo cum infinitivo apud quos scriptores positum reperiatur.

Quæ sententia iam olim patronos habuerat, vel optimæ ætatis scriptores, raro omnino, sed tamen aliquando *quod* particulam subiicere eiusmodi verbis, quæ propter sentiendi aut declarandi significationem accusativum cum infinitivo requirerent, ea quum nostri quoque temporis grammaticis (velut Zumptio § 629. Ramshornio p. 743 ed. 2) se probaverit, operæ pretium erit, antequam novas radices agat latiusque propagetur, exquirere, quam sit vera. Locorum, qui testimonii causa adscribuntur, magnam partem collegerat vir egregius P. Manutius ad Cic. Epist. ad Fam. VII, 28, qui quod minus subtiliter genera quædam loquendi aliquantum diversa secrevit nonnullaque exempla prorsus ad rem non pertinentia adiecit (ut XIII ad Fam. 40: *quod scio multas valuisse*, de quo genere dixit ipse alibi recte), facilis est venia ac parata et propter tempus et propter cetera merita. Et tamen multo minus apud hunc erroris et confusionis esse quam apud eos, qui postea testimoniorum copiam augere voluerunt auctoresque sententiæ
233 et defensores citari solent, intelliget, qui illam annotationem comparaverit cum Scioppii Auctario Mariang. Ep. VI, Vossii de arte grammat. libri VII c. 20 et 62. Vorstii lib. de Latinitate falso susp. c. 24, Perizonii denique nota ad Sanctii Minerv. lib. III c. 14 § de coniunctione *quod*.[1]) Itaque hoc est

---

sita, sed alterius partis verba sensu carentia sive *culpam veniendi* sive *veniendi necessitudo* coniungitur. 1842.] [Poetarum aliquot sunt loci, in quibus *an* interrogationi per *num* propositæ subiectum maiorem habet ad disiunctivam formam inclinationem, nec tamen veram disiunctionem, quoniam non interrogatur de rebus contrariis, quarum altera alteram tollat, velut Plaut. Pœn. V, 5, 36, Hor. Epod. 3, 6; vix effugias disiunctionem in Hor. Sat. II, 5, 58, Prop. III, 5, 43, Ov. ex Pont. II, 2, 57 et 58, Trist. III, 1, 41 et 42; sed tamen primum absolute interrogatur, deinde oboritur altera coniectura.]

1) Recte dici *scio, quod, dico, quod* Perizonius, qui superiorum copias in unum coegit, ex eo efficit, quod dicitur *queror, lætor, quod, gratum est mihi, quod, excepto quod, multa in nostro collegio præclara, sed hoc in primis, quod.* Tum in Ciceronis Læl. 2, 8: *ego id respondeo, quod animadverti, te* cet. non videt *quod* relativum esse, nec in Suetonii

in hac re molestiæ, quod, quum magna pars argumentorum illorum testimoniorumque refelli nostra ætate non debeat (ut comparatio illa verborum, in quibus et materiam affectus sententia infinita et causam particula *quod* significare licet), tamen nescias, quid tuto omitti possit. Præstabit, opinor, in partem tutiorem peccare. Primum igitur, etiam a Zumptio, Cicero citatur testis, qui de Offic. II, 20, 70 scripsit: *Videndumque* 234
illud est, quod, si opulentum fortunatumque defenderis, in uno illo manet gratia; in quo loco quum ad pronomen *illud* attendendus erat animus tum ad indicativum verbi modum, quod modi discrimen mirum est fere ab iis, qui hanc rem tractant, negligi; ex utroque enim patet, longe aliter sententiam a Cicerone animo comprehensam esse, ac si dixisset: *sciendum est, manere gratiam*; non enim hoc a se promit Cicero aliosque ita esse docet, sed rem notam et concessam (*factum* nunc dicimus) considerari iubet. Itaque orta est orationis forma ex communi usu particulæ *quod*, quum sic res facta ponitur, ut de ea aliquid dicatur. Prorsus igitur eodem modo scripsit ad Fam. III, 8, 6: *An mihi de te nihil esse dictum unquam putas? ne hoc quidem, quod, quum me Laodiceam venire voluisses, Taurum ipse transisti?* Non indicatum sibi hoc ignoranti significat, sed rem notam et confessam commemoratam esse apud se. Eademque est ratio alius Ciceronis loci in libro I de Legg.

Aug. 43 (*tantum ut ostenderet, quod erat bipedali minor*) *quod* causalem significationem habere. Omnino nusquam minus Perizonium agnoscas quam in illo opere, communi illius ætatis vitio, quod, neglecta sermonis in ore hominum viventis contemplatione, adeo communem eius naturam ignorabant, ut, si ultra exemplorum collectionem progredi vellent, omnia confunderent. Alia ratione et ad speciem multo subtiliore idem multi nunc faciunt. Ceterum qui præter eos, quos nominavi, de hac quæstione dixerunt, enumerat Ruddimannus Institutt. II p. 12 not. et Drakenborchius ad Liv. III, 52, 2. [Sed si ipsos libros inspexeris, nihil reperias, nisi superiorum eiusdem sententiæ defensorum nomina (ne apud Dukerum quidem ad Flor. I, 23) unumve et alterum pravum testimonium inde repetitum (ut apud Noltenium in partic. *quod*). Nuper in Reisigii scholis de gramm. Latina (§ 331) veteri acervo novum accessit exemplum, locus Ciceronis in libro V de Fin. 11, 30, a Gœrenzio fœdissime interpolatus, ubi verborum *potest quod* nullum minimum est in codicibus vestigium. Adeo incuriose res agitur. 1842.]

c. 11, 32: *illud extremum est, quod recte vivendi ratio meliores efficit*; neque enim hoc ex ante dictis concluditur, sed aliunde sumptum annectitur.[1]) Et tamen animadverti in his Ciceronis locis debet, esse, ubi in huiusmodi etiam verbis particulæ *quod* usus propinquitate aliqua accusativum cum infinitivo attingat, quum id, quod declaretur sentiaturve, etiam per se poni positumque commemorari deve eo iudicari possit.[2]) Huius generis Horatii quoque illud est, quod quidam proferunt ex Epist. II, 2, 147: *Quod quanto plura parasti, Tanto plura cupis,*
235 *nulline faterier audes?* (id est: *hunc morbum fateri non audes?* et contraria hæc rei veræ declaratio est fictæ condicioni v. 146: *si tibi* cet.). Eodem modo dixit Tacitus Ann. III, 54: *At Hercule nemo refert, quod Italia externis opibus indiget, quod vita populi Romani per incerta maris quotidie volvitur.* (Vertas: *Den Umstand aber berührt Niemand.*) [Conferantur, quæ gr. Lat. § 398 b extr. dixi. Ei, quod est *prætermitto, quod*, adiungi potest *taceo, quod* apud Val. Max. IV, 4, 9.] Et de Cicerone satis dictum est; nam de Ep. ad Att. X, 4, 11 satis erit Orellii notam inspexisse, ut intelligas, nihil in illo loco testimonii esse. Livium libro III, 52, alii certum esse putant, Zumptius saltem verisimile, ad hanc formam scripsisse: *scituros, quod sine restituta potestate redigi in concordiam res nequeant*; ego, etiamsi concederem, Livium dixisse *scio quod*, tamen certissimum esse iudicarem, sic ab eo scriptum hoc loco non esse. Quæ est enim ista barbaria: *sine restituta potestate* pro eo, quod Latine dicitur: *nisi restituta potestate*? Editores enim et grammatici, ut sæpe, dum de una parte loci, qua regulam stabiliri infirmarive putant, affirmando et negando digladiantur, ad reliqua, quibus lis decerni poterat, non attenderunt. Itaque quum codices habeant *sciturosque sine*, aptum-

[1]) Gœrenzius, ne nihil diceret, *quod* statuit esse: *quod attinet ad id quod*, et sequitur Moserus. Bellam sententiam: *extremum est illud, quod attinet ad id quod recte vivendi ratio meliores facit!* [Corruptum manifesto Ciceronis locum in Brut. 71, 249 emendavi Adv. Crit. III p. 108 sqq.]

[2]) [Cfr. act. I Verr. 55, in Catil. I, 3, ad Att. I, 19, 3, de Leg. Agr. II, 58, qui locus in extremis verbis: *quod non gratis fit, indico*, simillimus est Horatiano et Taciteo, quos supra posui, itemque Liviano (XXXVIII, 49, 11).]

que sit *que*, neque *quod* scribemus, ut plerique, neque *quam*, ut Gronovius volebat, parum sane apte, sed aliam exspectabimus reliquorum verborum emendationem, interea hoc loco pro testimonio non utemur.[1]) Sed prorsus certum putant alterum Livii locum, in libro XLV c. 41. qui non melius habet, nisi quod emendatio non dubia est. Scribitur: *quanquam, et quam feliciter rem publicam administraverim et quod duo fulmina domum meam per hos dies perculerint, non ignorare vos* 236 *arbitror.* Postulat necessario orationis æqualitas, ut utraque sententia (*et quam — et quod*) eandem formam habeat; nec id tantum cives sciebant, duo fulmina domum Æmilii perculisse, sed quæ et quam gravia perculissent. Recte igitur Gronovius, quod in unico codice scriptum est, si modo ita ibi scriptum est, *quod* mutavit in *quæ*. Et quantulum hæc distant in codicibus[2])! Apud Cæsarem B. C. I c. 23 (*pauca apud eos loquitur, quod sibi a parte eorum gratia relata non sit*) patet *quod* adiungi ad *pauca*, ut ostendatur, de qua re pauca illa dicta sint, non ad *loquitur*; neque enim Cæsar facile dicere poterat: *loquitur, gratiam sibi non relatam.* Habet igitur hic quoque locus exemplum sententiæ legitime a *quod* incipientis, sed paulo rariore forma subnexæ ad notionem aliquam distinctius explicandam, quomodo libr. I B. G. c. 19 Cæsar dixit: *quum certissimæ res accederent, quod per fines Sequanorum Helvetios traduxisset, quod obsides inter eos dandos curasset*, cet., et eodem libro c. 43: *Cæsar sua senatusque in eam beneficia commemoravit, quod rex appellatus esset a senatu, quod amicus, quod munera amplissima missa.* Recta hæc; illud dicere non potuit: *Cæsar commemoravit, quod rex appellatus esset.* [Cfr. Cic. de Divin. II, 31, 67.] Eandem explicationis per *quod*

---

[1]) Non sine causa in eo quoque Gronovius et Couterius hæserunt, quod omittitur *tribunicia*; neque enim, quod Livius Duilium tribunum fuisse dixerat, ideo illud recte in Duilii oratione audiendum relinquitur, quum nihil ab eo de tribunatu actum esse antea dictum sit. [De *sine* cum participio sententiam mutavi locumque Livii corrigere tentavi Em. Liv. p. 100 sqq. Quicquid est, *scituros quod* contra codices perverse scribebatur.]

[2]) [In codice omittitur *quæ*; *quod* Grynæus addidit.] De Livii libri XLII c. 33 satisfaciet Drakenborchius. Miror, etiam Kreyssigium mendum reliquisse.

particulam adiunctionem nunc habet Varronis locus de R. R. I, 7, 9, quo non recte scripto Manutius utebatur, quum interponeretur *et* ante *quod*. In altero Varronis ex eodem opere loco II, 10, 6 (ubi editur: *Quod ad feturam humanam pertinet pastorum, qui in fundo perpetuo manent, facile est, quod habeant conservam in villa*) ipsa sententia requirit, ut scribatur
237 *quom*[1]); neque enim facile esse dicitur, pastores conversam habere, sed facilis fœturæ ratio, quod habeant. E libris de L. L. in tali re propter codicum depravationem difficile est testimonia aut sumere aut sumpta refellere. Indicabo tamen ibi libr. X p. 170 Bip. [X § 43 Muell.] edi nunc e codicibus: *sed dicunt, quod ab similibus nonnunquam rationes habet implicatas duas*; sententia quidem neque in verbis *sed dicunt* recte cum superioribus coniungitur neque subiectum ullum habet, ut de mendo nulla sit dubitatio. In eiusdem operis libro VIII p. 123 [VIII § 78 Muell.] sic scribendum puto: *Quod ad vocabulorum huius generis exempla pertinet, multa sunt reliqua, sed ea, quæ dicta, ad iudicandum satis sunt* [*quod analogias in collatione verborum sequi non debemus*]. *Magnitudinis vocabula* cet. Neque enim dubito, quin ea, quæ notavi, verba aliena manu addita sint ad explendam orationem satis perspicuam.[2]) Apud Phædrum denique V, 2, 13 (*Scio, quod virtuti*

[1]) [Apud Keilium scribitur sine varietate *quod habent* causali significatione.]

[2]) [Rectius locum emendavi Adv. Crit. II p. 174.] Cum corruptissimo Varronis opere coniunguntur similitudine huius condicionis M. Senecæ controversiarum libri, e quorum secundo, controv. 13 (5), hæc verba (p. 182 Bip.) Vorstius profert: *apparet, quod non oportuit, si ne licuit quidem.* Quum id in iudicium veniat, utrum hoc uno loco in facillima orationis forma et apertissima Seneca *apparet quod* posuerit an eum cum mille aliis misera operis fortuna depravaverit, dubium non est, utrum sequamur. [Nunc II, 5, 17 Kiessl. recte editur: *quam utique non oportuerit.*] In libr. I contr. 2 p. 89 Bip. (*novissime, quod non sit pudica*), quo loco idem Vorstius utitur, perspicua est causalis significatio, [et editur nunc *quia*, § 16 Kiessl.]. L. Senecæ locus in epist. 108 § 14 a multis annis rectius scriptus optimorum codicum auctoritate editur. [Quæst. Nat. VI, 18, 6 interpolationem arguit cod. Bamb. et notavit Haasius.] Ovidii locus, qui est in Trist. V, 6, 27, quemadmodum e codicibus emendari deberet, dixi ad Cic. de Fin. V § 32 p. 671 (p. 662 ed. 3.] In Virgilii Æn. IX v. 289 (quo loco miror neminem usum esse) *quod* causali significatione refertur ad superiora;

non sit credendum tuæ) quod Gronovius ex consuetudine sermonis scribendum esse intellexerat: *quam* — *non*, Orellius e 238
codice Perottino edidit. Itaque donec meliora proferantur testimonia, quod vix unquam puto futurum, sic de hac re tradendum prorsus censeo, fortasse antiquiores semel et iterum *quod* sic posuisse cum coniunctivo (nam in Plauti Asin. I, 1, 37 Gronovii mutatio incommoda est[1]), nec Catonis fragmentum apud Plin. Hist. N. lib. XXIX, 1, 7 correctionem recipit probabilem[2]); tum autem post Augustum primum ex iis, quorum scripta exstant, Celsum aliquoties (ut I, 3 p. 20, II, 6 p. 38, III, 1 p. 75 Daremb.) *quod* posuisse, ubi infinitivum exspectares, nunquam tamen nisi præmisso *illud* pronomine, cui adiungitur *quod*, et sequente indicativo, ut hunc usum ab illa inclinatione, quam ante in Ciceronis et aliorum locis aliquot animadvertimus, ortum esse appareat, quem etiam Paulus Ictus secutus est in Dig. XXXVII, 4, 4 (*Illud notandum, quod bonorum possessio contra tabulas, quæ liberis promittitur, locum habet, sive quis heres exstiterit sive non*) et Martialis libr. XI epigr. 64 (65): *Hoc scio, quod scribit nulla puella tibi*; deinde vero ab Hadriani fere tempore invaluisse, ut *quod*, sequente coniunctivo, initio tamen rarissime, prorsus pro infinita sententia poneretur. Prima enim certa testimonia sunt Suetonii (Tit. 8)

Euryalus insalutatam matrem se relinquere dicit, quod lacrimas perferre non possit, et hanc unam esse causam, deos testatur.

[1]) In Pœnulo III, 1, 44 prorsus scribendum est: *Scitis; rem narravi vobis, quo* (pro *quod*) *vestra opera mihi opus siet.* Hoc Agorastocles dicit, non ignorare illos, ad quam rem eorum operam expetiverit. [*Quid* Ussingius, id est: in qua re.]

[2]) [Non possum tamen non vehementer mirari, qui factum sit, ut huius loquendi formæ, cuius usurpandæ, si in quotidiano sermone locum habuisset, frequentissima occasio comicis poetis fuisset, in omnibus Plauti comœdiis unum exemplum exstet, in Terentii nullum; accedit coniunctivus verbi modus, quum in eorum scriptorum locis, apud quos primos tenuis aliqua ad hunc particulæ *quod* usum inclinatio apparet, indicativus ponatur. Valde vereor, ne antiquum mendum interpolatiove subsit. Poterat Plautus scribere: *Equidem scio iam: filius deamat meus istanc* cet. In Catonis loco offendit etiam copulatio interrogationis pendentis et sententiæ per *quod* adiunctæ. Potest fuisse: *quid Athenis exquisitum habeam, et quor bonum sit* cet. Nihil affirmo, dubitationem premere nequeo. De Catonis fragmento in eandem suspicionem Iordanum incidisse Siesbyeus mihi indicat.]

et Flori (I, 23). Plinius Minor in epist. II, 11, 6 *quod* cum indicativo, nec tamen præcedente *illud*, notabiliter posuit; sed tamen veteris usus proprietas non oblitterata est; neque enim qui scripsit: *annotatumque experimentis, quod favor et misericordia acres primos impetus habent*, id est, *annotata res illa nota et sæpe dicta*, idem continuo scripturus erat etiam: *video,*
239 *quod ita sit.*[1]) Suetonio et Floro adiunguntur[2]) Ulpianus Dig. XXV, 3, 1 § 3, [idem XLVII, 15, 2,] scriptor belli Hispaniensis c. 36 (*renuntiarunt, quod Pompeium in potestate haberent*) et fortasse c. 10, Apuleius X p. 228 Pric. (*qui puellæ nuntiaret, quod eam iuvenis vocaret ad se*; nam alterum locum VI p. 124 Oudendorpii codices aliter scribendum esse ostendunt), postremo, quæ post Vossium Forcellinus (cautius ille quam multi alii in hoc loco versatus) e Palladio protulit.[3]) Huic generi ex antiqua et recta orationis forma sensim nato occurrit apud scriptores ecclesiasticos alterum simile et tamen ex origine longe diversa tractum, quum *quia* cum indicativo ponunt pro sententia infinita; apparet enim, hanc dicendi formam apud eos natam esse, qui libros sacros veteris et novi codicis ita transferrent, ut verba singula annumerantes neque

---

[1]) [Non minus apparet transitus nondum ad recentiorem usum factus, sed tamen aliqua ex parte cœptus in Plinii loco XXXV, 105: *sequitur tabulam . . . hæc fama, quod eam Protogenes sub gladio pinxerit.*]

[2]) [Apud Gellium X, 27, 1 et 2 sic verba scribenda et distinguenda videntur, ut *æstimatum* (esse) pendeat a verbis *memoria exstat*, interposita per *quod* causæ significatione, quanquam mendosum tum videtur *neque.*]

[3]) Subiungam exemplorum, quæ postea ex scriptoribus aliquot inferioris ætatis particulæ *quod* partim cum indicativo, partim cum coniunctivo pro sententia infinita positæ notavi, specimen. Apud Iustinum in decem primis libris hæc sunt: I, 7, 9 (*cognito, quod*), II, 5, 13 (item *cognito, quod*), VIII, 2, 11 (*immemores, quod . . . usi fuerant*); apud scriptores historiæ Augustæ in septem primis vitis hæc notavi: Helius 6 (*volens videri, quod verba tristia temperasset*), Anton. Phil. 18 (*certis omnibus, quod . . . deos redisset*) et 23 (bis § 5 et § 9), Verus 9 § 2 et 10 § 1, Avid. Cass. 9 § 7 et § 9; Ammiani Marcellini in duobus libris hæc sunt: XXI, 13, 15 (*spondeo, quod . . . torpescent*), ibd. 14, 2 (*confessus est, quod . . . desierit*), XXII, 2, 1 (*addentes, quod . . . fecerit*), ibd. 3, 8 (*prætendens, quod . . . delevit*), ibd. 6, 3 (*pollicitus, quod . . . veniet*), ibd. 11, 6 (*docuisse . . ., quod . . . debent*), ibd. 15, 7 (*opinio est . . ., quod . . . intumescit*).]

ὅτι Græcum neque, quæ ei respondet, Hebræam particulam excluderent. Exemplorum copiam collegit Buenemannus ad Lactantii Instit. IV, 12, 18, V, 17, 30, VI, 22, 3. Orti autem ex diverso rivuli quemadmodum ad extremum, barbaria superante, mixti sint, ad hanc nostram quæstionem nihil attinet persequi.[1])

VI. De formis imperativi passivi.

Ad extremum, ut ipsas formas verborum attingam, non meum inventum proponam, sed alienum confirmabo et amplificabo. Duodecim enim anni sunt, quum Krarupius, amicus meus, formam eam, quæ in omnibus grammaticis secundæ personæ plurali futuri imperativi passivi adscribitur (*amaminor,* 240
hortaminor, vereminor), negavit ullam habere auctoritatem. Nec tamen postea quisquam aut eam formam sustulit aut exemplum veteris scriptoris addidit; nam duo illa Plautina, quæ Ruddimannus et antiquiores habent, summo iure Krarupius reiecit, alterum ex Epidico V, 2, 30, ubi pluralis ferri nullo modo potest, codices autem habent *arbitranunc*, ex quo fit *arbitramino*, alterum ex Pseudolo III, 2, 70, ubi hæc leguntur: *Si quo hic spectabit, eo tu spectato simul; si quo hic gradietur, pariter progrediminor.* Et habent codices, quem sententia requirit, singularem *progredimino.* Atque sic hos locos scribendos esse, vidit etiam Ramshornius p. 143, sed quid inde sequeretur, non vidit. Illud addo, ipsam formam ratione carere: neque enim usquam in Latino sermone littera *r* pluralitatis index est. Qui etymologiam sequi volet, sic imperativum passivum ordinabit:

	Singul.	Plural.
Prior forma	pers. 2: *hortare*	
	pers. 2 et 3: *hortator*	pers. 3: *hortantor*
Sec. forma —	pers. 2 et 3: *hortamino*[2])	pers. 2: *hortamini.*

---

[1]) [In hac quinta admonitione plura nunc addidi supplevique, quæ notari et a primæ editionis forma separari commode non potuerunt. 1842.]

[2]) Hæc forma præter eos locos, quos Struvius et alii citant, quater legitur in tabula Heracleensi (Haubold. Monum. leg. iur. Rom. p. 100 [Bruns Font. Iur. Rom. p. 95 et 96]). [Semel *fruimino* in decreto Minuciorum apud Orell. n. 3121.]

Nam *hortamino* cum *hortamini* coniunctum esse, eandemque habere terminationis miræ et in cognatis linguis abolitæ originem, certum est, etsi illud secundæ et tertiæ, hoc tantum secundæ personæ est et in indicativo respondet singulari *hortaris*. Eadem personarum perturbatio est in *hortator*, cuius plurale tantum tertiæ proprium est, ipsum etiam secundam complectitur; et tamen patet, coniunctum id esse cum tertia indicativi persona, ut *hortare* cum secunda cognatum est vel potius idem.
241 Ceterum usu *hortare* præsentis esse dicemus, *hortator, hortamino, hortantor* futuri (hoc est imperii certum tempus et condicionem definientis), *hortamini* et præsentis et futuri. Rarissime hoc in linguis fit, ut personarum notæ commutentur; sed in causa fuit infrequens harum formarum usus, quæ fere in solis deponentibus, nec in iis sæpe, audiebantur. Nec alia est causa, cur aliquanto, quam putatur, sæpius veteres Latini in *hortator* et *hortantor* passivi notam abiecerint dixerintque *hortato*, *hortanto*, ex quo, si quando animadversum est, non recte concluditur, etiam *horto* eosdem dicturos fuisse; neque enim hoc ad totius verbi, sed ad solam imperativi formam pertinet. *Utito* bis dixit Cato (vid. Schellerus et Ramshorn. p. 205)[1], *utunto* est in vetere plebiscito de Thermensibus p. 146 Orell. Inscriptt. Lat. [p. 86 Bruns], *nitito* et *amplexato* Cicero scripsit (Fragm. de Re p. apud Diomedem p. 330, pro Cluent. 44, 124), idemque *tuento* et *patiunto* (de Legg. III, 3, 7 et 4, 11); pro *arbitrator* de N. D. II, 29, 74 optimorum codicum auctoritas postulat *arbitrato*; in lege Acilia etiam *censento* pro *censentor* scriptum est (c. 23 p. 66 Haubold. [Bruns p. 67 v. 77]). [*Largito* in lege col. Iul. genit. tab. IV, c. 3 v. 30, Bruns p. 126. Cfr. de tota re Neue Formenl. d. lat. Spr. II p. 398 sqq. et p. 400.]

---

[1]) [Immo, ut mihi indicat Siesbyeus, quater codices hanc formam habent, §§ 96, 107, 123, 126; tribus aliis locis sic edidit Keilius sine codicum auctoritate; *præfato* legitur § 134, *persequito* § 49.]

XVIII (VI).

De tribunis ærariis disputatio.[1])

Tribunorum ærariorum nomen nemo fere est, qui litteras 242 et instituta Romanorum vel leviter attigit, quin et audierit et legerit atque illud etiam cognoverit, eos aliquo tempore cum senatoribus et equitibus Romanis tertia ex parte res iudicasse, nec eam rei publicæ partem eos in remotissima antiquitate tenuisse, cuius exigua supersit memoria, sed ea ætate, quæ suis ipsa monumentis notitiam sui ad nos propagarit. Ipsi tamen illi homines qui fuerint et quam id nomen rationem habeat, ne docti quidem viri scire aut satis quæsisse videntur, neque philologi neque qui ius Romanum interpretantur (utrorumque enim communis hic est locus), sed eiusmodi sententia contenti fuisse, quæ et rem ipsam obscuram ac dubitatione implicatam relinquat et, si propius adspexeris et tentaveris, perspicue falsa reperiatur. Itaque iuvat certiora et veriora exquirere, quum præsertim hæc quæstio et ad universam for-

---

[1]) [Edita a. 1838 ineunte. Sententias de tribunis ærariis a me expositas fere omnes, qui hanc rem nuper attigerunt, secuti sunt. Easdem me non nominato Gœttlingius posuit in historia institutorum rei p. Rom. (Geschichte der römischen Staatsverfassung) p. 367 et p. 475, nisi quod priore loco quædam de patriciorum et plebeiorum discrimine sine ullo testimonio addidit. 1842.] [Quæ Mommsenius in libro Die Römischen Tribus p. 52 sqq. contra scripsit ipseque et alii postea recoxerunt, satis refutavi in opere de institutis rei publicæ Romanæ I p. 185.]

243 mam veterum institutorum iudicialium populi Romani cognoscendam non inutilis videatur et simul memorabili exemplo patefactura, quas turbas et dubitationes interdum pariant in historia et antiquitate perscrutanda vetera nomina rerum ex usu sublatarum longo intervallo ad nova instituta similitudine aliqua traducta. Sed ut rem ordine persequamur, primum notarum quarundam rerum memoria repetenda est.

L. Sulla, victa populari factione, ad optimatum auctoritatem stabiliendam etiam iudicia, quæ post C. Gracchum fere penes equites fuerant, senatoribus reddidit, ut ex illo ordine seligeretur et scriberetur omnis iudicum numerus, ex quo et ad singulas publicas causas tot, quot lex iuberet, sorte ducerentur et in litibus causisque privatis iudices darentur.[1]) Ea lege et nimis auctam senatus potentiam populares homines ægre ferebant, et ipsi senatores turbulento et malo tempore iudicia libidinose et inique et parum severe administrasse traduntur. Itaque quo anno popularis partis opes, quæ sensim convaluerant, restituta potestate tribunorum plebis, confirmatæ sunt, Crasso et Pompeio coss. (a. 70 a. C. n.), L. Aurelius Cotta prætor legem tulit, ut iudicia inter senatores equitesque Romanos et tribunos ærarios communicarentur, id est, ut ex his tribus ordinibus iudices seligerentur iique causas commu-
244 niter æqua ex parte iudicarent.[2]) *Ordines* enim hos tres

[1]) Privatas etiam causas liberæ rei p. tempore eosdem iudicasse, qui publicas iudicarent, nunc omnes fere consentiunt, quam rem præter certum Polybii testimonium maxime illud confirmat, quod nullum est omnino horum iudiciorum separatorum indicium apud veteres scriptores, qui omnes universe de iudiciis loquuntur. [Uberius hoc confirmavi et recentiorum quorundam opiniones erroresque convici in opere de institutis rei publicæ Romanæ cap. 8 § 12 in nota p. 218 sqq. ed. Germ.]

[2]) Testimonia veterum de lege Aurelia collegerunt præter alios Dukerus ad Liv. epit. 97 et Baiterus in indice legum apud Ciceronem commemoratarum (in Orellii onomastico Tulliano). Scholiastes Gronovianus ad Act. I in Verr. c. 1 (p. 386 Or.) falso narrat, perlatam esse „assistente Quinctio, tribuno plebis, vel Palicano", quorum ille a. 74, hic a. 71 tribunus fuerat (vid. de Palicano disput. nostra de Asconio p. 116 et Zumptius ad Verr. I, 47, 122). Cicero, qui alibi tribunos ærarios hac lege iudicantes commemorat (ad Qu. Fr. II, 6 [4], 6, II, 16 [15], 3, ad Att. I, 16), pro Cluent. 47, 130 *iudicia cum equestri ordine communicata* dicit,

Asconius vocat ad orat. Corn. p. 98 Hot., ad tribunos etiam ærarios eam appellationem accommodans, quod facit etiam personatus Sallustius in epistola sive declamatione altera de ordinanda re publ. c. 3. Hæc tria iudicum genera servavit Cn. Pompeius, quum iterum consul (a. 55) legem tulit de iudiciis, quam Cicero in oratione in Pisonem c. 39, 94 commemorat et ad eum locum Asconius[1]), qui ostendunt eam maxime 245
eo spectasse, ut diligentius et certiore ratione ex his tribus ordinibus homines in album iudicum selectorum referrentur, quum antea in ea re libera prætoris urbani, iurati tamen,

---

tribunos ærarios omittens [,quemadmodum etiam facit pro Font. 16, 36]. Eosdem omittit Velleius II, 32 (*Cotta iudicandi munus æqualiter inter utrumque ordinem*, senatum et equites, *partitus est*) et Plutarchus Pomp. 22, qui equitibus reddita iudicia scribit (*τὰς δίκας περιεῖδεν αὖθις εἰς τοὺς ἱππέας νόμῳ μεταφερομένας.* Ernestius in ind. legum mire hæc verba ad eam legem refert, quam Pompeius in secundo consulatu tulit). Asconium suppositicium ad init. Act. I in Verr. (p. 127 Or. *Cotta legem promulgarat de restituendis iudiciis equestri ordini*) et scholiastam Gronovianum ad Act. I, 1 (p. 386 Or.), qui paucis post versibus tribunos addit, non curo, ne Tacitum quidem, qui Ann. XI, 22 rem leviter attingens, equites iudicia recuperasse, parum diligenter scribit, tanquam soli, ut ante Sullam, tenuerint, aut epitomen Livii libri XCVII. Verum Cicero etiam in Verrinis, quæ partim tum dictæ sunt, quum lex Cottæ exspectabatur, partim tum dictæ finguntur, quum lex promulgata esset, non solum, ubi universe, quid populus cupiat, significat (Divinat. 3, 8: *ordo quoque alius*, et Act. I, 16, 49: *alium omnino ordinem*), sed etiam ubi ipsius legis argumentum, ita loquitur, tanquam de solis equitibus agatur, non de tertio illo genere tribunorum (lib. II, 71, 174, V, 69, 177, maxime autem III, 96, 223: *rem publicam sistere negat posse, nisi ad equestrem ordinem iudicia referantur*). Hæc quam explicationem habeant, paulo post dicetur.

[1]) Ciceronis hæc verba sunt: *Ecquid vides, ecquid sentis, lege iudiciaria lata, quos posthac iudices simus habituri? Non æque* (scrib. *Neque*) *legetur, quisquis voluerit, nec, quisquis noluerit, non legetur. Nulli coniicientur in illum ordinem, nulli eximentur; non ambitio ad gratiam, non iniquitas ad simulationem coniicietur.* (Hæc extrema corrupta esse apparet; emendatio probabilis nondum reperta est.) *Iudices iudicabunt ii, quos lex ipsa, non quos hominum libido delegerit.* Asconius autem, *Pompeius*, inquit, *promulgavit, ut amplissimo ex censu ex centuriis aliter atque ante lecti iudices, æque tamen ex illis tribus ordinibus, res iudicarent.* Qua ratione *ex centuriis* lecti sint, non liquet. [In Ciceronis loco scribendum esse: *non iniquitas ad æmulationem conitetur* dixi Adv. Crit. III p. 148.]

potestas fuisse videatur et ambitioni et gratiæ sæpe locus datus esse aut ad homines recipiendos aut ad eos molesto munere
246 liberandos.[1]) Itaque his temporibus iudicum consessus ex tribus illis generibus æqualiter coniunctos videmus, ut in M. Scauri causa, quæ anno proximo post alterum Pompeii consulatum acta est, apud Asconium extremo commentario et in iis, quas Cicero commemorat in epist. ad Q. Fr. II, 6 [4], 6, quæ scripta est anno ante Pompeii legem, et II, 16 [15], 3, quæ anno post legem scripta est. Atque hæc est lex Pompeia de iudicibus, quæ a Cicerone nominatur Philipp. I, 8, 20 (cfr. Ps. Sallust. de re p. ord. II, 3). Nec quicquam de iudicum generibus mutatum est iis legibus, quas Pompeius tertium et solus consul tulit (a. 52), quanquam multa tum in iudiciis novata sunt. Negant tamen plerique, ut nuper Baiterus (ind. leg. p. 247) a Klenzio (Prolegom. ad leg. Serv. p. IV not. 5, p. XVI not. 77) dissentiens, Pompeium tum de iudiciis universe tulisse,

---

[1]) Cic. pro Cluent. 43, 121. Erat tamen legibus exceptum, de quibus causis iudicem legi non liceret (ibd. § 120), cuius generis exempla sunt in lege Servilia c. 6 et 7. Sed dubitationem et difficultatem affert Dio Cassius, qui libr. XXXIX, 7 duobus ante alterum Pompeii consulatum annis Milonem narrat Clodio accusationem minatum esse, nondum accusasse: *οὔτε γὰρ οἱ ταμίαι, δι᾽ ὧν τὴν ἀποκλήρωσιν τῶν δικαστῶν γενέσθαι ἐχρῆν, ᾕρηντο καὶ ὁ Νέπως* (consul) *ἀπεῖπε τῷ στρατηγῷ μηδεμίαν πρὸ τῆς κληρώσεως αὐτῶν δίκην προσέσθαι.* Hæc ad sortitionem iudicum, qui in hac causa sederent, referri non possunt, etsi nomine ea significari videtur. Nam, ne dicam a prætoribus, qui quæstionibus præessent, hanc ad quæstores transferri nullo modo potuisse, qui poterat prætori interdici, ne reum reciperet, antequam sortitio facta esset iudicum, quum tum demum sortitio fieri deberet, si reus receptus esset, de quo iudicaretur? Sed quum in singulos annos iudicum selectorum album conficeretur, id autem hoc anno nondum factum esset, prohibuit Nepos, ne prætor iudices ex superioris anni albo sortiretur et cum iis iudicaret, sed exspectaret novam lectionem. Itaque nisi multo plura Dio quam *ἀποκληρώσεως* nomen perturbavit, illo tempore quæstorum partes erant in albo iudicum conficiendo. Neque id prorsus incredibile est, quoniam videri possunt sub eorum custodia in ærario tabulæ servatæ esse; sed eos solos tantam rem et cum prætorum magistratu tam coniunctam tractasse, nunquam credam. Miror hunc Dionis locum prorsus silentio prætermitti a re iudicialis scriptoribus. Quæ Fabricius de quæstoribus centumviros cogentibus adscribit, alienissima sunt; nec quæstores id fecisse Suetonius dicit (Octavian. 36), sed *quæstura functos.*

sed ea, quæ constituta narrantur, capita fuisse legum de ambitu et de vi. Id verum esse, ostendere videtur Asconius in argumento orationis Milonianæ p. 145, duas tantum has leges a Pompeio promulgatas commemorans et in iis ea de breviore iudiciorum forma sancta esse narrans, quæ alii in generali de iudiciis lege posita fuisse putant. Sed ut hoc prorsus ita esse existimo, nullam tum a Pompeio separatim latam esse legem de iudiciis, ita, si hoc statuimus, illud certissimum est, legem, quæ de ambitu lata est, simul novam formam præscripsisse 247
omnibus quæstionibus et iudiciis, ut ex generali et speciali mixta fuerit, quod in illa perturbatione rerum et festinandi necessitate non mirum est et multo minus abhorret a more Romanorum, etsi abhorret, quam consul sine collega creatus.[1]) Legis enim Pompeiæ vim in iudiciorum forma mutanda non solum universe significant scriptores, Cicero in Bruto c. 94, 324 (*lege Pompeia*) et (quem locum Baiterus non animadvertit) de Fin. IV c. 1, 1 (*hac nova lege*) et auctor dialogi de oratoribus c. 38, sed apertissimis verbis id, quod posui, dicit Dio Cassius XL, 52, qui, expositis, quæ Pompeius tulisset de tempore iudiciorum, de patronorum numero, de laudatoribus, addit: *Καὶ ταῦτα μὲν ἄλλα τέ τινα κατὰ πάντων ὁμοίως τῶν δικαστηρίων ἐτάχθη· τοῖς δὲ δὴ τὰς ἀρχὰς δεκάζουσι κ. τ. ἕτερα.* Sequuntur, quæ ad ambitum pertinent. Itaque hac lege id quoque Pompeio datum est, ut ipse, quod prætor urbanus solebat facere, iudices legeret.[2]) Trecentos sexaginta tum lectos esse,

---

[1]) Altera lex, de vi, certioribus terminis continebatur, quæ etiam nominatim duo facinora comprehenderet, domum Lepidi interregis oppugnatam et cædem Clodii. Scriptores ambitus legem et iudicia severe et frequenter ex ea facta præcipue commemorant, Cicero ad Att. X, 4, 8 (*qui lege Pompeia condemnati essent*), Cæsar B. C. III, 1, Plutarchus Pomp. c. 55 (*Ἔπειτα δὲ ταῖς δίκαις τῶν δωροδοκιῶν καὶ δεκασμῶν ἐπιστὰς καὶ νόμους γράψας, καθ᾽ οὓς αἱ κρίσεις ἐγίνοντο, κ. τ. ἕτερα*), Appianus Civ. II, 23, maximeque Dio Cassius. Itaque Cicero formam breviorem iudiciorum non ad *leges* Pompeii, sed ad *legem* refert.

[2]) Cic. pro Mil. extrema oratione (*is, qui in iudicibus legendis optimum et sapientissimum et fortissimum quemque delegit*), ad Fam. VII, 2 (*contra tantas opes eius, a quo ipsi lecti iudices erant*), Dio Cass. l. l. *Πάντας τε γὰρ τοὺς ἄνδρας, ἐξ ὧν τοὺς δικάσοντας ἀποκληροῦσθαι ἐδόκει* (immo *ἔδει*), *αὐτὸς ἐπελέγετο.* Recte hic Dio iudices selectos

248 Velleius dicit II, 76, et confirmatur numerus a Plutarcho
(Pomp. 55), quem apertum est omnes iudices, ex quibus sor-
titio fieret, illo numero comprehendisse. Sed ut in hac iudicum
249 lectione permulta dubia et obscura sunt[1]) neque, quæ huius
rei forma postea servata sit, novimus, ita satis certum est,
quod dixi, trium illorum generum æqualem coniunctionem

---

et eorum decurias scriptas a sortitione iudicum in singulis causis distinguit.

[1]) Generalem hanc fuisse iudicum lectionem, non ad solas illas de ambitu et vi causas, ostendit Dio, nec quicquam fuisse videtur, cur Pompeius, quemadmodum olim Servilius Glaucia fecit in lege repetundarum, alios suæ legi atque ceteris iudices constitueret; nec id aut Velleius aut Plutarchus significant. Et quum illo anno omnia comitia sic tracta essent, ut nulli prætores essent, quo tempore Pompeius consulatum iniit (Ascon. argum. Mil. p. 140), ut iudicia exerceri possent, necesse erat, ipse iudices legeret. Numerum alium, atque ante fuisset, tum constitutum, apparet ex eo, quod tam diligenter notatur, et sine dubio minorem. (Ps. Sallust. de ord. re p. II, 7 vult, *omnes primæ classis iudicare, sed numero plures, quam* (Pompeia lege) *iudicent.*) Eundem numerum latere in Cælii epist. ad Cic. (ad Fam. VIII) 8 (a. 51 scripta) et in Ciceronis ep. ad Att. VIII, 16 (a. 49), multi iam suspicati sunt. [Eosdem iudices 360 in Cic. ep. ad Att. IX, 13, 4 erui Adv. Crit. III p. 183.] Sed difficultatem habent, quæ Asconius in argum. Milon. p. 148 Hot. scribit, primum testes per triduum auditos et tum demum sortitionem LXXXI iudicum factam; itaque in testibus audiendis omnes iudices lecti affuisse videntur, quod quoniam in iis iudicibus, qui ad omnia iudicia lecti essent, fieri non videtur potuisse, ut in causis omnibus omnes testibus audiendis operam darent, suspicor in illa de vi quæstione, quæ extra ordinem habita est, aliquid singulare fuisse, ut Pompeius iudices ad eam separatim legerit. [Difficultatem non sustulit Osenbrueggenius ad Cic. orat. pro Mil. p. 47 neque Gœttlingius in historia institutorum rei p. Rom. p. 482 et 483. Coniunctum cum inusitata hac forma aliquo modo videtur, quod Cæsar B. C. III, 1 queritur, homines lege Pompeia ambitus damnatos esse, *aliis audientibus iudicibus, aliis sententiam ferentibus*; nisi hoc pertinet ad reiectionem XV iudicum post orationes accusatorum et patronorum factam (vid. Ascon. p. 148), ad quam referenda est etiam Plutarchi de Planci causa et Catonis facto narratio Pomp. 55, Cat. Min. 48. Quod Asconius p. 147 iudices a Pompeio *propositos* dicit, recte Osenbrueggenius ad Cic. pro Mil. p. 46 intelligere videtur de nominibus lectorum in albo et tabula propositis. Manet molestus usus genitivi in his verbis: *Aliorum quoque iudicum — Pompeius tales proposuit.* 1842.] [Recte L. Lange et Cobetus restitui iusserunt: *Album quoque iudicum — Pompeius tale proposuit* cet.]

retentam esse, quum id Asconius in argumento Milonianæ et ubi reiectionem iudicum commemorat, significet[1]) et in extremo commentario quater (p. 158 et 159 Hot.) in causa Milonis et aliis, quæ eadem lege actæ sunt, sententias senatorum, equitum, tribunorum ærariorum diligenter distinguat et dinumeret. Sed C. Cæsarem „iudicia ad duo genera iudicum redegisse, tribunos ærarios, quod esset tertium, sustulisse," Suetonius narrat (Iul. c. 41); quod a. 46 a. Ch. factum esse, Dio Cassius ostendit (XLIII, 25), qui antea ἐκ τοῦ ὁμίλου τινάς simul iudicasse scribit, tribunos ærarios significans. Hanc legem Iuliam Cicero nominat Philipp. I, 8, 20. Nec post eam ulla in ulla re mentio fit tribunorum ærariorum, ut, sublato illo iudicandi munere, nullum eos in re publica huius ætatis locum habuisse, iure credas, eo magis, quod ne ante legem Aureliam quidem usquam commemorantur nisi semel in unius scriptoris, ipsius perantiqui, Catonem dico, explicatione vetustissimi iuris et apud eos, qui intermorientia vetustæ ætatis nomina et instituta interpretati sunt, Varronem et Festum.[2])

---

[1]) P. 148 Hot. *ut quinos ex singulis ordinibus accusator, totidem reus reiiceret*; omnes reiectos esse ostendit XXX, ut ex LXXXI manerent LI. Indiligenter Dio Cass. omnino *quinque* pro quinis ex singulis ordinibus ponit.

[2]) Catonis verba sunt ex primo epistolicarum quæstionum apud Gellium VII [VI], 10: *Pignoriscapio ob æs militare, quod æs a tribuno ærario miles accipere debebat, vocabulum seorsum fit.* Varro de L. L. V (IV) p. 49 Bip. (180 Speng.): *ab hoc* (tributo) *ea* (pecunia), *quæ assignata erat, attributum dictum; ab eo quoque, quibus attributa erat pecunia, ut militi reddant, tribuni ærarii dicti, id, quod attributum erat, æs militare.* Fest. v. *ærarii: Ærarii tribuni a tribuendo ære sunt appellati.* (Apud eundem Festum in epit. v. *Primanus tribunus* legitur: *Primanus tribunus erat, qui primæ legioni tributum scribebat*; apud ipsum Festum posito nomine *primanus tribunus* ex Catonis oratione contra Thermum, explicatio excidit.) Postremo Verrinus ille Asconius, a quo non unus error ortus est, ad Lib. I in Verr. 13, 34 hæc confusionis plenissima scripsit: (Pecunia attributa) *quæ in stipendium militum de ærario a tribunis ærariis quæstori annumerari solet.* De nominis forma hoc addo, *tribunos æris* appellari a verborum novatore Plinio H. N. XXXIII § 31 (rectius XXXIV § 1); *tribunos ærarii* (quasi ab ærario, non ab ære appellentur) effecit librarius in Cic. epist. ad Q. Fr. II, 16 [15], 3, quem nonnulli recentiores imperite sequuntur.

250 Iure igitur quærimus, qui sint hi homines, ex quo genere et ordine quave condicione a Cotta ad iudicandum excitati. Et vulgo quidem apud eos, qui antiquitatem Romanam enarrant aut scriptores Latinos interpretantur, rem tanquam apertam perbreviter expositam videas, sed sic ut nihilo prudentior discedas. Tradunt enim, homines quosdam hos fuisse, qui stipendium militi dissolverent et pecuniam publicam aliqua ex parte tractarent, adscribuntque Catonis, Varronis, Festi, Asconii subditicii, quos in margine posui, locos. Velut Sigonius (de ant. iure civium II, 8), Tribunos ærarios, inquit, ordinem quendam apparet fuisse eorum, quibus, ut ait Varro, attributa erat pecunia, ut militi redderent. Similia Gruchius tradit (de Comit. II, 2) et, ut recentiorem aliquem sumam, Adamus[1]),
251 nec discedunt Ciceronis enarratores, ut Ernestius (in clavi Cic.), Beneckius[2]), Klotzius[3]), ut nuperrimos nominem. Et tamen veteres illi, Sigonius et Gruchius, hoc saltem viderant, tertium illud genus iudicum, qui senatoribus et equitibus adiungerentur, non potuisse ex magistratu aliquo sumi, sed ex ordine quodam et genere perpetuo civium; itaque magistratus fuisse tribunos ærarios negaverant.[4]) Sed tota illa pecuniæ publicæ tractatio et stipendii numeratio tam est ab iis tribunis ærariis, quos, Cotta ferente, populus iudicare iussit, aliena, ut vix sciam, unde refellere incipiam. Primum quæro, in commemoratione rerum ad ærarium et ad pecuniam publicam pertinentium, quæ infinita et multiplex est apud plurimos scriptores, ubi hac ætate et omnino post illam vetustissimi instituti apud

---

[1]) Handbuch der röm. Alterth. I p. 350 interpr. Germ.: Die letzten (tribuni ærarii) waren Beamte aus den Plebeiern und hatten die Einnahme des Geldes zur Unterhaltung der Armee zu besorgen.

[2]) Ad Catil. IV, 7, 15. Hic etiam addit: Die Tribuni ærarii wurden zur gerichtlichen Entscheidung *über* die Plebeier bestimmt. Ernestius enim *de plebe*, hoc est, ex plebe, hos iudicasse dixerat.

[3]) Ad orat. pro Planc. 8, 21: Diese waren Zahlmeister bei dem Heere. Et hoc adscribit ad eum locum, ubi commemorantur tribuni ærarii ex præfectura Atinati, qui in Plancii iudicio aderant!

[4]) Gruchius l. l. Ut ergo, inquit, in senatorum ordinem atque equitum non suffragiis populi perveniebatur, sed vel legibus censorumque adscriptione vel generis successione, ita in ordinem tribunorum ærarii (*sic scribit vitiose*) non suffragiis populi sed altero ex iis modo perveniebatur.

Catonem ex superiore ætate repetitam memoriam ulla sit mentio, ullum vestigium horum tribunorum. Deinde, qui potuerit omnino eis locus esse, quæro, aut quod eorum munus. Nam quod Sigonius (l. l.) eos pecuniam ex ærario quæstori proconsulis et exercitui erogasse dicit, aliquid ex confusis Asconii subditicii verbis elicere studens, debuerunt id Romæ facere, ubi ærarium erat; (et ibi iudicabant;) at exercitus illa ætate in provinciis erant et ibi stipendia accipiebant. Omninoque hæc 252
omnia per quæstores gesta esse, quis nescit? Illi olim, ut consules comitarentur, creati sunt; illi in bello prædam tractabant; illi stipendia numerabant et rationes cum militibus conficiebant (Polyb. VI, 39, 15); et quum postea alii urbani essent, alii provinciarum rectores et exercituum duces comitarentur, urbani ex ærario pecunias, ut ad omnia alia (Polyb. VI, 13, 2, etsi infinitum est hic testimonia adscribere), sic ad rem militarem quæstoribus imperatorum, non minutatim, sed grandes summas numerabant (cfr. Cic. Verr. Lib. I, 4, 11), hi eas administrabant et rationes referebant pecuniæ quum in alias res tum in stipendium erogatæ (vid. Verr. Lib. I. c. 14 cet.), et, qua egebant opera inferiorum ministrorum, eam scribæ quæstorii dabant. Sed ut fingamus tales fuisse pecuniæ publicæ tractandæ ministros eosque Romæ stipendia numerasse, ubi nulli milites erant, quot fuisse eos putamus? Permultos profecto fuisse oportet, quum ex iis numerus iudicum senatoribus et equitibus, qui iudicabant, æqualis seligi potuerit; neque enim omnes promiscue sumebantur, ne senatores quidem. Vel tum, quum Pompeius pauciores fecisset iudices, 120 tribuni ærarii selecti ei rei vacare debebant. Verum illud gravius. Negat, ut dixi, Gruchius magistratus fuisse; at pecuniam publicam sub quæstorum auctoritate illa ætate nulli tractare poterant nisi aut suffragiis delecti aut mercede conducti, ut scribæ. Quis igitur, qui aut de institutis Romanis universe aut de illa forma iudicum ex certo ordine et censu selectorum cogitaverit paulo diligentius, persuadere sibi poterit, L. Cottam, quum etiam infra equites populum iudicandi participem facere vellet, pro hominibus ex plebe Romana quadam æstimatione selectis subiecisse aut magistratus nescio quos, quum præsertim magistratus omnes vacationem iudicandi haberent, neces- 253
saria de causa, ut negotiis suis operam dare possent (in Verr.

Act. I, c. 10), aut homines mercede conductos, hoc est, partem non honestissimam plebis? Quomodo denique Pompeius ferre potuit, ut tulit secundo consulatu, ut omnes iudices, etiam tribuni ærarii, amplissimo ex censu *ex centuriis* legerentur, si illi eiusmodi quidam magistratus et ministri publici fuissent, quum huiusmodi ministerium omnino a civium in centurias distributione seiunctum esset, ut centuriatim seligi non possent? Sed longus esse nolo, quum hæc, quæ proxime significavi, non solum falsam opinionem evertant, sed verum demonstrent. Gradum enim aliquem et distinctionem civium universorum certa aliqua norma factam, quemadmodum equites censu separabantur, illud nomen tribunorum ærariorum notare debet; idque declarant apertissime tres Ciceronis loci. Nam primum in oratione IV in Catil. c. 7, 15, ubi omnium ordinum consensum in re publica defendenda commemorat, equitibus Romanis proxime subiicit tribunos ærarios; et si cui hic locus dubius videtur, quod deinde etiam scribas nominat, nullam habet dubitationem, quod in oratione pro C. Rabirio ad Quir. 9, 27 dicitur, ubi Cicero ex omni populo equites et tribunos ærarios seorsum nominat, tanquam eodem modo supra reliquam plebem evectos.[1]) Illud vero manifestissimum, quod ex oratione pro Plancio c. 8 § 21 videmus, non solum in urbe, sed in municipiis et præfecturis illo tempore, ut equites Romanos, sic tri-
254 bunos ærarios a reliqua plebe tanquam honestiores separatos fuisse, et simul in una præfectura Atinati non ita paucos fuisse tribunos ærarios.[2])

Cuiusmodi igitur hunc finem fuisse dicemus, qui aliquot cives ab ima plebe seiunxerit et equitibus propiores fecerit, et

---

[1]) *Quid de illis honestissimis viris atque optimis civibus, equitibus Romanis, dicemus, qui tum una cum senatu salutem rei publicæ defenderunt? quid de tribunis ærariis ceterorumque ordinum omnium hominibus, qui tum arma pro communi libertate ceperunt?*

[2]) Municipes Plancii ei faventes Cicero commemorat: *Hi tot equites Romani, tot tribuni ærarii (nam plebem a iudicio dimisimus, quæ cuncta comitiis affuit,) quid roboris, quid dignitatis huius petitioni attulerunt?* [In amphitheatro a plebe seiunctos cum equitibus sedentes tribunos ærarios inducit Calpurnius ecl. VII, 29 et 30, descriptione accommodata ad antiqua tempora: *Nam quæcunque patent sub aperto libera cælo Aut eques aut nivei loca densavere tribuni.*]

a qua re sumptum? Nimirum ab ea, cuius vis ad hominum ordines distinguendos insita erat in omnibus rei publicæ Romanæ institutis, quæ ipsos equites discernebat a plebe, quæ etiam in senatoribus spectabatur, a censu.[1]) Id præter hanc, quam dixi, institutorum similitudinem alia testimonia minime obscure indicant. Census præcipuam in iudicibus legendis rationem habitam fuisse his ipsis legibus, quibus tribunis ærariis pars iudicandi dabatur, primum de Pompeia lege testatur clare Asconius[2]); deinde et de Aurelia et de Pompeia Cicero Philipp. I, 8, de Antonii lege dicens, qua is, spreto omni more, centuriones et manipulares ex legione Alaudarum ad iudicandum vocabat et ex iis tertiam decuriam constituebat, quæ pro tribunis ærariis, quos Cæsar sustulerat, senatoribus et equitibus adiiceretur.[3]) Quod autem Cicero in iudice et fortunam 255
spectari debere et dignitatem dicit, dignitas ea est, quæ a prætore legente fama et moribus æstimari debebat. Ne is quidem, qui epistolas ad Cæsarem de re publica ordinanda composuit, alia re, nisi censu, aditum ad iudicia definit, cui omnes primæ classis iudicare placet (c. 7 et 12). Sed clarissimum de lege Aurelia, id est, de tribunis ærariis testimonium

---

[1]) Cfr. de census senatorii antiquitate Opusc. nostra priora p. 78 et 79, [et operis nostri de institutis rei publicæ Romanæ vol. I p. 138 ed. Germ.]

[2]) Ad Pisonianam 39, 94; vid. supra p. 245 not. 1.

[3]) *At quæ est ista tertia decuria? — Centurionum, inquit. — Quid? isti ordini iudicatus lege Iulia, etiam ante Pompeia, Aurelia non patebat? — Census præfiniebatur, inquit. — Non centurioni quidem solum, sed equiti etiam Romano. Itaque viri fortissimi atque honestissimi, qui ordines duxerunt, res et iudicant et iudicaverunt.* Quod etiam lege Iulia, qua soli senatores et equites relicti iudices erant, centuriones iudicare dicit, intelliguntur centuriones, qui censu equestri erant. Hoc enim non equo publico in his legibus equestre nomen definiebatur; idque apertissime declarat Plinius H. N. XXXIII, 7, turmas equorum publicorum separans ab ea equitum multitudine, quæ in iudiciis lege Sempronia et postea aliis versaretur, tanquam latius fusa; etsi ipse graviter et manifesto errat, equitum nomen in turmis, equorum publicorum substitisse, ceteros tantum iudices appellatos scribens. Quis enim nescit, equites communi antiquitatis consensu Sempronia lege iudicasse narrari, nullos alios? Sed abripuit Plinium, ut sæpissime, studium veteris simplicitatis laudandæ, sui temporis arrogantiæ reprehendendæ.

ante aliquot annos inventum est, Ciceronis, in verbis aliquot, quæ ex oratione in Clodium et Curionem scholiastes Ambrosianus servavit et enarravit.[1]) Atque hæc egregie confirmat Augusti institutum, qui quum aucto iudicum numero opus esset, „ad tres iudicum decurias quartam addidit *ex inferiore censu*, quæ ducenariorum vocaretur iudicaretque de levioribus
256 summis“. (Suet. Octav. 32.) Sed neque vetustum nomen, quo Cotta usus erat, Augustus reduxit, et, quum Cotta olim, in libera re publica populares partes sectans, tribunos suos ærarios senatoribus et equitibus in omnibus iudiciis æqua ex parte adiunxisset, Augustus ducenarios suos intra leves et privatas lites continuit.[2])

---

[1]) Ciceronis hæc sunt (p. 339 Or.): *Ut posthac lege Aurelia iudex esse non possit*, ad quæ scholiastes: *Id hic negat Tullius, iudices illos pecuniam, quam acceperint, reddituros, ne postea in numero iudicum lege Aurelia esse non possint, sive quod se, pecuniam reddendo, faterentur esse corruptos* (hoc ineptum; nam ad eam rem pecuniæ redditione opus non erat), *sive quod, amissis trecenis vel quadragenis, quæ a reo acceperant, in egestatem revolverentur ac propterea in iudicum* (numerum legi non possent). Ne quis de solis equitibus hoc interpretetur, primum minime solos equites a Clodio corruptos Cicero dicebat (cfr. ad Att. I, 16, 3), deinde hac ipsa de causa ita locutus est, ut omnes complecteretur; alioquin equestrem dignitatem amissuros dixisset.

[2]) *Ducenarios* a ducentorum sestertiorum censu, dimidio equestris census, appellatos recte docent et centenarium libertum ex iure comparant. Sed iure quæritur, quanquam id ad nostram rem non pertinet, quomodo tribus decuriis Augustus quartam addiderit, quum duas tantum Cæsarem reliquisse, non solum duo iudicum genera, appareat ex iis, quæ Cicero de Antonii lege dicit Phil. I, 8, V, 5, XIII, 2. Nam Antonium legem non pertulisse, probabile est, et, si pertulit, cum ceteris eius consulatus actis sublata est, nec is post bellum Mutinense huiusmodi ullas res attigit. Et eius tertia decuria nullum omnino censum præfiniebat, ut quarta ex inferiore censu ei addi non posset. Walter (Gesch. des röm. Rechts I p. 243 [vol. II p. 375 ed. 3]) Augustum primum tertiam decuriam restituisse, deinde quartam addidisse scribit. Eam quidem tertiam, quæ fuerat, tribunorum ærariorum, non restituit, eique potius quarta nova respondet. Sed, ut opinor, duos ordines, senatores et equites, commodioris usus causa, in tres decurias diviserat. Nec poterant senatores decuriam explere, si recte Plinius [XXXIII, 30] illo tempore singula millia in singulis decuriis fuisse scribit. Sed ex quo gravissimæ causæ publicæ in ipso senatu cognosci cœptæ sunt, sensim senatores in decuriis iudicum esse desisse opinor.

Exposito, tribunos ærarios eos, quos lex Cornelia ad iudi-
cia vocavit, censu a reliqua plebe distinctos fuisse, illud quoque
explicari commodius, quam adhuc factum est, posse videtur,
quod, ut ante dixi (p. 244 not.), et alii et maxime Cicero in
legis Aureliæ commemoratione tribunos ærarios omittunt. Nam
quod Ruhnkenius (ad Vell. II, 32) et Klenzius (Prolegom. ad
leg. Servil. p. XVI not. 76) totum potiore parte significatum 257
dicunt, neque potiores partes erant equitum quam tribunorum,
sed æquæ utrorumque, neque hæc excusatio sufficit in Cice-
rone, qui (in orat. pro Cluent.) sic loquitur apud illum ipsum
consilium, quod tertia ex parte ex tribunis constabat. Vera
erat Augustini sententia, quam illi repudiarunt, equitem no-
mine et genere comprehendi quodammodo tribunos ærarios.
Itaque eos Cicero similiter in orat. pro Flacco 38, 96 omittit,
sic dicens, tanquam senatores tantum et equites iudices habeat.
Res ita se habet. Olim lege Sempronia a senatoribus, quorum
locus in re publica non censu potissimum nitebatur, etsi cen-
sus præfinitus erat, sed gesto magistratu, quo in senatum
venerant, et summi consilii gubernatione, iudicia ad equites
translata erant. Quum igitur L. Cotta senatoribus in iudicando
adiungeret homines eos, quos census solus a plebe distingueret,
quanquam horum duo erant gradus, tamen hoc discrimen,
quod longe minus erat, obscurabatur animusque ad equites
cum senatu, quemadmodum Gracchano tempore, coniunctos
sic ferebatur, ut illo genere et nomine interdum etiam tribuni
includerentur. Hoc ipsum significare videtur scholiastes Am-
brosianus ad orat. pro Flacco 2, 4, eiusdem ordinis faciens
equites et tribunos ærarios.[1]) Velleius tamen et Plutarchus

---

[1]) *Lex enim Aurelia iudiciaria ita cavebat, ut ex parte tertia senatores iudicarent, ex partibus duabus tribuni ærarii et equites Romani, eiusdem scilicet ordinis viri.* Cicero dicit: *iudicabitis principes eius ordinis* (equestris) *quinquaginta.* Si eo usque tribunos Cicero equitibus æquavit, ut hoc numero utrosque comprehenderet, sederunt in Flacci causa 75 iudices, si soli equites illi quinquaginta sunt, 150. Mihi, etsi cum principibus etiam equestris ordinis tribunos numerari mirum videri potest, tamen prior ille numerus iudicum longe probabilior videtur altero. Scaurus, qui lege Iulia repetundarum accusatus est, 70 aut potius 69 iudices habuit (Ascon. in orat. pro Scauro extr.).

258 illam quoque causam tribunos omittendi habuerunt, quod neutrius eorum ætate ullum eorum vestigium supererat, nec erroris et oblivionis culpa liberari possunt, Velleius, quod æqualiter inter utrumque ordinem iudicandi munus distributum dicit, quum, si tribuni equitibus annumerantur, hi duas partes acceperint, Plutarchus, quod ita loquitur, tanquam senatores prorsus iudiciis cesserint.

Atque hoc, quod dixi, fieri eo facilius poterat, ut equitum nomine ab oratore tribuni comprehenderentur, quod novum tum et ex antiquitate repetitum erat hoc tribunorum ærariorum nomen et a Cotta ad census gradum illum, quem iudicibus præfiniebat, hominesque, qui eum habebant, significandos similitudine accommodatum.[1]) Traductum autem erat ab antiquissimis illis, quorum operam in ære militari versatam esse Cato, Varro, Festus scribunt. Eos autem non solum Varro suo tempore non fuisse orationis forma significat (*quibus attributa erat pecunia*), ut hac quoque ex parte reprehendendi ii sint, qui eius descriptionem ad Aurelianos tribunos, qui Varroni æquales erant, traduxerunt, sed Cato perspicue et ipsos pridem sublatos fuisse et ius illud, quod ad eos attineret, ostendit (*accipere*
259 *debebat*, non *debet*). Sed ne illi quidem publici quidam ministri aut magistratus fuerunt; sed quales fuerint, ut in tam antiqua re et tam exiliter tradita, intelligi potest quum ex Catonis verbis, tum ex forma institutorum antiquissimorum, quæ ad stipendium et æs militare spectabant, postremo ex illa ipsa nominis imitatione in lege Cottæ.

Cato pignoriscapionem propter æs militare, quod miles a tribuno ærario accipere debebat, militi concessam commemorat. Eandem rem, omisso tribuni nomine, commemorat Gaius iuris-

---

Pisoni Cicero (in Pis. 40, 96) 75 tabellas minatur; sed in Gabinii causa sententias tulerunt iudices 70 (Cic. ad Q. Fr. III, 4, ad Att. IV, 16, 9 [18, 1]). Servilia [vel Acilia] lege centum sedisse videntur (c. 8). Flaccus lege Cornelia causam dixit.

[1]) Ne quis ex orat. pro C. Rabirio ad Quir. 9, 27 efficiat, quo tempore L. Saturninus oppressus est (a. 100 a. Ch. n.), id est, triginta annis ante legem Aureliam, tribunos ærarios in re publica fuisse, animadvertendum est, Ciceronem dicere, multos, qui *nunc* sint tribuni ærarii et honestissimi cives, tum arma cepisse.

consultus.[1]) Iam contra magistratum, qui publice ex ærario
id æs militare numeraret, quis credat militi gregario pignoris-
capionem datam, id est, contra ærarium et rem publicam?
aut qualia ea pignora putamus fuisse, quæ sic ab his cape-
rentur, ut postea pecunia luerentur? Publicasne possessiones?
At quæ tales erant, ut a milite pro pignore capi auferrique
possent? An privatam illorum hominum supellectilem? Apparet
ex ipsa hac pignoriscapione, alio quodam modo eos, quos con-
tra data esset, pecuniam solvisse, ut eius privati debitores es-
sent. Itaque percommode ad rem intelligendam accidit, ut
Gaius simul pignoriscapionem propter æs equestre et horde-
arium datam scribat. Nam æs hordearium novimus antiquis-
simo tempore non ex ærario per publicos ministros numeratum,
sed privatos homines, qui id onus rei publicæ deberent, attri-
butos, a quibus illud equites acciperent, viduas, orbos orbas- 260
que.[2]) Hi igitur si non solverant, quod debebant, pignus ab
iis capere equiti licebat. Atque eodem modo solutum æs
equestre, quod Livius ex publico datum dicit, nunc perspicitur;
tantum fortasse, quod maior summa erat, plures attribuebantur
uni equiti. Transferamus hæc ad æs militare peditum anti-
quissimi temporis. Non ex ærario nec per quæstores singulis
militibus gregariis stipendium numerabatur, sed attribuebantur
iis privati homines, a quibus acciperent, qui si non solvissent,
pignora ab eis capere liceret. Ipsi autem hi homines aut nu-
meratam pecuniam ex ærario accepisse putari possunt aut
tributum, quod stipendii causa civibus impositum erat, ipsi a
certo numero civium coegisse et deinde militibus numerasse.
Atque hoc ego multo verius puto. Nam sic ipsa causa huius
totius instituti intelligitur, quod res publica molestiam tributi

---

[1]) Institut. lib. IV, 27: *Introducta est* (pignoriscapio) *moribus rei militaris. Nam propter stipendium licebat militi ab eo, qui distribuebat, nisi daret, pignus capere; dicebatur autem ea pecunia, quæ stipendii nomine dabatur, æs militare. Item propter eam pecuniam licebat pignus capere, ex qua equis emendus erat, quæ pecunia dicebatur æs equestre, item propter eam pecuniam, ex qua hordeum equis erat comparandum, quæ pecunia dicebatur æs hordearium.*

[2]) Liv. I, 43; cfr. Cic. de Re p. II, 20, qui Corinthiorum institutum comparando idem de Romanis significat. Livius solas viduas nominat in hac re.

singulatim a civibus per publicos ministros colligendi et rationum minutatim conficiendarum vitabat (quæ eadem causa fuit vectigalium locandorum), et servatur similitudo æris equestris; nam ne id quidem res publica cogebat et erogabat. Deinde hanc sententiam confirmare aliquo modo videtur Varronis verbum, quod *attributam* pecuniam tribunis ærariis scribit, non *numeratam*; magis etiam confirmaret Festus, modo satis confidere liceret, brevia et obscura epitomæ verba, quibus primanum tribunum primæ legioni *tributum scripsisse* tradit, ad tribunum ærarium pertinere, quo ducit tributi mentio. Nam *primanus* etiam primæ legionis tribunus militum recte appel-
261 lari poterat; et singulæ legiones multos sine dubio habuerunt tribunos ærarios.[1]) Sed quicquid hoc est, illud apparet, hanc pecuniam, quæ militibus redderetur, credi non potuisse nisi iis, quorum certa fides esset in re pecuniaria. Itaque census huic generi præstitutus erat; atque hi sunt antiqui illi tribuni ærarii, privati homines certo censu, quibus æs militare creditum erat, ut id aut colligerent et numerarent aut tantum numerarent. Is census quia equestri minor erat, L. Cotta, quum partem plebis infra equestrem censum, sed tamen ex censu ad iudicia vocaret, illo nomine usus est, vetustatis specie id, quod instituebat, exornans.[2]) Ipse census quantus fuerit, nullo indicio ne ad coniectandum quidem ducimur.

Revertor ad hos Aurelianos tribunos, ut pauca addam de eorum cum duobus aliis iudicum generibus coniunctione. Iam tum, quum soli senatores lege Cornelia iudicabant, in duas decurias eos discriptos fuisse, intelligitur ex Cic. orat. Verr.

---

[1]) [Fieri potest, ut ad hanc vetustam stipendii solvendi rationem referendum sit, quod apud Festum *vectigal* exponitur *æs, quod ob tributum et stipendium, et equestre et ordinarium, populo debetur.* Nam vulgari ratione nihil separatum a tributo debetur populo ob stipendium, sed e tributo in ærarium illato et stipendium et cetera dissolvuntur. *Stipendium ordinarium* Festus dicere videtur peditum. *Æs hordearium* ordo verborum et iunctura excludere videtur. 1842.]

[2]) Explicata nunc tota re, non est uberius declarandum, quam inepte interpres ille Verrinarum, quem Asconium dicebant, id, quod in grammatici alicuius interpretatione veterum nominum, quale ipsum Festi opus est, legisset, ad Lib. I in Verr. 13 adhibuerit et quanto opere cum aliis confuderit. Est hoc simile ceterorum eius peccatorum, quæ a me exposita sunt.

lib. II, 32, 79[1]), nullo, puto, discrimine, sed ut faciliorem ra- 262
tionem sortitio haberet, quum eodem tempore plura iudicia exercerentur. Aurelia lege tres factæ sunt decuriæ, singulæ ex singulis ordinibus, ita ut, sublatis a Cæsare tribunis ærariis, duæ relictæ sint, quod intelligitur ex iis locis, ubi Cicero M. Antonii legem iudicialem commemorat. (Vid. p. 256 not.) Ex his in publicis causis æqualis iudicum numerus sumi debebat. Sed in M. Scauri causa sententias tulisse senatores 22, equites 23, tribunos ærarios (ut editur) 25, Asconius scribit (comm. extremo); in Milonis autem causa senatores 18, equites 17, tribunos 16, eodemque numero in M. Saufeii, qui eodem tempore, quo Milo, eadem lege accusatus est. Opinor, in commentario Scaurianæ ipsum Asconium 24 tribunos scripsisse; universus enim iudicum numerus ternario dividi potuisse videtur, sed ob causam aliquam ignotam (superstitionem aliquam fuisse puto), observatum esse, ut uno differrent singulorum ordinum
numeri.[2]) [Saltem legis Pompeiæ hæc ratio fuit. Nam ut de 263
Scauri iudicio dubitari possit, facit, quod in Gabinii causa 70 sententiæ latæ dicuntur (ad Qu. Fr. III, 4, ad Att. IX, 16, 9). Id dubitari nequit, quin certa ratione cautum sit, ut omnis

---

1) *Hic alteram decuriam senatoriam iudex obtinebit?* cfr. Verr. I extr.: *ex hac decuria vestra* (erat igitur altera). In priore loco notandum, quod *obtinere decuriam* (ut III in Verr. 79, 184 *emere decuriam*) dicitur pro eo, quod est, *locum in decuria*, comparandumque hoc cum eo, quod de Off. II, 12, 43 dicitur: *numerum obtinent iure cæsorum*, hoc est, *locum in numero*; [cfr. de Nat. Deor. III, 20, 51.] De decuriis iudicum quam video cum laude commemorari dissertationem J. T. Krebsii (in opusculis eius, Lips. 1778), ea vero exiguam laudem meretur, multis erroribus implicata. Decepit hominem diligentem, sed institutorum rei p. Rom. parum peritum maxime Plinii locus in H. N. libro XXXIII, 31 sqq., ubi is suo more declamatorie neque res neque nomina neque tempora distinguens nonnulla de iudicibus congessit, inter quæ hoc quoque narrat, decurias „pluribus discretas fuisse nominibus, tribunorum æris et selectorum et iudicum". Decuriæ erant iudicum selectorum, et in earum una erant tribuni.

2) Quod Baiterus ad comment. Scaurianæ utitur verbis scholiastæ Ambrosiani in orat. in Clod. et Cur. p. 339, ea pertinent ad senatores tertiam partem sententiarum tenentes, quum equites et tribuni duas tertias haberent; cfr. p. 229. Seorsum reiectos esse diversorum ordinum iudices, sine quo servari numeri constantia non poterat, supra intellectum est e Pompeii lege de vi.

iudicum consessus æquabilitate quadam ex tribus ordinibus misceretur. 1842.][1]) Initio omnes iudices tabellas in unam cistam coniiciebant, ut, cuius maxime ordinis sententiis reus aliquis absolutus damnatusve esset, sciri non posset. Id mutavit lex Fufia, quam Q. Fufius Calenus prætor a. 59 tulit, ut seorsum singuli ordines sententias ferrent.[2]) Itaque et Cicero (ad Qu. Fr. II, 6 [4], 6, et 13, 3) et Asconius (in orat. pro Scauro et pro Mil.) sciunt et dinumerant, quot in quaque cista damnatoriæ, quot absolutoriæ sententiæ fuerint.[3])

---

[1]) [De Clodio incesti accusato sententiæ 56 latæ narrantur apud Cic. ad Att. I, 16, 5, schol. Ambros. p. 330 et 338. Frustra Gœttlingius p. 476 numerum 70 iudicum post legem Aurelii Cottæ in omnibus iudiciis fuisse efficere conatur, oblitus etiam orationis pro Flacco. Nec probari possunt, quæ de Clodii causa excogitavit. 1842.]

[2]) Dio Cass. XXXVIII, 8, quem locum recte Baiterus intellexit (in ind. leg. v. *Fufia*), quum superiores de comitiis eam legem latam putassent, quod et verba prohibent (*φιλονεικίαι* et *γένη*) et res. Nihil enim ex iis, quæ ibi dicuntur, ad comitia accommodari recte potest. [Eadem tamen sententiarum trium ordinum distinctio apud Asconium significatur iam in Catilinæ iudicio, quod a. 65 factum est, in orat. in Tog. Cand. p. 115 Hot. 1842.]

[3]) [Quæ Niebuhrius in Hist. Rom. I p. 464, II p. 454 de tribunis ærariis posuit, nullo neque argumento neque testimonio confirmata, ne nunc quidem attingenda puto, etsi fuit, qui eorum mentionem in hac disputatione desideraret. 1842.]

XIX (VII).

Præfatio Ciceronis Catoni et Lælio, quum Hauniæ 1835 editi sunt, præposita.

Quod feci ante aliquot annos, quum Ciceronis orationes 264
eas, quæ in scholis legi solent, a me emendatas edebam, ut, quum annotationem criticam perpetuam editionis consilio excludi iudicarem, tamen, maxime scilicet magistrorum causa, sed etiam aliorum hominum doctorum, qui in hoc studiorum genere versarentur, universam recognitionis meæ rationem in præfatione explicarem exemplisque patefacerem, id in Catone et Lælio eo mihi magis faciendum esse puto, quod in priore libello novo insignique emendationis subsidio usus sum.

Ab Orelliano exemplo, in quo post superiorum curas diligenter recognitus uterque dialogus est, adhibitusque ad Catonem emendandum codex omnium antiquissimus Parisiensis, quibus in locis hoc meum discrepet, ex inferiore margine perspici potest. Sed post Orellium Reinholdus Klotzius, qui Catonem Lipsiæ a. 1831, Lælium a. 1833, auctis etiam codicum subsidiis, edidit, optimorum librorum auctoritatem pressius etiam secutus est scripturarumque ex iis receptarum rationem copiose reddidit. Nam F. V. Ottonis editio Catonis (Lips.
1830) nihil fere proprii boni habet, inanes verbi substantivi 265
damnationes aliaque eius generis multa, utilis tamen ad cognoscendum apparatum criticum, quem et plenius quam ceteri præter Gernhardum exposuit et auxit codicum Dresdensium

scripturis. Ceterum neque grammaticorum veterum testimonia omnia collegit et de aliorum codicibus interdum falsa tradidit, Orellium etiam errantem sequens, nonnulla neglexit.[1]) (Duorum codicum Vindobonensium scripturæ varietatem Klotzius in supplementis Annalium Philologicorum vol. II. fasc. 1 typis describendam curavit.) Itaque quæ iam Klotzius recte mutavit et aut argumentando aut ponderandis auctoritatum momentis confirmavit, ea ab hoc loco excludam, quanquam sunt, quæ accuratius paulo certiusque demonstrari possint. Velut (nam exemplo uno et altero defungi nihil vetat) in Catone § 4 e codicibus optimis restituit: *Qui enim citius adolescentiæ senectus quam pueritiæ adolescentia obrepit?*, quum Gernhardus et Orellius scripsissent: *Quid enim? citius* cet., loquendi genus non satis confirmavit, quod fieri poterat comparatis duobus Tusculanarum locis, in libro V § 89: *Qui tandem isti grandiloqui contra hæc duo melius se habent* cet.? et § 109: *Qui enim beatior Epicurus quam Metrodorus?*[2]) [Liv. XXVIII, 43, 18,
266 XXXV, 16, 3.] Ad hos accedit Horatii versus Ep. II, 2, 90, ubi Plauti et Terentii duos locos Schmidius adscripsit. Rursus in Cat. § 29 recte a Klotzio ob codicum auctoritatem repositum est *relinquimus* pro *relinquemus*; de ipso usu præsentis temporis minus commode disputavit; sed de hoc genere per primam personam præsentis temporis interrogandi, quod in refellendo et deliberando usitatum est, satis dixi in partic. II disputationis de emendandis Ciceronis orationibus de provv. conss. et pro L. Balbo [supra p. 40].

---

[1]) In uno huiusmodi loco temerariæ mutationis reprehensionem a mea editione avertendam puto. Quod enim § 84 edidi: *Commorandi enim natura deversorium dedit, non habitandi*, ubi ab Orellio, Ottone, Klotzio editum est, *nobis, non hab. dedit*, id feci quum aliorum librorum vestigia sequens, tum auctoritatem codicis Erfurtensis, de quo Orellius et Otto errant; habet enim voces *non habitandi*.

[2]) Etiam de N. D. II § 5 vere Lambinus, offensus eadem insolentia orationis, quam in hunc Catonis locum intulerant, quum post *quid enim?* interrogandi particulam desideraret, scribendum putavit: *Qui enim est hoc illo evidentius?* [Addit Siesbyeus hos Ciceronis locos: pro Cæl. 64, de N. D. III, 36 et 40, ad Fam. XII, 16, 3, tum Terent. Ad. II, 1, 25, IV, 5, 74, Lucr. II, 989, Hor. Sat. II, 3, 275 et 311, II, 7, 96, Ep. I, 16, 63.]

Ne ea quidem attingam hoc loco, quæ ita recepta a Klotzio probavi, ut tamen magis testimoniorum gravitati quam editoris disputationi eum assensum tribuerem; velut in ipso Catonis initio (§ 2) hoc dandum fuit consensui Charisii et codicum bonorum omnium, ut scriberetur *certe scio*; aliam autem esse huius loquendi generis significationem atque eius, quo paulo supra Cicero usus est, *certo scio*, hoc quidem loco et qui ei sunt similes, contortulis Klotzii circumlocutionibus non adducor, ut credam. Neque enim Cicero certum esse dicit, se scire, sed scientiam suam certam esse nec dubitatione implicatam. Itaque eo devenitur, ut, ubi adverbio usus magis definiti locus esset (*certo scio*), ibi etiam communius (*certe*) poni potuisse et prope sæpius positum esse, non contra, codicum auctoritate moti statuamus (quemadmodum dicimus et: *jeg veed vist* et: *jeg veed for vist*, nullo discrimine).[1]) Qui autem omnem huiusmodi inconstantiam a lingua Latina excludere conantur, tanquam aliquam maculam, ne illi, quæ sit communis sermonis natura, ignorant. Sed hæc, ut dixi, prætermittam; de illis exponam, quæ huius editionis aut prorsus aut inter recentissimas sunt propria, nec tamen de omnibus; nam minutiora neque per se digna disputatione hoc loco sunt et magnam 267
partem demonstratione communis auctoritatis defendentur.

Catonis codicem omnium, qui quidem noti sint, et antiquissimum et optimum constat esse regium Parisiensem, quem Orellius cum edita scriptura conferendum curavit. Sed qui id negotium susceperat, Iulius Bergerus, valde indiligenter eo functus est, ut plurimis locis Orellius et, qui eum secuti sunt, deciperentur. Id perspexi ex diligenti eius codicis collatione, quam vir doctissimus mihique amicissimus, Nic. B. Krarupius, a se Parisiis confectam, mihi eximia liberalitate, ut alia egregia Ciceronis librorum emendandorum subsidia, utendam concessit. Neque res dubia ullo modo erat, quum raro Krarupii silentium Bergero repugnaret, sed fere huic tacenti opponeretur a Krarupio enotata scriptura ab eo exemplo, quo utebatur, discrepans. [Postea Halmius in editione Turicensi altera usus est collatione ab H. Keilio confecta, quæ et Bergeri

---

[1]) [Cfr. Hand. Tursell. II, 14 sqq., Zumptius ad Verr. Lib. I § 1. 1842.]

et Krarupii operam fide superat.] Itaque nunc demum prorsus confirmatur illud de huius codicis præstantia iudicium; antea enim poterat videri, quamvis esset antiquus, non paucas habere vulgarium codicum et editionum pravas et interpolatas scripturas, quas reliqui meliores codices non haberent; nunc (ut his utar) constat, neque initio libelli abhorrens illud ab Ennii versu *pretii* in illo codice esse, neque § 48 *prope*, sed, ut apud Nonium et in cod. Erf., *propter*; nec § 21 veræ scripturæ (*quemquam senem*) contra perversam partitionem (*quemquam senum*) hic testis deest. Quum tamen, brevitatis studio, non omnem varietatem scripturæ iterandam putarem, huic præfationi supplementum et correctionem eorum, quæ apud Orellium de codice regio traduntur, subieci.[1])

268 Ad præstantissimam igitur huius codicis auctoritatem, ad quem alii cognatione adiunguntur, velut multo et recentior et depravatior Hænelianus, multo iam accuratius hunc libellum exegi, nec pauca ex eo restitui, partim accedente aliorum diversæ originis codicum testimonio, maxime Erfurtensis et Trevirensis, aut utriusque aut alterius eorum (velut § 15 in voce *complector* pro vulgato *contemplor* Erfurtensis, in omittenda, quam Klotzius reduxerat, præpositione ante voc. *iuventute* Trevirensis); nonnulla autem, quæ nuper a Klotzio ex alteris illis codicibus in ordinem recepta erant, rursus expuli ob auctoritatem codicis regii aut aliis testimoniis (velut in § 46 in omittenda voce *iam* Nonii p. 236 Merc.) aut ratione confirmatam, cuius generis est, quod § 65 servavi *sed eam*, ubi Klotzius mendum codd. Trevirensis et Erfurtensis et aliorum nonnullorum, *et eam*, ortum ex *set eam*, recepit, sententiamque apertissimam argutando pervertit. Multa in hoc genere scripturæ Orellianæ conservatæ pono, quæ ad ordinem verborum pertinent (v. c. § 5, 15, 55 cet.), in quo quum Klotzius alios codices secutus esset, uno etiam et altero loco regii nomen falso positum (ut § 16), interdum ratiunculas quasdam excogitavit

---

[1]) [Hanc appendicem nunc post Keilii operam sustuli et quædam hic omisi de Bergeri et Krarupii collationibus annotata. Quæ Mommsenius aliique postea de codicibus Leidensibus et aliis protulerunt, ea hic attingendi nulla admodum causa est.]

et exornavit eiusmodi, quæ nullam prorsus habeant persuadendi vim aut necessitatem. Ut § 15 quum in cod. regio et Erf. scriptum sit eo ordine, qui apud Ciceronem frequentior est 269
(vid. Stuerenburgius ad orat. pro Arch. p. 20 sqq.), *quanta quamque sit iusta unaquæque*, is ex aliis codd. edidit: *quamque iusta sit*, et de eo valde asseverat (in ann. ad Læl. p. 90), quod multum situm sit in adiectivo *iusta*. Equidem scire velim, in quem locum id non cadat, ubi ea particula illo modo adiectivo præponatur, ut ista quidem ratione ubique sic scribendum sit; sed hunc animadverto multorum errorem, a Gœrenzio, si non ortum, at propagatum, ut, ubi de loco verbi substantivi controversia sit, id, quo sit initio propius, eo gravius proferri putent; quod est longe secus. Subiecta enim hæc unius syllabæ vox interrogativo tanquam enclitica delitescit, extolliturque id, quod tertio loco est.[1]) Dubito, num tantum Krarupii mei silentio tribuam, ut in hoc genere scripturarum ob codicem regium retentarum ponam, quod § 25 est: *nec vero dubitet agricola*. Sed sive id in codice illo scriptum est sive, ut fere in ceteris, *dubitat*, retinendus coniunctivus est; neque enim, quid respondeant agricolæ, Cato dicit, sed quid possint, si quis quærat, respondere. Ita autem codicem regium primo loco habui, ut ei me ne manciparem, a quo retrahere vel Nonii auctoritas poterat, plerumque sane (velut § 52 *acini vinaceo*) cum codice regio, sed tamen interdum cum aliis contra eum consentiens, ut § 45 in omittendo *nostri*. Itaque non sum veritus § 41 ex Erf. et Trevir. aliisque retinere *longinquior* pro *longior*, nec § 3 Aristonis patriæ nomen delevi, sed cum Klotzio e codd. Dresdensium trium et Hæneliani aliorumque vestigiis (*Aristocheus, Aristoteus* cet.) *Ceus* scripsi; Peripateticum enim intelligi, qui Ceus fuit, non est longæ disputationis. Nam non solum Panætius et Sosicrates apud Diogenem Laer- 270
tium Chii, Stoici, negant quicquam exstare præter epistolas, cetera Cei esse, sed ipse Cicero libr. V de Fin. § 13 Aristoni Peripatetico, non Stoico, ut miro errore Grævius scripsit, alii repetunt, scripta multa et polita, sed gravitate et auctoritate carentia tribuit, quale hoc fuit de senectute; estque omnino

[1]) [Cfr. quæ annotavi ad Cic. de Fin. I § 43 p. 91. 1842.]

hoc genus dialogi de loco communi Peripateticum magis quam Stoicum.[1])

Ne grammaticis quidem veteribus tantum tribui, quantum nonnulli tribuunt, ut iis omnium aut optimorum codicum consensum ratione confirmatum posthaberem. Itaque § 56 *fuit* non delevi, casu apud Nonium p. 488 et in cod. Hæneliano omissum; multo autem minus § 51 Charisii auctoritate, qui plura corrupte ex hoc libello profert, v. c. § 8 et 46, pravum adverbium *proximo* recepi, quod Klotzius, quum hoc loco probaret, inconstanter sprevit ab eodem Charisio oblatum § 22. (Novi duos locos, qui ad defendendam formam citantur.) Verum hæc universe dicta sufficere opinor; ideo autem minutas res attigi, ne quis in his se iactaret, easque quum verbis amplificasset, neglectas a me quereretur, se Ciceroni salutem reddidisse. Deinceps de singulis quibusdam locis dicam, qui notabiliorem mutationem aut coniectura repertam habent; nec ea attingam, quorum diiudicatio posita est in controversia grammatica latiore, quale est § 27 *Ne nunc quidem* pro *Nec nunc quidem*, quod Ciceronianum non puto[2]), et § 56 *haud scio an nulla*, in Lælio autem § 20 *haud scio an nihil*, ubi, si Cicero scripsisset *quicquam*, librarii non mutassent.

271 C. 2. 5 editum erat ab omnibus sine ulla discrepantia: *tanquam in arborum bacis terræque frugibus*; ego scripsi *fructibus*: magis enim me codicum regii, Erfurtensis, Pithœani, Oxoniensis unius movebat auctoritas quam Beieri (ad Offic. II, 3, 12) disputatio non satis cauta; nam non solum fruges communi fructuum nomine comprehenduntur, ut ex illo ipso loco intelligitur, et ipsæ solæ hoc nomine significantur in Catone § 24 (*non serendis, non percipiendis, non condendis fructibus*), sed addito genitivo necessario sic dicendum erat; terræ enim fructus fruges appellantur, ut arborum fructus contrarii ponantur.

---

[1]) [Idem nuperrime confirmavit meæ sententiæ ignarus vir doctissimus Fr. Ritschlius in Museo Rhenano novo anni I fasc. 2 p. 192, scite adhibito Plutarchi loco ex initio libelli de aud. poetis. 1842.]

[2]) [Vid. excursus tertius editioni nostræ librorum de Finibus adiectus. 1842.] [In Lahmeyeri enarratione prave *nunc quidem* sic dicitur, quasi alio tempore aut desiderarit aut desideraturus sit.]

C. 3, 8 in Themistoclis responso, quod sic scribebatur: *Nec hercule, si ego Seriphius essem, nobilis, nec tu, si Atheniensis esses, clarus unquam fuisses*, notavi vocem *nobilis*, ac vellem delevisse, probata Caroli Langii certissima suspicione. Prorsus enim perverse duo adiectiva ad suam utrumque condicionem referuntur, tanquam alia sit nobilitas, alia claritas, ad illam Seriphius, ad hanc homo iners nequeat pervenire, quum hæc sit sententia, eidem rei utrumque obstare, patriæ nimiam parvitatem et ingenii inopiam. Itaque nemo ex Græcis scriptoribus, qui hoc responsum tradiderunt, non una notione eodemque verbo id comprehendit, quod neque Seriphio industrio neque Atheniensi inerti posset contingere (Herod. VIII, 125 *ἐτιμήθην*, Plat. Re p. I p. 329 *ὀνομαστὸς ἐγένετο*, Plut. Themist. 18 et in apophthegm. *ἐγενόμην ἔνδοξος*). Manifesta per se res indicio non caret; nam in codd. Erf., Trevirensi ceterisque fere melioribus (C. Langii, Pithœano cet.) *ignobilis* est, pravum glossema, non *nobilis*, quod corrigendo effectum est.

C. 7, 23 edidi: *Num igitur hunc, num Homerum, num* 272
Hesiodum, Simonidem, Stesichorum — coegit in suis studiis obmutescere senectus? Vulgo *num* ante duo extrema nomina repetitur contra codices paulo meliores omnes; non recte Klotzius etiam ante *Hesiodum* particulam sustulit. In huiusmodi coacervatione particula aliave vox communis in primis membris repetitur, in extremis omittitur cum quadam eiusmodi æqualitate, qualis hic efficitur in codicum scriptura; cfr. Verr. V, 51, 133 (quemadmodum a me et Zumptio e codd. locus emendatus est): *Hoc Amestratini, hoc Herbitenses, Agyrinenses, Tyndaritani publice dicunt*; pro Cæl. 14, 34: *non patruum, non avum, proavum, atavum audieras consulem fuisse?* pro Mil. 7, 20: *qui Drusum, qui Africanum, Pompeium, nosmet ipsos* cet. [pro Cluent. 30, 83: *si istinc . . ., si istinc . . ., istinc . . ., istinc* cet.][1])

C. 8, 26 edebatur ab omnibus: *ut Solonem versibus gloriantem videmus, qui se quotidie aliquid addiscentem dicit senem fieri; ut ego feci, qui* cet. Sed optimi codices (reg., Trev.,

---

[1]) Paulo ante 6, 20 qui ad codices attenderit, non requiret, cur mendi notam apposuerim; aliud enim latet poematis nomen; et tamen in huiusmodi editione fortasse satis erat illud signum iis adscribere, quæ sententiæ aut orationis pravitate offendunt.

Erf., præterea duo Dresdenses, alii) habent: *ut et Solonem*; itaque non *et* tollendum, sed, altero *ut* in *et* mutato, vincienda oratio erat (*ut et Solonem versibus gloriantem videmus — — et ego feci*); neque enim in hac brevitate et sedato cursu anaphora placere poterat.

C. 10, 31 hactenus scriptum fuit: *nusquam optat, ut Aiacis*
273 *similes habeat decem, at ut Nestoris: quod si acciderit, non dubitat, quin brevi sit Troia peritura.* Ex optimis codicibus Klotzius edidit: *si sibi acciderit*; residet vitium in *at*, pro quo, præcedente negatione, cui contraria subiicitur affirmatio, constans Ciceronis usus postulat *sed.* Iam in codice regio scribitur: *sed sex Nestoris, quod si sibi acciderit, Aiacis similem habeat ducem, at ut Nestoris, non* cet. Facilis igitur veri inventio est; nam SED VI NESTORIS (quod etiam in Pithœano et Hæneliano est) scriptum est pro: SED UT NESTORIS, confusis I et T; tum VI acceptum pro numero; accessit corrector, qui *at ut* supposuit, quod in regio cum alia interpolatione ex margine in orationem receptum est loco non suo. Hinc reliquæ codicum turbæ ortæ sunt.[1])

C. 12, 42 olim edebatur: *Quorsus hæc? Ut intelligatis, si voluptatem aspernari ratione et sapientia non possemus, magnam habendam senectuti gratiam, quæ efficeret, ut id non liberet, quod non oporteret.* Gernhardus edidit *effecerit*, quod Orellius nescio quo errore in editionibus et codicibus esse putavit, quum in uno codice Oxoniensi, uno Vindob., et fortasse uno et altero Dresdensi (apud Ottonem) repertum sit. Itaque Klotzius *efficeret* restituit, sed hærens, opinor, in temporum coniunctione, e codice regio, Pithœano, duobusque aliis (et margine Hæneliani) pro *intelligatis* scripsit *intelligeretis*; quod tamen ipse quomodo defenderet, non invenit, quum præcedenti interrogationi subiiciendum præsens tempus esset; nam quod
274 sequenti sententiæ condicionali vim tribuit primarii verbi mutandi, nihil est, nec exemplo veteris scriptoris, sed a se con-

---

[1]) Ad Fam. XV, 4, 9 legitur: *Eranam autem — itemque Sepyram et Commorim — cepimus castellaque sex capta, complura incendimus.* Pessime coniunguntur *cepimus — captaque (sunt) — incendimus*; ridicule autem ita narratur, tanquam alia castella ceperint, alia non capta combusserint. Scribi debet: *castellaque UI capta complura incendimus.*

ficto utitur. Itaque dubium non videtur, quin hoc imperfectum interpolationi debeatur, qua damnata non minus rectum est *efficeret*; hoc enim Cato dicit, effecturam id senectutem, si aliter fieri non posset; nunc ratione id et sapientia effici. In proximis verbis quum ederetur: *Impedit enim consilium voluptas, rationi inimica est ac mentis — præstringit oculos*, non Ciceroniana membrorum coniunctione (vid. Opusc. nostra priora p. 334 sqq.), ego *ac* sustuli auctoritate Nonii et codicis regii duorumque præterea codicum.[1]

C. 14, 46 restitui, quod præstantior codicum auctoritas (reg., Erf., Hænel., cet.) commendabat, sententia requirebat: *voluptati, cuius est fortasse quidam naturalis modus*; nam Cato quendam modum voluptatis (quod idem est ac si dicas, voluptatem usque ad quendam modum) concedit fortasse naturaliter appeti, ut tantum id, quod hunc modum excedat, reprehendi debeat. Necessaria hæc certorum finium significatio prorsus deest in altera scriptura *motus*, quæ nescio quam formam et proprietatem movendi significare videtur. Sed fefellit editores recentiores, quod in his verbis: *est quidam naturalis modus* tantum modi significationem animadverterunt, quasi hoc diceretur: *cui fortasse modus adhibendus est*, ineptissime sane, concedendi vim, qua voluptas usque ad hunc modum recipitur, non viderunt.

C. 14, 49 edunt inde ab Ernestio, probata Grævii coniectura: *Mori pæne videbamus in studio dimetiendi cæli atque terræ C. Gallum* cet., Klotzius autem *pæne* delevit, quod voca- 275
bulum et in omnibus est codicibus, excepto uno Oxon., et certo loco positum inter *dimetiendi* et *cæli*; contra *moriendi* verbo nemo controversiam movit, quod in codice regio omittitur, in codice Erfurtensi in rasura est, in aliis codicibus transponitur non uno modo. Sententiam hoc verbum, transposito *pæne*, ut cum eo coniungi possit, eam efficit, quæ etsi ferri possit, tamen nec ipsa aptissima sit (neque enim de studiis ad ultimum vitæ tempus retentis hoc loco agitur, sed universius de senectute in studiis occupata) nec cum iis, quæ sequuntur, optime coniungatur; nam minora graviori subiici-

---

[1]) In Lælio § 95 eandem causam ex uno cod. Vindob. edidi: *constantem et severum et gravem.*

untur; omisso autem *pæne* aut ibi posito, ubi codices id habent, sententia perversa efficitur; incipit enim Cicero de morte Sulpicii dicere, deinde de delectatione senectutis loquitur. Deleto autem vocabulo *mori*, omnia aptissima fiunt; primum enim, cuius studii in Gallo testes fuerint, Cato dicit, deinde, quantum id fuerit, exponit. Prima illa sententia quum per se accepta nimis videretur ieiuna, librarii graviorem reddere studuerunt. At *pæne* male altero loco poni aiunt. Nescio, cur. Nam nec cælum vere quisquam dimensus est, et Romano homini parumque subtiliter loquenti de rebus mathematicis vix terram prorsus dimetiri quisquam posse videbatur. Itaque Cato Gallum *pæne* cælum et terram dimetiri voluisse dicit.[1])

C. 16, 56 edebatur: *Conditiora facit hæc supervacanei etiam operis aucupium atque venatio*; quod ego vereor ut recte dicatur; nam *aucupium supervacanei operis* non intelligitur universe omne aucupium, quod semper supervacaneum opus habeat, sed id aucupium (id eius genus), quod supervacaneum opus habeat; nec id ipsum rectum est, adiungi hanc tanquam descriptionem aucupii, quum hæc potius sententia sit, ceteris
276 operibus necessariis adiungi tanquam supervacanea et tamen aliquid afferre aucupium et venationem. Rectius igitur in codice regio, Palatino primo, optimo Grævii scribitur ablativo casu: *supervacaneis operis* (in Hænel. *supervacantis*), quod Lambinus quoque in suis libris repperit et probavit et, si Grævius verum dicit, C. Langius, fortasse in altera editione.

C. 18, 65 vulgo edebatur: *ut enim non omne vinum, sic non omnis ætas vetustate coacescit*; in quo mirum est, neminem e recentioribus pravitatem sententiæ animadvertisse; nam omnis ætas omnes sunt ætatis gradus, pueritia, adolescentia, iuventus, ceteri, qui non vetustate coacescere ineptissime dicuntur; id agitur, in omnibusne hominibus hanc habeat vim senectus, ut difficiles fiant, an in aliquot propter eorum naturam. Klotzius tamen, recepta codicis regii et Erfurtensis et aliorum scriptura: *non omnis ætas naturæ vetustate coacescit*, novum addidit vulnus; nam quum *vetustas* optime diceretur absolute de tempore

[1]) [Commode Siesbyeus nos admonet loci Quintiliani XII, 11, 10: *maria transire, siderum cursus numerosque cognoscere, mundum ipsum pæne dimetiri.*]

senes efficiente, inauditam quandam *naturæ vetustatem* (ætatum, quasi, si sit aliqua singularum ætatum, ut pueritiæ, natura, ea veterascere possit) in Ciceronis orationem induxit, quam pro natura consenescente dici voluisse videtur: vertit enim: *das Aelterwerden.* Verum viderant Manutius et Lambinus, qui, excluso glossemate, scripserunt: *sic non omnis natura*, id est, omnis naturæ homines; eamque scripturam præstant duo perboni codices, Trevirensis et Pithœanus, aliique minoris præstantiæ.

C. 19, 68 legebatur: *Sensi ego tum* (*quum*) *in optimo filio meo, tum in exspectatis ad amplissimam dignitatem fratribus tuis, Scipio, mortem omni ætati esse communem.* In hac sententia minus rectum videri poterat, sensum doloris in morte Æmiliorum puerorum ad Catonem, tanquam domesticæ cala- 277
mitatis, referri, non ad fratrem Scipionem. Iam *quum* sive *tum* omittitur in cod. regio, Vindobon. secundo, Hæneliano, Basileensi, duobus Dresdensibus (apud Ott.), uno Oxoniensi, *meo*, quod in illa conformatione sententiæ necessarium est, in regio, Hænel., Trevir., Erfurt., Vindob. sec., Basileensi, uno Dresdensi, *in* post *tum* in regio et Cizensium antiquissimo (apud Gernhardum), *tuis*, quod non minus quam *meo* necessarium est, in regio, Erfurt., Lipsiensi, Vindob. sec., tribus Oxon., editionibusque vetustissimis. In codicis regii scriptura ubi ex *tum* fecerimus *tu in*, mutatione pæne nulla, hanc habebimus, quam secutus sum, elegantissimam et verissimam loci formam: *Sensi ego in optimo filio, tu in exspectatis ad amplissimam dignitatem fratribus* cet.

Nullam insigniorem feci mutationem quam initio c. 20. Scriptum ibi sic erat: *Omnium ætatum certus est terminus; senectutis autem nullus certus est* (*est cert.*) *terminus; recteque in ea vivitur, quoad munus officii exsequi et tueri possis et tamen mortem contemnere.* Prima quinque verba in nullo codice fide digno inventa credo; certe absunt a regio, Trev., Erf., Bas., Hæn., Vindob. sec., Manutii codd. plerisque, Gulielmi et Gruteri omnibus, Pithœano cod. Græviique libris, Oxoniensibus et Dresdensibus item omnibus; recteque Manutius ea eiecit. Addita sunt ab aliquo, cui idem, quod Gernhardo, visum est, necessario requiri aliquid, ad quod contrarie referretur *senectutis* nomen. Verum quum tota superior fuerit disputatio de

senectute proximaque de mortis propinquitate, eo Cato devenit, ut terminum nullum esse senectutis dicat. Itaque in hoc transitu caput est sententiæ nec quicquam contrarii requiritur. Minus manifesta testimonia veritas habet in extrema parte
278 sententiæ, in qua codices mirifice variant. Vulgatam scripturam ex codicibus nuper collatis habent Trevirensis et Vindob. sec. et Hænelianus, tum plerique alii, sed regius: *possit, mortemque contemnere*, quod Klotzius recepit, Erfurtensis: *possis et tamen mortem non timere*, Bas.: *possit tandem valet mortem contemnere.* Quamcumque ex his scripturis elegeris, non solum prava erit sententia, sed ita a re et cohærentia orationis abhorrens, ut Ciceroni excidere non potuerit. Nam quum tamdiu recte vivi statuitur, quamdiu quis munera exsequi et mortem contemnere possit, sequitur, ut, quum quis mortem iam nequeat contemnere summoque eius timore angatur, tum sit tempus e vita excedendi; quo quid est perversius? Nec melius est, quod mortis contemptio eadem proportione atque vires minui dicitur, quum contra tædium vitæ contemptum mortis afferre consentaneum sit. Ex ipsa codicum discrepantia manifestum fit, adiecta hæc esse, quod non appareret, ea, quæ sequuntur: *Ex quo fit* cet., quo referrentur. Verum ea cum superioribus sic connectuntur, ut, quum nullus sit certus senectutis terminus, nunquam in ea præmatura mors esse possit. Iure igitur Schuetzius, Ursinum secutus, interpolationem notavit; ego sustuli, sic scribens: *quoad munus officii exsequi et tueri possis; ex quo fit* cet.

C. 20, 76 erunt fortasse, qui mirentur, cur, spreto codice regio eiusque secta, cum Trevirensi et Erfurtensi reliquisque *rerum omnium satietas* scribere maluerim, quum præsertim *studiorum omnium* iis, quæ sequuntur, aperte confirmari videatur. Verum ego ex his ipsis ortum priore loco *studiorum* nomen putavi; rectiusque rerum satietas effici dicitur, quum studia rerum occidunt, quam studiorum.

C. 22, 80 necessariam iudicavi Manutii et Lambini correc-
279 tionem, qui scripserunt: *ceterarum rerum, perspicuum est, quo quæque discedat*, quum esset *discedant*; neque enim in hac distributione genitivo partitivo feminini generis ullo modo subiici neutrum *quæque* potuit; erratum est ob proximum *abeunt*, quod ad ceteras res refertur.

De Catone satis dictum est. In Lælio nihil habui novi subsidii, itaque minus sæpe ibi a Klotzii editione discessum est (in qua incommodum est, quod optimi codicis, Gudiani, scripturam non integram cognoscimus), et tamen quum omnia ad codices, de quorum scriptura constabat, de integro exacta, etiam minima (velut § 4 *diutissime senex* retentum est ob testimonium codd. Guelff. in præf. edit. Beierianæ p. VII), tum quædam etiam coniectura emendata. Illius generis præcipua, hæc omnia persequar, si prius dixero, vel optimos, qui nuper adhibiti sunt, codices integritate cedere iis, quos viderat Car. Langius. Neque enim quisquam postea in codice vidit, quod is c. 2 § 9 ex Iacobi Susii libro edidit omnesque tenemus: *sed hi in pueris, Cato* cet. Itaque valde expetenda est plenior cognitio codicis antiquissimi Weingartensis, ab Orellio in epistola ad me (ante Cic. Orat.) p. XV commemorati, si forte is ad Langianos illos accedat, qui quo devenerint, non constat.

C. 7, 23 videtur in omnibus codicibus legi, quod edebatur: *ex dissensionibus atque discordiis percipi potest*. Nec tamen dubitavi huic loco eandem adhibere correctionem (*perspici*), quam aliis locis viri docti ex codicibus adhibuerunt, velut de Legg. I § 51; nihil est enim frequentius confusione horum verborum. Perceptio hic nulla significatur sententiæ reive ad discendum propositæ, sed ex comparatione contrarii animadversio.

C. 7, 25 ex uno, de quo constet, codice Erfurtensi veram
scripturam restitui: *Nos vero a te potius*; quod enim legebatur: 250
Nos autem a te potius, id nunquam ponitur in huiusmodi responsis, quæ alterius orationi cum assentiendi aut dissentiendi significatione adiunguntur.

C. 10, 35 omnes inde a Grævio ediderunt: *Eorum querela inveteratas non modo familiaritates extingui solere, sed odia etiam* (*etiam odia*) *gigni sempiterna*, codicum auctoritate perexigua. Nam et Erf. et uterque Orellii codex et tres Klotzii et omnes Beieri et ex Oxx. saltem sex habent, ut olim edebatur, *inveterata*, quod verum esse, facile perspici potest. Nusquam enim isto modo Cicero voces distraxit, ut *non modo* inter adiectivum et substantivum interponeret, nisi adiectivum commune esset duobus substantivis, ad quæ particulæ pertinerent. Recte autem dicitur *inveterata querela*, in quo Grævius hæsit; neque

enim subito dissolvitur familiaritas, sed quum querela insedit et inveteravit factaque est eadem subinde refricando acerbior, tum sequitur amicitiæ interitus.

C. 11, 38 Schuetzius, quod ei accidit interdum festinanti et totam rem levissime gerenti, sed tamen ad naturalem sententiarum elocutionem attendenti, vidit, quod ceteros fugit præter Canterum, quum de eo, quod ex aliqua re secuturum esset, disputaretur, prave dici: *perfecta quidem sapientia simus, si nihil habeat res vitii; sed* cet.; nam quum concederetur, nihil esse vitii, si res certo modo comparata esset, negaretur autem, esse ita comparatam, dicendum necessario esse: *perfecta quidem sapientia si simus, nihil* cet. Ceteri editores, si modo ad sententiam attenderunt, vulgatam scripturam in hanc fere sententiam videntur intellexisse: perfecta sapientia opus est, ne vitii quid inde oriatur. Verum id nec particula *quidem* patitur nec hypothetica sententiæ forma, nec isto modo Latine
281 significatur condicio rei cuiusdam assequendæ, sed hoc: Perfecta sapientia esse debemus, si nihil *habitura est* res vitii. (Vid. de N. D. I § [90 et] 103, de Legg. I § 56, [de Fin. II, 85, de Off. I, 72,] Tusc. V § 13, Academic. II § 25, pro Rosc. Am. § 68 [Sen. de Benef. VI, 7, 3]. Græcorum est *εἰ μέλλει τὸ πρᾶγμα ἕξειν*, vid. Matth. Gr. Græc. § 498 c, p. 1120 ed. 3.) Excidit *si* ante *simus*; deinde, quum ad sententias coniungendas desideraretur, loco non suo suppletum est.[1])

[1]) In transcursu attingam interpretationem extremorum huius capitis verborum: *At vero Ti. Gracchum sequebantur C. Carbo, C. Cato, et minime tunc quidem Caius frater, nunc idem acerrimus*, in quibus Klotzius ad *minime* intelligit *sequebatur*, deinde *est*, putatque, quum enumerentur sectatores Ti. Gracchi, optime adiungi: *et minime sequebatur Caius*; tum vero verba sic structa: *Carbo et minime tunc quidem Caius, nunc idem acerrimus*, divelli et assumi *est*, licere credit; quæ quum mihi nullo modo probentur, cogor eam interpretationem tenere, quam is „et historiæ fidei et rationi grammaticæ et omni sensui humano vehementer repugnare“ ait, ut ex *acerrimus* in priore membro intelligatur *acer*. Sensus humanus quid hic agat, nescio; ad historiam quod attinet, nego, ullis machinis effici posse, ut non *sequebatur* ad Caium quoque affirmativo modo pertineat, ut hoc quidem Ciceroni eripi nequeat; nec quisquam veterum negavit Caium Tiberii partes secutum esse. Plutarchus scripsit, *Ti. mortuo*, quum Caius admodum adolescens esset, eum inimicos timentem (eosdem igitur habebat, quos

In c. 15, 53 primum scripsi: *Quod si forte, ut fit plerumque, ceciderunt, tum intelligitur, quam fuerint inopes amicorum.* Erat *ceciderint*, quasi res futura exspectaretur; agitur autem de ef- 282 fectu rei præteritæ fieri solitæ, in quo illud est rectum dicendi genus; nam coniunctivus perfecti prorsus ab hac loquendi ratione excluditur, quæ non hypothetica est, sed simpliciter condicionalis. Librarii autem et editores certatim aberrant. Itaque recte scribitur de Offic. I § 151: *si satiata quæstu — se in agros possessionesque contulit, videtur iure optimo posse laudari*; paucissimi tantum et mali codices *contulerit* habent. Contra in eodem libro § 123 editur ab omnibus: *Sin autem etiam libidinum intemperantia accesserit, duplex malum est* cet.: codices tamen optimi, velut quinque Orellii, ex quibus duo antiquissimi sunt, habent *accessit*. In Tuscul. libr. II § 58 in editionibus est: *cuius si quasi lumen aliquod adspexerimus, nihil est, quod — non parati simus ferre.* Verum codex regius et quinque Oxonienses (addo codicem Pithœanum ab eo, quo Gulielmus usus est, diversum et ab initio mutilum, cuius scripturæ enotatæ servantur in bibliotheca universitatis nostræ) habent: *adspeximus.* In Lælio idem error infra § 74 a Klotzio libris admonentibus correctus est, ubi edebatur: *si qui ineunte ætate venandi aut pilæ studiosi fuerint.* In Acad. II § 127 huic perfecto, quod ita vim præsentis habet, ut præsens ei

---

frater) relicto foro quiete vixisse; de Plutarchi autem verbis in vita Tiberii c. 8 C. Langius valde fallitur, in quibus *τὴν μυρίων κακῶν ἄρξασαν αὐτοῖς πολιτείαν* ex Plutarchi persona dici patet. Restat ratio grammatica. Citavi olim Liv. XXXVII, 41: *Quæ nihil admodum Romanis* [incommoda], *eadem perincommoda regiis erant.* Addam nunc Cic. de Re p. I § 71: *quem si habemus, etsi ne nunc quidem* [quisquam est florentior], *tum vero quis te possit esse florentior?* Nam Tacito non utor, [qui Ann. XII, 64 ita scripsit: *quæ filio dare imperium, tolerare imperitantem nequibat*, ut ex *nequibat* ad priorem infinitivum sumatur *quibat*.] [Eiusdem generis sunt hæc apud Livium: II, 27, 13 (*Servilius neutris, Appius patribus mire gratus*, ubi si pro *mire gratus* posuisset *gratissimus*, prorsus in eandem quam Cicero formam incurrisset), II, 33, 2 (ubi ex *minus convenit* ad prius membrum pertinet tantum *convenit*), XLIII, 4, 13 (ubi etiam durius ex *æquum censere* ad prius membrum (*Abderitis iniustum bellum illatum*), sumitur unum *censere*). In his omnibus exemplis vox et notio duobus membris communis in postremum locum reiecta conflatur cum nota aliqua tantum ad posterius membrum pertinenti.]

subiiciatur, suppositum est futurum: *Si vero aliquid occurret, quod veri simile videatur, humanissima completur animi voluptate.* Debebat tum esse *complebitur.* Sed recte codex unus et vet. editio *occurrit.* Paulo est diversum *nisi* adiunctum sententiæ negativæ aut per interrogationem neganti. Tamen in Tusc. IV § 48 e codice regio et Pithœano illo reponendum est: *An vero vir fortis, nisi stomachari cœpit, non potest fortis esse?* ubi editur *cœperit*, et § 50 ex iisdem codd. (regii testimonium, quod Davisius in secunda editione secutus est, a Kra-
283 rupio confirmatum, Orellius neglexit) et vett. edd.: *nisi insanire cœpit*, pro *cœperit.* Idem est, frequentior etiam, error editorumque inconstantia in perfecto indicativo subiecto particulæ *quum*, de qua re dicam ad Ciceronis libr. V de Fin. § 42, ubi e codicibus reponendum erit: *quum autem paulum firmitatis accessit*, pro eo, quod editum ab omnibus est: *accesserit.*[1]) Deinde in eo Lælii loco, a quo digressus sum, legebatur: *Quod Tarquinium dixisse ferunt, tum exulantem se intellexisse, quos fidos amicos habuisset, quos infidos, quum iam neutris gratiam referre posset.* Miratur Klotzius, quod Orellius [præeunte Hottingero in Ecl. Ciceron.] participium *exulantem* notaverit tanquam spurium, quum Gernhardus aliique id explicationis causa particulæ *tum* additum esse ostenderint. Sensit, opinor, Orellius, non solum admodum supervacaneam eam esse explicationem et illepidam, sed nullo modo ferendam. Tollitur enim dicti vis, quicquid ad *tum* additur temporis notæ, quod definiri debet sententia relativa; ne grammatica quidem ratio patitur in vulgata scriptura *tum*, ut debet, cum *intellexisse* coniungi, sed cum *exulantem*, ut definiatur non intelligentiæ acceptæ tempus, sed exilii, quod ridiculum est. Quum igitur non satis probabile videretur, eam vocem additiciam esse, quod eius addendæ causa vix fuisset, transpositione locum emendandum putavi, ut esset: *ferunt exulantem, tum* cet.; nec tamen valde refragabor, si quis iudicaverit, vim huius circumlocutionis: *tum quum — posset* hoc uno vocabulo ab interprete aliquo comprehensam esse.

284 C. 17, 63 edendum putavi coniectura: *quam etiam si neglecta amicitia consecuti sint, obscuratum iri arbitrantur, quia non sine magna causa sit neglecta amicitia.* Erat *consecuti sunt*;

[1]) [Dixi de hac re ad libr. V de Fin. § 41 p. 679 sqq. ed. 3. 1842.]

mutavi autem non ob particulas *etiam si* (quod pæne volebat Ochsnerus in Eclogis Cicer. p. 187), sed quod, si indicativus retinetur, hæc verba ex Lælii persona dicuntur hac sententia: *tum quum iam potentiam consecuti sunt, etiam si — sunt, tamen arbitrantur*; videtur autem necessario significari debere hominum nondum potentiam adeptorum, sed de ea comparanda cogitantium ratiocinatio; itaque hæc ex illorum persona dicuntur, estque *consecuti sint* pro futuro exacto coniunctivi.

C. 18, 67 eam recepi scripturam, quam a Beiero propositam Klotzius perineptam iudicavit; ego ipsius vulgatæ scripturæ (*Veterrima quaque, ut ea vina, quæ vetustatem ferunt, esse debent suavissima*) explicationem illo nomine digniorem puto. Nam quum multi intellexissent, *veterrima quaque* neutro genere generaliter dici, ut neque ipsa sententia apta esset, neque comparatio vinorum, quæ ipsa ea appellatione veterrimorum quorumque continerentur, ferenda, Klotzius ad *veterrima quaque* audiri vult *amicitiarum*, ut sint *veterrima quaque, quæ sunt in amicitiis*. Loquendi genus ut Latinum esse evinceret, non laboravit, quod magnopere faciendum erat; deinde non de iis, quæ sint in amicitiis, sed de ipsarum amicitiarum ordine et dignitate quæritur. Relinquitur igitur (nam attractionis color, quem Orellius induxit, facile evanescit), ut aut cum Erasmo scribamus: *veterrimæ — suavissimæ* aut cum Beiero *debet*; quorum posterius esse præferendum, non solum erroris, qui librariis in hac correctione imputatur, proclivitas ostendit, sed Ciceronis et antiquorum consuetudo in pronomine *quisque* cum superlativis coniungendo, in quo in masculino et feminino genere singularem numerum servant. Atqui et præcessit pluralis et in comparatione vinorum is est numerus. Quasi non in hoc dicendi genere pluralis numeri notio sit, aut cum veterrima *quaque* amicitia unum vini genus, ac non veterrimum quodque contendi debuerit, id est, *ea vina, quæ vetustatem ferunt.*

C. 23, 86 edebatur: *Una est enim amicitia in rebus humanis, de cuius utilitate omnes uno ore consentiunt; quanquam a multis ipsa virtus* (*virtus ipsa*) *contemnitur et venditatio quædam atque ostentatio esse dicitur.* Patet attendenti, non recte hæc coniungi particula *quanquam*; neque enim contraria sunt et repugnantia; magis patebit, rectius oratione inter-

puncta; sequitur enim: *Multi divitias despiciunt —; honores vero — quam multi ita contemnunt* cet.! Hæc, in quibus etiam anaphoræ figura inest, male puncto ab illis, quæ de virtute dicuntur, disiuncta sunt. Apparet, his confirmari id, quod erat propositum: *Una est amicitia* cet. Itaque sic concluditur oratio: *De amicitia omnes ad unum idem sentiunt* cet. Non dubitavi igitur, quin *quanquam* ab aliquo orationis vinciendæ studio insertum esset. Nec retraxit me ab hoc iudicio, sed confirmavit prorsus idem mendum in oratione Philippica IV § 13 hærens, in eadem orationis forma. Quid sententia ibi postularet, Ernestius vidit, *quanquam* in *nam* mutans; sed particula tollenda est.

C. 24, 88 secutus sum coniecturam Facciolati, quæ mihi ab eo inde tempore, quum primum hunc librum legi, necessaria visa est. Is locus in ceteris exemplis sic scriptus est: *Est enim varius et multiplex usus amicitiæ, multæque causæ suspicionum offensionumque dantur, quas tum evitare, tum elevare, tum ferre sapientis est. Una illa sublevanda offensio est, ut et*
286 *utilitas* (al. *veritas*) *in amicitia et fides retineatur: nam et monendi amici sæpe sunt et obiurgandi, et hæc accipienda amice, quum benevole fiunt. Sublevare offensionem* idem, opinor, erit atque *elevare*, efficere, ut minus gravis sit minusque appareat, in quo ipsa verbi mutatio mira est; illud autem longe mirabilius, quod, quum universe offensiones elevandas dixisset, subiicit unam quandam sublevandam esse. Nam quod Beierus *sublevare* vult esse *caute subire*, id qui e verbo efficiatur, ignoro, et cautionis certe, quæ ad omnes offensiones pertinet, præcipua erit significatio, non subeundi. Nec *una illa* in hac coniunctione ullo modo potest esse *illa præter ceteras*, quod idem putat. Quæ est autem una illa? Ceteri quid putarint, nescio; Klotzius graviter errat, qui his verbis: *ut et utilitas in amicitia et fides retineatur*, definiri eam credit (sic enim accepisse debet, qui hic sententiam plenam esse iudicet, deinde cetera uberioris explicationis causa adiecta); quæ enim iis verbis significatur offensio? aut quæ hæc est oratio: *una illa sublevanda offensio est, ut — retineatur*? Hæc quidem verba causam continent, cur sit offensio sublevanda, si quidem *sublevanda* verum est; ipsa autem offensionis definitio continetur illis verbis: *nam et monendi amici sæpe sunt* cet., Latino

loquendi usu, ad pronomen demonstrativum, cui ipsi in nostris linguis sententia explicativa annectenda erat, relata particula *nam* sive *enim*. (Vid. Handii Tursell. vol. II p. 379, cuius exempla si cui rem latissime patentem apud Ciceronem non satis copiose illustrare visa fuerint, addi hæc poterunt: De N. D. II § 138, ubi Heindorfius attigit, Acad. II § 107, Fin. III § 59, Tusc. IV § 45, de Divinat. I § 80, Orat. § 58, Verr. IV § 58, [de imp. Pomp. 17, in Pis. 46].)[1] Hoc qui tenebit, facile intelliget, hanc offensionem non unam elevandam dici, sed, quum ceteræ omnes fugiendæ et elevandæ sint, hanc unam non vitandam, si opus sit, sed veritatis causa suscipiendam. 287
Recte igitur Facciolatus tale verbum requisivit; proximum est autem *subeunda*.

Unum præterea addam; quæretur enim fortasse, cur § 77 interpolationis notam posuerim. Feci autem, quod neque quid esset *agere aliquid auctoritate* (nisi forte *efficere*) neque, si alio modo verba iungerentur, quid esset auctoritas non acerba, intelligebam; nec, quod Schuetzio placuit, *gravi auctoritate agere*, huiusmodi quidem rem, qualis hic commemoratur, recte dici puto, nec ex eo oriri potuit *graviter*.

Epimetrum

de versibus Ennii, quos Cicero in initio Catonis Maioris posuit.[2])

Disiectas antiquorum scriptorum, quæ longa ætas nobis 290
eripuit, reliquias sic ordinare, ut etiam exigua fragmenta in

[1]) [Apud ceteros rara est hæc orationis vinciendæ forma nec in narrando sæpe locum habet; hæc tamen exempla apud historicos ego et Siesbyeus notavimus: Corn. Nep. Thrasyb. 1, Liv. XXIII, 7, 3, Val. Max. II, 10, 3, III, 7, 10, IV, 3, 9, Suet. Calig. 60, Iust. IX, 6, 5, Eutr. VIII, 5, ex aliis autem scriptoribus hæc: Colum. IV, 24, 4, Sen. Ep. 88, 18, Quint. IX, 4, 55, Plin. Ep. III, 7, 13.]

[2]) [Nunc primum editum. Non facile aptiorem locum nacturus mihi videbar huius rei exponendæ, quam inter familiares meos commemoravi aliquot annis antequam Catonem edidi. 1842.]

qua operis parte olim posita et quomodo cum toto argumento coniuncta fuerint, appareat, præter utilitatem, etiam suavitatem
291 habet tantam, ut non mirer quosdam et olim ea ita captos et nostris temporibus ita capi, ut interdum temerarias et leves in ea re coniecturas sequantur. In ea suavitate, si modo recte et caute res agitur, inest etiam admiratio quædam benignæ fortunæ, quæ in tanto, ut ita dicam, veterum operum naufragio tamen non raro quasi de industria indicia parva illa quidem, sed tamen certa servaverit, quibus in illo genere uteremur. Sed ad hanc benignitatem alia quædam accedere debet casus opportunitas, ut ea, quæ longissime interdum separata sint, uno se tempore menti memoriæque sic offerant, ut animadvertatur, quid ex iis coniunctis comparatisque efficiatur. Ex his duobus superius illud etiam in Ennii versibus, quos Cicero in initio Catonis posuit, contigisse videbimus; in altero genere minus feliciter res cecidit hominibus doctis, qui complures de iis quæsiverunt. Ennii hos esse versus (ne hoc initium totius disputationis sine confirmatione relinquam), etsi Cicero non ipse dicit, tamen recte omnes iudicaverunt. Neque enim hoc modo Cicero sine poetæ poematisve nomine aut significatione tanquam notissimos prolaturus erat versus hexametros de homine Romano claro et nobili nisi aut Lucilii aut Ennii. Lucilium autem et versuum orationisque color et res excludit; neque enim in eius satiram quisquam includi poterat T. Flamininum, hominem Luciliano tempore multo superiorem, ita, ut in his versibus fit, compellans. Erat igitur apud Ennium in annalibus alicubi

ille vir haud magna cum re, sed plenu' fidei,

T. Quinctium Flamininum, celeberrimum hominem, qui Philippum Macedona vicit Græcisque libertatis nomen reddidit, quum gravi cura dies noctesque sollicitaretur, alloquens et auxilium ei curæque levationem promittens, si præmium sibi ostende-
292 retur. (*Ecquid erit præmi?*) Eos versus Cicero prænomine *Titi* admonitus accommodat ad T. Atticum, quem et aliis curis ad temporum miserias spectantibus gravius interdum commoveri putat et cogitatione appropinquantis senectutis subinde tangi, quamvis eam modice ferat et sapienter. Sed quis ita apud Ennium T. Flamininum allocutus sit et quo tempore et

quibus curis anxium, diversæ sunt sententiæ, nulla, si propius
adspexeris, probabilis. Nam H. Columna hæc ex ipsius Ennii
persona in annalibus prolata putabat, eumque et alii secuti
sunt et nuper Fr. Ritterus in commentatione de Ennii rebus
(Zeitschrift für die Alterthumwissenschaft, a. 1840, n. 46,
p. 379 et 380), qui plura addit ad omnem rem certa quadam
forma complectendam. Opinatur enim, tum, quum T. Flami-
ninus graviter et moleste ferret fratrem suum, L. Flamininum
a M. Catone et L. Valerio censoribus a. 184 a. Chr. n. cum
ignominia senatu motum, Ennium in ea annalium parte com-
ponenda occupatum fuisse, quæ bellum Quinctii Macedonicum
contineret; itaque eum Quinctium, fautorem suum, amico animo
ad memoriam rerum præclare gestarum et ad consolationem
curæque levationem ex earum gloria et laude capiendam vo-
casse. Hanc opinionem, in quam antea num alii, nescio, sed
certe Iac. Facciolatus inciderat (in scholiis ad Ciceronis locum)
multa redarguunt et prorsus evertunt. Primum Cicero sic
versu illo posito: *ille vir haud magna cum re, sed plenu' fidei*
hominem aliquem a poeta inductum et commemoratum demon-
strat, ut ipse poeta intelligi nequeat; deinde perquam mire
Ennius semet ipsum sic significasset, ac potius istis verbis (*ille
vir*) semet ipsum demonstrare nullo modo potuit. Tum T.
Quinctium Flamininum Ennio aut omnino poetis favisse, nemo
veterum tradidit, nec aut Cicero, qui studiosissime ex veteribus
illis Romanis litterarum et artium in honore habendarum auc- 293
tores excitat, aut quisquam alius eum in hoc genere nomina-
vit. Iam ipsa hæc προσφώνησις quam insolita fingitur nulloque
exemplo confirmata, ut in medio opere Ennius T. Quinctium,
cuius res bellicas canere aggrediatur, alloquatur et curam eius
molestiamque privatam consoletur? Sed augetur perversitas,
quod præmium sibi ante promitti vult, si curam levarit. Ita-
que reliqua persequi omitto, quæ dici contra hanc opinionem
poterant, neque T. Flamininum, etiamsi fratris ignominia do-
luerit, tam mollis animi fuisse videri, ut *noctes diesque* sese
afflictans poetæ consolatione egeret, neque Ennium sic ceci-
nisse horrida bella, ut molles tenerosque suos familiariumque
sensus interponeret. Sed nihilo melior Merulæ sententia est,
probata Drakenborchio (apud Gernhardum) aliisque, significari
Sex. Ælium Pætum, T. Flaminini in consulatu collegam; hunc

apud Ennium T. Flamininum, in provinciam Macedoniam iturum et magnitudine belli prodigiisque sollicitum, consolatum esse et his versibus allocutum. Hi T. Flamininum nobis ex magni animi ferventisque ingenii iuvene et belli cupido (talem enim accepimus, consulatum ex quæstura adeptum) timidum anxiumque faciunt, quem Sex. Ælius confirmandum sibi verbis putarit, Ælium autem et pauperem inducunt (*haud magna cum re*) et præmium auxilii consolationisque a collega petentem. Itaque hæc quoque omittamus circumspiciamusque, ecquando T. Flamininum in re eiusmodi gerenda, quæ in Ennii annalibus inter bella Romana cani potuerit, hoc est, in imperio belli Macedonici traditum sit in magnas difficultates curasque incidisse, quumque in iis per aliquod tempus hæsisset, ab homine paupere et ignobili, quem præmii spes illicere posset, auxilium ei oblatum. Eam rem perscriptam expositamque
294 habemus diligenter apud Livium in libro XXXII c. IX. X. XI. XII, tum minus accurate apud Plutarchum in vita Flaminini c. 4, significatam autem ita, ut et claram illustremque fuisse appareat et Livii narratio confirmetur, in fragmentis Polybii, Diodori Siculi, fortasse etiam Appiani. Nam quum Flamininus exercitum accepisset a P. Villio, superioris anni consule, et in Macedoniam penetrare vellet, castra hostium ad flumen Aoum tam difficilibus aditu locis et tam natura munitis opposita erant, ut hostes aggredi et vim per castra facere *magis placeret, quam, quomodo fieret, satis expediretur* (Liv. c. 9). Itaque quum dies quadraginta sine ullo conatu ibi Romani sedissent, deinde pax colloquiis frustra tentata esset, pugnabatur ante stationes Macedonum sine ullo effectu (c. 10). Tum a Charopo, Epirotarum principe, pastor quidam locorum gnarus ad Flamininum deductus promisit se partem copiarum Romanarum occultis et arduis callibus super caput hostium educturum. Flamininus quum nonnihil dubitasset, crederetne homini, delectorum militum numerum misit, qui a pastore in cacumina Macedonum castris imminentia circumducerentur; pastorem ipsum tribuno militum, qui copias ducebat, tradidit et *promissis ingentibus*, si fides exstaret, *oneratum* et catenis. Ipse interea hostem a fronte lacessebat, ne quid animadverteretur. Tribunus militesque quum tertio demum die pastore duce in verticem, quem petierant, pervenissent, signoque ab iis dato,

Flamininus castra omnibus copiis oppugnare vehementer cœ-
pisset, subito in Macedonas in Flamininum versos impetum a
tergo fecerunt et terrore et fuga omnia impleverunt. Ita pate-
facta in Macedoniam via est. Tenemus iam, quis sit *ille vir,*
haud magna cum re, sed plenu' fidei, pastor Epirotes, qui Fla-
mininum multorum dierum cura et sollicitudine liberavit. Plu-
tarchus ex uno pastore plures facit (*ἄνθρωποι τῶν αὐτόθι νεμόντων*): 295
sed Diodorus Siculus (in excerptis Peirescianis II p. 578 Wess.)
Charopa Epirotam commemorat, qui in bello contra Philippum
Flaminino miserit *τὸν ἡγησόμενον τῆς ἀνελπίστου διὰ τῶν ὀρῶν ἀτραποῦ,*
δι' ὧν οἱ Ῥωμαῖοι παραδόξως πορευθέντες τῶν στενῶν ἐκράτησαν. Apud
Polybium (XXVII, 13) Charops (sic enim apud Græcos appel-
latur) dicitur *αἴτιος γεγονέναι τοῦ Φίλιππον μὲν ἐκπεσεῖν ἐκ τῆς Ἠπείρου,*
Τίτον δὲ καὶ τῆς Ἠπείρου κρατῆσαι καὶ τῶν Μακεδόνων. Appiani deni-
que fragmentum IV Macedonicorum admodum probabiliter ad
hanc rem referunt: *Ποιμὴν ὑπέσχετο στρατὸν εὔζωνον ἄξειν ὁδὸν ἀτριβῆ*
τρισὶν ἡμέραις. Nam et pastor milites expeditos per calles non
tritos ducens et dierum numerus convenit cum Livii narratione.

Perfecto, quod quærebamus, restat, ut Livio, qui præter
ceteros hæc nobis expedivit, gratiam exiguam referamus, men-
dum ex eius verbis in hac narratione tollentes. Nam quum
plura in his capitibus, maxime in initio c. XI, nuper e codice
Bambergensi egregie restituta sint, unum in illo capite extremo
relictum est mendum, cuius tollendi idem ille codex viam paulo
obscurius monstrat. Editur enim, ut in omnibus codicibus
reliquis esse videtur: *His copiis ita dimissis, eo intentius Ro-*
manus undique instat capi stationes (Macedonum). In his pri-
mum orationis insolentia offendimur; nam ut *Romanus* intelli-
gatur, quemadmodum Gronovius et Drakenborchius iubent,
consul Quinctius, tamen neque Livius neque eiusdem quisquam
ætatis in prosa oratione dixit: *insto hoc fieri*, ut esset: *insto*
aliis, ut eorum opera hoc fiat, non magis quam: *impello hoc*
fieri; longissimeque disiunctum est, quod Plautus et Terentius
insto factum dixerunt, ut *instare* esset *vehementer* (affirmando)
contendere. Verum etsi *Romanus* apud Livium interdum intel-
ligitur unus imperator, ubi is contrarius ponitur hostium impe- 296
ratori (nam in non paucis ex iis locis, qui ad IV, 10, 6 ad-
scripti sunt, non ipse imperator verbo significatur, sed universe,
quod actum est, ad Romanos refertur), hoc tamen loco ita

intelligi nullo modo potest, ubi, expositis consulis imperiis mandatisque, oratio aperte in illo nomine ad aliud subiectum transfertur (— *iubet — tradit. His copiis dimissis eo intentius Romanus*). Itaque universus exercitus significatur, ut, si vera scriptura est, Livius eum, qui sua ipse opera aliquid efficere conatur, *instare id fieri* dixisse putandus sit, quod etiam perversius est. Sed non solum oratio, verum etiam res prava est. Nondum enim reapse stationes Macedonum se capturos Quinctius et Romani sperabant aut capere vere nitebantur, sed hostes lacessebant a fronte (ubi stationes erant) detinebantque acris prœlii specie, ne circumeuntes illos, quos pastor ducebat, animadverterent; veram oppugnationem tum cœptam esse, quum illi in verticem montis pervenissent, Livius proximis verbis dicit (c. 12): *tum vero, trifariam divisis copiis, consul* cet. His, quæ exposui, latentis mendi indiciis accedit præclari illius codicis Bambergensis testimonium, in quo scriptum est: *instat capit stationes.* Livius scripserat: *Romanus undique instat aput stationes.* Ex hac scriptura (*aput*) mendi origo apparet.

XX (VIII).

Præfatio editioni repetitæ Ciceronis orationum selectarum præposita.

Quæ ante hos undecim annos, quum has Ciceronis ora- 297
tiones primum edebam, de opera a me in iis recognoscendis et emendandis sumpta breviter magistrorum, et si qui alii Ciceronis studiosi librum adspexissent, admonendorum causa præfatus sum, ea quum postea cum duabus disputationibus de multis harum orationum locis coniuncta inter opuscula mea academica posuerim, nulla causa videtur esse, cur nunc typis describi velim, ab illis præsertim disputationibus separata. Sed quoniam hoc, quod nunc evulgatur, exemplum a superiore illo propter novorum ad hæc Ciceronis scripta emendanda præsidiorum accessionem veterumque pleniorem etiam, quam antea, usum notabiliter aliquot locis et partibus discrepat et tamen propter iudicii mei de universa re constantiam ab eorum, qui easdem orationes nuper tractarunt, sententiis sæpe multumque discedit, faciendum videtur, ut, quum semel huic libro scholastico criticarum quæstionum appendicem adiunxerim, de huius utriusque discrepantiæ causis nonnihil dicam, ad eum scilicet finem, quem antea quoque mihi constitueram, ut appareat peritis, diligenter me negotio functum esse elaborasseque, ut quam emendatissima Ciceronis verba legerentur, habeantque, qui minus ipsi sibi confidunt, in quo adversus contrarias auc- 298
toritates muniti paululum acquiescant. Neque spernendum erit,

si simul unius alteriusve loci sententiam declarare et de quibusdam Ciceronis orationibus cautius æstimandis admonitionem non inutilem adiungere potuero. Quanquam hilarior omnino superioris præfationis materia erat, quæ fere tota in locorum depravatorum nova emendatione versaretur; nunc tristior errorum notatio magnam partem habebit.

Post superiorem igitur nostram editionem in Ciceronis orationibus aut omnibus aut compluribus aut singulis ex iis, quæ hoc libro continentur, emendandis et ad veram formam revocandis elaborarunt, quorum quidem aliqua mihi ratio habenda visa sit, Klotzius, Steinmetzius, Beneckius (in oratt. de imp. Pomp., pro Ligario, pro Deiotaro, pro Archia), Orellius (in oratt. selectis XV, inter quas sunt de imp. Pomp., Catilinariæ, pro Ligario, pro Deiotaro, pro Archia, Philippicæ duæ, tum separatim in Rosciana), Buechnerus (in orat. pro S. Roscio), Stuerenburgius (in orat. pro Archia, cuius tamen altera editione usus non sum), Soldanus (in oratt. pro Ligario et pro Deiotaro). Nam Freundius in oratione Miloniana tantum imaginem codicis Erfurtensis exhibere voluit. Ex his Orellius et Klotzius mea editione usi sunt, ut, nisi huius consuetudinem nossem, miraturus fuerim, si nihil aliud, qui ei in mentem venisset tam gloriose illa (in præfatione primi voluminis p. LXXV) de oratione Ligariana a se primo ex misera depravatione ad meliorem formam revocata scribere, in quo etiam Wunderi oblitus est. Beneckius meum exemplum nancisci se potuisse negat, neque ceteri habuerunt; nam redemptor parum curaverat, ut liber ad exteros perveniret. Sed criticum appa-
299 ratum, prolatis novis codicum scripturis, præter Freundium, qui nonnulla, quæ Wunderi diligentiam in codice Erfurtensi conferendo fefellerant, supplevit ac correxit, auxerunt Steinmetzius, qui tamen parum perite et diligenter codicibus usus est (vid. opusc. mea acad. p. 176), Orellius, qui præterquam quod in orationibus pro Ligario et Deiotaro codicis Leidensis inter meliores numerandi scripturas attulit, magnam meruit Ciceronis studiosorum gratiam, quum in Catilinariis duorum codicum vetustorum et perbonorum, Tegernseensis et Rhenaugiensis, scripturas plene et accurate annotavit, Soldanus, qui in orationibus pro Ligario et Deiotaro compluribus codicibus Guelferbytanis et Monacensibus usus est, postremo Beneckius,

qui in oratione de imperio Pompeii, adhibitis codicibus Monacensibus, effecit, ut de deteriorum codicum familiæ testimonio constaret. Momenti autem hæ accessiones faciunt illæ quidem etiam in ceteris orationibus aliquid, velut in Deiotariana, ubi summa est codicum etiam non prorsus spernendorum discrepantia et quasi testimoniorum confusio, sed plurimum tamen in Catilinariis, in quibus nunc demum ducum bonorum notam et perspectam auctoritatem sequi et certiore via incedere licet et quædam, quæ antea probabilia videri debebant, omittere. Itaque in his orationibus maior quam in reliquis huius et superioris recognitionis discrepantia est, de quo dicam paulo post plura. In reliquis orationibus, maxime iis, in quibus diversæ codicum familiæ eminent, paulo etiam pressius, quam antea feceram, in ordine verborum aliisque minutioribus rebus sequenda meliorum codicum auctoritas fuit, velut in Pompeiana post Beneckium, nonnullæ etiam paulo maioris momenti scripturæ adsciscendæ, quas aut alii inde protractas recte defenderant aut ipse postea demum veras esse animadverteram. Sed in hoc studio meliores codices sequendi et communi professione non parva tamen inter me et eorum, quos enumeravi, editorum plerosque nascitur dissensio, quod ego, codicum testimoniis ratione ponderatis (eo modo, quo in præfatione Ciceronis librorum de finibus a me editorum exposui), verum libere exquirendum puto, illi non religiose, sed superstitiose codices sequi mihi videntur, alius scilicet alio magis. Nam quum intellectum esset, superiores Ciceronis librorum quum ceterorum tum orationum editores neque satis diligenter codicibus usos esse neque meliores a deterioribus separasse, coniecturas etiam nonnullos temere secutos esse, quumque apparere cœpisset, quanto verior meliorque forma Ciceronis verbis optimorum codicum usu restitui posset, nunc quidam sibi non adhibitis testibus et historicæ quæstionis arte veri investigationem proponere videntur, sed ipsorum per se codicum defensionem aut omnium aut certorum usquequaque et omni artificio pæne ad causidicorum modum peragendam sumere. Ita, dum clientibus suis nimis favent, quos tamen sæpe tacite deserere coguntur, neque sententiarum necessarias formas progressionesque admodum curant et de verborum usu rebusque grammaticis tum subita decreta et incertissima proferunt, tum nota et cer-

tissima negligunt, nec id ita faciunt, ut naturalis negligentiæ et licentiæ fines caute regant, sed ut scriptori sermonem nescio quarum significationum causa, quas nemo intellecturus erat, omnibus modis torquere licuisse statuant. Atque in hac omnia intelligendi defendendique arte non ita difficili nonnulli etiam iactant se insolentius. Itaque his annis orationes Ciceronis ut multis bonis verisque codicum scripturis expolitæ sunt (quod tamen in his duodecim orationibus, si Catilinarias aliqua ex
301 parte excipio, iam ante a me factum erat), ita non paucis, nonnunquam pluribus manifestorum et fœdorum errorum sordibus oblitæ sunt. Atque hanc rationem si refellere prorsus et coarguere coner, longa opus sit oratione et ab hoc loco aliena; genera quædam et formas errandi exemplis notabo.

Merito summa in aliquot orationibus habetur codicis Erfurtensis auctoritas. Sed eam quidam ita amplectuntur, ut, obliti, et totius eius familiæ, ad quam pertinet, in communi laude etiam communia nonnulla esse menda et proprios subinde, ut fit, in illo scribendi errores deprehendi, ea ex illo uno arripiant et exornent, in quibus impressa est negligentiæ nota. Velut pro Archia § 4, ubi Antiochiæ adiunguntur *cetera* præter ipsam *Asiæ partes*, his autem *cuncta Græcia* (non partes Græciæ neque ceteræ partes), quum librarius huius unius codicis notissimo erroris genere ad *Asiæ* alterum genitivum accommodasset (*cunctæque Græciæ*), id Klotzius probavit. Itaque propter hunc nimium Erfurtensis codicis amorem negligitur etiam aliorum eiusdem familiæ codicum non minus bonorum, sed minus plene notorum incorruptius testimonium, ut in Miloniana aliquoties codicis Coloniensis. Hunc in § 51 omnes sequuntur in verbis *ad se*, solum veri testem, et in § 92 in pronomine *ipsos*; sed § 88 contra huius et codicis palimpsesti auctoritatem a Klotzio revocatum est apertissimæ originis additamentum, ut scriberetur: *Cæsaris potentiam suam potentiam esse dicebat*, qua scriptura frangitur pondus orationis in *suam* incumbens eaque efficitur forma, quæ apta esset, si contraria substantiva inter se referrentur. Nec meliore iudicio in § 81 restitutum est in simillima orationis forma (*sui se capitis quam vestri*), quod ille codex unus omittit, *ordinis*, quasi iudicum,
302 hoc est senatorum, equitum, tribunorum unus fuerit ordo, quem Milo in cæde Clodii præcipue defendisse putari posset,

ac non omnium bonorum, quorum numero iudices comprehendantur, vita ac salus intelligatur.[1]) Similiter veritas hoc teste stabilita (*Quid igitur erat? Mora et tergiversatio*) a Klotzio spreta est § 54, in § 49 autem ab uno intellecta est Ernestio et lineolæ adiectione (*causam* pro *causa*) adiuta. (*Quid afferebat causam festinationis?* Quærit enim Cicero, quid fuerit, cur festinaretur; an, quod Clodius heres esset?) Omnino, si codicem Coloniensem eo modo, quo nunc Erfurtensem, collatum haberemus, non dubito, quin ille hunc etiam superaturus fuerit, etsi ne is quidem suis et propriis mendis caret (ut § 79: *ut ea cernamus, quæ non videmus*). Atque hunc locum codex Coloniensis etiam in Ligariana tuetur; sed in hac oratione omnino melior codicum familia, e qua nunc præter Erfurtensem diligenter collati sunt Leidensis apud Orellium, Gudianus secundus et Salisburgensis (Ma) apud Soldanum, iam nonnihil deflectere incipit a præstantia sua, credo quod et in eo codice, e quo ducta est, hic iam deficere librarii diligentia cœperat et frequens lectio effecerat, ut interpretamenta adscripta superscriptaque essent, quod genus etiam nunc in codice Erf. perspici potest. Sed tamen sæpius quam ceteri Coloniensis corruptelam effugisse videtur. Omnes ea pervasit in § 11, ubi quod nunc, expulsa graviore interpolatione, editur a Klotzio, Soldano, Beneckio: *Externi isti mores usque ad sanguinem incitari solent odio, aut levium Græcorum aut immanium barbarorum*, dupli- 303
citer deprehenditur et convincitur, primum in pronomine *isti*, quo externos mores nondum commemorati demonstrari non possunt, deinde in ipsa orationis et sententiæ forma, quod *mores* incitari ad sanguinem dicuntur, præsertim adiuncto hominum nomine (*Græcorum*), qui recte incitari dicuntur. Itaque recte iam Modius, deinde Wunderus, quum loci interpolationem animadvertissent, scribendum viderunt et ego edideram: *Externi isti mores, usque ad sanguinem incitari odio, aut levium Græcorum* cet. (Externi isti sunt mores, quos tu inducere conaris, cet.) Nec præstringere aciem in hoc loco codicum auc-

---

[1]) Potest aliquis dici quodam modo iudicum ordo, homines communione muneris continens (in Pis. § 94); verum is eiusmodi non est, ut eius iura a Milone defensa cogitari possint.

toritatis splendor debebat. Nam paucis ante versibus hi editores scribunt recte: *Hæc admirabilia, sed prodigii simile est, quod dicam*, ut ceteri recentiores (nisi quod ante me erat: *admirabilia sunt*). Verum ea scriptura auctorem habet unum codicem Coloniensem; in reliquis et bonis et malis sententia evertitur hac scriptura: *Hæc non modo mirabilia* [*sunt*], *sed* cet. Voluerat enim aliquis gradationem et adscensum orationis notare nec intellexerat, tum sic hæc dilatanda esse: *Hæc admirabilia* (*tantum*)*; illud, quod dicam, non modo admirabile, sed prodigii simile est.* Idem codex in § 24 solus veram scripturam servavit. Nam postquam Cicero ex adversariis quæsivit, quid facturi fuerint, corrigens se negat interrogando, opus fuisse quærere: *Quanquam, quid facturi fueritis, dubitem, quum videam, quid feceritis?* Quum librarii non intelligerent, coniunctivo modo sic interrogari, ut ei rei locum non esse significaretur (quod ne Grævius quidem nec, qui ei credidit, Beneckius intellexisse videntur, etsi sibi repugnant; concedunt enim recte dici: *sed, quid facturi fueritis, dubitem?*, quasi in hac corrigendi figura non eandem rationem *quanquam* ha-
304 beat) —, sed quum id non intelligerent, particulam negativam addiderunt (*non dubitem*), qua adscita non solum frangitur oratio, sed modus verbi summam pravitatem habet; nam dubitativa forma, quam Beneckius fingit, ab hac in corrigendo asseveratione alienissima est. Neque minus certum est, § 25 in hoc solo noto codice (nam in margine Lambiniani exempli duo codices appellantur) recte scriptum esse: *Atque in hoc quidem vel cum mendacio, si velitis, gloriemini, per me licet*, ubi in ceteris, non animadversa hac structura: *gloriemini licet*, verbum accommodatum est ad *velitis*, ut esset: *si velitis gloriari*, ex qua scriptura alteram illam (*gloriemini*) nasci non potuisse apparet. Idem unus e melioribus codex, sed cum deterioribus aliquot coniunctus § 17 veram habet orationis formam in simplici condicionis significatione: *Ac mihi quidem, si proprium et verum nomen nostri mali quæritur, fatalis quædam calamitas incidisse videtur*, ubi in reliquis est *quæratur*, quasi Cicero significet, non quæri (ut sequi etiam debuerit *videatur*). Nam cum *videtur*, non cum infinita sententia condicio connectitur. Atque duobus superioribus locis quum veritatem iam priores secuti essent, Klotzius, Beneckius, Soldanus

a frugibus ad glandes redierunt.[1]) Retinuit etiam Coloniensis cum Victorii et Lambini codicibus et plerisque deterioris familiæ in § 31 hanc veram scripturam: *causas apud te rogantium gratiosiores esse quam vultus*, in qua apta et necessaria est personarum notarum significatio (*quam tuus esset necessarius is, qui te oraret*); in Erf., Gud. 2, Leidensi, Salisbur- 305
gensi, Paris. 11, deteriorumque aliquot ex loco paulo inferiore pro *vultus* subiectum est *preces* (quod ibi, re iam exposita nec addito genitivo, aptum est). Atque hic quidem unus e recentissimis Soldanus falsa auctoritatis specie deceptus est; sed § 24 et is et Klotzius pro vera scriptura (*non tam, ne offendam*), quam cum deterioris familiæ longe pluribus servant e meliore Gud. 2 et Salisburgensis, substituerunt ex Erfurtensi, Leidensi, Parisiensi 11, quibus hic Coloniensis adiungitur, manifesto interpolatam: *non tam propter id, ne offendam*, nec tamen huius coniunctionis *propter id, ne* (*ut*) exemplum adscripserunt aliud. Apparet, in hac oratione interpolationem etiam meliorem familiam non ita leviter attigisse, sed eius alios codices aliis in locis expertes mansisse partim propter ipsam seriem et propaginem codicum, sed magis quod librarii interpretamenta in eo, quem ob oculos haberent, codice adscripta superscriptaque spreverint. (Cfr. § 14, ubi in Erf., Salisb. multisque deteriorum est *misereat*, quod Klotzius adscivit, in Gud. 2, Leid., aliis deterioribus recte, quod Priscianus confirmat, *misereatur*.) Quo patefacto, perspicitur, quam prave recentissimi editores specie auctoritatis abusi sint, ac ne omnium quidem codicum consensum obstare debuisse correctioni huiusmodi solœcismorum, qualem Lambinus et ego e § 23 sustulimus: *Quid si essetis? Cæsarine eam tradituri fuissetis an contra Cæsarem retenturi?* pro *fuistis*. (Vid. nunc, præter opusc. mea acad. p. 199, admonitiones meæ de locis quibusdam grammaticæ Latinæ p. 17 [hic p. 227 sqq.].) At Klotzius et Beneckius ne in pendenti quidem sententia in § 34 meminerant, quod § 24 (*quid facturi fueritis*) legerant, quumque

---

[1]) Soldanus singulari errore propter Grævii (in varietate selecta vel potius temere et negligenter excerpta) silentium complures malas scripturas falso tribuit Coloniensi, ut § 32 *optime*, § 33 *quodvis* pro *Nam quodvis*, *hosce*, alia.

ederetur recte: *An potest quisquam dubitare, quin Q. Ligarius*
306 *in eadem sententia futurus fuerit* (quam scripturam num Coloniensis confirmet, quod Soldanus scribit, incertum est), melioris familiæ (Erf., Leid., Gud. 2, Salisburg., Par. 11) interpola-
307 tionem sequentes substituerunt: *fuisset futurus.*[1]) Sed quod de codicum meliorum laude temperanda in oratione Ligariana dixi, id multo latius patet in ea, quæ pro Deiotaro habita est. Nam hic ii codices, quibus illa e superioribus orationibus bonitatis opinio adhæret, ita sunt manifestis erroribus interpolationibusque depravati, ut exiguam habeant præstantiam, neque raro a deteriore familia aut a mediis quibusdam (in quo genere est maxime Gudianus prior, minime fere omnium inquinatus)

---

[1]) In § 8 veram scripturam servat codex Erfurtensis a prima manu: *Vide, quæso, Tubero, ut, qui de meo facto non dubitem, de Ligarii non audeam confiteri*, eamque præter me Beneckius tenuit, sed male enarravit. Animadverti enim Cicero vult, quum de suo facto (se sua voluntate cum Cæsaris adversariis fuisse) non dubitet confiteri, de Ligarii dubitet nec audeat, id non ideo fieri, quod confessio apud Cæsarem exitiosa futura sit et sine venia (tum enim ne de se quidem confessurum se fuisse), sed quod salva fide id de Ligario confiteri non possit, qui nullam voluntatem nec consilium habuerit belli contra Cæsarem gerendi. Atque contraria hic componi (*non dubitem*, i. e. *audeam* et *non audeam*), ex tota orationis forma manifestissimum est. Sed primum, quum dura videretur infinitivi in priore membro omissio, ad *non dubitem* additum est *dicere*, quod in Leidensi et Erfurtensi supra scribitur, a Coloniensi, ut a Quintiliani codicibus prorsus abest, oratioque vitiata. Nam sic pondus, quod totum est in his oppositis: *de meo facto, de Ligarii, non dubitem, non audeam*, videtur etiam aliquod esse in variatis verbis *dicere, confiteri*. Sed quum non animadverteretur, quomodo contraria essent *non dubitem* (i. e. *audeam*) et *non audeam*, alterum membrum depravatum est, omisso *non*; ac fefellit fortasse etiam sententia; putabant enim Ciceronem etiam de Ligario confiteri, quem in Africa fuisse non negaret et in eo culpam nullam esse disputaret. Verum confessio ea intelligitur, qua de se usus est Cicero: *Suscepto bello — iudicio ac voluntate* cet., quam a Ligarii causa diligentissime removet. Itaque prave Soldanus et Klotzius codicum maiorem numerum et Quintiliani fictam auctoritatem sequuntur nec sententiam ullam relinquunt. (Quod Soldanus putat hæc verba: *vide, ut non audeam* verti posse: *Siehe doch, wie sollte ich mich scheuen*, aberrat longissime a vero; nihil enim aliud significare possunt, nisi hoc: *Siehe, wie ich es nicht wage*; estque is sermo eius, qui animadverti iubet, quæ fiant.)

vincantur[1]); etsi omnino familiarum discrimina persæpe confunduntur, eadem interpolatione per utramque aut utriusque partem serpente. Recentissimi editores, tota re non animadversa, dum eodem modo hic, quo in Maniliana aut in Miloniana fieri potest ac debet, meliores codices sequi conantur, difficile dictu est, quam male hanc orationem tractaverint. Cuius rei exempla quædam ad persuadendum, ut opinor, apta hic ponam. (Orellius in plerisque locis me secutus est.)

Iam in ipso exordio orationis § 2 Klotzius, Beneckius, Soldanus, Orellius (Steinmetzium omitto) ediderunt: *Eum regem, quem ornare antea cuncto cum senatu* SOLEBAMUS, — *nunc contra atrocissimum crimen cogor defendere*, cum codd. Erf., Gud. 2, Leid., Salisburg., Par. 11, aliis pluribus. Novi, quam facile et subito Cicero primæ personæ verbi numerum mutet. Nunquam tamen id fecit, quod orationis natura repugnabat, in eiusmodi notatione rerum in sua ipsius persona contrariarum in sententia relativa et demonstrativa copulatis. (Quod Orellius ex lib. 308
I de Re p. § 10 exemplum profert, simile esset, si ibi legeretur: *quid facere potuissemus, nisi consul fuissem.*) Neque minus pluralem numerum respuit Ciceronis ipsius et unius ab senatu eius sententias sequente separatio. Itaque vere Coloniensis (si modo verius hunc Grævius appellavit quam Erfurtensem) et Gud. 1 et duo St. Victoris codices (apud Gruterum) aliique et a Grutero inde editiones priores habent *solebam*, idque Marcianus Capella V p. 162 Grot. confirmat.

§ 2 iidem editores e codicibus, qui meliores dicuntur, et paucis aliis hanc scripturam posuerunt: *Crudelis Castor, ne dicam sceleratum et impium, qui* cet. pro ea, quam Coloniensis et Gud. 1 et deteriorum plerique habent superioresque secuti erant: *Crudelem Castorem, qui* cet. Quod quam prave fecerint, ipse Beneckius dicit, nullum se confessus exemplum habere, in quo his verbis *ne dicam* non idem, qui præcesserit, casus subiiciatur. Addam, neminem ex nominativo accusativum effec-

---

[1]) Codicem Gud. 1 Soldanus, qui ipse contulit, falso cum illa Erfurtensis, Gudiani secundi, Salisburgensis, Parisiensis 11 familia coniungit, a qua in iis locis, ubi maxime discrimen familiarum eminet, prorsus discedit (§ 1 *solebam*, § 2 *crudelem Castorem*, § 3 *cum verba audiebam*, § 8 *adfectum*, § 9 *exorari*, § 12 *tanto — quanto* cet.).

turum fuisse, contra, quum accusativus in exclamando positus non intelligeretur, proclive fuisse nominativum subiicere. (In Salisburgensi et aliis quibusdam scribitur etiam: *Crudelis Castor est.*)

§ 3 in his verbis: *quum os videbam, quum verba audiebam*, quam apte utriusque sensus offensio commemoretur quamque numerose membra orationis cadant, nemo non videt; sed in codd. Erf., Gud. 2. Salisb., Par. 11 (Leidensis Orellius tantum selectas scripturas ponit) propter similem terminationem (*ebam*) excidit alterum membrum: *quum verba audiebam*; nec defuerunt, qui probarent, Beneckius et Soldanus.

§ 8 Klotzius, Beneckius, Soldanus scripserunt: *Afflictum illum quibusdam incommodis et detrimentis propter offensionem animi tui meminerant*; et est ita in codicibus et laudatis et
309 multis, tum etiam in scholiis a Gronovio et a Maio (non e codicibus palimpsestis) editis. Recte tamen Gud. 1 et codices alii pauci omnesque editiones *affectum* habent. Elevat enim Cicero, quantum potest, verbis ea, quæ Deiotaro acciderant, significatque, nullas gravis odii causas fuisse; itaque *afflictus* neque per se Deiotarus dici poterat neque id verbum ullo modo coniungi potest cum leni appellatione *incommodorum quorundam*.

§ 10, ubi Cicero primum universe Deiotarum dicit, qui senatus auctoritatem maximi facere consuevisset, perturbatum esse iisdem rebus, quibus eos, qui minus perturbari debuerint, deinde has res et hanc perturbationem singulatim describit (§ 11: *Quum audiret* cet.), pro verbis *quique illum ordinem* in Erf. et Salisburg. (Oxx. tribus) scribitur: *quique eum illum ordinem*, in Gud. 2, Par. 11: *quique cum illum ord.* Hinc Klotzius hanc effecit periodum: *Is rex, quem senatus hoc nomine sæpe honorificentissimis decretis appellavisset quique, quum illum ordinem ab adolescentia gravissimum sanctissimumque duxisset, iisdem rebus est perturbatus, homo longinquus et alienigena, quibus nos in media re publica nati semperque versati, quum audiret, senatus consentientis auctoritate arma sumpta esse, — movebatur animo* cet., in qua dubito, quid maxime mirer, modorumne et temporum in duabus sententiis relativis eiusdem causalis significationis coniunctis hanc varietatem: *quem — appellavisset quique — perturbatus est*, an in iisdem sententiis

argumenti dissimilitudinem, an rerum coniunctissimarum (*quem senatus — appellavisset — illum ordinem — duxisset*) distractionem, an pravitatem huius sententiæ progressionis: *qui perturbatus est — movebatur animo*, an protasis omnem eventus causam complexæ cum apodosi primum quasi eventus initium 310
significante (*movebatur*) coniunctionem, an denique impeditissimum, non cursum, sed tamen motum qualemcunque orationis: *quem — appellavisset, quique, cum — duxisset, perturbatus est, — cum audiret.* Et tamen Orellius in præfatione hoc inventum sibi placere significavit. Adeo non firme veritas intelligitur nec tenetur.

§ 12 Klotzius, Beneckius, Soldanus ediderunt: *Quanto ille* (Pompeius) *superiores vicerat gloria, tanto tu* (Cæsar) *omnibus præstitisti*, quemadmodum scriptum est in Erf., Gud. 2, Salisb., Par. 11, aliis. Verum qui sic loquitur, is, quanta Cæsaris gloria sit, ostendit Pompeii comparatione: Cicero, Deiotari excusandi causa, quanta Pompeii gloria fuerit, commemorat; itaque omnia breviter comprehendens, tantam ait fuisse Pompeii gloriæ præter ceteros præstantiam, quanta nunc Cæsaris sit. Necessario igitur superiores editores secuti erant scripturam aliorum codicum (Gud. 1, Pithœani, cet.): *Tanto — quanto*; atque ita scriptum habet Servius ad Æn. XI, 438.

§ 16 editur ab omnibus etiam superioribus (præter me): *Quod igitur facinus nec in hominem imprudentem cadere posset propter metum præsentis exitii* cet., nec discedunt ii, quibus maxime creditur, codices. Sed Gud. 1, Pith., alii habent *caderet*, quod si quis non ipse sua sponte intelliget a librario dissolutum et dilatatum perspicuitatis causa esse, velim animadvertat, in oratione pro Quintio § 68, quod Cicero scripserat *quicum experiretur* (ut est in cod. palimpsesto Taurinensi), a librariis factum esse *experiri posset*.

§ 21 Cicero scripserat: *in cubiculo malle dixisti*, ut ex superioribus intelligeretur *vomere*, eamque scripturam servaverunt Gud. 1 et deteriores plures, Hauniensis, Bernensis, Monacenses duo. Librarii, aut quod casu ex *cubiculo malle* factum 311
erat *cubiculum malle*, geminata littera *m* (ut est in Coloniensi), aut potius quod infinitivum desiderabant nec *te* omissum ferebant, fecerunt: *in cubiculum te ire malle dixisti*, idque editores tenuerunt et superiores et recentiores, nisi quod Orellius me

secutus est. Sed in eadem paragrapho plura commissa sunt. Nam primum Klotzius et Beneckius ediderunt: *Quid tum? Ita ille demens erat, ut eum, quem tanti sceleris conscium habebat, a se dimitteret*, secuti in indicativo *habebat* codices Erf., Leid., Gud. 2, Salisb., qui indicativus, si Cicero vere Deiotarum Phidippum conscium sceleris habuisse significaret, tamen esset durus, quum in sententia relativa a certa persona ad generalem notionem traducta (*eum, quem*) inesset significatio causæ et oppositionis (cfr., quæ annotavi ad libr. II de Fin. § 15), eaque sententia relativa implicaretur etiam cum oratione coniunctivi modi; sed quum omnem huiusmodi suspicionem Cicero a Deiotaro longissime arceat, ut hoc totum: *eum, quem tanti sceleris* cet. hypothetice ex aliena adversariorum sententia in Ciceronis orationem includatur, nihil potest esse perversius. (*Haberet*, quod ego restitueram, Gud. 1 cum altera codicum familia tota tuetur.) Sequitur paucis post versibus: *præsertim quum is* (Phidippus) *unus esset, qui posset de se absente indicare.* Sic enim in Gud. 1 et uno Ox. scribitur, a quibus reapse non discedunt alii ex inferiore familia, qui habent *iudicare*; et est sententia recta et necessaria: ostenditur enim, quam stulte Deiotarus, si quid commisisset, indicem contra se Romam missurus fuerit, et quidem eum, qui unus index esse posset (ut, si hunc retinuisset, alii timendi non essent)[1]), augetur autem
312 indicii eius periculum adiecta absentiæ Deiotari commemoratione (in qua nonnulli hæserunt), ut ipse se defendere non posset. Sed in codicibus pluribus et iis, quos editores recentissimi serviliter sequuntur, scriptum est *vindicare*; itaque id illi arripiunt (Klotzius, Beneckius, Soldanus) et mire se in sententia declaranda torquent, Beneckius sic enarrans, quasi verba significare possint, Phidippum iratum Deiotaro et ultionis cupidum fuisse (in qua ennarratione mirum est *unus esset*, mirum *posset*, mirum *de absente*, mira omnia), Soldanus autem *is* pronomen et hæc omnia ad Cæsarem traducens, quasi id separatim commemorandum fuerit, Cæsarem Deiotaro nocere et absenti nocere posse (in quo quæras, quinam alii significentur de præsente ultionem sumere posse). Nihil dico de ipsa coniunctione verborum (*vindicare se de aliquo*) a Plinio Minore ad

[1]) Hæc addo propter Soldanum.

Ciceronem secure translata, qui neque *se vindicare* neque *alterum* dixit. Non satis usus ero hac una paragrapho et ad eorum codicum, qui alibi recte laudantur, depravationem et ad editorum recentissimorum iudicii pravitatem declarandam, nisi addidero, paucis supra versibus, ubi est: *non modo nequam et improbus, sed etiam fatuus et amens es*, accurate relatis inter se adiectivorum paribus (quam scripturam confirmant præter alios Coloniensis et Gudianus 1, nisi quod *etiam* omittunt, quod potest abesse), in cod. Erf., Gud. 2, Salisb. scriptum esse: *non modo nequam et improbus et fatuus, sed etiam amens es*, eamque fatuitatis ab amentia abiunctionem, ad improbitatem autem adiunctionem placuisse Beneckio.

§ 23 iisdem, quos sæpe nomino, codicibus (Erf., Gud. 2, Salisb., Par. 11) et perpaucis aliis parentes Klotzius et Soldanus Ciceronem novo loquendi genere auxerunt, quum scripserunt: *qui dicto obedientes in tanta re non fuissent.* Nam antea 313
Plautum uno loco versus explendi causa sic dixisse putabamus. (Beneckius tamen etiam Livii auctoritatem adiungit ex V, 3, ubi est: *ne plebs nobis dicto audiens atque obediens sit*, miro errore).[1] Manifestum est, si quid unquam, aliquem aut vim verborum *dicto audientes* (quæ sunt in Gud. 1 et tota prope familia altera) declarasse adscripto *obedientes*, idque pro *audientes* subiectum esse, aut, quum prorsus ignoraret, dici *dicto audiens*, corrigendo effecisse *dicto obedientes.* (Erf. *edicto obedientes*; Oxx. duo *obsequentes*; apparet et doctrina librariorum et mos.)

§ 24 ante me scribebatur: *Addit* (*Addidit*) *etiam illud, equites non optimos misisse. Veteres, credo; nihil ad tuum equitatum; sed misit ex iis, quos habuit electos*; atque etiam nunc sic scribitur, nisi apud Orellium. Exposui olim (Opusc. p. 201), in hac Ciceronis confessione et simul mitigatione non posse id vocabulum poni, quod in milite laudem magnam ha-

---

[1]) Soldanus quomodo *dicto obediens* commendaverit, operæ pretium est videre. Primum enim nos, Festo et Vossio adhibitis, docet, quod pueros lexica, *obedio* esse ex *audio*; deinde *obedio* dativo iungi. *Obedio* suam et certam significationem parendi habet nec quicquam ad eam efficiendam adsciscit. In *audio* ea per se non est, sed efficitur ipsa hac coniunctione *dicto audiens* in solo participio. Itaque ex æquo componuntur apud Livium *dicto audiens* et *obediens.*

beret, *veteres*; quodque Manutius (cuius verba Beneckius Germanice reddidit) interpretatus esset: *eosdem, quos habuerat ante*, neque dici sic nude *veteres* neque in eo ullam esse confessionem rei deinde mitigandæ. Itaque tum unum codicem Hauniensem et veterem editionem secutus vocem sustuli; nunc video eam vocem abesse a Gud. 1 et quattuor Monacensibus et Helmstadiensi, in quo supra scripta est, ut appareat, de
314 Oxoniensibus codicibus non recte taceri, et esse hanc quoque prioris familiæ propriam interpolationem. (Apud Soldanum in varietate scripturæ pro Gud. 1 appellatur Gud. 2, sed error apparet p. 83.)

§ 27 editum est ab omnibus usque ad nostrum tempus: *Multis ille quidem gradibus officiorum erga rem publicam nostram ad hoc regium nomen adscendit; sed tamen* cet., et confirmat eam scripturam Gud. 1 cum tota familia altera. Ecce Klotzius, Beneckius, Soldanus nobis ex Erf., Gud. 2, Salisb., Par. 11 substituunt: *Multis quidem ille*; rationem etiam adscribunt, Soldanus quidem his verbis: „Verba enim *multis gradibus — adscendit* opponuntur iis, quæ subsequuntur: *sed tamen* cet., eiusque rei causa ad *multis* retrahendus est accentus, nec *quidem* pronomine *ille* interiecto ab illo ipso *multis* seiungendum", eodemque modo Beneckius. Itaque notam legem Latini sermonis (Ciceroniani et Augustei temporis) aut ignorasse videntur aut, ut codicibus illis gratificarentur, obliti esse, ubi concedatur aliquid (prædicatum aliquod, ut nunc loquimur) in aliquo subiecto, deinde contrarium subiungatur, ibi oppositionem semper illam quidem in re concessa esse, sed ad eam notandam interponi pronomen ad subiectum, de quo concedatur, pertinens eique particulam adhærere nullo singulari pronominis pondere. sed quod hoc ipsum pronominis munus sit (ex quo dicitur *nolo equidem*, non *nolo quidem ego*, nec, quomodo nunc fere scribunt, *nolo quidem*). Nam si legem tenuissent, aliam excusationem quæsissent, non illam, quæ a Latina proprietate prorsus aberrat. Rarissima reperiri exempla pronominis particulæ subiecti, dixi ad Fin. libr. IV § 43.
315 Neque in hoc Deiotarianæ loco dubitabimus, quin in codicibus prioris familiæ librarii ordinem a nostro sensu nonnihil abhorrentem inverterint. De Philipp. autem VI, 1 et ad Fam. XVI,

21, 6 iudicium sustinebimus.[1]) Sed omnino hanc orationis concessivæ formam hi editores non tenuerunt; qui potuissent enim aliter in § 18, ab Ernestio præsertim admoniti, hanc scripturam servare atque ita servare, ut ne verbo quidem excusarent? *Si veneno, Iovis illius quidem hospitalis numen nunquam celare potuisset, homines fortasse celasset.* Nam hic quidem pronomen ad Iovem adiectum eique addita particula hoc unum significare potest, in Iove concedi hospitalitatis notionem, sed ei contrarii aliquid subiici. Vere igitur Ernestius iudicavit, quum Cicero scripsisset: *Iovis ille quidem* cet., librarium codicis archetypi pronomen ad nomen præcedens accommodasse. Beneckius et Soldanus ne in Ligarianæ quidem § 31 hunc scopulum vitarunt. Nam quum Cicero scripsisset, quemadmodum editum ab ceteris omnibus est: *tribuis tu quidem tuis ita multa* cet. — *sed video tamen apud te* cet., ea scriptura in deteriore codicum familia servata est, nisi quod ex *tribuis tu* in nonnullis codicibus ortum est *tribuisti*, in melioribus et paucis deteriorum excidit *tu*; itaque etiam illi, quos dixi, editores omiserunt; Klotzius hic cautior fuit.[2])

His locis, ne plures, quam opus est, persequar, unum 316
illum adiungi velim, in quo iam antea ostendi e codice Coloniensi veritatem in ceteris obrutam emergere. Nam § 36 Cicero scripsit, ut in illo est: *Ille enim furoris multam sustulerat, hic erroris*, quo genere loquendi (ut pœnam sustulisse dicatur, cui sit imposita) etiam de N. D. III § 82 usus est. Sed quum id non intelligeretur, a librariis in priore codicum familia et parte alterius substitutum est *sustinuerat*, pravum (in hoc verbo) tempus, quasi Antiochus tum, quum illud dixit, quod

---

[1]) Soldanus etsi, quid quæreretur, non animadvertit, tamen præter locum illum ex initio Philippicæ sextæ hos etiam numeros adscripsit: Divin. in Cæc. c. 18, pro Marc. c. 9, ad Att. II, 9, pro Quint. c. 1, quibus locis quid legatur, quod minima ex parte hanc rem attingat, nescio. [De Livio cfr. Em. Liv. p. 335 ed. 2.]

[2]) Omissi in hac forma pronominis exemplum est in Philipp. II § 6, sed excusationem habet ex eo, quod pronomen eidem substantivo cum demonstratione adiunctum præcedit, ut iterari commode non potuerit: *in illa querela, misera quidem et luctuosa, sed mihi necessaria*, et alterum ibd. § 39: *Erant quidem illa castra plena curæ*, quod similem excusationem habet; nam *illa castra* necessario dicendum erat cum demonstratione.

narratur, pœnam sustinuisset ac non quum maxime sustinuerit; in ceteris autem alterius familiæ codicibus *subierat*, quod rectum interpretamentum est. Et tamen ne hæc quidem tam manifesta interpolatio aut ipsa animadversa est aut viam ad reliqua investiganda monstravit. Verum in iis, quos commemoravi, locis decepit editores recentissimos coniuncta plurium codicum auctoritas. Quum autem clarissima esset Erfurtensis codicis fama, qui nihilo hic ceteris eiusdem generis melior, interdum etiam inquinatior est, etiam huius proprios errores arripuerunt, ut in § 9 ex uno illo Klotzius, Beneckius, Soldanus scripserunt: *Cui tamen ipsi rei veniam te daturum esse* (pro *fuisse*) *dicebas, si — ipse ætatis excusatione usus esset*, prorsus ad eundem modum ac si Cæsarem ipsum dicentem faciamus: *Veniam dabo, si ætatis excusatione usus esses.* Nisi forte belli initio Cæsarem hanc condicionem Deiotaro tulisse
317 putabimus (*dabo, si — usus fueris*); ita enim oratio salva erit, res absurda. Exponitur enim, quid Cæsar post bellum de facto Deiotari iudicaverit. Sed piget tædetque de huiusmodi rebus verba facere. Neque minus prave § 22 in his verbis: *quibus inferre bellum populo Romano posset*, Beneckius et Soldanus Erfurtensem unum secuti sunt, in quo, omissa hac nota *P. R.*, sententia pessumdata est; neque enim Cicero negat aliis minus potentibus hostibus, regulo alicui aut oppido, bellum Deiotarum inferre potuisse.

Fui fortasse in hac oratione commemoranda longior; sed necesse esse putavi uno exemplo demonstrare, hoc totum criticæ genus, quod his annis a R. Klotzio ad omnes Ciceronis orationes adhibitum esset, vario scilicet eventu, ut in quaque oratione melioribus aut minus bonis codicibus se mancipasset, quam esset per se inane et superstitionis plenum. Non paucos enim et religionis professione et quodam verborum promissorumque strepitu nimis facile capi video, ut tacito mihi rectiorem viam tenere non licuerit. In eius, quam reprehendi, superstitionis parte hoc quoque ponendum est, quod, sicubi ad codices nostros accessit præclarum sane testimonium scholiorum e codicibus palimpsestis a Maio erutorum, illud sine ullo omnino discrimine sequuntur. Velut in oratione pro Archia § 3 Klotzius pro *agatur* illinc adscivit *agitatur*, et inauditum verbi usum subiiciens pro legitimo, ut res in iudicio non agi, sed

agitari diceretur, et indicativum in eam sententiam inducens, quæ eum propter totam cum infinita oratione implicationem vehementissime respuit. Eodem loco Stuerenburgius, Klotzius, Beneckius, Orellius pro *lectissimi viri* appellatione, qua Cicero, si ceteris codicibus credimus, in fratre suo prætore usus est, *rectissimi* ex illis scholiis substituerunt, quod vocabulum laudem
habet ingenii non contorti nec pravi (ut quum *auditor rectus* 318
dicitur apud Plinium aut quum L. Cæsar *firmus et rectus* a Cicerone appellatur, ad Fam. XII, 5), ab hoc loco et ab re atque sententia alienam. Nam quum hoc Cicero dicat, iudicum consessui parum convenire videri leviorum, ut Romanis antiquis videbantur, artium tam longam commemorationem, quoniam severitatis laus, quæ levitati contraria est, iudicibus, quorum muneris severitas propria est, reservari debet, prætorem, ne sine adiectione nominet, communi aliqua laude et quæ magis ad dignitatem pertineat, cohonestat: modeste tamen lectissimum dicit, fratrem verens *amplissimum* appellare.[1]) Pravius tamen multo quam in hoc loco scholiis illis Klotzius usus
est in oratione pro Mil. § 12, ubi quum scholiastes, ne nimis 319
multa verba describeret, ab his verbis orsus esset: *appelletur ita sane*, ac tamen, quo spectaret vox *ita*, significasset addito *potentia* (*ita sane potentia*), hoc ille editor in Ciceronis orationem

[1]) Nihilo melius hoc adiectivum *rectus* a codicibus et recentissimis editoribus obtrudi videtur Ciceroni in oratione pro Deiotaro § 16, ubi sic scribunt: *Quis consideratior illo? quis rectior? quis prudentior?* Nam *rectus homo* neque, ut Stuerenburgius vult, constans et gravis intelligitur, *temerario* contrarius (*firmus et rectus* quum dicitur, significatur, a recta via aliquem pravis consiliis non demoveri), neque, ut Beneckius putat, qui recte iudicat. Neque hæc tam late patens laus recte iudicandi ad hunc locum apta est. Quod autem a *tecti hominis* appellatione honestæ cautionis notionem excludere conantur, ut fraudulenti animi relinquatur (quod OCCULTUS *et tectus* in deteriorem partem dicitur), frustra prorsus nituntur. Nam neque Philipp. XIII, 6 nisi vi eripient, locum et Vaticani codicis a prima manu scriptura et ipsa ceterorum interpolatione (*protectior*) munitum et sententia, a qua et constantiæ et recti iudicii significatio abhorret, neque de Orat. II, 296 efficient, ut Antonius, cuius genus III, 32 *præmunitum et ex omni parte sæptum* appellatur, hic potius *rectissimus* in dicendo (id esset *non affectatus*, ut Cæsaris commentarii a Cicerone *recti* vocantur) quam *tectissimus* dicatur. Nam *tectus* est, qui, ut ait Horatius (Sat. I, 3, 59), nulli malo latus obdit apertum.

recipere non dubitavit: *Quæ si potentia est appellanda — appelletur ita sane potentia.*

Iam quos de codicum dissensionibus discrepantiisque neque satis libero animo neque prudenter et subtiliter iudicasse existimo, eosdem non mirum est, si quando consentienti codicum scripturæ aut in dissensione omnibus scripturis ratio adversari videatur et coniecturæ opem postulare, eius causæ æquos aut bonos iudices mihi non videri. Nam neque ea argumenta signaque, quibus coniecturæ necessitas demonstratur, libere examinant, probata firme comprehendunt, potiusque quævis effugia ita sectantur, quasi summum sit coniecturam evitare, non verum invenire, interdum adeo incredibilia fingunt, ut ludere putes, neque in emendatione persequenda vestigia ea, quibus ad veritatem perveniri potest, aut notas eas, quibus ea impressa agnoscitur, tenent. Ac Buechnerum quidem hic insectandum non puto, qui adeo non exercitatus præparatusve, ut eum tralaticia codicum menda fallerent (velut illud in § 96 *quid quasi* pro *quid quæso*), malorum orationis Roscianæ codicum errores longis plerumque verborum ambagibus defendendos suscepit, adeo fortiter, ut neque § 104 dubitaret revocare *nihil opus fuit te isti credere* (pro *istic sedere*), neque § 109 „vetustam formam“ *eiusce* reformidaret (quæ non exemplorum inopia refellitur, sed quod fingi nullo modo potuit, quum vis particulæ *ce* ad pronomine *is* longissime distet), interpretandi autem tantam, artem dicam an audaciam? attulit, ut § 104 his
320 verbis: *ut ea dedita opera a vobis* (sic enim scribit) *contra vosmet ipsos facere videamini* „anacoluthon contineri“ statueret, quum Cicero primum scribere in animo habuisset: *fieri videantur.*[1]) Verum nihilo melioribus artificiis Klotzius sæpissime utitur in codicum mendis defendendis, cuius rei duo triave exempla ex magno numero non delecta, sed quæ proxima se offerunt,

[1]) Orellio „tres critici egregii huic orationi ad pristinam integritatem restituendæ his annis operam impendisse“ videntur, „Madvig, Buechner, Klotz“. O æquum in omnes et laudis non parcum iudicium, cui hi tres simul egregii videantur! Sed quod Orellius Klotzium mea editione caruisse scribit et § 118 in eandem atque me incidisse coniecturam, in eo errat. Buechnero tamen non subtraham unius bonæ emendationis laudem in § 124 (*latuit*), quanquam eam ego anno ante et inveneram et in opusculis meis p. 184 posueram.

commemorasse hic satis erit. In oratione pro Milone § 32 sic in codicibus scriptum est: *cuius illi* (consules) *conatus, ut ipse ratiocinabatur, nec, si cuperent, reprimere possent, quum tantum beneficium ei se debere arbitrarentur, et, si vellent, fortasse vix possent frangere hominis sceleratissimi corroboratam iam vetustate audaciam.* Facile intellectum est ab editoribus (apertissima est enim et necessaria sententiæ forma), hoc Ciceronem dicere, illos consules neque voluntatem Clodii coercendi neque potestatem habituros fuisse; iis tamen verbis, quæ in codicibus essent, non hoc contineri, sed ineptissime bis idem dici, eos, etiamsi id vellent, potestatem non fuisse habituros. Itaque inde a Manutio ita scribebatur: *nec, si possent, reprimere cuperent.* Quid Klotzius? Narrat (vol. I præf. p. XLIV). *si cuperent* esse: *wenn sie es wünschenwerth fänden, si vellent, wenn si es wirklich unternähmen*, mire a cupientis animo voluntatem distinguens, ut hæc contraria ponantur, et voluntati substituens actionem; sed tamen effecit, ut hoc diceretur: weder wenn sie es wünsch- 321
ten, würden sie es können, noch, wenn sie es unternähmen, würden sie es können! Quod quum ipse sentiret ineptum esse, potestatis duo genera fecit, morale et physicum, eaque a Cicerone significari vult. Belle vero ea significantur hac geminatione eiusdem unius verbi: *neque possent — et — vix possent.*[1]) Quid putamus aliarum artium homines, verba aliorum et sententias legere et intelligere simpliciter solitos, iudicaturos esse, si huc evadere philologicam enarrandi artem scirent? Sed illuc prævertamur. Manutius, ut huius loci mendum vidit, non item prorsus recte sustulit. Neque enim intelligitur, quo errore verba *possent — cuperent* locum permutare potuerint. Sed quum Cicero scripsisset, ut nunc demum edidi: *nec cuperent reprimere, si possent*, librarius dormitans nec ad sententiam attendens, propter alterius membri formam (*et, si vellent, vix possent*) hic etiam condicionalem particulam in initium et ad prius verbum retraxit. In eiusdem orationis exordio § 2

---

[1]) Postquam hæc nugatus est, non veretur, tanquam si quid ex interiore scientia deprompserit, addere: Wäre die Synonymik der lateinischen Sprache in ihren Grundzügen genauer und sicherer aufgefasst, so würde man nicht mehr an solchen Stellen bey der Handhabung der kritischen Kunst aufgehalten werden!

Klotzius scripturam meliorum codicum: *Non illa præsidia — non afferunt tamen oratori aliquid* sic defendit, ut duplicem negationem pro una esse velit, rhetorice repetitam, quæ cuiusmodi sit figura, ut negatio initio ante subiectum posita deinde in sententia leniter decurrente ante verbum rhetorice geminetur, prorsus nescio. Id scio, si pro una negatione hæc accipiantur, barbarum esse *aliquid*: deinde ita adiunctam esse illam
322 sententiam: *ut ne non timere quidem* cet., ut necessario præcedat significatio timoris allati (non animi sublevati). Postremo prorsus huius periodi cum superiore nexus et transitus desideratur et post illa: *non corona — non usitata* sic hoc continuatur: *Non illa præsidia*, quasi tertium aliquid Cicero addat, quod desideret. Sed ex illa ipsa in superiore sententia particulæ *non* geminatione hoc tertium *non* ortum est, quod iure Garatonius correxit. Leniter Cicero et pedetentim ad rem accedens non simpliciter affirmat: *Atque etiam ipsa illa præsidia afferunt oratori aliquid et animum eius perturbant*, sed affirmatione ex sublatis negationibus utitur: *Nec — non tamen.*[1])

In oratione Philippica secunda § 50 quum sic scriptum esset: *Accipite nunc, quæso, non ea, quæ ipse in se atque in domesticum dedecus impure atque intemperanter — fecerit*, idque sic intelligeretur, ut esset: *contra se atque cum dedecore domestico*, demonstravi (Opusc. p. 166), neque sic in duobus coniunctis substantivis præpositionem prorsus contraria significatione poni potuisse neque Ciceronis tempore dictum esse *in dedecus* hoc modo (*ut inde dedecus nascatur*); itaque scribendum esse: *in se atque in domesticum decus.* Ecce Klotzius me docet (vol. III p. 829), *dedecus domesticum* esse *rem familiarem perditam*; ita, quæ Antonius contra rem suam familiarem fecerit, ea in (contra) dedecus eius facta esse; meam vero con-
323 iecturam prorsus aberrare a recto, quoniam Antonius, cuius res familiaris perdita et dissipata fuerit, non potuerit dome-

---

[1]) Duobus versibus ante in § 1 sustuli, quod iam Wunderus fieri voluerat, vocabulum *veterem*, parens coniunctæ auctoritati codicum Erf. et Bavarici et Quintiliani (XI, 3, 50). Isidorus, quo teste Steinmetzius vocabulum defendit, hæc tantum habet: *veterem morem iudiciorum requirunt*, pro *pristinum* id substituens. Diomedes interpolatus est ex deterioribus Ciceronis codicibus (*minime vident*).

stico decori nocere. Itane vero? Quia res familiaris *perdita* dedecori est, ideo ipsa res familiaris sic potest dedecus appellari, ut, quod contra eam (ↄ: ad eam, quatenus ulla est, perdendam) fiat, id contra dedecus alicuius fieri dicatur? Itaque quod mores depravati dignitati obsunt, qui inhoneste agit, posthac non dignitatem, sed ignominiam suam lædere dicetur. Et cuius hominis res nunc perditæ turpesque sunt, is nihil poterit dici, dum hunc statum efficeret, contra rem et decus suum fecisse. Scilicet hoc interpretandi genus in illa arte locum tenet, quæ subita et occulta rerum permutatione oculos decipit (*escamoter* Galli dicunt). Nam Klotzius *in dedecus suum* vertit: gegen sich und gegen seine ohnedies (!) schlechten oder vielmehr schimpflichen häuslichen Angelegenheiten; at, o bone, in Latinis nihil est nisi: *gegen seine Schande.* Itaque hac arte etiam in oratione prima Catilinaria § 13 defenditur: *quod privatarum rerum dedecus non hæret infamiæ?*

In oratione pro Roscio Amerino § 30 in codicibus scribitur: *qui libere dicat, qui cum fide defendat, id quod in hac causa est satis, quoniam quidem suscepi, non deest profecto, iudices. Et forsitan in suscipienda causa temere impulsus adolescentia fecerim; quoniam quidem semel suscepi, licet hercules undique omnes in me terrores periculaque impendeant omnia, succurram atque subibo.* Verba hæc *quoniam quidem suscepi* priore loco Heusingerus primus intellexit male ex inferiore loco addita esse; neque quicquam certius esse potest. Nam hoc *quoniam quidem suscepi*, ipsa particula *quidem* (sive additur *semel* sive non additur) flexum sententiæ et orationis significante cum aliquo pondere, refertur ad contrariam cogitationem 324
non suscipiendi ac declinandi. Itaque inferiore loco recte ponitur, superiore non solum nihil agit, sed primum hæc duo graviter inter se relata: *patroni desunt, qui libere defendat, non deest* obscurat inutili et ignavo additamento, deinde ipsam affirmationem ridicula adiectione onerat, quasi dicas: *quoniam adest, non deest,* postremo significationem alienissimam habet in particula *quidem*, quæ nusquam referri potest.[1]) Sed horum

---

[1]) Itaque Orellius saltem scribi debuisse ait: *quoniam quidem ego suscepi.* Verum id quoque aliam significationem non minus perversam haberet,

nihil Klotzium movit, qui hæc de hoc loco scripsit (præf. vol. I p. LXIV): „Wir mussten natürlich (!) die Lesart der Handschriften ohne Verdächtigung beibehalten. Denn, weit gefehlt, dass die folgenden Worte: *quoniam quidem semel suscepi*, die ersten verdächtigen, können sie ja (!) der früheren Worte: *quoniam quidem suscepi*, als ihres eigentlichen Stützpunctes gar nicht entbehren.“ (Bene hic intellexit, quo referretur hoc: *quoniam quidem semel suscepi.*) „Wir würden unseren Lesern zu wenig zumuthen, wollten wir die Sache noch ausführlicher auseinander setzen.“ Ipsa verba posui, ut, qui legissent, ignoscerent mihi totum hoc genus acerbioribus verbis exagitanti. Eodem enim modo omnia tractantur, ut, quum in locis difficilibus aut nota et vulgaria, quæ rem non attingunt, tradantur aut perversa, nihil sit, quod non expediat ceterosque gloriose doceat. Atque hæc confidentia cum illa, quam commemoravi, religionis specie coniuncta animos non paucorum movit atque
325 cepit.[1]) Non multum ab hac ratione Soldanum discedere, cognoscetur ex Ligarianæ § 30, ubi hanc scripturam: *bello oppressus, in eo ipso non acerbus fuit, tametsi totus animo ac studio tuus*, quam etiam Klotzius habet, ita defendit vertendo: „gerade in diesem kein erbitterter Feind; wiewohl (*scil. quid loquor?* acerbus? ein erbitterter Feind?) (vielmehr) von ganzem Herzen Dir zugethan.“ Scite, mehercules, parenthesium artificio ex *tametsi* fecit *ac potius*, et ex notissimo usu, quo per *tametsi* adiungitur nova sententia ad superiora corrigenda et intra veros fines coercenda pertinens, augendi significationem nobis elicuit. Ea autem, quæ addit, narrat etiam Germanorum consuetudine posse omitti, ut iam nesciam, cur non sic verterit: *kein erbitterter Feind, wiewohl von ganzem Herzen Dir zugethan.* Scilicet etsi multa in his interpretationibus patitur sermo Germanicus, tamen non prorsus tam patiens est, quam Latinum esse volunt. Quid ex codicum scriptura (sublato

---

quasi præcederet huiusmodi aliquid: *deesset fortasse, si alii suscepissent; quoniam ego suscepi, non deest.*

[1]) Pro Rosc. Am. § 150 Klotzius retinuit hanc scripturam: *nisi etiam crudelitate sanguinis perlitus sit*, quæ quam esset perversa quoque modo emendanda, dixeram in superiore editione (Opusc. p. 127). In præfatione vol. I p. XCVI meam emendationem probat, adscripto loco Ciceronis de N. D. III § 80.

tamen *fuit*, quod in Leid. et aliis prorsus abest, in Erf. supra scriptum est) efficiatur, apparet. Modeste Cicero et pudenter Ligarium defendens, in bello non acerbum fuisse dicit, nunc totum Cæsaris factum. In eiusdem orationis § 28 eadem ars nihil non enarrandi in Beneckio perspici potest; nam et is et Soldanus *enim*, ut ego, e codicibus addiderunt; sed verba tanquam integra et sana sic continuant: *an, ut fit in civilibus bellis, nec in vobis magis, quam in reliquis? omnes enim vincendi studio tenebamur.* Ubi si quis quæsiverit, quod verbum subiiciatur particulæ *an*, et ad quam sententiam referatur hæc 326
comparatio: *ut fit* cet., respondebitur hac interpretatione: „Oder, was bey Bürgerkriegen der Fall zu seyn pflegt, war dies nicht auch bey euch noch mehr der Fall, als bey den übrigen?“ Itaque pro hac interrogatione: *an,* QUOD *fit in civilibus bellis,* ID ETIAM *in vobis* FIEBAT? hæc erit iam Latina: *an,* UT *fit in civilibus bellis, in vobis?* et pro hoc: *fit etiam in vobis, nec in vobis magis* dicetur brevius: *fit nec in vobis magis*; postremo pro hoc: *nec in vobis* MINUS *quam in reliquis* aut pro hoc: ET *in vobis* MAGIS *quam in reliquis* substituemus: NEC *in vobis* MAGIS *quam in reliquis.* (Nam hactenus putavimus, qui sic diceret: *non in vobis magis quam in reliquis*, significare, eos, quos alloqueretur, non præstare reliquis: nunc significabit, eos non cedere reliquis.)[1]) Et quum sic enarramus scriptorum verba et talia fingimus, cum notissimarum rerum confusione et eorum, quæ alias tenemus et inculcamus, voluntaria oblivione, ingenia a nobis ad subtilitatem exerceri dicimus! Soldanus etiam adscribit (nam apud Orellium me commemoratum reppererat), me quoque vidisse, „ea hic excidisse, quæ proprie de Tuberonum studio dicta essent“. Ita vero. Excidisse dixeram, non stultissima illa ellipsi usus eram. Scripta autem fuerant sic, ut, quum Cicero Tuberones vehementes et victoriæ cupidissimos fuisse dixisset, tum, ne eos proprie et præter ceteros accusare videretur, hoc adderet: *nec in*

---

[1]) [Hac enarratione non minus inepte fictam anacoluthi excusationem ab Halmio probari potuisse prorsus miror. Quale est enim hoc anacoluthon, ut, abrupta, quæ vix instituta sit, interrogatione, subiiciatur per *enim* causa eius sententiæ, quæ omnino significata non sit?]

vobis magis cet., reliquos et se quoque eodem comprehendens genere.[1])

327 Non puto peritos et, quod summum est, recti et sani iudicii homines plura exempla huius generis requisituros gratiamque eos mihi facturos spero emendationum sive alienarum sive mearum, quæ olim a me explicatæ stabilitæque sunt, contra huiusmodi codicum scripturæ defensiones tuendarum. Nonnullis etiam, quas antea in margine posueram, nunc in contexta oratione locum dedi, quum præsertim incommode discipuli ad marginem ablegentur, ut ibi habeant, quod recte intelligere possint. Paucis quibusdam locis in hac demum editione correctio coniecturæ ope adhibita est, quorum qui primus est, pro Rosc. Am. § 11, eius ipse emendationem dubiam videri intelligo et tamen ob eam, quam modo dixi, causam in ipsa oratione posui. Nam etsi sententia recta est, quæstionem homines sperare ea severitate exercitum iri, quæ digna sit maleficiis, tamen et superlativus fortasse non aptissimus in tali sententia videri potest et dubitari, qui potuerit tam notum vocabulum sic depravari.[2]) Certius est et necessarium, quod in eiusdem orationis § 38 pronomen *te* ante *C. Eruci* sustuli. Neque enim Cicero ex Erucio, cuius accusatio iam peracta est, quærit, quomodo illum ipsum accusare oporteat, sed universe, quibus argumentis huius generis accusatio niti debeat, ostendit et ipsum Erucium confiteri interrogando cogit; deinde horum nihil ab Erucio in hac causa prolatum esse dicit. De Erucio ipso sic dicendum erat: *censes uti oportuisse? Nonne et audaciam eius, qui in crimen vocaretur* cet. Sed omnino tum hæc cum Erucio quasi deliberatio inepta est. Vellem in eadem oratione § 149 scripsissem, quod sententia postulat: *hæc acta res est, ut ii* (pro uti) *nobiles restituerentur in civitatem, qui hoc facerent* cet. In antiquissima codicum
328 scriptura hæc nihil differebant; itaque IV in Catil. § 5 in Orellii codicibus pro *ut ii, qui* scribitur *uti qui.* (In § 106

---

[1]) Klotzius sic scripsit: *an, ut fit in civilibus bellis, nec in vobis magis, quam in reliquis: omnes enim vincendi studio tenebamur?* Nec dubito, quin hanc interrogationem declarare possit, suo quidem more.

[2]) [Conferantur de hoc loco, quæ ex præfatione ed. 3 sub finem huius voluminis excerpta ponentur.]

latet aliquid in hac scriptura codicum: *Hic nihil est quod suspicionem* HOC *putetis.* Nam ipse Cicero sic scribere non potuit. hoc præsertim verborum ordine, præcedente substantivo.)[1])

In oratione pro Milone nihil dicam de prænomine necessario in § 26 ex præcedenti littera eruto. Sed § 65 secutus nunc sum coniecturam olim silentio pressam. Nam quod in codicibus scribitur: *Quin etiam fuerit audiendus popa Licinius* cet., id nullum alium recipit coniunctivi modi intellectum nisi hunc: *Quin concedamus, Pompeio Licinium audiendum fuisse* (exspectatur: *Illud tamen concedi nequit* cet.); quæ sententia pravissima est. Nec *quin etiam* recte ponitur, quoniam hæc non proxime superadduntur cum adscensu aliis minoribus rebus (in § 64), sed ad eam, quæ interposita est, sententiam generalem adiunguntur exempli et confirmationis loco. Itaque causalem orationis formam restitui: *cui etiam fuerit audiendus.* Sed paulo durius Cicero in pronomine ad unum Pompeium rediit, a quo proxime ante appellato sententiam, quod lenem reprehensionem habebat, ad totum genus deflexerat.

In eadem oratione § 67 sic scriptum erat: *Omnia falsa atque insidiose ficta comperta sunt. Quod si tamen metuitur etiam nunc Milo, non iam hoc Clodianum crimen timemus, sed tuas, Cn. Pompei, — suspiciones perhorrescimus.* Neque ea continuatio superioris sententiæ et orationis hic est, quam particulæ *quod si* indicant, et subinepti aliquid habet hæc timoris longe diversi in protasi et apodosi coniunctio: *Si Milo metuitur, — timemus*, in qua saltem conversio ad contrariam partem notari debuit (*nos vero*, aut similiter). Sed mendum subesse codices declarant. Nam *quod si tamen*, quod primum 32.
in exemplo Lambiniano repetito positum videtur, in nullo codice repertum est, sed in Erfurtensi, duobus Oxon., quibusdam editionibus: *cum tamen si*, in reliquis (Oxx. 4, Parisiensibus Steinmetzii, cet.) *cur tamen si.* (De ceteris optimis præter Erf. nihil notatum est.) Ad sententiæ progressum attendenti apparebit, Ciceronem necessario narrationem sic concludere, ut iniquæ suspicionis obstinationem, ne sic quidem conquiescentis, significet, deinde hinc vehementer orationem ad Pompeium cum querela convertere (*Non iam* cet.). Itaque mihi e codi-

---

[1]) [Correxi postea: *suspicione occupetis.*]

cum vestigiis hæc effici visa sunt: *Omnia falsa — comperta sunt, quum tamen metuitur etiam nunc Milo*, ut id, quod poterat separatim adiici (*Et tamen*), adiungatur superiori sententiæ (imens dog, während Milo gleichwohl). Indicativo autem modo Cicero potius quam coniunctivo, qui proprius est rei contrariæ significandæ, usus est, ut emineret rei (postea) nihilo minus manentis laxior adiunctio, ut pro Ligar. § 3: *quum Ligarius — nullo se implicari negotio passus est.* Cfr. Virg. Æn. X, 508: *Hæc te prima dies bello dedit, hæc eadem aufert, Quum tamen ingentes Rutulorum linquis acervos.*[1]) Non puto hanc emendationem prorsus certam esse; illud tamen certum est, novam periodum incipere a verbis *Non iam.*[2])

In oratione Philipp. II § 106 nemo dubitat, quin corrupta
330 hæc sint: *Incredibile dictu: sed tum nimis inter omnes constabat, neminem esse resalutatum.* In codice Vaticano est: *sed cum vinus.* Puto Ciceronem his verbis: *sed sum vicinus* significasse, se, quum villam in illa vicinia haberet, ex ipsis Anagninis recentem rem audivisse, quum sine ulla varietate narraretur. Eiusdem orationis locus in § 82 de Antonii in comitiis consularibus obnuntiatione quoniam propter rei obscuritatem et hominum dissensiones disputando et argumentando explicari breviter non potest, dicam nude, quid mihi de eo videatur et quo correctio mea iam ante in margine significata spectet. Iis enim prorsus assentior, qui, quum illo tempore singulæ tribus

---

[1]) Klotzius codices (non tamen Erfurt.) simpliciter secutus sic scripsit: *Cur tamen si* (voluit, opinor: *Cur tamen, si*) *metuitur etiam nunc Milo, non iam hoc Clodianum crimen timemus, sed — perhorrescimus?* In qua scriptura ut cetera prætermittam, perverse et ridicule Cicero quærit, cur tandem Pompeii suspiciones perhorrescat, ipse nimirum nihil esse dicens, cur has tragœdias excitet.

[2]) [In sexta et septima editione scripsi: *comperta sunt. Quo tamen, si metuitur etiam nunc Milo?*, his in præfatione sextæ editionis positis: „Aperte significatur, contra certissima innocentiæ Milonis indicia metum tamen, sive verum sive fictum, restare; huic significationi adiunguntur graviter ea, quæ sequuntur: *Non iam* cet. Forma orationis apparet ex *si* particula. Interrogando Cicero queritur, nihil effici innocentiæ indiciis, si nihilo minus metus maneat: *Quo tamen si*, hoc est, *cui tamen bono, si . . .? Quum tamen* pro *et tamen* in conquerendo non recte dicitur; *si* licenter omittitur." Halmio tamen hanc interrogandi formam parum Ciceronianam visam esse scio.]

binas centurias haberent, in ipsis centuriis classium discrimen fuisse statuunt; itaque Cicero narrat primum prærogativæ centuriæ sortitionem factam eventumque sortitionis renuntiatum esse; deinde prærogativæ centuriæ primam classem intro vocatam suffragia consueto more tulisse, tum secundam classem; hic demum Antonium obnuntiasse. Prima classe vocata necdum suffragiis latis nulla renuntiatio intelligi potest; vox *renuntiatur* ex superiore versu errore in hunc locum irrepsit. (Quam exigua pars suffragiorum et comitiorum peracta fuerit, declarant verba: *omnia citius facta, quam dixi.*) [Cfr. quæ exposui in opere de institutis rei publicæ Romanæ I p. 119 ed. Germ.]

De ceteris orationibus tantum dixi, quantum huic loco satis esse puto; venio ad Catilinarias, quas seposui seorsum commemorandas. Eas Orellius, quum iam Steinmetzius aliquot insignes scripturas e codicibus egregiis Tegernseensi et Salisburgensi (non eo, qui in Ligariana et Deiotariana commemoratus est, sed alio antiquiore) protulisset, totas ad eundem codicem Tegernseensem et ad Rhenaugiensem exegit, cui Klotzius successit. Sed parum animadversum videtur, quæ esset hic cautio adhibenda. Nam hæ orationes, quæ inde ab antiquorum rhetorum et grammaticorum ætate in scholis regnarunt, adeo sæpe transcriptæ sunt, ut codices etiam peranti- 331
qui tamen multo pluribus gradibus ab origine remoti sint quam in aliis multis orationibus eiusdem ætatis, pluresque iam illo tempore interpretamentis correctionibusque menda occultantibus aliquantum depravati erant, quo ceteros ea labes non ita multum attigerat. Postremo hæc interpolatio codices ætate et bonitate coniunctos ita alios aliis locis invasit, ut in magna similitudine tamen non leviter interdum discrepent nec uni aut duobus fidem addicere liceat, sed omnium, qui recentissimam depravationem ætate excludunt, testimonia conquiri et comparari debeant; in qua re molestum est, quod codicis præstantissimi Coloniensis, quo Modius et Gulielmus usi sunt, et Salisburgensis tot locis scripturæ ignorantur.[1]) Nam etsi codices Tegernseensis et Rhenaugiensis præstantissimi sunt, Tegern-

[1]) [Cum iis, quæ hic proximeque exposita sunt, conferantur, quæ ex præfatione quartæ orationum selectarum editionis excerpta sub finem huius voluminis adiicientur.]

seensis etiam singulari interdum integritate excellit (maxime II, 27, ubi is unus cum Valerio Probo veram scripturam servavit, in reliquis prorsus oblitteratam; quanquam de Coloniensi id non constat), tamen et communem habent aliquot locis interpolationem et aliis suam uterque, eamque in Tegernseensi aliquoties etiam longius progressam; ut in orat. I § 4 pro vera scriptura: *patre, avo, maioribus* (quam servant Salisburgensis, Colon., Gemblacensis Carrionis) Rhenaugiensis habet: *patre a maioribus*, Tegernseensis hoc mendum eodem modo occultat, quo pessimi et recentissimi codices: *patre natus a maioribus*. Idem in eadem oratione § 15 tenet fœdum additamentum: *quod mihi latere valeat in tempore*, quod abest a Salisb., Rhenaug., aliis etiam non optimis. Contra paucis versibus ante hæc: *quoties tu me designatum, quoties consulem interficere co-*
332 *natus es?* codex Rhenaugiensis ita contrahit et mutat: *quoties tu designatum consulem interficere voluisti?* In oratione autem II § 22 pro rariore voce *talaribus* (quam Salisb. servat; de Colon. nihil constat) uterque cum uno et altero præterea substitutum habet ineptissime *tritis* (alii *tritis talaribus*, aperta origine); eodemque modo III § 3 pro *restitissent* (quod Salisburgensis cum paucis minoris auctoritatis servat) illi duo cum cetera turba habent usitatius in ea significatione verbum *remansissent*. (Par. unus *remansissent et restitissent*).[1]) In orat. III § 10 Tegernseensis cum uno Duisburgensi servat, quod Muretus coniectura reppererat: *recepissent* (hoc est, *promisissent*), pro quo et in Rhenaugiensi et in ceteris (etiam Salisburgensi) est *præcepissent*.[2]) Sed, ne nimis in comparatione prematur Rhenaugiensis, ecce in proxima § 11 Tegernseensis

---

[1]) Hoc loco Klotzius interpolatam scripturam secutus est.

[2]) Klotzius revocavit *præcepissent*, opinor, ut *sibi* referretur ad Allobroges. Sed ne quid dicam de contrariis membris diligenter inter se relatis (*quæ ipse legatis confirmasset* et: *quæ sibi legati recepissent*), solœcum tum fit *eorum* pro *sui*; nec legati *præcipiunt* populo. Mirabilius est, quod Klotzius paulo ante contra codices Tegernseensem et Rhenaugiensem aliosque revocavit, quod Orellius eiecerat: *Cethego nimium id longum videri*, quasi non manifesto hoc verbum referatur ad (*hanc controversiam*) *quod* (*Lentulo placeret — Cethego videretur*). (Nec Galli dicebant Cethego id *videri*, sed *visum esse*.)

solus pro *infitiari* habet ex absurda interpretatione: *vel infitiari infirmarique.* Paulo post § 16 pro *P. Lentuli somnum* in Rhenaugiensi (ut in duobus Oxoniensibus) scriptum est *somnium*; hinc nata est hæc in Tegernseensi interpolatio: *P. Lentuli, qui dicebat imperatorem se esse anno illo cum interitu urbis futurum, somnium.* Communiter autem et hic uterque codex et reliquorum longe plurimi interpolati sunt in orat. III 333
§ 18, ubi, quod recte inde a Naugerio editum est, confirmat codex Salisburgensis cum tribus Parisiensibus apud Steinmetzium: *quod vix videtur humani consilii tantarum rerum gubernatio esse potuisse.* Sed quum verba non recte ordinarentur nec intelligeretur hæc coniunctio: *humani consilii esse*, hoc est, in humanum consilium et prudentiam cadere, locus interpretantium et interpolantium sedulitatem excitavit, quorum primus conatus apparet in codice Erf., Par. 5, Franciano: *quod vix videtur humani consilii tantarum* (Par. 5, Franc. *tantam*) *molem rerum gubernatio consequi potuisse*, ut coniungatur *humani consilii gubernatio*; deinde longius progressi sic scripserunt (in Tegernseensi, Rhenaugiensi, ceteris plerisque): *quod vix videtur* (*videretur* Teg. et fortasse alii quidam) *humanis consiliis tantam molem rerum gubernatio consequi potuisse.* Postremo codicis Parcensis (apud Orellium) librarius *molem* illam vitavit, sed alio modo sic verba corrupit: *humanis consiliis tantarum rerum gubernationem quis consequi potuisse.*[1]) Eadem interpolationis aut communis aut seiunctæ et in Tegernseensi longius progressæ ratio perspici potest (ne omnia pluribus verbis persequar) in his locis: III, 17 (Teg. et multi *testes denique*, quasi non signum et litteræ testes appellentur; recte Colon., Rhen., alii)[2]); III, 18 (Rhen. *ut terræ motus relinquam, ut omittam cetera, quæ*); III, 20 (pro *locaverunt*, quod cum 334
„potioribus“ Gruteri codicibus et Cuiacii libro Rhenaugiensis tuetur, plures *collocaverunt*; hinc Teg. et alii *statuerunt*, alii

---

[1]) Klotzius codices interpolatos (Teg., Rhenaug.) ita secutus est, ut etiam e Teg. *videretur* scriberet. Sufficere puto ad refutationem interpolationis historiam supra expositam; addo tamen, magnam perversitatem habere gubernationis nomen sic nude positum, ut nec cuius personæ nec quarum rerum sit, dicatur: *gubernatio non potest molem rerum consequi.*

[2]) Klotzius pravam scripturam tenuit.

censuerunt, alii denique *voluerunt*); III, 21 (*et ea a perditis civibus* uterque codex, similia alii; veram scripturam: *et ea per cives* tuentur codices Mureti, Colon., Fabric., Salisb., alii quidam; nonnulli: *ea per cives vel civibus perditis*); IV, 4 (Teg. et alii *sed tenentur ii, qui*, Rhen. et Par. unus *tenentur enim, qui* pro *tenentur ii, qui*; in aliis est: *tenentur vero ii, qui*); IV, 13 (Teg. *ille avus Lentuli etiam* pro: *ille etiam* et idem paulo post: *hic Lentulus* pro *hic*). Hæc qui consideraverit, ne illud quidem dubitabit, quin in orat. I § 5 Cicero scripserit, ut est in Salisb. et Coloniensi duobusque præterea (Græv. 2, cod. S. Emmerani apud Steinmetzium): *Tum denique interficiere*, quod autem in ceteris legitur, crudeliter et inhumaniter dictum tanquam a carnifice: *interficiam te*, a librario substitutum sit, cui post superiora illa: *ego — nondum adducor, ut faciam* aperta et directa oratio magis placuerit quam cautus Ciceronis flexus. Omninoque intelligetur, principatum in his orationibus potius ad Salisburgensem et Coloniensem videri deferendum esse quam ad illos duos. Sed qui rursus animadverterit, in orat. IV § 15 insulsissimum interpretamentum *ab amore debitæ pecuniæ* ante verba *ab exspectatione sortis* in codice Coloniensi (ut in paucis præterea) interpositum esse (quanquam, in ipsone ordine verborum perscriptum fuerit, non prorsus constat), is de omnibus codicibus id, quod supra dixi, verum esse confitebitur; idemque iudicium confirmabitur in orat. I § 19, ubi pro *ad M'. Lepidum*, quod trium grammaticorum testimonio servatum est, illi habent *apud M'. Lepidum* (nam de Mureti codi-
335 cibus incerta res est); tum magis etiam II § 20, ubi his verbis: *ex iis coloniis, quas Sulla constituit* in omnibus codicibus adscribitur perversissimum interpretamentum *Fesulas* (*quas Fesulas Sulla*), nisi quod in paucis quibusdam nullius auctoritatis codicibus substitutum est *Fesulis*.[1]) Itaque his locis admonitus

---

[1]) Tenuit mendum Klotzius. Quicquid de orat. III § 14 statuitur, id quidem manifestum est, hoc loco in tertio genere coniuratorum Catilinæ non Fesulanos colonos, sed Sullanos omnino commemorari, nec, etiamsi Latine dicatur: *duas colonias Fesulas constitutas esse*, item dici: *ex iis coloniis, quas Fesulas Sulla constituerit*. Orellii in talibus locis suspiciunculas de Tirone piget commemorare, etsi attingam postea. De illo autem tertiæ orationis loco sic habendum est, etiamsi Sulla bis coloniam Fesulas deduxisset (quod parum omnino probabiliter in oppido non magno fingitur), tamen necessario utramque in unam

non dubitavi in orat. IV § 12 codicum omnium mendum posthabere veræ scripturæ apud Lactantium servatæ, quod post Lambinum et alios etiam Orellius in priore exemplo fecerat; nunc is, codicibus obsequens, quod ne Klotzius quidem hic fecit, sic scripsit: *Etenim quæro, si quis paterfamilias — supplicium de servo quam acerbissimum sumpserit, utrum is clemens ac misericors an inhumanissimus et crudelissimus esse videatur? Mihi vero importunus ac ferreus* cet. Verum de eo, qui iustum supplicium *non* sumpserit, quæri, primum ostendit ipsa interrogationis forma, in qua affirmatio aperte inclinat in alterum membrum (*an potius*), deinde apertissime superlativus in hoc altero membro ad augendam asseverationem positus (*inhumanissimus et crudelissimus*), postremo adiectum responsum: *Mihi vero* cet., in quo si de contraria persona ac non de eadem 336
responderetur, saltem pronomen adderetur: *mihi vero is* cet.[1])

Hac igitur perspecta codicum natura, auctoritatem eorum quam potui religiosissime secutus sum, sed ita ut meminissem, manifesta menda contra vim rationum et veritatis convicium nulla auctoritate satis defendi. Itaque (ut ex brevi particula orationis quartæ exempla sumam, quæ ibi plura concurrunt) § 7 non scripsi (cum Orellio et Klotzio) *pro sui dignitate* (quod codices sane tuentur, Ciceronis et huius ætatis usus prorsus respuit, cfr. ad Fin. II § 76 p. 270 ed. 3), neque aliquot versibus post *appetiverunt* (ut fecit Klotzius ex Teg., Rhen., Oxx. et fortasse multo pluribus), quia, etiamsi diceretur *mortem appetere*, pravum tamen esset *libenter appetere*, pravissimum vero *non invitum appetere*; neque § 8 scripturam unius verbi (*dolores*) propter manifestam causam omissione fractam et perturbatam tenui (cum Klotzio): *multas uno dolore animi atque corporis et omnes scelerum pœnas ademisset* (in qua non solum ridicule coniunguntur *multæ et omnes pœnæ*, sed prave etiam ablativo (*uno dolore*) additur *animi et corporis*, quo res augetur, quum Cicero mortis dolorem elevet, eam, quam vivi perpes-

---

coalituram fuisse, nec hominem ex duabus coloniis esse dici potuisse. Itaque quod in codicibus scribitur: *ex iis coloniis, quas*, recte prorsus factum est: *ex iis colonis, quos.*

[1]) Paulo ante necessario scribitur *præbeo*, etsi omnis testimoniorum auctoritas *præbebo* tuetur; non minatur Cicero, sed eam, qua utitur, severitatem defendit.

suri sint, pœnam exaggeret); neque § 9 revocavi (cum eodem Klotzio), quod codices habent (sed præter sanam rationem etiam scholiastæ testimonio convicti): *meorum periculorum rationes utilitas rei publicæ vindicat* (nisi forte hoc sic intelligi posse putabimus: *vitam meam sic utilitas rei p. sibi vindicat,*
337 *ut eam quibusvis periculis obiicere debeam*); sed in eadem § 9 nihil cunctatus cum Klotzio ex omnibus tribus Orellii codicibus, duobus Oxx. restitui, quod fuit sine dubio etiam in plerisque reliquorum, sed silentio prætermissum est: *intellectum est, quid interesset*, pro quo ad nostri sermonis morem substitutum erat *intersit.*

Satis dictum esse puto, ut periti intelligere possint, Catilinariarum quoque orationum nostram recensionem non temere neque negligentia, sed firmo et constanti iudicio ab eorum, qui nuper easdem orationes e codicibus emendandas susceperunt, recensionibus discrepare maximeque totam Klotzii rationem et hic et in ceteris Ciceronis orationibus non immerito a me vehementer improbari. Itaque de singulis locis plura dicere omitto eosque prudentium iudicio relinquo, nisi quod de eo, qui est in oratione IV § 11 breviter rationem reddendam puto. Nam quum hic olim ederetur: *sive Silani sententiam sequi malueritis, facile me atque vos a crudelitatis vituperatione defendetis; atque obtinebo, eam multo leniorem fuisse*, nunc e codicibus Salisburgensi et Coloniensi (quorum hic quoque bonitas agnoscitur) editur ab Orellio et Klotzio: *facile me atque vos crudelitatis vituperatione populo Romano exsolvetis*; sed in codicibus scribitur tantum *P. R. exsolvetis.* Iam primum dativus hic pro eo, quod est: *apud populum Romanum*, nullo exemplo ponitur; deinde non senatores sententiam ad populum præstare seque et consulem defendere debebant, sed consul et suam et illorum causam defendere (cfr. verba superiora: *dederitis mihi comitem ad contionem*). Recta hæc demum sententia erit: *populus Romanus* (iudex) *exsolvet.* Sed quum in litteris *P. R.* subiectum contineri non intelligeretur, persona verbi ad superiora accom-
338 modata est. Postremo, quod in orat. I § 31 vulgari mendo coniectura sublato scripsi: *si aquam gelidam biberunt, primo relevari videntur* (ubi erat *biberint*, quasi diceretur: *relevatum iri videntur*), de ea re dixi in præfatione Lælii et Catonis p. 281 sqq. huius edit. et de particula *quum* ad Fin. V § 41

p. 679 sqq. ed. 3. [Conferantur quæ ex præf. ed. 4 sub finem huius voluminis ponentur.][1])

Verum non possum Catilinarias orationes relinquere, nisi rem his proximis annis agitatam attigero, suspiciones dico iudiciaque eorum, qui primum unam ex iis, deinde duas, postremo etiam tres non a Cicerone scriptas, sed ei falso subditas putaverunt. Quæ res, ut verum dicam, a tali initio ducta est, ita crevit, iis argumentis tractata est, ut magnam iis, qui omnes huiusmodi dubitationes in invidiam vocant inanitatisque arguunt, suæ sententiæ commendandæ facultatem præbeat eorumque vanitatis ridendæ, qui, ne auctoritati servire tardive esse videantur, quicquid sit prolatum novi commenti, arripiant et augeant. Mirum profecto est, quidam, qui alibi in scriptis veterum enarrandis pæne nimis sunt faciles ac patientes, quam fiant, si in huiusmodi suspicionem inducti sunt, difficiles ac morosi et ad res apertas minimeque insolitas ita adhærescant, quasi nunquam antea quicquam animadverterint, et tamen iidem quantas, ut opiniones suas persequantur, commentorum incredibilium moles exstruant. Sed primum rei historiam narremus. Nam quum F. A. Wolfius notam illam quattuor orationum accusationem ita peregisset, ut nunc qui- 339
dem, quicquid de ipsa re statuitur, cautionem in causa præparanda et ab omni parte consideranda et mehercule etiam subtilitatem, sed maxime in ipsa libertatis specie libertatem de eloquentia Ciceroniana orationibusque post exsilium habitis deque motu antiqui sermonis recte iudicandi valde desideremus, Eichstædtius (a. 1802) in censura libri Wolfiani, si non alias Ciceronis orationes, saltem unam ex Catilinariis sibi simili damnatione dignam videri significavit; cui facile Wolfius obsecutus statim tertiam damnavit, eamque rem postea in scholis sermonibusque ita significabat, ut aut omnino, quæ esset,

---

[1]) In pusilla re, sed quæ in prima libri pagina posita sit, diligentiæ mihi testimonium quæram. Nam Orellio hæc distinctio displicet, qua etiam antea usus sum: *Omnes hi, quos videtis adesse, in hac causa iniuriam novo scelere conflatam putant oportere defendi* (vulg. *adesse in hac causa, iniuriam* cet.). Verum in demonstratione advocatorum præsentium his verbis: *quos videtis adesse* nihil languide adhærere debet; quod Cicero dicit, sic dilatari potest: *in hac causa iniuriam inesse putant novo scelere conflatam eamque oportere defendi.*

incertum relinqueret, aut alteram e duabus mediis esse diceret. Atque hoc tenens Cludius (a. 1826) Wolfiique se sententiam persequi credens, secundam spuriam esse sibi visus est demonstrare, visus etiam uni et alteri præterea. Sed paulo post (a. 1827) Beneckius ostendit, Wolfii ipsius verbis ex epistola quadam prolatis, tertiam ab illo significatam esse. Interea quibusdam quarta displicuerat, Zimmermanno, Blochio, eamque miseram Ahrensius (a. 1832) capitis damnavit, tertiam simul damnatione in transcursu complexus. Postremo Orellius (a. 1836), opinor, ne fœda ridiculaque esset illa iudiciorum inconstantia, omnes tres spurias esse iudicavit. Obstabat huic iudicio præter alia vetera testimonia, quæ facile reiiciebantur, ipsius Ciceronis auctoritas, qui in epist. ad Attic. libr. II. 1 septem suas consulares orationes commemorat multis verbis quattuorque Catilinarias singulatim enumerat. Itaque nihil aliud relinqui videbatur, nisi ut id statuerent, quod credere nemo posset, veras Ciceronis orationes in celeberrima causa habitas iam Augusti tempore (adeo enim antiquas esse has, quas habemus, Ahrensius confitetur) ita evanuisse, ut falsæ
340 subiici et probari, nullo coarguente, possent, quum præsertim una ex quattuor vera maneret et cum falsis coniungeretur.[1]) Sed forti remedio Orellius rem expedit; nam totum illum locum ex media epistola exsecat, ut iam nihil constet de pluribus orationibus ab ipso Cicerone de re Catilinaria editis; fabulamque lepidam excogitat, falsarium primum tres orationes Ciceroni subiecisse, deinde, ut iis locum et fidem pararet, in epistolam Ciceronis narrationem a se fictam de iisdem orationibus inclusisse.[2]) Verum, inquiet aliquis, quum illæ epistolæ

---

[1]) Ahrensius totam hanc difficultatem, ut Orellio (p. 177) videtur, „accuratius pertractare noluit". Itaque in longa disputatione de testimoniis historicis hanc epistolam omnino non attigit (nisi p. 66 in alia re, ut appareat, eum illum locum non ignorasse, quæ ignoratio excusatior esset quam hæc prætermissio).

[2]) Quæ Orellius sibi videtur in hoc loco deprehendisse indicia orationis non Ciceronianæ, eiusmodi sunt, ut refutari vix debeant, velut quod in deminutiva forma *refractariolus* semel hic in familiari sermone posita hæret, quasi non quarta saltem pars omnium deminutivorum Latinorum uno tantum loco legatur, quia in scribendo extra epistolas familiares rara eorum ponendorum occasio erat, aut quod hanc locutionem: *ab*

in manibus hominum iam essent, quomodo falsarius ille non suum epistolarum codicem, sed aliorum omnium, quos decipere 341 volebat, interpolavit, effecitque, ut nusquam aliter epistola scripta exstaret? Expediet iterum hærentes eadem sagacitas. Falsarius enim is ipse est, qui volumen illud epistolarum post Ciceronis mortem edidit, M. Tullius Tiro. Quid ais? Libertus fidelissimus, cui Cicero epistolas suas commiserat, qui patroni mortui vitam cum diligentia et pietate narravit, in quem nulla unquam turpis suspicio iacta est, falsarius fuit? Immo vero, inquit, bono animo fecit. „Summopere a se honoratum iri optimum patronum opinatus est, si eius res gesta tam illustris non una duntaxat, sed quattuor orationibus celebraretur (p. 179).“ O miram fingendi licentiam et in dubitando credulitatem! Ergo Tiro non narrando sibi illam rem celebrandam putavit, sed, qui nunquam verbum in conventu hominum fecisset nec oratiunculam scripsisset, patroni sui, summi oratoris, laudem suis orationibus eius nomini subiiciendis augendam existimavit. Quidni? Idem, qui nunc ubique miseras Tironis ineptias deprehendit, tamen antea propter has quoque orationes Ciceronem admiratus est. Sed hanc Tironianam fabulam (sine qua tamen res non procedit) paulisper dimittamus, videamusque, quomodo Ahrensius testimonio, quod apud Ciceronem de Catilinaria quarta reperiri videbatur, ad illam ipsam oppugnandam usus sit (p. 40 sqq.). Nam quod Cicero in orat. Philipp. II extrema (§ 119) dicit: *Abhinc annos prope viginti hoc ipso in templo negavi posse mortem immaturam esse consulari, quanto verius nunc negabo seni!* significare putatur eandem sententiam in oratione quarta Catilinaria § 3 positam; Dio etiam

---

iudiciali dicendi genere se abiungere miratur nec meminit, ad Fam. I, 9 § 23 prorsus eodem modo dici: *ab orationibus diiungo me fere,* aut quod Græca verba ter in hoc loco posita non fert, in epistola tertia altero tanto fere longiore (si hæc metienda sunt) undecies posita (præter versum Græcum) non miratur, aut quod Ciceroni in familiari epistola præscribit diligentissime ad syllogismi formam factam causarum expositionem. Scilicet talia occurrunt argumenta circumspicientibus. Illud tamen miror in mentem non venisse, Tironem, Ciceronis per multos annos in epistolis scribendis adiutorem, saltem decem versus sic scribere posse debuisse Ciceroniano more, ut a nobis non deprehenderetur. Non putaram Orellium de suo ad orationis Ciceronianæ proprietatem animadvertendam sensu tam bene existimare.

Cassius (XLV, 46, 4 Bekk.) Ciceronem dicentem facit, se hoc consulem dixisse. Sed Ahrensius primum docet, Romanos in annorum intervallis computandis primum et postremum annum
342 pro plenis numero comprehendere; ita, quod Cicero a. 63 a. Ch. dixisset, id eum a. 44 non potuisse commemorare *prope* viginti annis ante dictum, sed prorsus viginti; nec a. 63 Ciceronem consularem, sed consulem fuisse: apparere igitur, illud a Cicerone a. demum 62, Silano et Murena coss., in nescio quo senatus conventu dictum esse, a falsario autem inscite in hanc declamationem inclusum. In utroque argumento graviter errat. Nam quod Romani in numeris ordinalibus illam sæpe rationem sequuntur, ut tertium ab aliquo eum dicant, ante quem unus interiectus sit (quia hic ipse, qui interponitur, secundus ordine est), diesque in fastis semper sic notant[1]), id ad numeros cardinales et ad annos iis notatos nullo modo transferri pro lege posse, quum in iis et inconstantia maior sit et altera ratio etiam frequentior, disci potest ex iis, quæ Livii (apud quem fere solum copia aliqua exemplorum est) enarratores annotarunt ad IV, 20, 8, X, 31, 10, XXX, 44, 1 et 2, XXXIII, 44, 2, XLII, 10, 5. *Abhinc* quidem ita plane tempus exactum significat, ut nunquam id Romani, nisi forte errore numerandi, aliter posuisse videantur atque nos; certe eodem modo Cicero in Verr. lib. I § 34 dixit: *Quæstor fuisti abhinc annos quattuordecim*; nam Verres quæstor fuerat a. 84, accusatus est a. 70.[2]) Deinde Cicero satis aperte et illo et aliis tertiæ et quartæ Catilinariæ locis illa pericula significat, quæ sibi post consulatum (cuius viginti aliquot dies supererant) proposita sint; rectissime igitur consularis viri mortem commemorat.

Atque his initiis similis reliqua accusatio est; quæ quoniam
343 in sola quarta oratione aliquo modo explicata ab Ahrensio est, cui Orellius simpliciter assentiri solet, plurimumque operæ et verborum in argumentis historicis consumptum, breviter præcipua quædam eorum capita videamus. Primum igitur negant

---

[1]) [Alibi id minime semper fieri, ostendit Savignius in Institutionum Iuris Rom. vol. IV append. XI. 1842.]

[2]) Etiam Zumptius in hoc loco falsa opinione turbatur et artificio non recto se expedit.

omnino Ciceronem ullam huiusmodi orationem, quum de supplicio coniuratorum ageretur, post Silani et Cæsaris sententias habuisse, quum nec Sallustius eam commemoraverit neque consul post relationem potuerit in media sententiarum perrogatione suam ipse orationem interponere. In qua disputatione Sallustii testimonio minime recte utuntur. Nam quum Cicero neque novam sententiam dixisset neque aut Silani aut Cæsaris vehementer alteram alteri prætulisset commendassetve, nulla causa erat, cur Sallustius hanc orationem inter eas sententias orationesque, quibus certatum esset, commemoraret, quum præsertim, quicquid de Sallustio statuitur, hoc saltem fatendum sit, non illo animo eum scripsisse, ut Ciceronis quam sæpissime nominandi laudibusque tollendi occasionem captaret. Alterum autem prorsus sine ullo minimo argumento ponunt contraque veri similitudinem. Nihil enim erat, quod consulem, qui totam senatus deliberationem moderaretur, ipsum ea interponere vetaret, quæ opus esse iudicaret. Idque ipsi ita concedunt, ut tantum „iustæ orationis" mensuram excludant; in quo prorsus obliviscuntur, hanc iustæ orationis mensuram sæpe postea demum accessisse, quum, quæ subito dicta essent, amplificata et ornata ederentur.[1]) Atqui, inquiunt, obstat, quominus huiusmodi quicquam Ciceronem dixisse putemus, 544
ipse Cicero, qui ad Att. XII, 21 a Bruto se maligne laudatum sic queritur: *Me autem hic* (Brutus) *laudat, quod rettulerim, non quod patefecerim, quod cohortatus sim, quod denique antequam consulerem ipse iudicaverim. Quæ omnia quia Cato laudibus extulerat in cælum perscribendaque censuerat, idcirco in eius sententiam est facta discessio.* His enim verbis Ahrensius (p. 59 sqq.) ostendi putat, Ciceronem initio, quum ad senatum referret, orationem habuisse ad senatores cohortandos, postea nihil dixisse. Quod totum argumentum miro errore natum est, quod hæc verba *antequam consulerem*, quæ in tertio membro inclusa sunt, ad *cohortatus sim* transtulit. Quod autem Cicero

[1]) „Itaque id tantummodo consul providit (*voluit*: providebat), ut insequentem iuberet dicere, bene et sapienter iudicantem, si vellet, laudaret, altercantibus non deesset, errantem in viam reduceret, adversantem senatus deliberationi cogeret (Ahr. p. 72)." Hic quidem nimis consuli magistri et admonitoris partes dantur.

postremum ponit, se omnino non exspectasse sententias, quæ de pœna dicerentur, sed ipsum ante iudicasse, non tam orationem a se in referendo habitam significat (tum enim et rei natura et Sallustii ceterorumque narrationes et ipse hic locus ostendit nullum certum pœnæ genus nominatum fuisse, sed universe senatum consultum, quid fieri vellet) quam animi sententiam ipso relationis genere declaratam, quo aperte præsens remedium flagitaretur.[1]) Iam illud qualis est inscitiæ, quartæ orationi locum relinqui negare (ut facit Ahrensius p. 97), quod Quintilianus (XII, 10, 61, qui locus depravatus est) et Asconius (ad orat. in Pis. § 4 p. 122 Hot.) unam videantur significare orationem a Cicerone in senatu in Catilinam
315 habitam? Quis enim non videt, quanquam hæ orationes communiter *in Catilinam* inscribantur, tamen hanc quartam per se nullo modo posse dici *in Catilinam habitam*, in qua, Catilinæ persona prorsus remota, de coniuratis, qui in vinculis sint, agatur?

Sed in ipsa quoque oratione Ahrensius non exiguum numerum „errorum historicorum" sibi deprehendere visus est, quum partim, si quid ita ab oratore positum est, ut eius in re publica adversarii contra aliquid dicere potuerint, errorem historicum putat nec a Cicerone committi potuisse, etiamsi tale est, ut id et Cicero et senatus in tota hac coniurationis oppressione et iudicarit et agendo secutus sit, partim aliis modis in verbis rebusque ipse se implicat. Ex priore illo genere est, incredibiliter perversum, quod, quum orator (§ 10) senatum lege Sempronia non impediri dicat, quominus de his patriæ hostibus iudicet, Ahrensius (p. 109 sqq.) graviter exponit, Ciceronem „in iudicio, ubi legibus esset obtemperandum, non debuisse tanquam de hostibus sententiam ferre", et, quum eadem prorsus Ciceronem in prima oratione (§ 28) patriam dicentem facere videat, Ciceroni permittit (p. 109), ut patriæ se alloquenti falsas huiusmodi sententias subiiciat, ipsum quidem

---

[1]) Orellius etiam verba *quod patefecerim* refert ad illam orationem relationi præmissam. Sed patefacta omnia pridem erant, nunc tantum de pœna actum. Manifestum est, Ciceronem, quod in ipso senatu hoc die nullæ eius nisi relationis et cohortationis (quæ est in orat. IV) partes fuissent, aliarum simul rerum Bruto rationem habendam fuisse dicere.

abstinere iubet. Atque addit etiam (p. 111), non potuisse Ciceronem coniuratos hostium loco habere et ita appellare, quod Metellus et Clodius postea ei obiecerint, cives ab eo necatos. Nimirum is error historicus est, quum accusator aliter dicit atque is, quem accusat.[1]) Ex reliquis errorum notationibus 346
eam deligam, quam omnium prope maxime probare Orellius videtur. Nam illam, quæ § 15 huius orationis in scribis commemoratur, sortem Ahrensius (p. 127) prorsus contra instituta Romana fictam esse disputat, quoniam locus in decuriis scribarum emi consueverit et scribæ certa distributione alii aliorum magistratuum fuerint. Verum hæc omnes pridem noveramus, scribas locum in decuriis emisse (lectos tamen quodam modo a magistratibus, quibus eius rei cura mandata esset, ne indignissimus quisque irrumperet), et alios quæstorios fuisse scribas, alios ædilicios, et eodem modo reliquos; sed simul intelligebatur, quum verbi causa quæstores viginti crearentur, inter hos sorte distributos esse scribas quæstorios, Romano prorsus more, quo inter ipsos magistratus eiusdem gradus munera sorte dividebantur; idque præter hunc huius orationis locum apertissime significari a Plinio Min. Ep. IV, 12. Neque ad hanc sortitionem tollendam quicquam Ahrensius, quod umbram argumenti haberet, attulit. Sed operæ pretium est videre, quam inconsiderate hæc fingantur. Nam eiusmodi sortitionem nescio quo somnio excogitare sine ulla causa et ad ærarium fieri solitam narrare, lectoribus patienter accipientibus, certe is demum posset, qui longo tempore post sublata vetera scribarum instituta viveret. Et tamen hanc orationem alter criticorum ab Augusteæ ætatis declamatore scriptam esse vult, hoc est, ab eo, cui tota huius rei forma quotidie ob oculos esset, alter etiam a Tirone, consularis hominis in libera re publica studi- 347

---

[1]) P. 115 eo etiam progreditur, ut, quoniam apud Sallustium lex Porcia, non Sempronia nominatur, „si ulla legis utriusque cognitio animum intraverit suum, pro certo affirmet", legem Semproniam ne potuisse quidem hic nominari a Cæsare et Cicerone. Leges Porciæ (nam Sallustius parum diligenter unam nominat) veteres erant et provocationem maxime tuebantur imperiaque magistratuum virgarumque vim coercebant. Propior illi tempori Sempronia lex ipsam iudiciorum legitimam formam sanciebat (pro Rabir. perduell. § 12); itaque ea flagitare videbatur, ut coniurati ad iudices quæstionemque legibus constitutam reiicerentur.

orum et scribendi ministro. Nam quidam, quum declamatoris personam inducunt, eam ex Ciceroniani temporis docto homine atque scito rhetore et ex ætatis multis sæculis diiunctæ insulso nugatore miscent, sane ad quasvis partes sustinendas fabulasque peragendas aptam. Sed addunt Ahrensius et Orellius, omnino fieri non potuisse, ut illo die scribæ ad ærarium convenirent, quum scirent, omnes magistratus in senatu esse. Facile tamen intelligitur, quum senatus, ut illo tempore, subito convocaretur, non omnes scribas certiores factos esse. Itaque illi nihilo minus, quum status is dies sortitioni esset (paulo antequam novi magistratus inirent), ad ærarium convenerunt.

Neque opus esse ullo modo puto, neque hic locus fert, neque mehercules ab animo meo impetrare possum, ut plures huiusmodi reprehensiones singulatim persequar. Ne hæc quidem exempla tam multis verbis commemorassem, nisi Orellius (ad Catil. IV init. p. 242) questus esset, quod ego antea „argumenta historica, quæ dilucide ac subtiliter Ahrensius proposuisset, non attigissem". Subtilitas illa quæ sit, iam apparere opinor. De iis argumentis, quæ ex arte et facultate oratoris desiderata aut ex verborum usu ducta sunt, nihil muto ex iis, quæ in opusculis prioribus p. 192 dixi. Exemplum unum ponam eiusmodi, quod levitatis et inscitiæ fœditate aliquam deterrendi vim habere possit. P. 209 Ahrensius scribit, „se nulla *contumelia* (voluit *calumnia*!) impulsum iudicasse, declarari alio loco, in quo, si lenissime statuas, quattuor minimum vitia reperiantur". Is locus est in § 13 in his verbis: *Vereamini, censeo, ne in hoc scelere tam immani ac nefando nimis aliquid severius* (sic enim scribit) *statuisse videamini.* Primum
318 *vereamini* reprehendit, deinde *censeo*, etsi *misereamini censeo* Sallustium dixisse concedit; „satis valere ad damnandum, si quod sit eiusmodi, ut M. Tullii testimonio non *servetur* (!)". Sed ex iis, quæ subiicit, apparet, Ahrensium gravi errore neque Sallustii neque Ciceronis formam ironice suadentium intellexisse, sed *vereamini, censeo* putasse dici pro *veremini, credo.* Deinde *nefandus* (quod debui e cod. in marg. Lamb. et ex Tegerns. et Rhen. revocare, ut Orellius et Klotzius fecerunt) negat Ciceronianum esse adiectivum, idque ut possit, expellit ex oratione Miloniana § 72 contra consentientem bonorum codicum auctoritatem. Quartum denique vitium residere putat

in *nefando nimis* pro *nimis nefando*, nec animadvertit sic multo etiam incredibiliorem formam effici: *tam nefando nimis*. Apparet, *nimis* interpretamenti loco ad *severius* adscriptum esse. Miror omnino, non diffidere sibi in tali disputatione homines adeo non Latinæ orationis idonea scientia instructos, ut *prætermisisse* et *prætermissurum fuisse* permutent (p. 50) aliaque similia minime raro committant.

Sed præstat, omissa refutandi et reprehendendi acerbitate, duas res breviter attingere, quæ ad totam hanc rem prudenter iudicandam valde pertinent. Primum enim Sallustii auctoritate sic quidam utuntur, quasi is minimas etiam rerum particulas incomparabili studio examinatas non minore diligentia narraverit, ut etiam orationes, quas habitas exponit, ad veritatem expressas putent. Qui valde errant. Nam Sallustii laus totius rerum imaginis explicandæ arte, iudicii subtilitate, sententiarum pondere, orationis gravitate censetur (quanquam his omnibus affectatio admixta est); illam singularum rerum summam diligentiam homo prætorius, eloquentiæ et prudentis gravitatis gloriam petens, non primo loco habuit. Id, si quis libere at- 319
tenderit, in bello Iugurthino multis indiciis deprehendere poterit.[1]) Sed in ipsa Catilinariæ coniurationis historia in non exigua ordinis temporisque confusione manifestus tenetur. Nam Sallustius primum notissimum in domo M. Læcæ conventum et consilium Ciceronis inter matutinam salutationem interficiendi narrat (c. 27, 28); deinde scribit, interea Manlium in Etruria plebem sollicitasse et alia molitum esse; iis nuntiatis, factum esse senatusconsultum, ut viderent consules, ne quid res publica detrimenti caperet (29); tum post paucos dies in senatu recitatas litteras Manlii aliosque nuntios auditos, decretumque, ut exercitus compararentur, et alia (c. 30); his rebus quum in magno motu et timore civitas esset, Catilinam nihilo minus consilia sua persecutum esse: „postremo“ etiam in senatum dissimulandi causa venisse; ibi Ciceronem orationem in eum

[1]) Frustra quæras, quid Metellus initio belli ab Iugurtha postularit, frustra, quid Metellus toto altero anno egerit. C. 54 legimus, ipsum Metellum statuisse non prœlio neque acie bellum gerere; c. 56 idem dolis fatigatus ab Iugurtha dicitur, qui pugnandi copiam non fecerit cupienti. C. 11 Iugurtha materno genere impar dicitur; at macula ei a patre inhærebat; hic matrem inferioris generis habuerat.

habuisse (c. 31). Et tamen non solum aliorum, sed ipsius Ciceronis testimoniis (in orat. Cat. I et II, pro Sull. § 52) constat, senatusconsultum illud factum esse viginti diebus ante orationem in Catilinam; conventum autem in domo Læcæ habitum esse aut illa ipsa nocte. quæ orationem præcessit, aut superiore. Iam videat mihi aliquis, quomodo Ahrensius huius confusionis crimen a Sallustio alia confusione amoliatur (p. 152 not.). *Interea* (in c. 28) sic accipit, ut et Manlii turbas et senatusconsultum retrahat ante rem in c. 27 narratam. Sed
350 capitis 30, 31, 32 obliviscitur nec animadvertit, non modo senatusconsultum ante conventum illum retrahendum, sed hunc etiam ad Catilinæ in senatum ingressum et Ciceronis orationem admovendum fuisse. Nisi forte hæc quoque omnia illi vocabulo *interea* annectit, ut in voce *postremo* (in c. 31) redeamus ad c. 28 medium. Apparet, inter Sallustium et orationem primam Ciceronis propter Sallustii errorem tantam esse, quanta maxima esse potest, dissensionem. Et hoc homines non movet; quartam propter Sallustii silentium damnant.

Alterum, quod dicere institueram, hoc est. Sic omnia ab Ahrensio, Orellio, aliis in hoc genere disputantur, quasi hæ Ciceronis orationes iisdem omnibus verbis dictæ sint; itaque si quid tum minima ex parte improbabile videtur, a Cicerone scribi potuisse negant. Verum Cicero omnes has orationes Catilinarias prorsus ex tempore habuit; ac ne paulo quidem post eas perscripsit deve iis edendis cogitavit. Tribus annis post (a. 60 a. Ch.) eas Attico recentes misit (ad Att. II, 1, 3). Iam quis dubitat. quin, etsi ea, quæ sic notabiliter dixisset, ut et in ipsius et aliorum memoria infixa essent, retineret et sequeretur, tamen ea. quæ brevius multo dixisset, auxerit, amplificaverit. ornatum iis splendoremque addiderit? Atque in hac opera fieri non poterat, quin uno et altero loco colores quidam intercurrerent. qui fortasse magis ad eum rerum animique ipsius habitum apti essent, qui tum esset, quam ad orationis vere habitæ tempus; interdum quidem etiam de industria præmunire quasi defensionem aliquam adversus ea, quæ tunc ab adversariis obiicerentur, voluisse videri potest. Sentiebantur enim iam quasi quidam flatus prænuntii eius procellæ, quæ paulo post subsecuta est. Itaque nunc intelligitur. unde
351 illa sit pæne nimia in tertia et quarta oratione invidiæ depre-

catio et periculorum futurorum commemoratio, unde etiam illa, in qua Ahrensius hæsit, in IV, 15 de senatus et equitum consensu *hodierno die* stabilito et permansuro prædictio; (etsi etiam in vera oratione poterat Cicero ad confirmandos animos paulo fidentius dicere). Quin etiam potuit Cicero, quum unam tantum iustam orationem eius diei, quo de supplicio coniuratorum actum esset, conficeret, in eam aliquid, partim sciens et prudens partim fortasse pæne imprudens, admiscere, quod in eodem senatus conventu alio tempore dixisset. Ita nihil offensionis habent, si de veritate ipsius orationis quæritur, quæ IV § 6 sic dicuntur, ut ad primam relationem accommodatiora videantur quam ad eum locum, quo hæc oratio post sententias aliquot iam dictas interposita est. Postremo nunc intelligitur, qui fieri potuerit, ut Cicero in prima et secunda oratione noctem illam inconstanter notaret. Nam ipse sine dubio tantæ rei a se gestæ ordinem tenebat; sed quum animum et orationem ad præteriti temporis et ad duorum dierum coniunctorum (eius, quo prima, et quo secunda oratio habita esset) statum reflecteret, facillime accidere poterat, ut noctis illius significationem non recte distingueret in prioris et posterioris diei oratione.[1])

Cal. Octobr. A. MDCCCXLI.

---

[1]) [Legi postea alia de orationibus Catilinariis disputata non minus inconsiderate; sed totum hoc criticæ genus satis notatum qualeque sit demonstratum puto. 1842.]

XXI (IX).

Miscellanea Critica.

A. Quintiliani loci duo emendati.[1])

Quintilianus X, 1, 130.

352 Quintilianus in præclaro de Seneca iudicio ita scribit, si codicibus et recentissimis editionibus fides habenda est: *Velles eum suo ingenio dixisse, iudicio alieno. Nam si aliqua contempsisset, si parum non concupisset, si non omnia sua amasset, si rerum pondera minutissimis sententiis non fregisset, consensu potius eruditorum quam puerorum amore comprobaretur.* Sed quantas turbas excitaverint illa: *si parum non concupisset*, non est, cur multis exponam; nam ex quo Spaldingius negandi particulam ex codicibus adiecit docuitque, eam scripturam, in qua superiores acquievissent, ineptam esse, non minor exorta est difficultas in ea interpretanda, quæ nunc tenetur. In quo conatu homines docti adeo non consentiunt, ut vix duos reperias, qui idem probent; neque id mirum cuiquam videri debet. Neque enim pronuntiare dubito, neque ullam ex iis interpretationibus, quæ propositæ sunt, veram esse neque veriorem reperiri posse; ipsa enim verba corrupta sunt; quod argumentis confirmarem, si aut Spaldingium aut Frotscherum aut quem-
353 quam alium sententiæ suæ confidere viderem ac non, quum

[1]) [Ex Seebodii Bibliotheca Crit. a. 1828 p. 630. Scripta a. 1827.]

meliora non haberent, id, quod ipsi parum probarent, secutos esse. Nam quid opus est exponere, neque *concupiscere* absolute intelligi posse, ut sit *ambitiosum esse*, neque *parum* ullo modo in tali quidem coniunctione substantivi vim habere posse aut id significare, *quod non sit satis, quod sit exile* (genere) *et minutum*, quæ significatio ne ipsa quidem apta esset. Sed interpretes, in his solis verbis occupati, ad totius loci formam attendisse non videntur, nisi quod Buttmannus ex aliqua parte de hac re lectores admonuit. Proxime enim præcedit ingenii et iudicii mentio, quorum illud in reperiendis rebus et elocutionis ornamentis cernitur, hoc in delectu habendo; et ad hanc sententiam referuntur, quæ subiiciuntur; in his autem ipsis apertum est, cum delectu et gradatione posita esse verba: *contempsisset — non concupisset — amasset*; neque minus idem orationis artificium ostendunt inter se relata *aliqua* et *non omnia*. Apparet, inter hæc duo interiectum tertium fuisse, quod ad eandem orationis formam accommodatum esset. Hoc invento facilis iam emendatio est et lenissima mutatione perficitur: *Nam si aliqua contempsisset, si partim non concupisset, si non omnia sua amasset*, cet. Desiderat Quintilianus in Seneca severitatem iudicii; omnia enim eum, quæcunque subministrasset nimia pæne ingenii fecunditas, arripuisse, acumina, sententiolas, huiusmodi alia; recte scripturum fuisse, si ex his aliqua plane contempsisset, ut inania et futilia, *partim* (hoc est paulo plus quam *aliqua*) saltem non concupisset et studiose quæsivisset, denique non omnia sua amasset. Illud addo, sic demum intelligi, cur scriptum sit *si aliqua*, non *si qua*.[1])

Quintilianus XII, 10, 62.

Hic iram, hic misericordiam inspirabit: hic dicet, Te v i d i t 351
e t a p p e l l a v i t e t f l e v i t: et per omnes affectus tractatus hic itaque illuc sequetur, nec doceri desiderabit.

Exponit Quintilianus inde a § 61 (*Hic orator* cet.), quanta sit vis grandis et vehementis oratoris. Sed in his, quæ transcripsimus, verbis multa sunt, in quibus hæreas; neque id interpretes fefellit, qui primum quærunt, unde sumpta sint illa:

---

[1]) [Secutus est Zumptius hanc emendationem. 1842.]

Te—flevit; illud, præter Buttmannum, non admodum curasse videntur, quamnam admirabilem sententiæ et elocutionis vim verba illa haberent; quod autem maxime offendere debebat, a nullo video annotatum; quæ est enim hæc scribendi forma et figura, ut, quum Quintilianus vim grandis oratoris universe significet, certa quædam certi oratoris verba ab eo dictum iri narret? Nam in superioribus ea usus erat ratione, ut primum universe diceret, quid hic orator ausurus esset, deinde exempla certa adderet, ut proxime: *hic — deducet*, tum exemplum ponit Ciceronianum. Postremo in iis, quæ huic loco proxime subiiciuntur, recte interpretes desiderant subiectum verbi *sequetur*; itaque Obrechtus addidit *auditor*; Burmannus, quid sententia postularet, assecutus, *iudicis* nomen interponi volebat. Criticorum interpretumque dubitationem non vanam esse, codicum ostendit dissensus, qui tamen ita discrepant, ut vetustissimos sequendo ad veram scripturam perveniri possit. Ceteros igitur omittamus, Turicensis hæc habet: *h.* (sic, una littera) *dicit te iudet appellavit et flevit et per omnes affectus tractatus hic itaque illuc sequetur neque doceri desiderabit*; Florentini autem hæc est scriptura: *hic dicunt te videt appellavit et flevit et per*
355 *omnes affectus tractatur hic itaque illuc sequetur* cet. Ex his hæc efficitur optima scriptura, nisi quod de uno vocabulo dubitatio manet: *Hoc dicente iudex* (hoc vocabulum hic latere etiam Buttmannus sensit in nota exegetica) [*deos*] *appellabit et flebit et per omnes affectus tractus huc atque illuc sequetur.* (Hæc extrema vocabula eadem ratione a Burmanno restituta Buttmannus probavit.) Omnia iam recta et ex perspicuis depravatæ scripturæ vestigiis eruta. Grandis illius oratoris vi Quintilianus iudicis animum in omnem habitum fingi ait. Error ortus est partim ex eo, quod, quum *hic* quinquies initio sententiarum positum esset, eundem pronominis casum hoc loco librarius scripsit, ita tamen ut ablativi vestigia manerent in *dicunt te* et *dicit te*, partim ex commutatione litterarum *b* et *v*, quemadmodum et in Florentino et in Turicensi pro *inspirabit* scriptum est *inspiravit*. Quod *deos* addidi, etsi non admodum affirmo, verum tamen me vidisse puto; aut enim *appellabit* mutari in aliud verbum debet, in quo codices consentiunt (nisi quod *appellavit* scribitur), nec ulla mendi origo aut causa intelligi potest, aut addendum illud vocabulum est, sententia etiam

postulante. quod post *videt* (ut est in Florentino et duobus aliis codicibus) aut *iudet* (ut est in Turicensi) facile excidere potuit. Deos iudex appellat, quum sceleris aut calamitatis alicuius grandi et vehementi descriptione commotus nomen eorum exclamando usurpat fidemque obtestatur. Rapitur autem vi dicentis iudex et per omnes affectus illo moderante mox huc mox illuc *trahitur* trahentemque sequitur.[1])

B. De locis nonnullis Ciceronis et Quintiliani melius interpungendis.[2])

Malam verborum interpunctionem in veterum scriptorum 356
libris sæpe sententiam pervertisse et corrumpendæ scripturæ causam fuisse, omnes norunt, neque pauci etiam nunc vel in iis libris, qui frequenter et leguntur et eduntur, loci sunt, qui propter huiusmodi menda minus recte intelliguntur. Huiusmodi locis meliore interpunctione subvenire non prorsus exigua criticæ pars est; quanquam non ignoro, multos esse, qui et signis illis orationis distinguendæ mirum in modum abutantur et hoc interpunctionis auxilium ad eiusmodi difficultates tollendas adhibeant, quæ aliam medicinam requirant. Multo enim et accurato studio opus est, ut teneas, quibus locis per loquendi usum et periodi struendæ rationem et numerorum leges insistere orationi liceat, ubi fluere debeat, quæ cohæreant, quæ disiungenda sint; in qua re multa errandi materia est. Libet

---

[1]) [Iniuria Zumptius *hic* necessario retinendum putat nec animadvertit, repetito illi *hic* aptissime subiici *hoc dicente*, ut ab oratore ipso ad iudicem eius orationem animi motu subsequentem transeatur. Itaque neglecta vera emendandi via ipse et vestigia codicum prorsus deserit (nam *dicit te* tollit et ex *iudet* facit *iudicem*) et incredibilem subiecti mutationem efficit, ne alia reprehendam. Præter hos duos Quintiliani locos Ciceronis locum ex oratione pro Cluentio c. 34, 92 tractaveram ostenderamque pro eo, quod edebatur: *infestus tum prætor Iunio fuit*, scribendum esse *populus Romanus* (*P. R.* pro *PR.*). Eam disputationem nunc omitto, quoniam sic nunc editur et res perspicua est. A. 1842.] [In Quintiliani loco verum secutus est Halmius.]

[2]) [Ex Seebodii Tabulario Novo Philologiæ a. 1829 n. 34. Scripta a. 1827.]

hoc loco uno et altero exemplo ostendere, quam late hæc pateat ratio et quam utilis sit.

In Ciceronis oratione pro Cluentio c. 47, 131 sic scribitur:
357 *Quod si hanc apud eosdem ipsos censores mihi aut alii causam agere licuisset, hominibus tali prudentia certe probavissem* (*res enim indicat*) *nihil ipsos habuisse cogniti, nihil comperti; ex tota ista subscriptione rumorem quendam et plausum popularem esse quæsitum.* Inepte hæc dicuntur. Quid enim? Hocine opus erat censoribus a Cicerone probari, nihil ipsos comperti habuisse? Id vero optime ipsi norant; nec a Cicerone docendi erant, utrum rumorem captassent necne. Scribendum etiam erat: *certe probassem* — *nihil ipsos* (illo ipso tempore, quum res a me ageretur) *habere cogniti.* Recta et apta omnia erunt, si sic interpunxerimus: *certe probavissem* (causam); *res enim indicat, nihil* cet. Facile se Cicero censores meliora edocturum fuisse, si licuisset, dicit, quoniam perspicuum sit, eos id, quod iudicarint, nulla certa ratione iudicasse.

In eadem oratione c. 26, 70 Staienus ita secum loqui fingitur: *Ego dem iudicibus? Mihi ipsi igitur præter periculum et infamiam quid quæretur? Nihil excogitem, quamobrem Oppianicum damnari necesse sit? quid tandem? nihil enim est, quod fieri non possit? Si quis eum forte casus ex periculo eripuerit, nonne reddendum est?* Neque, *quid tandem* excogitandum sit, hoc loco apte quæritur, neque, quo spectent ista: *nihil enim est* cet., apparet; neque enim tam improbabile erat, Oppianicum damnatum iri, ut de eo tanta cum dubitatione Staienus loqueretur, nec rursus (si quis eam putat sententiam esse) omne Oppianici opprimendi consilium, quale demum cunque esset, successurum esse dici poterat. Tum nimis abrupte illa adiecta sunt: *Si quis* cet. Scribendum est: *Quid tandem (nihil enim est, quod fieri non possit), si quis eum forte casus* cet.? Iam verba interiecta ad liberationem Oppianici referuntur et magna arte a Cicerone posita sunt. Quum enim is per totam
358 orationem Oppianicum nocentissimum fuisse contendat et iure damnatum, non pecunia oppressum, potest obiici, nullam causam fuisse Staieno, cur, quod Cicero factum dicit, pecunia interversa iudicum animos in Oppianicum inflammaret, cuius de damnatione nulla fuerit dubitatio. Itaque Cicero ipsum Staienum respondentem inducit: „Nihil est, quod fieri non

possit; itaque etiam Oppianicus liberari potest; plane igitur hominem perdamus."

Persæpe mala hac sententiarum distinctione obscuratur earum particularum ratio, quæ bis positæ inter se connectuntur, maximeque hoc fit, ubi paulo liberius vagatur oratio, mutata nonnihil in altero membro structura.[1]) Quam facile in his minutiis erretur, perspici potest in Quintiliani libro X c. 1, 24, ubi in his verbis: *Et Pollio et Messala defenderunt eosdem*, Spaldingius *et* — *et* pro *tam* — *quam* dictum suspicatur, nec Frotscherus dissentit. At quid apertius quam prius *et* referri ad ea, quæ præcedunt et sequuntur, orationemque sic esse continuandam: *Nam de domo Ciceronis dixit Calidius, et pro Milone —, et Pollio et Messala defenderunt eosdem, et nobis pueris* cet. In eiusdem scriptoris libro XI, 3, 7 Spaldingius scribendum suspicatur: *etiam M. Cicero*; sed *et* refertur ad ea, quæ præcedunt: *et Demosthenes*. In libro XII, 10, 27 in his verbis: *quando et iucundissimas* particulam *et* Buttmannus *ἀνανταπόδοτον* esse putat; adest tamen, quæ ad hanc referatur, altera in § 28: *et velut in locum earum succedent tristes*; illa autem: *quod quum contingit* usque ad *efficient* interiecta sunt et parenthesis notis concludenda; certe ne, quod vulgo fit, coniungamus *efficient et succedent*, ipsa sententia prohibet; 359 unde etiam illud apparet, pro *succedent* aut ex nonnullis codicibus et veteribus editionibus revocandum esse *succedunt* aut, quod multo præstat, ex *succedere*, quod tres antiquissimi libri habent, faciendum esse *successere*. Ante multa enim sæcula litteræ *f, v, q* a Latinis receptæ erant et in locum Græcarum dulciorum successerant.

Maiores turbas neglecta distinctio movit in Quintiliani libro XI, 3, 40, quem locum quum priores interpretes secure transissent, Spaldingium sententiæ pravitas non fefellit; sed quæ is disputavit, iis facile carebimus, si ita interpunxerimus: *Ornata est pronuntiatio, cui suffragatur vox facilis, magna, beata, flexibilis, firma, dulcis, durabilis, clara, pura, secans aera et auribus sedens (est enim quædam ad auditum accommodata non magnitudine, sed proprietate), ad hoc velut tractabilis* cet. Verbis

---

[1]) [Dixi postea de hac re in excursu primo Ciceronis libris de finibus bonorum adiecto; itaque hic plura sustuli. A. 1842.]

illis, quæ a ceteris separavimus, Quintilianus indicat, cur a magna et beata voce seiunxerit claram, puram, aera secantem et auribus sedentem; esse enim genus quoddam vocis, quod non tam magnitudine quam proprietate excellens auribus se insinuet et hæreat; deinde ceteras vocis virtutes enumerare pergit. Tam ad speciem parva res obstitit, ne vir egregius verum videret. Apud Rutilium Lupum p. 112 Ruhnk. hæc e Lysiæ oratione aliqua translata leguntur: *Quæres a me, quo iure obtinere possim, quo iure mihi Polyænus reliquit, prætor dedit possessionem.* In his Ruhnkenius notari iubet coniunctivi et indicativi coniunctionem in interrogatione pendenti eodemque exemplo usus est Huschkius ad Tibull. I, 7, 22 p. 195 [postea alii. 1842]. Vellem, certius exemplum posuissent, si modo id reperiri poterat; Rutilii locus sic interpungendus est:
360 *Quæres a me, quo iure obtinere possim. Quo iure mihi Polyænus reliquit, prætor dedit possessionem.* Respondetur cum refutatione.

C. Coniecturæ de locis aliquot Livii.[1])

Lib. XXI, 10. In oratione, qua Hanno Carthaginiensium senatum a bello deterruisse et ad Hannibalem Romanis dedendum exhortatus esse traditur, hæc de priore bello cum Romanis gesto posita sunt: *Nec puer hic dux erat, sed pater ipse Hamilcar, Mars alter, ut isti volunt; sed tunc Tarento atque Italia non abstinueramus ex fœdere, sicut nunc Sagunto non abstinemus. Vicerunt ergo dii hominesque, et, id de quo verbis ambigebatur, uter populus fœdus rupisset, eventus belli, velut æquus iudex, unde ius stabat, ei victoriam dedit.* In his, præterquam quod obiectum verbi *vicerunt* dure omissum est, non assequor, quid illa *dii hominesque* significent; alibi enim hæc coniuncta indicant magno consensu ab omnibus aliquid actum esse, cui significationi hic locus non est. Argutius aliquid hic a Livio scriptum esse, plane mihi persuadeo, et frequentatam Livio illorum vocabulorum copulationem a librario in locum non suum illatam. Significat enim orator, Pœnos

---

[1]) [Ex Seebodii Tabul. Novo Philologiæ a. 1829 n. 32. Scriptæ a. 1827 aut 1828.]

fœdifragos non tam contra Romanos bellum illud gessisse quam contra deos fœderum ultores; itaque scribendum videtur: *Vicerunt ergo dii homines, et* cet.

Lib. XXII, 38. *Nam ad eam diem nihil præter sacramentum fuerat, et, ubi ad decuriatum aut centuriatum convenissent, sua voluntate ipsi inter se equites decuriati, centuriati pedites coniurabant, sese fugæ atque formidinis ergo non abituros* cet. Substantiva ista *decuriatus* et *centuriatus* inepta esse, 361
quum alii, tum Dukerus et Walchius viderunt; alterum hoc uno loco legitur; utrumque quum propter analogiam tum propter usum (in *centuriatus* nomine) remotum est ab ea significatione, quam recentiores, velut Schellerus, subiiciunt, ut Dukeri reprehensionem vitent; quid, quod ne sic quidem recte diceretur *convenire ad decuriatum*? Itaque Walchius (Emendatt. Livv. p. 179) delendam esse præpositionem statuit, ut supina passive intelligerentur, eamque sententiam Baumgarten-Crusius probavit. Sed hic supini usus uno, quod quidem recte advocatum sit, Martialis exemplo defenditur, qui post eundi verbum hoc sibi permisit versus facile efficiendi causa; Livium ita scribere potuisse, multum abest, ut illa auctoritate evincatur; neque negligendus est consensus codicum in præpositione retinenda. Mendum ortum esse videtur e scribendi compendio, de quo Drakenborchius egit ad Liv. XXXV, 33 § 8 et post eum Ruhnkenius ad Vell. Paterc. II, 29. Scriptum enim sine dubio fuit *ad decuriādum aut centuriādum* idque facillimo errore in eam scripturam transiit, quæ nunc est in libris. Recte autem Livius ita dixit pro eo, quod est: *ut decuriarentur aut centuriarentur*, quem gerundii usum idoneis exemplis Ruddimannus confirmavit Institt. II p. 255 ed. Lips. (Add. Cic. Act. in Verr. I, 18, 54, Corn. Nep. Att. 9.)[1] Idem scribendi error, vereor, ne alterum Livii locum, qui est in libro XXVI c. 2, corruperit, ubi verius videtur: *sollemne auspicandorum comitiorum* quam quod vulgo legitur, *auspicatorum*.

---

[1]) [Add. Liv. XLV, 15, Lucret. II, 551, in quibus locis genitivus est: nam in hoc casu facillime ea efficitur figura, qua gerundium, natura activum, passive significet. Cfr. quæ dixi ad Cic. Fin. I § 69 p. 128 sqq. A. 1842.]

362 Lib. XXV. 4. Exposita oratione consulum de vi atque audacia publicanorum, qui concilium plebis disiecerant, hæc Livius subiicit: *Hæc quum ab optimo quoque pro atrocitate rei acta essent vimque eam contra rem publicam et pernicioso exemplo factam senatus decresset, confestim Carvilii tribuni plebis — rei capitalis diem Postumio dixerunt.* In his verbis solos video Ursinum et I. Fr. Gronovium difficultatis aliquid sensisse, quanquam ne hi quidem exposuerunt, cur pro eo, quod est *acta*, reponendum censerent *iacta*; ceteri nihil annotant. Est autem certe aliquid hic vitiosi. Pronomen enim *hæc* nulla ratione referri alio potest nisi ad consulum orationem proxime præcedentem; ea autem quomodo ab aliis *agi* potuit? Neque optimus quisque videtur eam rem orando peregisse, de qua Livius non significat controversiam fuisse. Maxime autem vulgatam scripturam evertit, quod in ea sententiarum ordo et nexus non constat. Nam et ipsum pronomen *hæc* subiectum orationi consulum et quæ adiecta sunt: *vimque eam — senatus decresset*, satis declarant, Livium non exponere, quid senatores dixerint, sed quæ fuerit vis orationis et relationis consulum, quis effectus. Facile iam reperietur corrupti vocabuli emendatio; nihil non aptissimum erit, si reposueris: *pro atrocitate rei accepta essent.* Commoti sunt senatorum animi, ut in tam indigna re fieri necesse erat. *Acceptus* et *actus* non raro permutantur; ut Liv. XXX, 33, 1 multi codices pro *accepti* habent *acti*. [Cfr. XXVII, 20, 8.]

Lib. XXV, 30. *Neque ullis minus præsidii aut pertinaciæ ad manendum quam transfugis fuit.* Ad huius loci veram scripturam ipsorum codicum vestigia ducunt; eam enim, quæ nunc est in editionibus, mendosam esse, usus loquendi osten-
363 dit. Quum enim dicitur *nullis minus præsidii esse quam transfugis*, aut nihil significatur aut hoc, transfugas omnium maxime periculis obiectos esse neque ullo præsidio defendi; quod quid sit hoc loco et quomodo ceteris, quæ adiuncta sunt, conveniat, nemo facile dixerit. Si id significari debet, parum præsidii transfugas urbi attulisse, necessario dicendum est *in transfugis*, ut III, 45 scriptum est: *ita in ea firmum libertati fore præsidium.* Iam quum Drakenborchius decem codices enumeret, in quibus scriptum sit: *quam in transfugis*, inter quos est optimus ille Florentinus, unus etiam *in ullis* præbeat, quid est, cur

restituere dubitemus: *neque in ullis minus præsidii — quam in transfugis fuit*? In codicibus præpositionem non a librariis additam esse, res ipsa demonstrat; illi enim utroque loco eam addidissent; sed quum casu priore loco excidisset, posteriore tamen in multis codicibus servata est.

Lib. XXXII, 5. *Et cum Achæis quidem per hæc societatem* (Philippus rex) *firmabat; Macedonum animos quum Heracliden amicum maximæ invidiæ sibi esse cerneret, multis criminibus oneratum in vincula coniecit ingenti popularium gaudio.* Hæc est codicis Bambergensis scriptura, ad quam ceteri codices proxime accedunt; habent enim: *cum Heraclide nam quum maximæ* cet. Locum mutilatum quomodo priores editores interpolaverint, non referam, quoniam verba spuria a Baumgarten-Crusio [et Bekkero] recte eiecta neminem revocaturum esse arbitror. Unus Iacobsius viderat, in corruptis istis *nam quum* latere *amicum*, quam coniecturam codex Bambergensis confirmavit. Ipse autem Baumgarten-Crusius ad orationem explendam et coniungendam ante *amicum* interposuit *quem*, ita ut ad *animos* repetatur *firmabat*; in nota autem mavult pro *amicum* scribi *ut quem* (deleto altero *quem*, quod in textu posuit).
Multa tamen obstant, quominus hac coniectura locum restitutum 364
putem. Nam primum *amicum* mutari nullo modo potest, neque quicquam ante hanc vocem inseri, quum et ipsi Heraclidis nomini hoc vocabulum subiiciendum fuerit, ut significaretur, qualis homo fuisset, et mendi origo in his verbis apertissima sit. Librarii enim *cum* ante *Heracliden* præpositionem esse rati, scripserunt *cum Heraclide*; sic littera *n* ad proxima tracta ex *amicum* effecit *nam cum*, deinde *nam quum*. Sed his missis, videamus, quid statuendum sit de illa repetitione verbi *firmabat*. Id primum alio tempore repetendum erit; nam de hac una actione dicendum erat: *firmavit, quum — coniecit*; deinde paulo alio significatu; aliter enim *societas firmari* dicitur, aliter *animi*; ipsa præterea hæc brevitas loquendi: *Macedonum animos, quum* cet. nec auribus grata nec Liviana esse videtur; adiecisset certe *autem*. Unum addam, non abesse tautologiæ vitium, si initium sententiæ sit: *firmavit animos*, finis autem hic: *ingenti popularium gaudio*. Quid igitur? Ut vera scriptura et simul erroris origo reperiatur, propius accedendum est ad codicum vestigia. Equidem Livium scripsisse puto: *Et cum*

Achæis quidem per hæc societatem firmabat; ad Macedonum animos quum Heracliden amicum maximæ invidiæ sibi esse cerneret, multis criminibus oneratum in vincula coniecit, i. p. g. Ad codicum scripturam addidi *ad*, quod quam facile post *at* (*firmabat*) excidere potuerit, apparet. Usus quidem præpositionis plane et Latinus et Livianus est. XXIV, 32: *Ad militare genus omne partemque magnam plebis invisum esse nomen Romanum*; III, 31: *Invidiæ tamen res ad exercitum fuit.* Cicero ad Att. VIII, 3, 6: *Invidiosum ad bonos.*[1])

365 Lib. XXXIII, 47. Narrat Livius, Hannibalem, quum magnam partem vectigalium a rei publicæ usu ad privatorum commoda averti videret, peculatum sustulisse residuasque pecunias a nobilibus acerbe exegisse. Tum addit: *Tum vero isti, quos paverat per aliquot annos publicus peculatus, velut bonis ereptis, non furto eorum manibus extorto, infensi et irati Romanos in Hannibalem, et ipsos causam odii quærentes, instigabant.* Ad hæc verba nihil annotari a recentissimis editoribus, valde miror. Nam et per se improbanda quædam hic sunt et librorum duorum, quos hic solos habemus, scriptura ostendit, non recte hæc edi. Pronomen *eorum* quum languet admodum, tum, si pronomen addere Livio placuisset, ponendum certe erat *suo*. Sed et editio Moguntina et codex Bambergensis habent: *non furtorum manibus extortis*; vulgatæ scripturæ Frobenius auctor est. Facile autem ad illa codicum vestigia attendenti persuadebo, scribendum esse pæne nulla mutatione facta: *velut bonis ereptis, non furtorum manubiis extortis.* Furtorum *manubiæ* dicuntur ut alibi præda; satis erit ipsum Livium auctorem laudasse, qui XXIX, 8 scripsit: *qui cum magno piaculo sacrilegii sui manubias rettulit.* Non addito genitivo id vocabulum eodem significatu positum legitur apud Ciceronem in Verr. I, 59, 154: *qui manubias sibi tantas ex L. Metelli manubiis fecerit*, et paulo post 60, 157: *spolia domum suam referre et manubias detrahere.*

---

[1]) [Aliorum conatus huius loci emendandi exposuit Kreyssigius (a. 1839) in editione libri XXXIII p. 160 sqq. Verum nemo attigit; vero propinquam viam unus instituit I. Bekkerus, cui utinam Kreyssigius, ipse optime de Livio meritus, in illo volumine minus obtrectasset. Remota enim interpolatione lacunam indicavit, nec tamen recto loco. 1842.]

Add. pro Sext. Rosc. Am. 37, 108. In codicibus antiquissimis sæpe *manibiæ, manibiis* legitur.[1])

Lib. XXXIII, 48. *Quantum res et tempus patiebantur, apparatæ celebratæque eius diei epulæ sunt.* Cod. Bamberg. *Quanto res et tempus patiebantur adparatu celebratæque.* Deleto *que*, veram scripturam habebimus: *Quanto res et tempus patiebantur, apparatu celebratæ eius d. ep. sunt.*[2]) 366

Lib. XXXIII, 15.[3]) Describitur Androsthenis, ducis Macedonis, qui ad Nemeam amnem inter Corinthum et Sicyonem castra habebat, magnamque militum partem prædatum dimiserat, trepidatio, quum castris appropinquaret Nicostratus, Achæorum prætor: *Trepidare dux, ut qui hostes nusquam nisi raro in collibus ante Sicyonem, non audentes agmen demittere in campos, vidisset, ad Cleonas quidem accessuros nunquam credidisset.* Atqui ne nunc quidem ad Cleonas accedebant, sed ad Nemeam, ubi Androsthenes sedebat. Cleonis Nicostratus fuerat, quumque eo nuntius de militibus Androsthenis palatis per agros allatus esset, inde Nemeam versus profectus est. In codice Bambergensi scriptum est: *ad Cleonis.* Quis non videt, scribendum fuisse: *a Cleonis*? Ceterum ut hoc certissimum est, ita non multo minus certum est, cum Dukero scribendum esse *raros.* Quam sæpe Androsthenes hostes vidisset, nihil ad rem erat.

Lib. XXXIII, 31: *Identidem Quinctius, liberandam omnem Græciam, si Ætolorum linguas retundere, si veram caritatem, maiestatem apud omnes nominis Romani vellent esse.* Incommodissimam esse et intolerabilem asyndeti figuram in verbis *caritatem, maiestatem* omnes, opinor, sentient, nisi qui nullam 367

---

1) [Kreyssigius, huius emendationis ignarus, interpolationem tenuit et probavit. 1842.]

2) [Ita Kreyssigius edidit. 1842.]

3) [Hæc et proxima nunc demum addidi, ne exiguas has symbolas ante multos annos propositas, sed ita propositas, ut paucis innotuisse videantur, nunc sine adiectione repeterem. Sed ne infinita materia esset (ex qua tamen non pauca delibavi quum in prioribus opusculis et in his alibi, tum in editione Ciceronis librorum de finibus), ex eodem libro, cuius duorum locorum emendationes proxime præcedebant, tres alios adiunxi, quum præsertim is nuper a Kreyssigio diligentissime pertractatus esset. 1842.]

omnino eius figuræ adhibendæ condicionem esse credent. Itaque Kreyssigius (in editione huius libri) e codice Bambergensi scripsit: *caritatem et maiestatem.* Sed aliam pravitatem non animadvertit, quæ vel sic in his verbis hæret. Nam caritas Romani nominis, si Græciam Romani non liberarent, nulla vera futura erat, sed tantum simulata eius species; maiestas nihil inde detrimenti captura erat neque eius veritas in hac re ullo modo agebatur. Itaque a codice Bambergensi, qui mendum particulæ adiectione occultat, redeundum est hoc loco ad Moguntinam scripturam exque ea hæc efficienda: *si vera caritate maiestatem apud omnes nominis Romani vellent esse*, hoc est, si vero amore maiestatem Romanam coli vellent. Livius I, 54: *Apud milites vero* (Sex. Tarquinius) *tanta caritate esse, ut non pater Tarquinius potentior Romæ quam filius Gabiis esset.* Quam facile ablativus in accusativum propter proximum *maiestatem* transire potuerit, apparet.

Lib. XXXIII, 32. Commemoratur habitus animorum et exspectatio ante ludos Isthmios, quibus T. Quinctius Græciam liberam pronuntiavit. Hic locus ante nostram ætatem fractus et mancus edebatur hoc modo: *Sed exspectatione erecti, qui deinde status futurus Græciæ, quæ sua fortuna esset: alii non taciti solum opinabantur, sed sermonibus etiam serebant. Romani ad spectaculum consederunt.* Explevit orationem et sententiam codex Bambergensis; sed quum in eo verba, ut fit in codicibus, prave distincta essent, nemo ex iis, qui post Gœllerum
368 hunc librum tractarunt, vera interpunctione reperta locum expedivit. Facile enim et legitime decurret oratio sic ordinata, nulla littera mutata in codicis scriptura: *alii alia, non taciti solum opinabantur, sed sermonibus etiam ferebant, Romanos facturos. Vix cuiquam persuadebatur, Græcia omni cessuros.* (Alii alia Romanos facturos partim opinabantur, partim etiam loquebantur; in hac tamen opinionum et sermonum de consiliis Romanorum varietate vix quisquam credebat, omni eos Græcia cessuros.) Bekkerus ipsa verba male distincta retinuit; Iacobsius et Kreyssigius eosque secuti alii sic mutarunt: *alii alia — ferebant. Romanos victores vix cuiquam* cet. Apparet (ne quid dubitationis relinquatur, quin coniectura aberrarint), verba *vix cuiquam*, quæ referuntur ad illa *alii alia*, primum sententiæ locum tenere debere.

D. Ciceronis oratio pro Murena aliquot locis evidenter emendata.[1])

Ciceronis pro L. Murena orationem ad nos pertulerunt codices non ita antiqui quique communem originem mendorum multorum notabiliumque communione ostendant. Eorum mendorum magna pars ex eo genere est, quæ librario indocto, ceterum propositum exemplar satis diligenter persequenti antiquioris scripturæ ductus obscuriores, vocum scribendarum ratio ipsi inusitata verbaque parum intellecta ita obiiciunt, ut, modo nulla accesserit interpolatio, ex litteris fragmentisque verborum ad speciem mire distractis tamen omnia diligenter rimando et simul ad formam orationis attendendo verum certissima ratione eruatur. Sed ea vestigia, quæ persequenda sunt, sæpe aut in 369
uno iam et altero codice aut ab ipsis primis editoribus inconsiderate occultata sunt, inducta aliqua tolerabilis sententiæ et orationis specie, ut ea prius removenda sit, quam in veri investigatione progredi possis, in quo genere insignes et præclaræ sunt eæ, quas Niebuhrius locorum aliquot fecit emendationes, velut illa in c. 11, 25, ubi pro eo, quod male interpolatum erat, *notas quasdam*, e codicum vestigiis (*ueroacœdam* et similibus) restituit *verba quædam*. Interdum tamen in illo codice, ex quo nostri orti sunt, depravatio longius progressa est, litteris non solum divulsis et singulatim perturbatis, sed etiam propter similitudinem omissis, quas tamen, hac ipsa similitudine animadversa, retrahere possis; tum in ipso illo codice quidam corrupta corrigendi et explendi conatus non valde artificiosi apparent. Illi loci desperandi (nisi quod forma universa indicari potest) et infelici signo notandi, in quibus plura verba librarius propter similitudinem aliasve causas omisit, ut c. 4, 8: *Nam quum præmia mihi tanta pro hac industria sint data, quanta antea nemini, † s i c e t s i ceperis eos, quum adeptus sis, deponere esset hominis et astuti et ingrati* (editur: *labores, per quos ea ceperis*, omisso *eos*)[2]) et c. 39, 85. Nunc locos aliquot,

---

[1]) [Hæc quoque nunc addidi, ut tenuitatem iuvenilium copiolarum aliquo modo redimerem. A. 1842.]

[2]) [Cfr. nunc Adv. Crit. vol. III p. 131 n.]

quorum menda illis, quæ diximus, vestigiis persequendis et reperiri et tolli possunt, ad veram formam revocabimus.

C. 2, 4: *Ac si — patronus huic causæ publice constitueretur, is potissime honore affecto defensor daretur, qui eodem honore præditus non minus afferret ad dicendum auctoritatis quam facultatis.* Primum *potissime* pro *potissimum* neque Cicero alibi usquam dixit neque quisquam huius ætatis scriptor; unus Celsus Ciceroni eius auctor adiungitur. Deinde *honore affectus* nimis infinite dicitur neque ad Murenam, consulem designatum,
370 apte neque ad id, quod sequitur: *eodem honore præditus*; et huic quidem satisfacere poterat *aliquo honore*; sed *hæc causa* et Murenæ persona amplissimi honoris significationem postulat, isque unus *auctoritatem* eam affert, quæ nominatur. Iam in codicibus (Oxoniensibus quinque ex sex et Steinmetzii quattuor, edit. Veneta a. 1472) scriptum est *potissimo*. (In silentio Gruteri nihil esse contrariæ auctoritatis, puto aliquando omnes didicisse.) Apparet, Ciceronem scripsisse: *is potissumum summo honore affecto* cet., librarium ex *POTISSUMUMSUMMO* effecisse *POTISSUMO*. (Klotzius codices secutus et adverbium, quo carere non possumus, eripuit et novam prorsus consulatus appellationem nobis creavit.)

C. 11, 25 in notissimo loco de C. Flavio sic editur: *et ab ipsis cautis iureconsultis eorum sapientiam compilarit.* In his verbis tria offendunt, ad speciem parva, sed quæ ei, qui diligenter orationis et sententiæ formam naturalemque legem considerabit, certissimi documenti vim habere videantur; primum hoc totum *ab ipsis cautis iureconsultis* sic dicitur, tanquam, aliis generibus hominum significatis, oratio comparatione adscendat ad iureconsultos nondum nominatos; verum omnis hic locus de solis iurisconsultis est; deinde hæc coniunctio pronominis *ipse* cum adiectivo communem aliquam laudem reprehensionemve continenti Latina non est (ut pro eo, quod est: *etiam Plato, sapientissimus homo*, dicatur: *ipsi sapientissimus Plato*)[1]); postremo genitivus *eorum* prave vocabulo *sapientiam* præpositus est. Videamus iam codices. In iis non *cautis* scribitur, sed *causis* (Oxx. quinque ex sex, Bavv. et Pariss. Steinmetzii);

---

[1]) Aliter longe *ipse* pronomen adiungitur adiectivo, quod genus aliquod certum definit (*ipsi primi editores*).

hæc igitur prima mendi sedes est, cui deinde iam in ipso 371 codice archetypo aliud adiunctum erat; nam Cicero scripserat: *ab ipsis capsis iureconsulorum sapientiam compilarit.* In capsis iureconsulti causarumque patroni libellos, tabulas, instrumenta negotiorum et causarum condita servabant; ab his ipsis iurisconsultorum capsis non satis custoditis astutum hominem sapientiam eorum compilasse, Cicero dicit, lepida utens imagine. (Cic. Divin. in Cæc. 16, 51: *Mihi quam multis custodibus opus erit, si te semel ad meas capsas admisero?*)[1])

C. 14, 31. Asiatica bella non comtemnenda esse, Cicero maiorum iudiciis comprobat, maxime exemplo belli Antiochici: *cuius belli victor L. Scipio, parta cum Publio fratre gloria, quam laudem ille, Africa oppressa, cognomine ipso præ se ferebat, eandem hic sibi ex Asiæ nomine sumpsit.* Neque partam esse gloriam opus erat dicere neque, quocum eam L. Scipio peperisset, quicquam ad rem sententiamque pertinebat. Sed hic quoque codices aliud subesse monstrant; nam in omnibus (Palatinis, Oxx.. Parr., Steinmetzii) scriptum est: *L. Scipio, si qua parta cum P. fratre gloria.* Scribendum est: *L. Scipio, æquiparata cum P. fratre gloria, quam laudem ille* cet. Iam omnia apta sunt sententiaque cohæret. L. Scipio suam ex bello Asiatico gloriam fratris ex Africano gloria non inferiorem putans eodem cognominis splendore ornari voluit. Æquiparandi verbum eodem modo Cicero hic posuit, quo in Verr. lib. I, 8, 21 æquandi: *vix cum huius parva parte æquari conferrique* 372 *posse.* Brevitas illa orationis in comparandi verbis (*æquiparare gloriam cum P. fratre* pro eo, quod est: *cum P. fratris gloria*) notior est quam ut commemorari debeat. (Klotzius hic quoque ipsum codicum mendum probavit.)

C. 40, 86. *Quæ quum ita sint, iudices, primum rei publicæ causa — vos — moneo — hortor — obtestor, ut otio, ut paci, ut saluti, ut vitæ vestræ et ceterorum civium consulatis; deinde ego fidem vestram, vel defensoris et amici officio adduc-*

---

[1]) Paulo ante scribendum esse cum parte codicum *singulis diebus ediscendis*, manifestissimum est. Flavius non semel descripsisse fastos dicitur, sed singulos dies fastos nefastosque, qui ederentur, sensim notasse edidicisseque; sic quum omnes notasset, fastos proposuisse, non ediscendos populo, sed e quibus, quoties quis vellet, dierum discrimina cognosceret.

tus, oro atque obsecro, iudices, ut ne hominis miseri — recentem gratulationem nova lamentatione obruatis. In his vitiosum primum illud est: *fidem vestram oro atque obsecro*; nam *fidem alicuius obsecrare* Plautus dixit, *fidem alicuius orare* (pro eo, quod est *implorare*) nemo dixit; homines ipsos oramus obsecramusque. Deinde pronomen *ego* in altero membro (*deinde ego*), quod in priore non est, prorsus putide et vitiose ita ponitur, quasi oppositio aliqua personarum sit. De particula ineptissima *vel* nihil dico, quæ tolli potest ceteris servatis. Sed si quis his mendi indiciis restiterit, codicum testimonio non resistet, si modo in his rebus aliquid intelliget; eorum alii (Pall., Ox. unus, Manutianus item unus) habent: *fide in vos* (Ox. unus: *fides in vos*), alii (Oxx. tres, Parisiensis unus): *fidem vel* (Par. unus: *fidem ul'*, Guelf. *fidem ve*); paucissimi (Ox. unus, Par. unus, Manutii unus), retento *vel*, addunt *vestram* (*fidem vestram vel*). Cicero scripserat: *deinde ego idem vos, defensoris et amici officio adductus, oro* cet. Aptissimum iam est pronomen *ego*, addito altero *idem*, ut in eadem persona transitus ad aliam rem significetur, a re publica ad Murenæ ipsius personam.

Dixi alibi sæpius, artis esse in hoc genere scire, quid certo
373 emendare possis, quid mendi convincere nec tamen corrigere, nisi quod interpolationis sublatio emendationis initium est. Itaque his, quos emendare potui, locis quintum addam ex hoc minus læto genere. Nam c. 24, 49 editur nunc ab omnibus, ne varietate quidem ulla apud Orellium aut Steinmetzium annotata: *Etenim te inquirere videbant, tristem ipsum, mæstos amicos; observationes, testificationes, seductiones testium, secessionem subscriptorum animadvertebant; quibus rebus certe ipsi candidatorum vultus obscuriores videri solent.* Vultus candidatorum his rebus, quæ enumerantur, neque tristes fiunt neque *videntur*; sed et ex his rebus et ex vultus tristitia, quæ ipsa per se animadvertitur, non aliunde coniectatur, suspicio capitur spei imminutæ. Itaque sententia perversa est, neque minus oratio; nam *obscurus* vultus pro tristi ac demisso neque dicitur neque dici potest; si diceretur, significaretur is vultus, qui animi consilia non proderet. Verum horum vultuum in codicibus nullum minimum vestigium est, sed ita verba scribuntur: *certe ipsi candidatorum obscurior ei* (sic 5 Oxx., e sexto ad

obscuriores nihil est notatum) *videri solet* (4, e duobus nihil notatum ad *solent*). Idem quin in Gruteri Steinmetziique codicibus fuerit, nulla est dubitatio.[1])

E. Emendationes per saturam.[2])

Friderico G. Schneidewin Io. Nicolaus Madvig S.[3])

Quum ante aliquot menses, percursis celeriter Germaniæ, quam antea nunquam videram, aliquot regionibus, etiam Gottingam venissem ibique a te, vir clarissime, collegisque tuis et philologis et aliis perhumaniter exceptus diem iucundissimum agerem, convenit inter nos, ut, quum domum redissem, aliquid mitterem, quod Philologo tuo inseri posset. Id promissum exsolvere valde cupio. Sed cetera, de quibus tum cogitabam, longius postulant tempus et aliquid otii, quod mihi rarum et exiguum contingit; interim, quoniam inter maiores commentationes loci aliquid destinasti etiam iis, quæ breviter et sparsim de veterum scriptorum locis aut emendandis aut interpretandis admonerentur disputarenturque, huiusmodi quædam ex adversariis excerpere et ad te mittere decrevi, quibus tu, si velles, uterere. Eorum partim ad Græcos scriptores pertinent, partim ad Latinos. Ex Græcis nunc quædam selegi ante annos haud paucos a me emendata, quorum me edendorum vix aliam habiturum opportunitatem videbam, non displicituram tibi materiam ratus, qui ipse in Græcæ poesis reliquiis etiam minutis tanto studio successuque elaborasses. Inter fragmenta a me emendata si quod posui his proximis annis ab aliis eodem modo emendatum, ignoscetur, opinor, homini in aliis studiorum nostrorum partibus sæpius diutiusque occupato. E Latinis in

---

[1]) [Scribendum esse: *quibus rebus cretæ ipsæ candidatorum obscuriores videri solent*, dixi Adv. Crit. vol. III p. 131 sqq.]

[1]) Licet, opinor, imitari Pescennium scriptorem, cuius erant libri historiarum per saturam.

[2]) [Ex Philologi a F. G. Schneidewino editi vol. I p. 670–677 et vol. II p. 135—144. Hæ emendationes et quæ deinceps littera F notata subiiciuntur, in hac demum editione opusculis adiecta sunt.]

Quintiliani loco duobusque Ciceronis paulo plus spectasse me intelliges, quam ut hi soli loci recte scriberentur.

Haun. Nonis Novembribus a. MDCCCXLVI.

I. Fragmenta aliquot Sophoclis, Euripidis, Aristophanis.

a) Sophoclis ex Ἀχαιῶν συλλόγῳ (150 Dind.).

Scholiastes Pindari ad Isthm. II, 68: Τὸ γὰρ ἀπόνειμον ἀντὶ τοῦ ἀνάγνωθι. Σοφοκλῆς ἐν Ἀχαιῶν συλλόγῳ· Σὺ δ' ἐν θρόνοισι γραμμάτων πτυχὰς ἔχων ἀπόνειμον νέμει τίς οὐ πάρεστι, τίς ξυνώμοσεν· Quoniam ἀπόνειμον et νέμει non cohærent nec oratio recta aut sententia efficitur, Brunckius, interposito inter illa verba καὶ πάλιν, duo fragmenta efficiebat. Scribendum erat:

Σὺ δ' ἐν θρόνοισι γραμμάτων πτυχὰς ἔχων
ν ε μ ε ῖ ς, τίς οὐ πάρεστι, τίς ξυνώμοσεν.

Quum scholiastes cum verbo composito usum verbi simplicis apud Sophoclem comparasset, ipsum illud ἀπόνειμον in Sophoclis versum illatum est. Est autem νεμεῖς non ἀναγνώσῃ, sed *dinumerabis*, ut appareat, qui et quot in utraque parte sint.[1])

b) Eiusdem ex Lacænis (337 Dind.).

Priscianus XVIII vol. 2 p. 197 Krehl.: *Attici* ἄρχω τοῦδε καὶ τόδε, ἀντὶ τοῦ κατάρχω. *Sophocles* Λακαίναις:

Θεοῖς ἄρ' οὔποτ', εἴ τι χρὴ βροτὸν λέγειν,
ἄρξασι Φρυξὶ τὴν κατ' Ἀργείους ὕβριν
ξυναινῶ ταῦτα· μὴ μάχου βίᾳ.

Hæc mendosa esse, facile intelligitur; nam præterquam quod metrum in tertio versu fractum est, duplex dativus θεοῖς et Φρυξὶ cum verbo ξυναινῶ sic coniungi, ut sententia efficiatur, nequeunt. Sed in codice Monacensi, cuius auctoritas in Græcis apud Priscianum locis summa et prope sola est, scriptum est: ΞΥΝΑΙΝΕωΤΑΤΑΥΤΑ, ex quo hæc efficiuntur:

Θ ε ο ὶ γὰρ οὔποτ', εἴ τι χρὴ βροτὸν λέγειν,
ἄρξασι Φρυξὶ τὴν κατ' Ἀργείους ὕβριν
σ υ ν α ι ν έ σ ο ν τ α ι· ταῦτα μὴ μάχου βίᾳ.

---

[1]) Bergkius *De fragmm. Soph.* p. 8. νέμ' εἴ τις οὐ πάρεστιν ὃς ξυνώμοσεν, rectius, opinor. **F. G. S.**

Deos is, qui loquitur, negat unquam iniuriam a Phrygibus ultro Græcis illatam probaturos esse; non debere alterum in hac re obniti.[1])

c) Eiusdem ex Salmoneo, dramate satyrico (483 Dind.), apud Galenum:

Καὶ τάχ᾽ ἂν κεραυνίᾳ
πέμφιγι βροντῆς καὶ δυσοσμίαν λάβοι.

Cetera Porsonus recte (*κεραύνια Πέμφιξ σε*), non recte *δυσοσμίας*. Prave enim hæc cum *βροντῇ* coniungitur; in fulmine duæ res significantur, afflatus et odor:

Καὶ τάχ᾽ ἂν κεραυνία
πέμφιξ σε βροντῆς καὶ δυσοσμία λάβοι.

d) Euripidis ex Ægeo (11 Matth.), apud Stobæum:

Πτηνὰς διώκεις, ὦ τέκνον, τὰς ἐλπίδας,
οὐχ ἥ τύχη σε· τῆς τύχης δ᾽ οὐχ εἷς τρόπος.

Inane per se illud: *οὐχ ἥ τύχη σε διώκει*, nec sententia cum reliquis cohæret. Codices Stobæi *τύχη γε*. Scribendum igitur:

Πτηνὰς διώκεις, ὦ τέκνον, τὰς ἐλπίδας,
οὐκ ἠτύχηκε, τῆς τύχης δ᾽ οὐχ εἷς τρόπος.

„Non mala fortuna usus est (is, de quo agitur), etsi non eam fortunam, quam voluit, consecutus est; plures enim fortunæ sunt formæ.“

e) Eiusdem ex Bellerophonte (20 Matth.), apud Stobæum (v. 6 proximique longioris fragmenti):

Ὁ μὲν ζάπλουτος, εἰς γένος δ᾽ οὐκ εὐτυχὴς
ἀλγεῖ μὲν, ἀλγεῖ, παγκάλως δ᾽ ἀλγύνεται
ὄλβου διοίγων θάλαμον ἥδιστον χερί.

Multa in his vitiosa sunt, ipsa locutio *παγκάλως ἀλγύνεσθαι*, tum adscensus orationis permirus: *ἀλγεῖ, ἀλγεῖ, παγκάλως δ᾽ ἀλγύνεται*, deinde vero sententia non minus mira, *ὄλβου θάλαμον*, cum ape-

---

[1]) Confirmatur emendatio codicis præstantissimi Parisini scriptura a Presselio in *Revue de Philol.* I, 150 publicata. In eo enim ipsum *θεοὶ γὰρ* repertum est; v. 3. autem *ξυναινέσω τὰ ταῦτα*. In alia omnia abiit A. Schœllius *Beitraege* etc. p. 196. *F. G. S.*

riatur a domino, dolorem ei afferre. Quid requiratur, facile ex iis versibus intelligitur, quibus paulo post contraria persona et fortuna describitur, nobilitas cum paupertate coniuncta:

Ὅστις δὲ γαῦρον σπέρμα γενναῖόν τ' ἔχων
βίου σπανίζει, τῷ γένει μὲν εὐτυχεῖ,
πενίᾳ δ' ἐλάσσων ἐστὶν, ἐν δ' ἀλγύνεται.

Itaque superior ille generis humilitate dolet, divitiis animum consolatur efferturque, hoc est:

ἀλγεῖ μὲν, ἀλγεῖ, παγκάλως δ' ἁβρύνεται
ὄλβου διοίγων θάλαμον ἥδιστον χερί.

f) Eiusdem ex eadem fabula (21 Matth.), apud Iustinum Martyra:

Φησίν τις εἶναι δῆτ' ἐν οὐρανῷ θεούς;
Οὐκ εἰσίν, οὐκ εἴσ'. εἴ τις ἀνθρώπων λέγει,
μὴ τῷ παλαιῷ μωρὸς ὢν χρήσθω λόγῳ.
Σκέψασθε δ' αὐτά, μὴ 'πὶ τοῖς ἐμοῖς λόγοις
γνώμην ἔχοντες, κ. τ. λ.

Hæc si recte habent, huiusmodi sententia esse debet: „Si quis tamen affirmat deos esse, non antiqua fama stolide confidat (sed aliis utatur argumentis).“ Sed neque particula adversativa (*εἰ δέ τις*) abesse potest neque quicquam eiusmodi, quale significavi, subiicitur, sed hic terminatur sententia; itaque hæc condicio (*εἴ τις*) necessario adiungitur superioribus scribendumque est:

εἴ τις ἀνθρώπων θέλει
μὴ τῷ παλαιῷ μωρὸς ὢν χρῆσθαι λόγῳ.

Deinde autem non ipsam rem (*αὐτά*) homines considerare iubentur, sed ipsi considerare, non eius, qui hæc loquitur, orationi credere. Hoc est: *Σκέψασθε δ' αὐτοί.*

g) Eiusdem e Cretensibus (2 Matth.), apud Porphyrium de abstinentia IV, 19. Chorus Minoem versibus anapæstis alloquitur, quorum initium sic scribitur:

Φοινικογενοῦς παῖ τῆς Τυρίας
τέκνον Εὐρώπας καὶ τοῦ μεγάλου
Ζανός, ἀνάσσων
Κρήτης ἑκατομπτολιέθρου.

Male patriæ significationem geminari propriamque et vulgarem (*Τυρίας*) superaddi poeticæ (*Φοινικογενοῦς*), fuit, qui sentiret; parum tamen recte mutando ipsum Minoem Phœnicem faciebat (*Φοινικογενές*); sed mirum est, eundem non sensisse, etiam pravius hoc geminari: *παῖ Τυρίας τέκνον Εὐρώπας*, quo nihil perversius excogitari potest. Nam ne illud quidem in hac verborum serie et implicatione relinquitur, ut *τέκνον* per se tanquam compellatio iunioris accipiatur. Scripsit Euripides:

Φοινικογενοῦς τέκνον Εὐρώπας
καὶ τοῦ μεγάλου Ζανὸς ἀνάσσων
Κρήτης ἑκατομπτολιέθρου.

Quum ad *Φοινικογενοῦς* adscriptum esset *Τυρίας*, reliqua accesserunt ad numeros explendos.

h) Eiusdem ex Meleagro (13 Matth.). apud Stobæum:

Τερπνὸν τὸ φῶς μοι· τὸ δ' ὑπὸ γῆν Ἅιδου σκότος
οὐδ' εἰς ὄνειρον οὐδεὶς ἀνθρώπους μολεῖν.
Ἐγὼ μὲν οὖν, γεγῶσα τηλικήδ', ὅμως
ἀπέπτυσ' αὐτὸ κοὔποτ' εὔχομαι θανεῖν.

Alterum versum plures emendare conati sunt, nemo probabiliter. Videtur scribendum:

τὸ δ' ὑπὸ γῆν Ἅιδου σκότος
οὐδ' εἰς ὄνειρον οἶδεν ἀνθρώποις μολεῖν,

hoc est: ne per somnium quidem Orci tenebræ animo informari inque eum insinuari possunt; adeo sunt a nostro sensu alienæ et remotæ.[1])

i) Eiusdem ex Œdipo (7 Matth.), apud Stobæum:

Μεγάλη τυραννὶς ἀνδρὶ τέκνα καὶ γυνή.
Ἴσην γὰρ ἀνδρὶ συμφορὰν εἶναι λέγω
τέκνων θ' ἁμαρτεῖν καὶ πάτρας καὶ χρημάτων
ἀλόχου τε κεδνῆς· ὡς μόνων τῶν χρημάτων
ἢ κρεῖσσόν ἐστι τἀνδρὶ, σώφρον' ἂν λάβῃ.

---

[1]) A. Meinekius *Exercitt. philoll. in Athen. spec.* 2, p. 26, collato et. m. 803, 36. locum ita conformat: *Τὸ τερπνὸν ἐν φῷ, τὸ δὲ κάτω σκότος κακόν, Οὐδ' εἰς ὄνειρ' οὐδεὶς ἂν ἄνθρωπος μόλοι.* *F. G. S.*

Et in ἢ, quod in quinto versu legitur, et in neutro genere adiectivi viri docti iure hæserunt, quoniam in hac comparatione fieri nequit, ut prædicatum neglecto subiecti genere ad infinitam et incertam notionem neutri generis accommodetur. Sed merito Matthiæum offendebat etiam illud μόνων, cur *solæ* opes dicerentur, quærentem. Debuit paulo longius progredi, ut animadverteret *solam* uxorem reliquorum instar habere dici. Itaque hæc efficitur scriptura:

ὡς μόνης τῶν χρημάτων
τί κρεῖσσόν ἐστι τἀνδρὶ, σώφρον' ἂν λάβῃ;

Corruptum est μόνης propter proximum τῶν χρημάτων.[1])

k) Euripidis ex Œneo (4 Matth.), apud Erotianum:

Ἐγὼ δὲ πατρὸς αἷμ' ἐτιμωρησάμην
σὺν τοῖς ἐφηβήσασι τῶν ὀλωλότων.

Quæ sententia esse deberet, non fefellit Grotium, vertentem: *cum mortuorum filiis, qui adoleverant.* Sed hoc verba non significant, quoniam οἱ ἐφηβήσαντες τῶν ὀλωλότων nulli alii sunt nisi *mortuorum ii, qui adoleverunt.* Etiamsi verbum ἐφηβᾶν casu adscito significaret, cui patri suboles succresceret (quod non significat), dativus necessario adiungeretur, non genitivus, ut esset οἱ τοῖς ὀλωλόσιν ἐφηβήσαντες. Scripsit Euripides:

σὺν τοῖς ἐφ' ἥβης παισὶ τῶν ὀλωλότων.

Οἱ ἐφ' ἥβης παῖδες sunt filii iuvenili ætate constituti. (Aristoph. Equ. 524.)

l) Eiusdem ex Philocteta (13 Matth.) apud Stobæum:

Πατρὶς καλῶς πράσσουσα τὸν εὐτυχοῦντ' ἀεὶ
μείζω τίθησι, δυστυχοῦντα δ' ἀσθενῆ.

Ipsa forma sententiæ verborumque compositio ostendit καλῶς πρασσούσῃ πατρίδι contrariam poni debere δυστυχοῦσαν, ut ad μείζω refertur ἀσθενῆ. Si inter se referrentur εὐτυχοῦντα et δυστυχοῦντα, necessario requireretur articulus ante δυστυχοῦντα, ne quid de

---

[1]) Aliorum pericula vide apud F. G. Wagnerum *Eurip. fragmm.* p. 283 sqq. In Paris. A teste Presselio legitur μόνων, et μόνον volebat Musgravius. *F. G. S.*

sententia dicam, quæ perversa est, civitatem, si prospero successu utatur, infelicem infirmum reddere. Itaque recte in codice B scribitur *δυστυχοῦσα*. Iam hoc dici apparet, certi cuiusdam aut hominis aut hominum generis (cuius significatio inest in vocabulo *τὸν εὐτυχοῦντα*) opes a fortuna civitatis ita pendere, ut, ea florente, augeantur, minus prospera, minuantur. Atqui hoc falso de *τοῖς εὐτυχοῦσι* dici, perspicuum esset, etiamsi indicium non faceret anapæstus in quarta sede. Illa vera est sententia, in eum, qui civitati præsit, ita vulgo animos civium affectos esse, ut, quamdiu res ex voto succedant, libenter omnia ei permittant, si secus quid acciderit, de potestate eius detrahant. Itaque pro participio *εὐτυχοῦντα* substituendum est participium post elisionem dissyllabum, a consona incipiens (ut *τόν* producatur), aut trissyllabum a vocali brevi ordiens, quod ducem et præfectum civitatis significet:

Πατρὶς καλῶς πράσσουσα τὸν κρατοῦντ' ἀεὶ
μείζω τίθησι, δυστυχοῦσα δ' ἀσθενῆ.

Non litterarum similitudine nec oculorum errore, sed animi oblivione substitutum *εὐτυχοῦντα* traxit (in altero codice) etiam *δυστυχοῦντα*.

m) Eiusdem e Phœnice (1 Matth.), apud Stobæum:

Μοχθηρόν ἐστιν ἀνδρὶ πρεσβύτῃ τέκνα
δίδωσιν ὅστις οὐκέθ' ὡραῖος γαμεῖ·
δέσποινα γὰρ γέροντι νυμφίῳ γυνή.

Coniungenda hæc esse: *ἀνδρὶ πρεσβύτῃ, ὅστις — γαμεῖ*, vel grammatica ratio declarat et pronominis *ὅστις* locus. De matrimonio senis, non de liberis eius agi, tertius versus ostendit; nec quisquam *τέκνα δίδωσιν ἀνδρὶ πρεσβύτῃ*, nisi forte adulterum scurriliter significari volumus. Apparet, *τέκνα* vocativi esse casus, in *δίδωσιν* latere substantivum, quod subiectum sit sententiæ, idque *matrimonii* notionem continere debere. Mihi tale nomen circumspicienti unum se obtulit, ut Euripidem sic scripsisse suspicarer:

Μοχθηρόν ἐστιν ἀνδρὶ πρεσβύτῃ, τέκνα,
ζύγωσις, ὅστις οὐκέθ' ὡραῖος γαμεῖ,

ζύγωσιν autem dixisse matrimonii copulam, qua coniuges ζυγοῦνται. Iunonem ζυγίαν omnes norunt. Sententiam Grotius aliqua ex parte assecutus est; sed tamen τέκνα ut nominativo casu positum interpretatus est.

n) Eiusdem ex incerta tragœdia (148 Matth., 99 Dind.), apud Clementem Alexandrinum:

Ἔπειτα παῖδας σὺν πικραῖς ἀλγηδόσι
τίκτω· τεκοῦσα δ', ἢν μὲν ἄφρονας τέκω,
στένω ματαίως, εἰσορῶσα μὲν κακούς,
χρηστοὺς δ' ἀπολέσασ'· ἢν δὲ καὶ σεσωσμένους,
τήκω τάλαιναν καρδίαν ὀρρωδίᾳ.

Ex his frustra homines docti rectam sententiam efficere conati sunt, quoniam τῶν ἀφρόνων hoc minime proprium est, ut eos mater salvos conspiciat, si κακοί sint, amittat, si χρηστοί. In hac quidem re nec φρονήσεως nec ἀφροσύνης ullæ partes sunt. Itaque contrarii aliquid esse volunt in τοῖς ἄφροσιν, qui κακοί sint, et τοῖς χρηστοῖς, ex quo sententia non minus prava oritur quam oratio; nam nec οἱ ἄφρονες in bello semper ignavi sunt, et illa partitio, quæ est in εἰσορῶσα et ἀπολέσασα δέ, κακούς et χρηστούς, apertissime subiicitur communi illi condicioni ἢν μὲν — τέκω. (Paulo liberius duriusque deinde sententia redit ad εἰσορῶσα, ut inde audiatur ὁρῶ aut ἴδω in his: ἢν δὲ καὶ σεσωσμένους.) Omnino ἀφροσύνης mentio ab hoc loco alienissima est. Nec tamen ea, quæ dicuntur, ad omnes liberos pertinent, sed ad mares, in quibus solis in bellum missis ignavia tuta et fortitudo periculosa seiungantur. Itaque hæc necessaria est sententiæ forma: ἢν μὲν ἄρσενας τέκω. De feminini sexus liberis quæ post dicta erant, non exstant.

o) Aristophanis e Cocalo (128 Dind., huius fabulæ 3), apud Athenæum XI, 478 D.

Ἄλλαι
*ὑποπρεσβύτεραι γρᾶες Θασίου μέλανος μεστὸν * **
κεραμευομέναις κοτύλαις μεγάλαις [ἔγχεον ἐς] σφέτερον δέμας
οὐδένα κόσμον.
[ἔρωτι βιαζόμεναι μέλανος οἴνου ἀκράτου.]

Sic Dindorfius; et deesse substantivum post μεστόν manifestum est. Verba ἔγχεον ἐς etsi, ut nunc scribuntur, metro repugnant

et augmenti omissione mendi arguuntur, tamen omnino tolli propter sententiam non possunt. Sed in participio *κεραμευομέναις* perspicue mendum est; neque enim cotylæ tum ipsum, dum iis feminæ illæ utebantur, ex argilla fiebant, si modo omnino argillaceæ fuerunt. Deinde vocabulum ipsum *ὑποπρεσβύτεραι* sic ab Aristophane fictum est eaque præpositionis vis est, ut eo significentur feminæ paulo ætate provectiores, *anus* autem aliis *natu maiores* *γρᾶες ὑποπρεσβύτεραι* dici nequeant; rustice aliquis, quas *ὑποπρεσβυτέρας* Aristophanes dixerat, *γραῖς* interpretatus est. Postremo et numeri et sententia in illis *ἔρωτι βιαζόμεναι* continuari recte possunt; illa autem *μέλανος οἴνου ἀκράτου*, in quibus numeri dissolvuntur, nihil continent nisi interpretamentum adscriptum ad verba *Θασίου μέλανος*. Itaque (quoniam in huiusmodi fragmentis anapæstos continuare scribendo usque ad numerorum mutationem rectum videtur) sic scribenda hæc videntur:

Ἄλλαι δ' ὑποπρεσβύτεραι Θασίου μέλανος μεστὸν κέραμον θέμεναι κοτύλαις μεγάλαις † ἔγχεον ἐς σφέτερον δέμας οὐδένα κόσμον, ἔρωτι βιαζόμεναι.

Pro mendoso *ἔγχεον ἐς* scriberem *ἐνέχουν*, si forma contracta pro *ἐνέχεον* in verbo composito satis defenderetur comparato *εἰσέφρουν* apud Demosthenem (XX, 53). *Ἐγχεῖν* cum accusativo vasis, quod impletur, (pro *ἐγχεῖν ἐς τι*) et Sophoclis et Xenophontis auctoritate defenditur.

p) Eiusdem ex Gerytade (198 Dind., huius fabulæ 1), apud Athenæum:

Ὡς σφόδρ' ἐπὶ λεπτῶν ἐλπίδων ὀχεῖσθ' ἄρα·
τούτους γάρ, ἢν πολλῷ ξυνέλθῃ, ξυλλαβὼν
ὁ τῆς διαῤῥοίας ποταμὸς οἰχήσεται.

Mendum esse in *πολλῷ* perspicuum est, quoniam *πολλῷ ξυνέρχεσθαι* Græce dici nequit neque compositum verbum *ξυνέλθῃ* recte ponitur de flumine surgente et irruente. Scribendum videtur:

τούτους γάρ, ἢν ποτ' ὀξὺς ἔλθῃ, ξυλλαβὼν κ. τ. λ.[1])

---

[1]) Bergkius apud Meinek. *Com. Gr.* II. 1006: *ἢν πολὺς ξυνέλθῃ.*

F. G. S.

II. Euripidis Electr. 236, Ion. 553 et 750, Herc. Fur. 1318 sqq. (Matth. [1349 sqq. Dind.]).

a) Electr. 235 et 236:

Ἠλ. *Λόγον δὲ δή τίν' ἦλθες ἐκ κείνου φέρων;*
Ὀρ. *Εἰ ζῇς ὅπου τε ζῶσα συμφορὰς ἔχεις.*

Sic codices. Quum ὅπου συμφορὰς ἔχεις (ἔχειν συμφοράν που) nec per se rectum sit nec, si recte diceretur, aptum esset (— significaret enim: *et qua parte labores*, interrogari autem debet universe de condicione Electræ, si modo in vivis sit —), Elmsleio scribendum visum est: ὅπως τε ζῶσα συμφορᾶς ἔχεις, quæ sententia vera est, orationis forma nota; sed parum intelligitur, quomodo ex ὅπως factum sit ὅπου in genere præsertim loquendi non ignoto. Itaque probabilius scribatur, una littera codicum scripturæ subtracta:

Εἰ ζῇς ὅπου τε ζῶσα συμφορᾶς ἔχει,

h. e., *quo fortunæ loco constituta sis* (*teneare*), quemadmodum Sophocles dixit: ὁρᾷς, ἵν' εἶ κακοῦ, et: ποῦ ποτ' εἰμὶ πράγματος: et ἔχεσθαι ἐν κακοῖς et similia. Quam facile ἔχει, quod tertiæ personæ activæ speciem animo obiiciebat, post ζῇς transire potuerit in ἔχεις, perspicuum est.

b) Ion. 553. Ion ex Xutho quærit:

Προξένου δ' ἐν τῷ κατέσχες;

Nescio, qui factum sit, ut hoc editores ferrent ac taciti præterirent; ipsi enim, opinor, mirarentur, si quis alio tempore iis narraret, Græce dici κατεχειν ἐν προξένῳ, ut significaretur: deverti ad hospitem, aut, quod eiusdem prorsus generis est, μανθάνειν ἐν κιθαριστῇ (pro ἐν κιθαριστοῦ). Et tamen, nisi hoc statuimus, nulla illorum, quæ posui, verborum sententia est; nam ut τῷ neutro genere accipiatur, fieri omnino nequit; quis enim προξένων τι pro domo aliqua hospitum dictum sibi persuadeat? Video fuisse, qui ad hunc locum expediendum uterentur ea ratione, ut ἐν pro *ad*, *apud* acciperent, quod ita in locorum nominibus certo modo, ut insula regiove etiam mare adiacens, flumen ripam simul comprehendat, in hominibus fieri omnino

nequit frustraque advocatur ex Electra versus 641 omnium iudicio corruptus. Usus erat Euripides notissima orationis forma:

Προξένων δ' ἐν τοῦ κατέσχες;

ut dixit alibi ἐν ἀνδρὸς εὐσεβεστάτου τραφῆναι; librarius casum pronominis ad præpositionem accommodavit, non tam, opinor, ignorantia illius structuræ quam oscitantia quadam nec quicquam cogitans, non tam facile fortasse aberraturus, si substantivi genitivus clariore imagine animum tetigisset. Similes errores notavit Schæferus ad Gregor. Corinth. p. 86, Appar. Demosth. I p. 386.

c) Ibd. 750, 751. Creusa chorum alloquitur:

Σημήνατ᾽· εἰ γὰρ ἀγαθά μοι μηνύσετε,
οὐκ εἰς ἀπίστους δεσπότας βαλεῖς χαράν.

Hæc si vera sunt, sententia est: si læta mihi nuntiabitis, non credere nolentes dominos (me dominam) lætitia afficietis (sed fidem habere paratam); neque ἄπιστος sic accipi posse negaverim, quoniam etiam Thucydides IV, 17 ἀπιστοτάτους εὐπραγίαις dixit, qui fortuna non confiderent; sed nemo unquam Græce dixit βάλλειν χαρὰν ἔς τινα, ut esset *lætitiam iniicere*, ἐμβάλλειν, non magis quam φόβον, ὁρμήν, alia. Scripsit Euripides:

Οὐκ εἰς ἄ π ι σ τ ο ν δεσπότας βαλεῖς χαράν,

non in incertæ fidei gaudium dominam coniicies. Eodem modo ἐς φόβον βάλλειν dixit Troad. 1051. Nec ad sententiam loci nihil interest. Multo enim magis ad rem hoc pertinet, chorum nihil, cui non credi tuto possit, dicturum, dominæ præsertim, quam Creusam ipsam ad credendum paratam esse. Proximi substantivi casus adiectivum, ut alibi non raro, traxit sibique accommodavit.

d) Herc. Fur. 1318 sqq. (loquitur Hercules):

Ἐσκεψάμην δέ, καίπερ ἐν κακοῖσιν ὤν,
μὴ δειλίαν ὄφλω τίν᾽, ἐκλιπὼν φάος.
Τὰς συμφορὰς γὰρ ὅστις οὐκ ἐπίσταται,
θνητὸς πεφυκώς, ὃν τρόπον χρεών, φέρειν,
οὐδ᾽ ἀνδρὸς ἂν δύναιθ᾽ ὑποστῆναι βέλος.
Ἐγκαρτερήσω θάνατον· εἶμι δ᾽ ἐς πόλιν
τὴν σήν, χάριν τε μυρίων δώρων ἔχω.

Ἐγκαρτερεῖν θάνατον nihil aliud esse nisi *mori sustinere, mortem non fugere*, et ex ipsa verbi notione perspicuum est et, si quis dubitat, ex Andromacha v. 262 intelligitur. Itaque Hercules se mortem oppetiturum dicit. Atqui hoc Herculis sententiæ et orationis seriei prorsus contrarium est. Initio enim (v. 1272) dolore victus mori decreverat; nunc veretur, ne hoc ignaviæ sit, dolores morte subterfugere; itaque victurum se dicit et cum Theseo abiturum; itaque dicendum erat: ἐγκαρτερήσω βίον. Quid igitur fiet? Una addita littera hæc cum superioribus sic coniungentur, ut Herculis consilium, cœptum declarari in his verbis: ἐσκεψάμην δὲ κ. τ. λ., deinde prorsus declaretur his verbis: εἶμι δ' ἐς πόλιν κ. τ. λ.

> οὐδ' ἀνδρὸς ἂν δύναιθ' ὑποστῆναι βέλος
> ἐγκαρτερήσων θάνατον. Εἶμι δ' ἐς πόλιν
> τὴν σὴν κ. τ. λ.

Illud unum addo, eandem manifesto sententiam esse in verbis ἀνδρὸς ὑποστῆναι βέλος, sive adiungatur illud ἐγκαρτερήσων θάνατον sive non adiungatur, ne quis ex ea demum scriptura, quam restitui, nasci putet reprehensionem quandam sententiæ. Quod enim Herculi Euripideo de morte consciscenda non consciscendave philosophanti ignavus et timidus videtur, qui semet ipse dolorum fuga interimat, idem ab aliis multis dictum est; eius quidem ignaviæ, quæ mortis metu cernitur (οὐδ' ἀνδρὸς ἂν κ. τ. λ.), suspicione caret.

III. Quintilianus VII, 1, 41.

Sed plerique, eloquentiæ famam affectantes, contenti sunt locis speciosis modo vel nihil ad probationem conferentibus. Alii nihil vitare, ea, quæ in oculos incurrunt, exquirendo, putant.

De hoc loco ut hic agam, nulla alia moveor causa nisi ipso emendationis, quæ ei adhibenda est, genere; id enim et exemplum et admonitionem non inutilem habere videtur, quæ sit in coniecturali criticæ parte ars et qua via ad fidem inventis suis stabiliendam progrediatur, quod multi et qui coniecturas sectantur et qui eas aversantur parum tenent. Firmum enim et stabile iudicium, ab inani opinione et levi suspicione remotum, in iis, quæ coniecturæ dicuntur, efficitur primum necessaria mendi demonstratione, deinde eiusmodi totius loci,

de quo agitur, et testimoniorum pertractatione sanorumque et certorum a mendosis et incertis separatione, ut et quasi termini certi figantur, intra quos omnis veri inveniendi conatus contineatur, et forma quædam adumbretur sententiæ et orationis, cui id, quod quæritur, satisfacere debeat et simul in codicum scripturæ vestigia incurrere. Itaque sæpe prorsus acceditur ad mathematicorum rationem, qua ex compluribus notis unum ignotum (x) æquando reperiunt; nisi quod in critica arte hic quasi orbis, qui ante definitur, eam habet vim, non ut verum necessario inveniatur, sed ut id, quod ingenii vis et doctrinæ copia et felicitas quædam in rei aut vocabuli latentis cogitationem et memoriam nos inducens obiecerit, exigi et iudicari possit. In ipsa autem demonstratione id est incommodi, quod argumenta multa ducuntur ex rebus notionibusque partim ipsis minus perspicue definitis et terminatis, partim quas multi non satis firmiter comprehensas tenent, ut, quid necessariam cogendi vim habeat, quid non habeat, parum sentiant. Sed tamen in nonnullis locis recta ratio adeo plene exponi et tam manifesto demonstrari potest, ut quasi quædam disciplina iis, qui hæc intelligere cupiunt, constituatur. Eiusmodi locum unum et alterum soleo in scholis tractare, quum ad artis criticæ præcepta explicanda veni, et modo ipse statim emendare, modo, mendo convicto emendationisque forma adumbrata, ipsam emendationem inveniendam relinquere auditoribus. In eo genere usus sum etiam hoc Quintiliani loco et de eo ad hanc fere rationem disputavi: Horum verborum: *Alii nihil — putant* neque structura grammatice expediri potest neque sententia ulla ex iis effici, aut, si quam subiicere coneris, prava reperitur. Nam neque *nihil vitare puto* ullam habet legitimam rationem neque *se* ante *vitare* audiri potest apud *putandi* verbum, in hoc præsertim ordine et positu. Tum quid sit *nihil vitare ea, quæ in oculos incurrunt, exquirendo*, prorsus non intelligitur; cum verbo *putant* coniungi *exquirendo* nullo modo potest; alioquin in ea coniunctione non melior sententia esset. Postremo quæ hæc sit vitatio et quomodo coniuncta cum exquisitione eorum, quæ in oculos incurrant, nemo dixerit, nec quale hoc sit eloquentiæ studiosorum genus, qui *nihil vitare* (aut *se vitare*) *putant*, et quomodo ab iis, qui *contenti sunt locis speciosis modo*, seiungatur. Omnino nihil hic nisi inanissimus

verborum non cohærentium sonus. Itaque nihil nunc dicimus de ea, quæ post (§ 44) sequitur, eorundem hominum notatione, quæ ipsa recta et aperta nihil continet, cui ex his verbis quicquam simile effici possit. Manifesto igitur mendi aliquid subest, quod, si codicum testimonia inspexerimus, apparebit non opus fuisse tam multis verbis argui. In iis primum scriptum est *vitare æquæ* (in Turicensi, Florentino, aliis, in Ambrosiano *vitare quæ*), in quo sane nihil est per se argumenti, deinde autem, quod rem continet, *exquirendum* (in Tur., Flor., Ambr., Gothano), in uno et altero recenti et interpolato *exquirenda* (quod qui effecit, voluit aliquo modo coniungi cum pronomine *ea*); *exquirendo* in nullo est. Itaque hæc est loci forma ad codices exacti: *Alii nihil vitareaquæ in oculos incurrunt exquirendum putant*, vixque dubitari possit, etiamsi de sententia nihil constet, quin hæc recte scripta cohæreant: *Alii nihil — exquirendum putant.* Ne hæc quidem ullam mendi suspicionem afferunt: *ea, quæ in oculos incurrunt.* Relinquitur *vitar* inter *nihil* et *ea*, mendi sedes. Sententiam autem circumspicientibus iam in his verbis: *alii nihil — exquirendum putant* apparet forma eiusmodi notationis hominum, quæ apte respondeat superiori generi: *plerique contenti sunt locis speciosis.* Sed certiora habemus indicia. Subiicit enim Quintilianus exemplum controversiæ alicuius eamque quomodo utriusque generis, quod notavit, homines tractaturi sint, demonstrat. Itaque de prioribus illis, qui, *eloquentiæ famam affectantes, contenti sunt locis speciosis modo*, hæc dicuntur (§ 43): *Hic illi eloquentes — invadent personas favorabiles* cet. Deinde autem (§ 44) de altero genere, eorum, qui *nihil — exquirendum putant*, hæc ponuntur: *Illi vero, quibus propositum quidem melius, sed c u r a i n p r o x i m o e s t, hæc velut innatantia videbunt*, cet. Apparet, *curam quæ in proximo sit*, illam ipsam esse, quæ ea sola quærat, *quæ in oculos incurrant.* Iam, quoniam supra aiens hæc sententiæ forma: *Alii ea sola, quæ in oculos incurrunt, exquirenda putant* e codicum indiciis effici nequit, superest, ut in hac negativa: *Alii nihil* — (x) — *ea, quæ in oculos incurrunt, exquirendum putant*, vocabulum, quod partibus coniunctis orbem expleat (quod mathematicorum more littera x significavi), quæratur eruaturque ex litteris

VITAR. Longius progredi licet; nullo enim alio vocabulo hæc copulari possunt nisi præpositione[1]); significationem autem eam, quæ requiritur, duæ præstant latinæ præpositiones, *præter* et *ultra*; itaque VITAR factum est ex VLTRA, scripsitque Quintilianus: *Alii* (etsi solis locis speciosis contenti non sunt et argumenta causæ propria quærunt, tamen) *nihil ultra ea, quæ in oculos incurrunt, exquirendum putant.* Confecta res est. Sed tamen, quoniam admonitionis occasionem in hoc loco secutus sum, addam primum, quod ad inventi laudem minuendam pertineat, iam ante aliquem, cuius coniecturam Zumptius in volumine quinto editionis Spaldingianæ indicavit, nomen non posuit, et sententiam et orationis formam vidisse; scribi enim volebat: *Alii nihil nisi fere, quæ in oculos incurrunt, exquirendum putant*; aberravit a vestigiis litterarum illarum, quæ in codicibus sunt, et quum ea tamen consequi vellet, *nihil nisi fere* posuit pro *nihil fere nisi*. Et tamen hoc, quod inventum erat, quantam veri partem contineret, Zumptius non animadvertens, Mihi, inquit, non satisfecit. Deinde quum ipse Quintilianum ederet, recepta hac scriptura: *nihil vitare, quæ in oculos incurrunt, exquirendum putant* adscripsit: Nos *vitare* accipimus pro *vitandum sibi esse*; quod quis non miretur grammatico in mentem venisse quum per se[2]) tum propter reliquam constructionem (*vitandum sibi esse exquirendum*)! De sententia, apparet, eum prorsus non curiosum fuisse. Postea fuit etiam, qui (lexic. Quintil. p. LXVII) de infinitivo historico monstra quædam excogitaret (*Alii vitare — putant* = *vitant et putant*), „nisi emendationis ancipitem medicinam adhibere“ aliquis vellet. De re et sententia non cogitavit. Hoc non fero, hoc reprehendo, hoc insector, huiusmodi omnia fingendi et sanam rationem spernendi licentiam cautæ prudentiæ nomen sibi imponere, et ancipitem vocari non hanc vel illam coniecturam, sed omnem cum quovis codicum mendo comparatam. Et quia hæc nunc

---

[1]) Nam si *nisi* Quintilianus posuisset, scripsisset: *nihil nisi quod — incurrat.*

[2]) Longissime distat *censeo facere*, hoc est, *iubeo*, de quo dixi in libello quem inscripsi: *Bemerkungen über verschiedene Puncte der lateinischen Sprachlehre*, p. 78.

critica ab aliis exercetur, ab aliis laudatur, ab aliis fertur, male sentio de magna parte litterarum philologicarum.[1])

IV. Cicero de N. D. II, 18, 47 et de lege agraria or. II, 37, 102. (Emendationis via monstratur tantum.) De lege agr. II, 37, 103. (Emendatio inchoatur, non perficitur.)

Quod paulo ante me in scholis interdum facere dixi, ut, mendo aperto, emendationis tantummodo formam adumbrarem, ipsam inveniendam auditoribus relinquerem, id nunc in duobus Ciceronis locis ita faciam, ut et ratio mea intelligi possit et fortasse unus aut alter adolescens philologiæ studiosus ad emendationem horum locorum quærendam excitari. Deinde addam exemplum eius generis, in quo universa orationis et sententiæ, quæ olim fuit, forma et verba pleraque restitui possunt, nonnulla incerta manent.

a) De N. D. II, 18, 47: *His duabus formis* (globi et circuli, quem Ciceronem h. l. *circum* dixisse codices ostendunt) *contingit solis, ut omnes earum partes sint inter se simillimæ a medioque tantum absit extremum, quantum idem a summo.* Apertum est hoc dici, si geometrarum nominibus utimur, omnia puncta in globo superficiei, in circulo peripheriæ æquo intervallo a centro distare. Sed quod scriptum nunc est, ridiculam habet sententiam, si quis attendit, aut potius nullam; nam in globo *extremum* et *summum* idem est, in circulo nihil est *summum*; itaque si *idem* est *medium*, de circulo prorsus nihil dicitur, de globo autem hoc, a medio tantum abesse extremum quantum extremum a medio; sin quis *idem* vult esse *extremum* (— etsi non potest; sed fingamus —), hoc nimirum efficitur, a medio tantum abesse extremum, quantum extremum ab extremo, hoc est non abesse. Verum supervacuam operam sumimus in his exagitandis, nisi quod etiam atque etiam admonendos iuniores puto, ne omnia credant saltem tolerabilem sententiam habere, ad quæ nemo editorum interpretumve adhæserit. Nam hæc verba *quantum idem a summo* ab omnibus codicibus absunt, non solum optimis (A, B, C Moseri), sed a mediocribus malisque (D, E, Fa, H, I, M, N Moseri, ab ipso

---

[1]) Emendationem præcepit M. Hauptius Mus. Rhen. 1841 p. 474, nisi quod *ultra quæ* scripsit. *F. G. S.*

denique omnium interpolatissimo, Glogaviensi); ex omnibus Moseri codicibus in uno La a secunda manu adscripta sunt. Itaque ea verba circa initia artis typographicæ aliquis addidit, ut orbem verborum sententiamque laborantem sane compleret, sed is hoc unum animadverterat, in vocabulo *tantum* infinitam esse notionem, quæ terminanda esset et definienda; rem ipsam notissimam aut non intellexit aut parum vigilans perturbavit.

Reiecto igitur hoc supplemento simul, quod initium est veri inveniendi, intelligamus, nullum aliud eiusdem generis (hoc est, in quo comparatio sit) probari posse, quod in globo et circulo a medio extremum non tantum abest, quantum aut ipsum ab alio aut aliud quidpiam ab alia quapiam re, sed ipsum ubique eodem intervallo (unum quodvis eius punctum tantum, quantum quodvis aliud). Pluribus utor verbis; poteram brevius et simplicius dicere, nisi id vocabulum, quo Cicero usus est, vitarem. Quæratur igitur, quomodo ea, quam vidimus, sententia ex his ipsis: *a medioque tantum absit extremum* efficiatur unius verbi non recte scripti emendatione.[1])

b) De lege agr. II, 37, 102.

Ciceronis orationum de lege agraria nullus, de quo quidem constet, codex antiquitate aut bonitate excellit; ducti propagatique, quos novimus, omnes ex uno sunt mendoso et errorum ex veteris scripturæ imperitia, litterarum in exemplo proposito ductibus obscuris, verborum incerta diremptione ortorum pleno, ceterum fere religiose scripto nec interpolato, nisi quod, ut fiebat, interdum librarius ex litteris prorsus distractis perturbatisque verborum saltem Latinorum formas effinxit. Ex illis erroribus unus et alter gravioris mendi speciem editoribus plerisque ita obiecit, ut simplicem apertamque emendationem iam demonstratam ab aliis spernerent, quod tam obvia vulgariaque verba a librariis corrupta non credebant, et recondita falso quærerent, velut in notissimo loco, ubi de comitiis magistratuum agitur, c. 11, neglecta est certissima Lauredani coniectura, qua ex his vestigiis: *curiatis ea comitiis, quæ vos non sinitis, confirmavit*, restituit: *curiatis eam* (potestatem) *comitiis, quæ vos non i n i t i s, confirmavit*, et c. 34, quum Turne-

[1]) Hunc locum ante multos annos a me in scholis propositum complures correxerunt.

bus vidisset in hac scriptura: *magistratum Capuæ et leocreanti ceperunt* nihil aliud subesse nisi, quod sententia postulat, *illo creante* (nam creare magistratus apud Romanos is dicitur, qui creandis præest), tamen alia tentata sunt. Sed secundæ orationis præter cetera extremi capitis (37) posterior pars ita graviter in illo codice depravata erat, ut aliquot locis vix umbra veræ orationis et sententiæ superesse videatur. Itaque ut esset, quod legi et intelligi quodam modo posset, veteres editores interpolatione satis licenter usi sunt, cuius falsa specie omnino depulsa si ad ipsa codicum indicia exquirenda redierimus, partim veram sententiarum formam constituere, partim etiam ipsa verba reperire, ut in eo loco, quem nunc tractabo, licebit. Nam medio capite (§ 102) hæc nunc eduntur: *Non modo vos eritis in otio, qui semper esse volueritis, verum etiam istos, quibus otiosi negotium facessimus, otiosissimos reddam.* Non coarguam hoc disputando, etsi, quam alienum ab hoc loco esset *negotium facessere*, iam pridem intellectum est; ponam codicum scripturam omnium (utimur autem testimoniis Palatinorum Gruteri, Oxoniensium, Erfurtensis), quæ hæc est: *verum etiam istos, quibus otiosi otium fecissemus atque otiosissimos* (Erf. *otiosos*) *reddam.* Hæc qui attente consideraverit, intelliget, in *fecissemus* latere superlativum, ut hæc coniungantur: *simos atque otiosissimos reddam.* (De priore superlativo nihil affirmo; potuit esse: *quietissimos atque otiosissimos.*) Relinquitur relativa sententia, quæ sic ex his vestigiis: *quibus otiosi otium* efficienda est, ut contrarium genus hominum significetur iis, qui otium amplexantur.

c) De leg. agr. II, 37, 103: *Nam si iis, qui propter desidiam in otio vivunt, tamen in sua turpi inertia capiunt voluptatem: sub ipso otio, quo vos fortunam regitis, si hunc statum, quem habetis, esse meliorem non ignoratis, non ut quæsitum, sed vita partum otium tenueritis.* Magna in his esse orationis et sententiæ vitia et vident omnes et inter editores convenit. Sed removenda primum interpolatio, posita codicum scriptura, in qua tamen minores discrepantias singulorum codicum omitto: *Tametsi* (*nametsi*) *ii, qui propter desidiam in otio vivunt, tamen in sua turpi inertia capiunt voluptatem sub* (Erf. *sed*) *ipso otio quo vos fortunam regitis, si hunc statum, quem habetis esse non ignoravi non quæsitum* (unus Ox. *non ignoravi quæsitum*, unus:

non ignorari an quæsitum) sed vita partum otium tenueritis. Apparet, ab inertium hominum otio argumentum duci ad honestum populi otium laudandum. Ex tempore verbi in condicione adiecta (*si* — *tenueritis*), efficitur. in primaria sententia futurum tempus fuisse; in illis *quo vos* indicia sunt apodosis interrogativæ (et in *quo* et in positu pronominis *vos*); in hac apodosi adscensus aliquis huiusmodi debet esse, ut minus sit illud *capiunt voluptatem.* Itaque forma quidem sententiæ hæc fuit: *Nam si ii, qui propter desidiam in otio vivunt, tamen in sua turpi inertia capiunt voluptatem ex ipso otio, quam vos fortunati eritis, si hunc statum, quem habetis* (?) *non ignavia quæsitum, sed virtute partum* [otium] *tenueritis.* Quæ diductis litteris notavi, ne in verbis quidem dubitationem habent. In illis *habetis esse* vereor ne quid lateat.

V. Cicero ad Atticum I, 13, 1.

Accepi tuas tres iam epistolas, unam a M. Cornelio, quam Tribus Tabernis, ut opinor, ei dedisti, alteram, quam mihi Canusinus tuus hospes reddidit, tertiam, quam, ut scribis, ancora soluta, de phaselo dedisti; quæ fuerunt omnes rhetorum. Pure loquuntur, quum humanitatis sparsæ sale, tum insignes amoris notis.

Epistolas, quæ rhetorum præceptis satisfaciant, ipsas *rhetorum esse*, prorsus absurdum est loquendi genus; *a rhetore* scriptæ videri recte dicerentur, *a rhetoribus* unius hominis epistola vel sic inepte. Non minus inusitatum, epistolas *loqui* et *pure loqui*; nec negligenda temporis discrepantia: *fuerunt* — *loquuntur.* Iam vero ipsa hæc laus puri sermonis Attici epistolis a Cicerone tanquam a magistro sine ulla ioci significatione quam perverse et inepte tribuitur? Apparet, longe aliter Ciceronem scripsisse. Scripsit autem sic: *quæ fuerunt omnes, ut rhetorum pueri loquuntur, quum humanitatis sparsæ sale, tum insignes amoris notis.* Iam apte et recte ipse Cicero iocatur, tanquam ad rhetorum præcepta epistolas Attici a se exigi et laudari. *Rhetorum* autem *pueris* dixit Græcos imitans, qui cum lusu quodam ipsos rhetoras ῥητόρων παῖδες, tanquam quandam familiam, appellabant, et alios eodem modo. Loquendi genus post Platonem (Legg. VI, 769 B) recentiores scriptores frequentarunt, Lucianus, Sextus Empiricus (γραμμα-

ικῶν παῖδες, adv. Grammat. I § 113), alii, quos Stephani thesaurus indicat.

VI. Ciceronis locus. qui est de officiis II, c. 23, 83, enarratus.

Postquam Cicero Arati æquitatem in commodis et bonis civium diversarum factionum tuendis laudavit, notata simul Sullæ et Cæsaris summa iniquitate, eamque orationem sic conclusit: *eaque est summa ratio et sapientia boni civis, commoda civium non divellere atque omnes eadem æquitate continere*, magna cum vehementia, ut, quæ nuper ipse vidisset, significari appareat, hæc addit: *Habitent gratis in alieno. Quid ita? ut, quum ego emerim, ædificarim, tuear, impendam, tu me invito fruare meo? Quid est aliud aliis sua eripere, aliis dare aliena?* Primis verbis vulgo interrogandi notam adscribunt; itaque durior etiam, quam reapse est, orationis transitus videtur. (Usitatius etiam in interrogatione improbantis: *Habites tu —?*) Tanquam ex tyranni (Cæsaris) ore hoc editum profertur: *Habitent gratis in alieno.* Iam recte quasi admirans Cicero subiicit: *Quid ita?* Significari autem putant, qui aliquid dicunt, prædia dominis erepta aliisque condonata, comparantque, quæ c. 22, 79 dicuntur: *Quam autem habet æquitatem, ut agrum multis annis aut etiam seculis ante possessum, qui nullum habuit, habeat, qui autem habuit, amittat?* Atqui ibi manifesto significantur leges agrariæ, quibus possessores, non domini pelluntur, cuiusmodi nihil Cæsar dictator egit. Omninoque non ad possessores nec ad dominos rerum permutatos hæc pertinere, ipsa verba ostendunt. Primum non dicitur: *Habeant aliena*, sed: *Habitent in alieno*; deinde additur: *ut, quum ego emerim, ædificarim*; itaque ad ædificia hæc pertinent, non ad fundos et agros; sed sequuntur præsentis temporis verba: *tuear, impendam*; itaque vetus dominus manet et ædificia tuetur, altero gratis utente. Manifestum est, significari mercedes habitationum (certi temporis) conductoribus remissas cum iniuria dominorum, ut illi gratis habitent, hi nullos reditus accipiant. Eam largitionem a. 48 tentaverat M. Cælius Rufus; quum enim Cæsare absente in urbe turbas excitavit, promulgaverat legem, qua mercedes habitationum annuas conductoribus donabat (Cæs. B. Civ. III, 21, Dion. Cass. XLII, 22). Sed quod tum

frustra tentatum est et paulo post (a. 47) iactatum a Dolabella (Dion. Cass. XLII. 32), id postea ipsum Cæsarem (eodem a. 47) perfecisse, Dio Cassius tradit XLII, 51: *καὶ τὸ ἐνοίκιον, ὅσον ἐς πεντακοσίας δραχμὰς ἦν, ἐνιαυτοῦ ἑνὸς ἀφείς.* Ad magnarum habitationum conductores largitionem non pertinuisse, summa præfinita ostendit.

F. Epistola ad C. Halmium.[1])

Io. Nic. Madvigius Car. Halmio S.

Litteras tuas proximas die XVI mensis Iunii accepi. Instabat tum iter, quod mihi quotannis circum gymnasia regni nostri faciendum est mense Iunio extremo et Iulio. Eo peracto, negotiis fessus partem feriarum æstivarum, quæ apud nos in Iulium et Augustum incidunt, rusticationi dedi et studiis a philologia remotis. Urbi deinde redditum non solum scholæ academicæ exceperunt, sed comitia regni nostri, quibus intersum. Ita ante huius mensis initium nullum fuit tempus, quo ad Ciceronis libros animum convertere liceret cum intentiore aliqua cura et cogitatione. Videbam autem, si quid in illis orationum Philippicarum extremarum locis, quorum tu indicem litteris tuis adiunxeras, tentare vellem, saltem percurrendas totas illas orationes esse, in quibus codex Vaticanus nos destituit. Id feci primis huius mensis diebus, statimque confirmatum vidi, quod, quum primum illum locorum indicem percurri, præsenseram, perpauca fore, quæ ad eorum emendationem post tuam curam conferre possem. Nam et misera illarum orationum condicio est, in quibus codices et negligentia et interpolatione valde corruptos habemus, ut coniectura, in quo certum vestigium ponat, non reperiat, et ipsis novis testimoniis, quæ tu e tuis codicibus protracta mecum communicasti, minus libero et certo iudicio utor, quod totam horum codicum rationem non ita, ut tu, perpetua observatione per-

---

[1]) [Ex novorum annalium philologiæ vol. 73 p. 117 sqq. Epistola, qua occasione scripta sit, ipsa indicat; ea quum absoluto iam altero volumine editionis Turicensis orationum Tullianarum Monachum pervenisset, sine ulla mutatione annalibus illis inserta est subiectis tribus quattuorve annotatiunculis, quas unci claudunt.]

spexi. Abhorreo autem, nulla præsertim edendi necessitate cogente, ab ingenio in illis locis torquendo. in quibus nihil me certi fundamenti habere sentio, in quo insistam, neque ad aliquem probabilitatis gradum pervenire posse. Feci tamen. quod potui, et quum ex iis locis, quos tu mihi considerandos proposueras, vix unum et alterum certo aut non nimis incerto remedio adiuvare potuissem, alias quasdam suspiciones in legendis orationibus (inde ab undecima) subortas in chartulam eam conieci, quam huic epistolæ comitem dedi. In compluribus locis tu rem confecisse videris, nihil ut sit ultra quærendum, velut XII § 24, ibd. 26, XIII, 12, XIV, 14 et 38; in aliis etsi non explent animum, quæ tentasti, nihil tamen habeo, quod afferam, melius; in nonnullis aberrasse te certum videtur, velut quod XI § 34 hæc verba: *quum contra, ac Deiotarus sensit, victoria belli iudicarit*. codicum etiam tuorum (nisi in scribendo lapsus es) testimonio confirmata, mutas, ut scribatur *diiudicarit*, superflua coniectura et quæ vix usui loquendi conveniat (cfr. pro Cæc. § 69: *at est aliquando contra iudicatum*). Quod in oratione XIV § 13 e vocabulo *impetus*, quod codices addunt, *impietatis* efficis, neque addi in hac sententia et querela certi criminis nomen debet nec impietatis Ciceronem adversarii arguebant, etsi is Antonii consilia impia appellat. Estne illud *impetus* nomen e § 15 ortum. ubi *impetus* in Ciceronem paratus commemoratur?

Antequam litteras tuas accepi, percurreram mense Iunio ineunte subsecivis aliquot horis propter cogitationem aliquam, quam tum animo agitabam, orationes Ciceronis pro Quintio et pro Cæcina. Ea lectio paucorum locorum emendationes suggessit, quas hic subiiciam, ut in eadem, in quæ aliquot ante a me missæ, supplementa editionis vestræ coniiciantur.

Pro Quintio § 46. *Quo tempore primum male agere cœpit.* Dicit Cicero, Nævium diu cum Quintio non egisse, eum non appellasse, *quum agendi potestas esset quotidie*; addit, quum tandem aliquando agere cœperit, non tamen studuisse, ut res iudicaretur. Apparet, non quæri quando, bene maleve agere Nævius cœperit. sed quando agere (iure); turbat sententiam prave additum *male*, quod infra in hac oratione § 84 (*qui cum omnibus creditoribus suis male agat*) recte additur.

Ibd. § 53 oratio interpungenda sic est: *Respirasset cupiditas et avaritia; paulum aliquid loci rationi et consilio dedisses.* De coniunctis his verbis *paulum aliquid* conferri poterunt, quæ scripsi ad Cic. de Finibus V, 30 p. 782 [p. 769 ed. 3].

Ibd. § 54. *Postulone a prætore, ut eius bona mihi possidere liceat, an, quum Romæ domus eius, uxor, liberi sint, domum potius denuntiem?* Neque per se coniunctivus in hac secum deliberatione (nulla negandi significatione) recte ponitur neque recte hæc copulantur: *Postulone — an — denuntiem?* Vereor, ne coniunctivus ortus sit ex *liceat* et *sint*, Cicero autem scripserit *denuntio.* (Non satisfaciunt, quæ de hoc loco scripsi Opusc. II pag. 40.)

Ibd. § 71 sermocinantem Cicero Quintium inducit cum superbissimis et iniquissimis adversariis: *De re pecuniaria cupio contendere. — Non licet. — At ea controversia est. — Nihil ad me attinet; causam capitis dicas oportet. — Accusa, ubi ita necesse est. — Non, inquit, nisi tu ante novo modo priore loco dixeris. Dicendum necessario est: præstituendæ horæ ad nostrum arbitrium; iudex ipse arcebitur* (*arcebit* vos cum Spengelio). Apparet in extremis his primum nimis longe trahi adversariorum orationem; deinde misceri diversas res; tum superbæ comminationis formam parum servari in gerundivis (*dicendum — præstituendæ*); postremo nihil omnino iniquæ postulationis esse in illis: *dicendum necessario est.* Codices autem pro *præstituendæ* habent *restituendum.* Itaque sic dispescenda scribendaque verba sunt: — *dixeris. — Dicendum necessario est.* (Hæc Quintii sunt patienter se summittentis.) — *Præstituentur horæ ad nostrum arbitrium; iudex ipse coercebitur.* Neque enim arcere illi iudicem volebant, ut accedere non posset (— nihil enim aliud id verbum hoc loco significare potest —), sed coercere, ut obnoxius iniquis postulatis pareret; itaque (§ 33) iudicem in ius eduxerunt, ut invitus a prætore cogeretur horas Quintii patrono præstituere Nævii et amicorum arbitrio. Prorsus a vero aberrat Spengelii coniectura, in qua primum *arcendi* verbum (quod præterea obiecto carere nullo modo poterat) eandem habet, quam in codicum scriptura, sententiæ pravitatem; deinde summæ superbiæ hominum ipsum iudicem se in ordinem coacturos minantium significatio tollitur. Veræ scripturæ tenue vestigium videri potest esse in duobus Kelleri

codicibus, in quorum altero scriptum est *creabitur*, in altero *acer acerbitur.*

Ibd. § 75: *Unum tamen hoc cogitent, ita se graves esse, ut, si veritatem volent retinere, gravitatem possint obtinere, si eam negligere, ita leves sint, ut omnes intelligant, non ad obtinendum mendacium, sed ad verum probandum auctoritatem adiuvare.* Ineptissime hæc dicuntur: *ita se graves esse, ut — ita leves sint, ut* —; neque *leves* omnino illi homines futuri erant, sed, si veritatem neglexissent, omnes intellecturi erant, auctoritatem eorum nihil valere debere. Manifestum est Ciceronem hac orationis forma usum esse et sic scripsisse: *ita* (hoc est: hactenus tantum) *se graves esse, ut, si veritatem volent retinere, gravitatem possint obtinere, si eam negligere, ut omnes intelligant, non ad mendacium* cet. Hæc aliquis perturbavit, tribus verbis (*ita leves sint*) additis, id, quod a Cicerone tota orationis figura significatur, aperte dici volens, sed vitiosissimam se orationem efficere non animadvertens; nec dissimilis hæc interpolatio est eius, quam in oratione pro Flacco § 82 et 83 a me notatam esse meministi. Decepit fortasse præterea eum, qui illa addidit, *ut* coniunctio ante *omnes intelligant* ex abundanti et minus accurate repetita; verum hoc modo Cicero aliquoties, ubi duo membra inter se contraria ab una particula *ut* suspendi debebant, *ut* geminavit, velut in div. in Cæc. § 72: *ut, si in hac causa nostrum officium — probaverimus, hæc, quæ dixi, retinere per populum Romanum — salva possimus, si* (contra et hic et in Quintianæ loco addere licet) *tantulum offensum titubatumque sit, ut ea, quæ singulatim ac diu collecta sunt, uno tempore universa perdamus*, et in Verr. act. I § 10: *ea spe istum fuisse præditum, ut omnem rationem salutis in pecunia poneret, hoc* (autem) *erepto præsidio, ut nullam sibi rem adiumento fore arbitraretur.*

Ibd. § 77 pro *visi sunt* non *visi sint*, sed necessario *visi essent* scribendum erat.

Pro Cæcina § 2. Molestissimi sunt quidam in veterum scriptis loci, in quibus tam manifesta orationis et sententiæ perturbatio est, ut scriptorem ipsum fugere nullo modo potuisse videatur, quum præsertim perspicuum sit, orationem et sententiam ab eo certo consilio certaque forma eaque facili et aperta institutam esse, vitium tamen tolli non potest nisi vio-

lenta constantis omnium codicum aut optimorum scripturæ mutatione. In huiusmodi locis primum difficile est ipsum secum constituere, quid in ipsum scriptorem conferri possit, quid nullo modo possit, ut corrigi prorsus debeat, deinde, si correctio necessaria visa est, aliis persuadere et fidem extorquere. Sed profectum iam aliquid erit, etiamsi librario culpam tribuendam esse non persuaseris, si tamen prudentes omnes coegeris de sententiæ vitio confiteri intelligereque, id, quod scriptum exstet, si ab ipso scriptore positum sit, oscitantia quadam et oblivione positum esse; imperitis et superstitiosis in tali re fides fieri nequit. Huiusmodi est notissimus locus in ipso divinationis in Cæcilium initio, ubi pro perspicua hac et necessaria orationis forma: *Si quis vestrum miratur, me, qui — ita sim versatus, ut defenderim — læserim —, nunc — descendere*, quidquid est meliorum codicum, consentiente eo, qui Asconius appellabatur, *descenderim* habet; et tamen ita Ciceronem in prima periodo elaboratissimi exordii instituta orationis forma excidisse, etsi fuerunt, qui sibi persuaderent, inter quos Muretus, nemo tamen paulo prudentior nunc, opinor, credet. Sed ibi facilius est fidem facere, quod et in uno verbo mendum continetur et eius mendi origo manifesta est, nata ex huius verbi ad ea, quæ in interposita sententia præcedunt (*defenderim*, *læserim*), accommodatione. [Cfr. Emm. Livv. p. 417.] Eiusdem est generis, pravitatis, si fieri potest, manifestioris, quod in Senecæ de providentia libelli ipsa prima sententia Fickertus et Haasius nobis e codicibus obtrudunt: *Quæsisti a me, Lucili, quid ita, si prudentia mundus ageretur, multa bonis viris mala accidere*, pro *acciderent*; sed mendi alia ibi causa fuit, fortasse e scribendi compendio, cuius in hac verborum terminatione (*nt*) iam in perantiquis codicibus vestigia sunt et exempla. Sentis fortasse iam, quo hæc spectet oratio; pertinet enim ad hæc orationis pro Cæcina verba: *Nisi forte hoc rationis* (Æbutius) *habuit: quoniam, si facta vis esset moribus, superior in possessione retinenda non fuisset, quia contra ius moremque facta sit, A. Cæcinam cum amicis metu perterritum profugisse: nunc quoque in iudicio, si causa more institutoque omnium defendatur, nos inferiores in agendo non futuros; sin a consuetudine recedatur, se, quo impudentius egerit, hoc superiorem discessurum.* Pravissime (infinita illa oratione *A. Cæcinam — profugisse*

tanquam primaria sententia subiecta verbis *hoc rationis habuit*) Æbutius ex eo, quod, si facta vis esset moribus, superior non futurus fuerit, concludit, ideo Cæcinam arma timuisse et profugisse, quod contra ius moremque facta vis sit, quasi aut hoc ex illo altero sequatur aut ratiocinando inveniendum fuerit, cur Cæcina arma timuisset. Manifestum est, hæc duo, vim moribus factam et contra ius moremque factam, et utriusque rei effectus inter se comparari, et ex hac comparatione, quod in possessione retinenda vis moribus facta inutilis futura fuerit, vis armata et vera contra profuerit, concludi, eundem alibi (in iudicio) eventum futurum. Id ipsa illa verba docere possunt: *hoc rationis habuit* (hat diese Berechnung gemacht), quæ non ad pravam illam de Cæcinæ fugæ causa argumenti conclusionem apta sunt, sed ad coniecturam de futuro iudicii eventu ex iis, quæ ante facta essent, captam. Neque illa, in quibus caput sententiæ et enthymematis est: *nunc quoque* cet., si pro appendice et corollario plenæ iam conclusioni adiungerentur, sine particula eius adiunctionis indice (*item* similive) posita essent. Sed sentietur magis tota res, si ipsam Æbutii ratiocinationem recta oratione proposuero. Is igitur ita secum locuturus erat: „Si facta vis esset moribus, superior in retinenda possessione non fuissem; (nunc contra,) quia contra ius moremque facta est, A. Cæcina metu perterritus profugit. (Itaque) nunc quoque in iudicio, si causa more institutoque defendetur, illi inferiores in agendo non erunt; sin cet.“ Apparet, ubi conclusio argumenti sit, ubi non conclusio, sed duarum rerum comparatio, ex qua argumentum ducatur. Pone: „Itaque, quia contra ius moremque facta vis est, A. Cæcina profugit“: perversa omnia erunt. Hæc obliqua oratione sic efferentur: *Nisi forte hoc rationis habuit, quoniam, si facta vis esset moribus, superior in possessione retinenda non fuisset, quia* (autem) *contra ius moremque facta sit, A. Cæcina cum amicis metu perterritus profugerit, nunc quoque in iudicio, si —, nos in agendo non inferiores futuros, sin —, se — superiorem esse discessurum.* Ab hac tam perspicua, tam necessaria enthymematis forma Ciceronem in elaboratissimæ orationis exordio aberrare potuisse, persuadere mihi non possum, et quanquam reformidat pæne animus ita testimoniorum fidem convellere, tamen, quum considero, quid in initio divinationis acciderit, audeo suspicari,

in eo codice, unde nostri orti sunt, librarium, quum ad particulam *quoniam* unum tantum verbum referri putaret nec animadverteret, qua via ratiocinatio procederet, ubi apodosis esset, ex eo, quod alterum erat protasis membrum, apodosin effecisse et pro hac forma: *A. Cæcina — perterritus profugerit*, hanc substituisse: *A. Cæcinam — perterritum profugisse.* Illud animadverti velim, nec hoc loco nec § 80, ubi in omnibus codicibus sine ulla varietate perscripta sunt verba specie Latina, sensu cassa *etiam illa materia æquitatis*, nos codicis palimpsesti testimonium habere; quanquam eam, de qua hic ago, a sententiæ et conclusionis argumenti forma aberrationem etiam antiquiori, quam qui codicem illum palimpsestum scripsit, librario minus attento accidere potuisse credo. Sed quicquid id est, saltem aperiendum sententiæ, qualis nunc est, vitium fuit, si nihil aliud, ut ex eo criticorum genere, quod nosti, oriatur, qui nos doceat, ita, ut nunc scribitur, summa arte et elegantissimo iudicio Ciceronem scripsisse.[1])

(Ibd. § 27 miror apertissimam annotationem *hoc est mortem minaretur*, in qua ne minima quidem similitudo est veri apud Ciceronem usus formulæ *hoc est*, in vestro exemplo orationi insertam esse. Cicero saltem scripsisset: *malum, hoc est mortem, minaretur*, non verbum geminasset; sed nunquam hoc addidisset, malum a se, ut fere ab omnibus semper in illa locutione, significari mortem.)

Ibd. § 39 absolvenda erat emendatio recte interpungendo: *Quid ergo? Hoc quam habet vim, ut distare aliquid aut ex aliqua parte differre videatur* (barbare dicas: ad ullam differentiam efficiendam), *utrum — tum expellar ac deiiciar, an — ante occurratur, ne — aspirare possim? Quid* (inquam) *hoc ab illo differt, ut ille cogatur* cet. (hoc est iterum: ad efficiendum, ut ille —). Idem est *ut* coniunctionis usus ac quum dicitur, ut aliquid fiat, hac vel illa re opus esse, hoc vel illud deesse (aut superesse, hoc est restare), velut apud Ciceronem Parad. § 45: *cui tantum desit, ut expleat* (ad explendum) *id, quod exoptas*;

---

[1]) Commentaria eorum, qui hanc orationem enarrarunt, hæc mihi in chartam coniicienti ad manum non erant, ut, num quis ante me in hoc loco offensus esset, cuius sententia in Orellii vestrove exemplo annotata non esset, ignorarem. Hoc de ceteris quoque dictum sit.

apud Senecam Epist. 68, 11 (13): *Iam vitia lassavit; non multum superest, ut exstinguat*; apud Tacitum Ann. IV, 7: *Quantum superesse, ut collega dicatur?* Et tamen, ne sine causa hoc annotasse videar, aberravit Muretus in Seneca Epist. 42, 3: *Multorum crudelitas et ambitio et luxuria, ut paria pessimis faciat, fortunæ favore deficitur* (um es den schlechtesten gleich zu thun, fehlt ihnen nur die Gunst des Glücks); nam *ne* substituit; postea fuit, qui *ut* interpretaretur *quamvis*. [Cfr. Adv. Crit. II p. 477.]

Ibd. § 49: *Opinor. An tu — poterisne dicere deiectum esse eum, qui tactus non erit?* Pravam sententiam haec interrogandi forma efficit (oder wirst Du — sagen können), ut nihil dicam de geminata particula: *an tu — poterisne*. Ironice tanquam admirans Cicero negat adversarium ex sua ratione id dicere posse, quod dicturus videbatur (*diceresne esse deiectum? Opinor*). Hoc est: *Ain tu? qui tam diligenter — diiudicas, poterisne —?*[1])

(Ibd. § 66 restituendum est *interdicto — vindicari*. Quum errore factum esset *vindicavi*, hinc natum est *interdictum*; perfectum tempus prorsus perversum est. Post *haberi oportere* male sublata est interrogationis nota.)

Ibd. § 69. Omnis hic locus est de auctoritate rerum ante iudicatarum contra responsa iurisperitorum; itaque perfecto tempore Cicero utitur (*est aliquando contra iudicatum — id fuit ius*). Vide igitur, quam hoc pravum sit etiam in ipsa temporum in eadem sententia confusione: *Deinde si de iure vario quidpiam iudicatum est, non potius contra iurisconsultos statuunt, si aliter pronuntiatum est ac Mucio placuit, quam ex eorum auctoritate, si, ut Manilius statuebat, sic est iudicatum.* Apparet scribendum esse *statuerunt*. (Vix Latine mihi dici videtur: *illud — non est iuris*; certe constanter alibi, ubi quæritur, quid pro iure valeat, dicitur *hoc esse ius*, ut paucis verbis ante: *id fuit ius, quod iudicatum est.* Vides, opinor, quid suspicer; nam et § 97 codices pro *religionem* habent *religionis* et § 98 *civitate* pro *civitas*. Ne *moris esse* quidem Cicero in iis, quos habemus, libris dicit nisi addito genitivo

---

[1]) [Idem Bakio in mentem venisse, Halmius admonet.]

[*moris Græcorum*, hoc est Græci], ut postea dixerunt. Apud scriptores Ciceroni æquales *moris esse* omnino non reperiri puto.

Ibd. § 72: *Illud enim potest dici iudici —: „Iudica hoc factum esse aut nunquam esse factum vel cogitatum; crede huic testi; has comproba tabulas"; hoc non potest: „Cui filius agnatus sit, eius testamentum non esse ruptum, iudica; quod mulier sine tutore auctore promiserit, deberi"*. Duo vitia hæc oratio habet, quæ figuram eius pervertunt, unum, quod in priore, quæ fingitur, iudicis compellatione singulæ partes suos habent imperativos, in altera pro duobus unus est, alterum, quod is imperativus quasi occultatur et supprimitur, languide subiectus priori compellationis parti; debebat autem extolli initio positus ut in priore compellatione. Vide nunc, quam opportune quamque egregie subveniat codex Tegernseensis, modo in una litterula hæc eius adiuvetur scriptura: *potest se at ne, cui filius* cet. (nam in ceteris codicibus, in quibus est *potest esse cui f.*, obscurius indicium veri est, indicium tamen): *hoc non potest: Statue, cui filius agnatus sit, eius testamentum non esse ruptum; iudica, quod mulier s. t. a. promiserit, deberi.* Et duos imperativos nacti sumus et rectis locis positos.

Ibd. § 73 scribendum est: *Quid* (pro *quod*) *enim est ius civile? Quod neque inflecti — possit.* (Quæ res —? ea, quæ —. Vides, substantivum requiri.)

Ibd. § 78 scribi oportet: *nunquam eius auctoritatem nimium valere, cuius prudentiam — p. R. — perspexerit; qui — nunquam seiunxerit; qui — præbuerit; qui ita iustus sit* (pro *est*) *et bonus vir —; cuius tantum sit* (pro *est*) *ingenium —*. Apparet in orationis forma ceteris ex partibus dlligentissime composita et servata etiam verbi modum eundem necessario tenendum fuisse; qui quum in ceteris verbis ter servatus esset, librarius in extremi verbi forma ad mutandum opportuna aberravit; nam ut sæpissime ex *est* (*st*) librarii *sit* fecerunt, ita minime raro *est* e *sit*.

Ibd. § 103. In hoc loco Baiterus et a sententia aberravit et a codicum vestigiis, cuius coniectura vel hoc uno argumento convincitur, quod in eleganti hac et ornata clausula exile illud et languidum pronomen *id* respondere iubetur ex altera parte his: *quam ne dissolute rem relinquere videretur.* Mommsenius sententiæ formam vidit ac fortasse etiam ipsa verba. Fieri

tamen potest, ut adverbium, cui contrarium respondet *dissolute*, comparativo gradu positum lateat in *aliud* aut *aliquid*; aptissima enim hæc quoque erunt: *ut id non minus in hac causa laborarit, ne quid* (ex *neque* in cod. Tegerns., V, aliquot Kelleri) *contendere acrius quam ne dissolute relinquere videretur*. Sed incerta diiudicatio est.[1])

Longius, quam putaveram, me provexit renascens, quum aliquando ad hoc scribendi genus redii, nescio qui amor et ex inveniendis et demonstrandis quamvis minutis rebus voluptas. Itaque iam prope convicio ad alia meditanda et agenda vocor, vix ut spatium mihi relinquatur me tibi commendandi. Faciam igitur brevissime et sine ullo verborum ambitiosorum ornatu. Vale et tuas res bene age!

Haunia die XIV m. Octobris a MDCCCLV.

Coniecturæ de locis Ciceronis orationum Philippicarum quattuor postremarum, ad Car. Halmium.

Phil. XI, 4, 8 verba sic distinguenda sunt: *„Dolores Trebonius pertulit magnos." Multi ex morbi gravitate maiores, quos — solemus dicere. „Longus fuit dolor." Bidui; at compluribus annorum sæpe multorum*. Certi nec admodum longi temporis significatio (*bidui*) non apte includitur in querelam de doloris diuturnitate; contra elevationi aptissima est: Quam igitur longus? Bidui omnino; at —.

Ibd. 9, 22: *tamen rerum natura cogit te necessario referre animum aliquando ad Dolabellam persequendum*. Non nunc quidem, quum nihil ad Pansam Asia et Dolabella pertinent; sed fiet id, si, quod Cicero dissuadet, consulibus designatis, Hirtio et Pansæ, Asia et Syriæ decretæ erunt. Itaque scribendum videtur *coget te*.[2])

---

[1]) [Pro iis, quæ de extrema parte orationis § 104 scripseram, meliora substitui Adv. Crit. III p. 126 sqq.]

[2]) [Sic Halmius se codicem Tegernseensem et Bernensem secutum scripsisse mihi significavit.]

Ibd. 11, 26 paulo propius ad codicum vestigia, quam tu accessisti, accesserimus, si sic scripserimus: *Decernerem plane, sicut multa in coss., alter ambove, ni —*. Nominativus accommodatur ad id, quod præcedit: *aut M. Brutus aut C. Cassius aut uterque.* (Paulo post vera mihi semper visa est Ferrarii coniectura: *non ut eo ex acie respectum* cet. Ex acie, quæ in Italia contra Antonium instruatur et pugnet, ad M. Brutum et in Græciam respici non vult, ne in eo respectu fugæ cogitatio lateat, sed ipsam illam Italicam aciem subsidio Bruti et Græciæ firmari.)

Ibd. 13, 32: *Animus* (C. Cassii) *is est, quem videtis; copiæ, quas audistis, fortis et constantis viri, qui ne vivo quidem Trebonio Dolabellæ latrocinium in Syriam penetrare sivisset. Allienus, familiaris et necessarius meus* cet. Admodum perverse, si hæc sic Cicero scripsit, quum, laudato Cassii ipsius animo, copias eius demonstrare vellet et extollere, iterum ipsius Cassii animi laudem posuit, fortem et constantem virum appellans. Huic autem laudi mire et sine ullo sententiæ orationisve transitu Allieni mentio subiicitur; nec his, ut nunc locus scribitur, ullo modo convenit ea, quæ sequitur, orationis forma, in qua apparet continuari cœptam iam ante Cassii copiarum enumerationem: *Est* (porro) *Q. Cæcilii Bassi — exercitus.* In hac autem enumeratione nullo modo initium ab Allieno legato fieri poterat, omissis, qui ante omnes nominandi erant, Q. Marcio Crispo et L. Statio Murco. Nihil certius est quam excidisse hic nonnulla, quæ de his ipsis hominibus dicta a Cicerone essent, et aut ad alterum ex iis pertinere illam fortitudinis et constantiæ laudem, ut hæc fuerit fere sententiæ forma: *copiæ, quas audistis*: [primum legiones egregiæ Q. Marcii, —, deinde L. Statii,] *fortis et constantis viri, qui* cet., aut ad utrumque, si ceterorum codicum testimoniis confirmatum erit indicium, quod in Oxoniensi altero fit hac scriptura: *fortes et constantes viri — passi fuissent*, ut ad hanc formam sententia decucurrerit: *copiæ, quas audistis*: [primum eæ legiones, quas Q. Marcius, L. Statius habent,] *fortes et constantes viri.* Sed vix credo confirmatum iri. (Quod *primum* posui, tantummodo enumerationem significo; eius alia potuit esse forma, velut hæc: Sunt legiones egregiæ Q. Marcii, — sunt L. Statii, *fortis* cet.)

Ibd. 15, 38: *Non vereor, ne acerbus civis quisquam istorum sit, qui otio delectantur.* Recte sensisti mendum subesse. Non quæritur, quisquamne ex altero illo veteranorum genere, qui otio delectentur, acerbus sit (et cui acerbus?), sed, quum Cicero, iis respondens, qui veteranorum nomen obiicerent eosque Cassii honoribus offensum iri dicerent, in tria genera veteranos descripsisset primumque ostendisset, iis veteranis, qui D. Brutum liberare cuperent, Cassii nomen invisum esse non posse, deinde significat, ne alteri quidem generi id odio esse. Itaque utrum ipsis illis, qui otio delectentur, acerbum sit id, de quo dicitur, necne sit, quæritur, apteque ad hanc sententiam subiicitur, Ciceronem, quid tertio generi acerbum sit, adeo non curare, ut acerbissimum dolorem ei inurere cupiat. Apparet scribendum esse: *Non vereor, ne acerbus . . . quoiquam istorum sit, qui otio delectantur.* Sed *civis* nomen correptum est; neque enim ipse Cassius *acerbus* aut nude aut addito illo nomine (*acerbus civis*) negatur esse, sed honores illi delati, provincia mandata, cetera ex hoc genere. Fuitne: *ne acerbus nuntius* (de nostris decretis) *cuiquam istorum sit* cet.?

Phil. XII, 12, 29: *Facite hoc meum consilium legiones novas non improbare; nam Martiam et quartam nihil præter dignitatem et decus comprobaturas esse certo scio; quid? veteranos non veremur?* Hæc etsi per se non magno opere offendunt (nam aliquid saltem offensionis habet *comprobandi* verbum, quod ad consilia et sententias aptum est, ad dignitatem et decus relatum, quæ sequimur et spectamus magis quam comprobamus), mendi tamen suspicio vehemens nascitur ex eo, quod codices inter *nihil* et *præter* interponunt *cogitetis*, Tegernseensis autem, paulo ceteris melior, *cogitatis.* Et adest certissima emendatio; scripsit enim Cicero: *nam Martiam et quartam, nihil cogitantes præter dignitatem et decus, comprobaturas esse* (consilium meum) *certo scio.* Ex antiquiore in accusativo scriptura *cogitantis* factum est *cogitatis.* Eodem mendo in oratione XIV § 6 pro *dubitantes*, quod recte editur, codices habent *dubitatis*, apud Livium XLII, 26 extr. pro *fluctuantes* in codice scribitur *fluctuatis*, nec difficile esset alia exempla addere.

Phil. XIII, 3, 6: *Sin responderit: Tu vero ita vitam corpusque servato, ita fortunas* cet. Quod tu, quoniam *servato* in

codice Vaticano non legitur, substituis: *Tu vero tuere*, verbum ipsum sagacissime a te inventum puto, sed id in illis ipsis litteris *tu vero* latere scribendumque esse: *Tuere ita* cet. Nam illa quasi dubitantis confirmatio, quæ est in *Tu vero*, vix apta est, saltem non necessaria.

Ibd. 5, 12: *Utrum igitur augurem Iovis optimi maximi, cuius interpretes internuntiique constituti sumus, utrum populus Romanus libentius sanciet, Pompeium an Antonium?* Recte sensisti figuram orationis perturbatam esse et ex geminato pronomine *utrum* apparere præter populi Romani etiam aliorum quorundam, hoc est ipsius collegii, sanctionem significatam a Cicerone fuisse; sed illud *augurem Iovis optimi maximi*, in quo significatur, quanta dignitas agatur, mutari non debet. Itaque sic potius scribendum est: *Utrum igitur augurem Iovis optimi maximi, cuius — constituti sumus, nos, utrum populus Romanus libentius sanciet —?* Vides id subiectum, quod tu quærebas, eo loco positum, ubi poni ad orationis figuram debet, eo vocabulo notatum, quod ibi facillime excidere poterat.

Ibd. 13, 28: *Est quidem alter Saserna; sed omnes* cet Nimis nude h. l. dicitur *est*, prave *quidem* quum per se, tum quod Ciceronis consuetudine ea particula in concedendo non subiicitur verbo. Scribi debet: *Est ibidem alter Saserna; sed* cet. Præcessit paulo ante: *Est etiam ibi Decius.*

Ibd. 15, 31: *Vide, ne tu veteranos tamen eos, qui erant perditi, perdideris* cet. Pravo loco ponitur *tamen* nec sententia ea efficitur, quæ debet. Ea huiusmodi est: *vide, ne tu veteranos, eos tamen, qui erant perditi, perdideris.* Nam boni et honesti veterani se ab Antonii consiliis removerant. Videtur pronomen excidisse post *veteranos*, deinde loco non recto suppletum esse. Potest tamen etiam sic scriptum fuisse: *veteranos, set tamen eos, qui* cet., et *set* inter *s* et *t* excidisse.

Ibd. 17, 35: *Quoniam vos assentationibus et venenatis muneribus venistis. — Depravati aut corrupti sunt, quibus persuasum est fœdissimum hostem iustissimo bello persequi?* Vitiata hæc esse, iure statuis et manifestum est, correctio difficilis. Veniebat mihi in mentem: *Quanquam eos vos assentationibus et venenatis muneribus venistis depravatum. — Itane?*

Corrupti sunt, quibus persuasum est cet. (*Depravatum* vides me a te sumere.) Apparet iis, quæ Antonius obscure minans de veteranis dixerat, contraria esse nec causali particula adiungi posse, quæ de tentato eorum animo adversariorum promissis et blanditiis addit. Sed et alia dubitationem habent et variatum verbum in his *depravatum* — *corrupti*, quum præsertim in eo codice, qui paulo ceteris melior videtur, totum illud *depravati* omitti scribas. Insolens etiam apud Ciceronem *persuasum est* (*alicui*) cum infinitivo constructum pro *ut*, non tamen ut corrigendum continuo sit, quum et *permitto alicui facere* et *conceditur mihi facere* dixerit, etsi non prorsus eadem est verbi, quod est *persuadeo*, ratio.

Ibd. 17, 36: *Difficile est credere, eos, qui me præcipitem egerint æquissimas condiciones ferentem et tamen ex his aliquid remittere cogitantem, putare aliquid moderate aut humane esse facturos.* Incredibile est, Antonium in facillimo et brevissimo verborum complexu post *credere* prorsus inaniter addidisse *putare.* Sine dubio delendum est *credere*, quod aliquis oscitans addidit ad *difficile est* nec animadvertens sequi *putare.* Sed qui factum dicam, ut apertissimam orationis perturbationem, duobus pro uno verbis positis, nemo viderit, nemo notaverit? Nam etsi multos novi interpretes nihil reformidantes, non puto tamen me reperturum, qui neget hæc sic cohærere: *Difficile est putare* (*credere*), *eos, qui me — egerint, — facturos esse.*

Ibd. 19, 44 quum Cicero sic scripsisset: *nisi forte eum subsidio tibi venire arbitraris cum fortissimis legionibus, maximo equitatu Gallorum*, Romanis legionibus peregrinum equitatum adiungens, fuit, qui Gallorum aut utrasque copias aut idem genus, cuius legiones essent, commemorari vellet. Hinc turbæ codicum natæ sunt.

Ibd. 21, 49: *Cum hoc pacem M. Lepidus, si hæc videret denique aut vellet aut fieri posse arbitraretur?* Sive ante *denique* sive post eam vocem comma ponas, æque prava oratio sit, quoniam nihil omnino est, quo *denique* referatur. Opinor, Ciceronem scripsisse: *si hæc videret, audiret denique* (id est, aut saltem audiret absens e longinquo), *aut vellet aut fieri posse arbitraretur?* Poterat etiam dici: *si hæc videret, aut*

vellet fieri aut denique fieri posse arbitraretur? Sed longius id discedit.

Phil. XIV, 3, 8: *vel, si etiam dii oderint, quos oportet, omnium deorum.* Scribe *oderunt.* Coniunctivi causa ne fingi quidem potest. Et video verum ex Oxon. altero annotari.[1])

Ibd. 6, 15 fuitne: *furiis potius suis quam rei publicæ infelicem,* ut furiosos homines eo congregari solitos significet?

Ibd. 7, 19: *Poteratne fieri, ut non perinde homines de quoque, ut quisque mereretur, iudicarent?* Parum recte hæc ad unum præteriti temporis punctum referri videntur, quod ne significatum quidem satis est, quum præsertim præcedat: *Hæc pop. Rom. videre — quidam moleste ferunt* (non *ferebant*). Mihi Cicero universe hæc dixisse videtur: *Poteritne fieri, ut non perinde homines de quoque, ut quisque meretur, iudicent?*

Ibd. 8, 23: *Grave bellum Octavianum insecutum est; supplicatio Cinnæ nulla victoris.* Cinnæ nomen ex annotatione illatum esse arguit pravus verborum ordo, arguit orationis forma et trium membrorum æqualitas: *Supplicationis mentio nulla,* deinde: *supplicatio nulla victoris,* tum: *nulla supplicatio decreta a senatu.* Hominum nomina ponuntur in ipsis bellis significandis: *Civile bellum consul Sulla gessit,* tum: *Octavianum bellum,* postremo: *Cinnæ victoriam imperator ultus est Sulla.*

Ibd. 14, 38 (extrema oratione): *ut exstet ad memoriam posteritatis sempiternam, ad scelus crudelissimorum hostium militumque divinam virtutem.* Miror tam patienter editores hæc tulisse. Quæ est enim maior aut manifestior perversitas quam monumentum dici exstare *ad scelus hostium* et *ad militum virtutem* aut coniungi tanquam ex eodem genere *memoriam posteritatis sempiternam* et *scelus hostium?* Nisi fallor, Cicero scripsit: *ut testetur ad memoriam posteritatis sempiternam scelus crudelissimorum hostium militumque divinam virtutem.* Initium mendi a littera *t* semel scripta, quum bis scribi deberet (*ut estetur*, deinde *ut exstet*; tum additum

---

[1]) [Hoc Halmius se quoque correxisse scribit.]

ad). Id quidem certissimum est, huiusmodi fuisse sententiam.[1])

---

[1]) [Halmius se præpositione sublata sic totum locum in eandem sententiam e cod. Bernensi emendasse mihi per litteras significavit: *ut exstet ad memoriam post. sempiternam scelus crudelissimorum hostium militumque divina virtus.* Bene, si *divina virtus* in codice est.]

XXII.

Ex præfatione editionis quartæ orationum selectarum Ciceronis (Hauniæ 1858), interpositis paucis ex præfationibus reliquarum editionum.[1])

In oratione *pro Roscio Amerino* codices duo, quorum scripturæ in editione Turicensi annotatæ sunt, genere ipso a ceteris non diiuncti neque vetustiores, sed diligentius collati, in locis gravius corruptis nihil fere novi auxilii tulerunt; itaque in § 11, ut haberent magistri, quod interpretari possent, reliqui, quod ante decem annos posueram *e manifestis maleficiis — dimissui futuram*, non ignarus, quid id dubitationis haberet.[2])

[1]) [Omissis iis, quæ initio et alibi universe dixeram de auctis Halmii et Baiteri opera subsidiis deque illorum iudiciis non multum deflectentibus a meis, denique de scholasticæ editionis rationibus, ea hic repetenda curo, quæ de certis orationibus orationumque locis disputaveram.]

[2]) In præfat. ed. 3 scripseram: Quum in codicibus sic scriptum sit: *Omnes hanc quæstionem te prætore manifestis maleficiis quotidianoque sanguine demissum* (aut *demissius* aut *dimissius*) *sperant futuram*, hinc, una littera *e* geminata ad ablativos cum reliqua oratione copulandos, hæc forma efficitur orationis et sententiæ: *hanc quæstionem te prætore e manifestis maleficiis quotidianoque sanguine dimissui sperant futuram*, hoc est, liberationi, ut aliquando ex his malis dimittamur et exsol-

§ 26, ubi editur consentientibus codicibus: *deinde aliquanto lentius, nihil agere atque deludere*, Halmius vocabulum *nihil* tolli voluit, ut esset: *deinde aliquanto lentius agere*, non vera, opinor, coniectura. Neque enim in hoc *lentius agere*, quamvis addatur *aliquanto*, rectus est adscensus a superiore gradu: *rem differre quotidie ac procrastinare* (quod ipsum est lente agere), potiusque sic dici videtur, quasi ante dictum sit, initio promptæ voluntatis atque actionis speciem aliquam simulatam esse. Contra recte homines illi, de quibus Cicero agit, dicuntur, quum initio rem quotidie distulissent, deinde aliquanto lentius, hoc est, magis ad preces et exhortationes alterorum immoti (ut si nos dicamus: med end større Træghed og Ubevægelighed, mit noch gröszerer Trägheit), nihil agere cœpisse (at forholde sig aldeles passive).

§ 31, ubi antea edebatur: *licet hercules undique omnes in me terrores periculaque impendeant omnia*, quum in codicibus pro *in me* scriptum sit *minæ* (*mine*), Halmius, Baiteri coniecturam secutus, posuit: *omnes mihi minæ, terrores*, recte sublato genere loquendi inusitato (*impendere in aliquem*), sine necessitate addito *mihi*. Sed apparet in hac geminatione adiectivi (*omnes minæ — periculaque omnia*) ferri non posse primo substantivo additum sine copula alterum *terrores*; itaque scripsi, geminatis duabus litteris, *minæ et terrores*.

§ 35 vellem notassem additamentum simile non paucis aliis, quæ ex hac oratione et alii et ego sustulimus. Nam in hac sententia et eleganti trium rerum distributione: *Criminis confictionem accusator Erucius suscepit, audaciæ partes Roscii sibi poposcerunt, Chrysogonus autem, is qui plurimum potest, potentia pugnat*, quum Cicero in primo membro ut in altero et tertio personam uno nomine significasset, sed generis,

vamur. *Dimissui* alibi non legitur, nisi quod apud Charisium II, 14, 23 (p. 170 Putschii) cum similibus *translatui, receptui, ostentui* coniungitur; sed plura ex hoc genere raro dicuntur, ut *despicatui* apud Ciceronem semel legitur, ante autem apud Plautum, nec post usitatum; et in primæ ætatis orationibus Cicero et vocabula nonnulla et constructiones posuit, quibus postea abstinuit. Illud tamen non omittendum, ea, quæ similiter formantur, fere sic cum verbo *esse* coniungi, ut passive de subiecto intelligantur (ut *esse despicatui, irrisui, contemptui*, cet.).

non hominis (quia criminis confictio non tam certi hominis erat quam eius, quicunque conductus esset ab Rosciis et Chrysogono), ut hæc inter se referrentur: *accusator—Roscii—Chrysogonus*, postea ab aliquo adscriptum est ipsum Erucii nomen.

§ 61 Halmius Hotomani coniecturam Lambino probatam sequens sic scripsit: *restitue nobis aliquando veterem tuam illam calliditatem atque prudentiam, aut confitere te huc ea spe venisse, quod putares hic latrocinium, non iudicium futurum*, addiditque, qualis in vulgata scriptura (*prudentiam; confitere, huc* cet.) sententia esset, aliis se demonstrandum relinquere. Ea demonstratio (pace egregiorum virorum dixerim) non ita difficilis est; ipsa enim confessione calliditatem restitutum iri Cicero significat, scitissime ludens. Nunc enim, Cicerone contra dicente, Erucii argumenta tam nugatoria esse apparet, ut obtusi ingenii accusator videatur, qui non speciosiora excogitaverit aut, si id non potuerit, omnino in certamen descenderit; salva autem erit calliditatis laus, si Erucius confessus fuerit, minime se fugisse, quam parum ad persuadendum ponderis in accusatione esset, sed credidisse se, neminem responsurum, ut quidvis confingere et dicere satis esset. Contra in Hotomani coniectura nulla est recta sententia; neque enim optio dabatur Erucio, ut *aut* hæc confiteretur *aut* veterem calliditatem restitueret; nulla enim alia eius restituendæ potestas supererat, accusatione iam peracta.

§ 80 edebatur: *Quid ergo est, quo tandem accusator inopia argumentorum confugerit?* ambagibus interrogandi non Latinis: itaque iam ante separavi notam illam interrogandi formam (*Quid ergo est?*), qua utimur, quum, aliis reiectis, instamus et id, quod caput et verum est, subiecturi sumus. Sed vitiosus est coniunctivus; neque enim quasi deliberans de futuro Cicero interrogat, sed quid Erucius iam dixerit. Etiam Halmius (in Add. et edit. minore) *confugit* scribi voluit, sed interpunctionem vulgarem retinuit.[1])

---

[1]) Ex præf. ed. 6: § 89 „*possis*, si verum esset, infinite positum esset = man kann; sed secunda persona eundem dici, qui supra in illis: *esses* . . . *diceres* . . . *iactares* . . . *te oratio deficeret*, facile quum ex proxime sequentibus: *te copiosius quam me dicere* . . . *te accusatorem fecit* intelligitur, tum ex § 91: *ut coepi dicere, et Erucius, hæc si haberet in causa, posset ea quamvis diu dicere, et ego possum.*“ Wesenberg. De

§ 114 in codicibus et editionibus sic scriptum est: *Si hanc ei* (T. Roscio) *rem privatim Sex. Roscius mandavisset, ut cum Chrysogono—decideret, inque eam rem fidem suam—interponeret, ille, qui sese facturum recepisset, nonne, si ex eo negotio tantulum in rem suam convertisset, damnatus per arbitrum—honestatem omnem amitteret?* Facile apparet diligentius attendenti, aliquid esse vitii; nam sic personæ notatio (*ille, qui*) præponitur particulæ interrogativæ, quasi in illa pondus sententiæ sit, quod contra est; tum orationis forma primum auditorem lectoremque decipit, tanquam nova persona inducatur, deinde autem, quoniam eadem est persona, prava nascitur sententiæ relativæ causalis significatio; neque enim dictum est, T. Roscium rem recepisse. Perspicuum est, condicionem sic poni debere, ut significetur res utriusque consensu pacta: *Si hanc rem ei Sex. Roscius mandasset — illeque* (T. Roscius) — *recepisset, nonne —?* Itaque unam litteram mutavi (*e* pro *i*).

In *Catilinariis*, quum primum eas edidi, standum plerumque erat, quibus ceteri steterant, testimoniis codicum recentium parumque diligenter collatorum, de quo tum questus sum; nam antiquiores et præstantiores raro commemorabantur, Coloniensis a Gulielmo et Modio, Tegernseensis et Salisburgensis a Steinmetzio. Deinde Orellius a. 1836 in editione XV orationum selectarum duorum codicum scripturas integras evulgavit antiquitate et memorabili in aliquot locis varietate proprietateque longe a vulgarium grege remotorum, Rhenaugiensis (sæc. XII; notabo cum Halmio littera *r*) et Tegernseensis (sæc. XI, *t*), quorum testimoniis in altera editione ita usus sum, ut, quid esset dubitationis et cautionis, et intelligerem et explicarem

---

coniunctivo hypothetico ab *ut* pendente vid. Madv. Opusc. II p. 228. Itaque edidi *posses.* — Ex præf. ed. 5: § 102 Halmius in his verbis: *ut in minimis rebus homines amplissimi testimonium de sua re non dicerent* ante *in minimis* addidit *vel*, ne hæc sententia esset, in maximis tantum rebus homines amplissimos testimonium de sua re dicere. Verum ea sententia tum demum subesset, si Cicero scripsisset: *ut non in minimis rebus . . . dicerent*; nec Cicero *vel in minimis . . . non dicerent* posuisset, sed *ne in minimis quidem.* Verum hoc ipsum ea, qua usus est, orationis forma significatur, quemadmodum § 77 scribitur: *unus puer . . . Sex. Roscio relictus non est,* de quo loco comparando Siesbyeus me admonuit, similiterque de prov. cons. § 7: *unum signum . . . nullum haberent.*

(Opusc. Acad. II p. 331 sqq.). Ea disputatio confirmata dubitationisque tollendæ et certius, quantum res in his orationibus patitur, insistendi subsidia egregia allata sunt Halmii studiis; nam præterquam quod codices Tegernseensem et Rhenaugiensem iterum contulit et errores aliquot correxit, et Salisburgensem (sæc. XI, *s*) plene excussit et his addidit plures a se, Baitero, aliis collatos, antiquitate quidem præstantes et cum tribus illis certantes Benedictoburanum (sæc. XII, *b*) et Egmontanum (sæc. XI, *u*), sed alios quoque minime contemnendos, aut recentissima illa codicum ætate priores, qui circa renascentium in Italia litterarum tempora scripti sunt, Indersdorfensem (sæc. XIII, *i*) et Windbergensem (sæc. XIII, *w*), aut ætatem bonitate superantes, ut e Lagomarsinianis unum (sæc. XIV, *a*). Ac primum his collectis copiis plane perspicuum fit, quod antea aliqua ex parte intelligebatur, in his orationibus, quæ et in veterum rhetorum et grammaticorum scholis regnarunt et media illa ætate studiosius quam ullæ aliæ lectitatæ sunt, et perantiqua multa esse menda et summam iam in vetustioribus codicibus esse varietatem quum in addendis detrahendisque verbis tum in aliis rebus. Ex quinque autem illis codicibus, qui ex his nuper et plene collatis in primo ordine antiquitatis collocandi sunt, similitudine et cognatione inter se copulantur primum *b* et *s*, deinde *u* et *t*, ad quos tum adiungitur, tum sua et propria habet *r*; *i* autem et *a* sic ad *b* et *s* aggregantur, *w* ad *r*, ut tamen et in his et in aliis non parva sit interdum quasi suffragiorum confusio, [velut II, 13 in *ubi fuisset* et II, 22 in *talaribus* et *tritis*]. Quod autem antea et senseram et dixeram (in præfatione editionis alterius, Opusc. Ac. II p. 331 et 337), codices Rhenaugiensem et Tegernseensem, quamvis essent antiqui et præstantes, tamen non ita paucis locis interpolationis longe etiam progressæ notas habere cedereque integritate videri Coloniensi et Salisburgensi, id nunc prorsus confirmatur, Salisburgensi plenius cognito et adiecto quasi socio Benedictoburano; itaque Halmius quoque in graviore dissensu longe sæpius hanc partem secutus est et, quum in tertia demum minoris exempli editione rem plane firmiterque perspexisset et iudicasset, etiam minora multa, in quibus in editione maiore aliis codicibus obsecutus erat, ad horum auctori-

tatem revocavit.[1]) Sed tamen ita hi duo codices (*bs*) cum suis asseclis universa comparatione ceteros nonnihil vincunt, ut non ita paucis locis ipsi manifesto depravati cedant veræ scripturæ certissimis notis emergenti aut ex *rtu* coniunctis et aliorum grege aut ex *tu* solis[2]) aut cum paucis (ut in loco maxime omnium memorabili II, 27, ubi illi duo soli tenent scripturam suopte genere et grammaticorum testimoniis certam *conivere possum*, *w* autem eam coniunctam habet cum interpolata: *conivere vel consulere sibi possunt*, in leviore autem exemplo IV, 3, ubi illi cum tribus omnino aliis apud Halmium habent *misera sapienti*, ceteri omnes *misera adspicienti*, etiam *brsaiw*) aut ex *rt* (ut III, 10 *videretur* cum *w* et aliis) aut ex *r* (ut III, 20, ubi ille cum *wi* aliisque quibusdam habet proprium verbum *locaverunt*, *bs* et quidam alii *collocaverunt*, natum ex eodem verbo proxime præcedenti, *tu* autem et alii prorsus prave et licenter *statuerunt*. III, 22, ubi *r* cum *iw* et quibusdam aliis recte *non nolle*, ceteri *nolle* aut *non velle* aut *velle*. IV, 14, ubi in illo et paucis aliis est *sentirent*, in *tua sentire*, in *bsi senti-*

---

[1]) Codicum *bs* cum *rtu* aliisque comparatorum bonitas et integritas aliorumque (maxime *ai* et Coloniensis) cum iis copulatio perspici potest his locis: I § 4 (*patre, avo, maioribus*, vid. Opusc. II p. 331), 5 (*interficiere*, ibd. p. 334), 15 (om. *nihil agis* cum *t* ex altero ordine), II, 22 (*talaribus*, ibd. 332), 27 (*quia sunt cives*), 29 (om. *atque*). Ex tertia et quarta oratione satis erit exempli causa demonstrasse III, 3 (*exspectatis* et *restitissent*, vid. Op. II p. 332), 18 (*humani consilii tantarum rerum gubernatio esse potuisse*; ibd. p. 333), 21 (*ea per cives*), IV, 11 (*exsolvitis*). Rursus (præter illos locos, in quibus ostendi veram scripturam ex *rtu* aut aliis sumptam esse) sua menda interpolationemque aut soli aut cum paucis habere deprehenduntur in oratione III et IV his maxime locis: III, 16 (om. *adipes* cum *a* et paucis aliis), 17 (soli prave addunt *potuit*), 21 (*Iovis Optimi Maximi omnium* cum *i*), 22 (*nolle* pro *non nolle* cum *a*, aliis), IV, 10 (*levando a se* cum *ail*, unde in uno *lev. a senatu*), 14 (*hominum ordines*), 19 (*non modo non* cum *a* et pluribus; Halmius pravam scripturam in editione minore abiecit; *non modo non* post *ne* orationem et sententiam evertit). [Cfr. ex prioribus orationibus I, 26 (*occisorum*), II, 10 (*res eorum*), II, 14 (*timidum*). IV, 17 turpi additamento dehonestatur.] Codices *r* et *t* (*u*) præter illam labem, quæ ex simili fonte nata ad plerosque codices manavit apparetque in illis locis, quibus codicum *bs* bonitatem perspici dixi, etiam quasdam habere proprias interpolationis non longius propagatæ notas, ostendi olim exemplis ex I, 15, III, 11, 16 sumptis.

[2]) *Solos* hic et alibi dico ex iis, quos novimus.

unt: etiam I, 14 solus ex principibus *r* cum *aw* et vulgaribus retinet *sileri*, errore in *bistu* omissum).

Sed etiam illi codices, quos propter ætatem in secundo testium loco posui, non solum principum illorum duos unumve contra ceteros adiuvant, sed etiam quædam habent propria, omnibus veritatis notis ita impressa, ut eos aliunde ortos sui aliquid boni retinuisse appareat. Nam ut concedam, dubium videri posse, in oratione I § 19 codexne *a* solus cum veteribus grammaticis servarit *ad M. Lepidum* (pro *apud*) et in II, 20 isne cum aliis quibusdam Lagomarsinianis[1]) caruerit nomine in ceteris addito *Fæsulas*, an utroque loco error subsit Lagomarsinii nihil ad emendatam scripturam editionis, qua utebatur, annotantis, illud dubium non est, quin II, 1 idem codex cum Gemblacensi habeat *ferro flammaque*, in II autem 4 solus omnium notorum *i* (Halmio teste) *in prætexta* sine ullo additamento, nec vero, quin in IV, 13 *Cassii* nomen, in ceteris, etiam principibus, errore omissum, servatum sit in *iw* tribusque aliis; in eodemque loco paulo ante tres, ut opinor, codices (*hk* et præterea unus Lagomarsinianus) recte scriptum habent *de summa re p.*, ad quod tamen proxime accedunt *rtu* tresque alii, in quibus est *de summa rei p.*; in ceteris, etiam *bsiw* et, mutato tantum ordine, *a* interpolando factum est *de summa dignitate rei p.* Hæc eiusmodi sunt, si II, 4 excipias, ut coniectura emendata esse nequeant, quod dici potest de I, 29, ubi principes omnes cum *iw*, aliis habent *vehementior*, *a* cum vulgaribus recte *vehementius*.[2]) Apparet (ut summam faciamus) per omnes codices multiplicibus stirpis ambagibus implicatos interpolationem pervasisse, verum non ab eodem initio nec æqualiter, quum non solum novos codices describendo propagaretur, sed in scholis sæpe ex aliis codicibus in alios diversæ originis sparsim transferretur. Communis omnium originis iam vitiatæ notas aliquot ex III et IV oratione posuisse sufficiat (III, 10 *præcepissent*; IV, 2 *sella curulis*, 9 *vindicat*, 11 *exsol-*

---

[1]) Ante multos annos suspicatus sum numeris aliquot Lagomarsinianis fere inde a 50 non codices manuscriptos significari, sed editiones typis expressas; id mihi in 53 et 65, qui sæpe apud Halmium ponuntur, prorsus certum est.

[2]) [Coniecturæ suspicio oriri potest etiam in I, 22, ubi *a* habet *duent*, proxime accedens ad verum *duint*.]

vitis. 12 om. *non*). Hæc igitur quum sit codicum condicio, auctoritate scripturæ exquisita et sic ponderata, ut præcipui aliquid tribuatur ei codicum sectæ, in qua *bs* sunt, nec tamen eo modo, quo alibi familia integra codicum interpolatæ constanter præfertur, in ceteris rationum momentis pensandis ante omnia spectari debet, quid interpolationis eiusmodi notam contineat, qualem in his orationibus versatam esse apparet. In hoc scripturæ delectu, in quo nunc, tanta facta apparatus critici mutatione, non pauca alium fidei et probabilitatis gradum tenent quam ante, ex multo maiore parte mihi cum Halmio convenire lætor. (In minoribus rebus, ut in ordine verborum, sed etiam in nonnullis maioribus consensus non apparebit nisi adhibita editione tertia minore Halmii.) Ex iis locis, quibus ab eo dissentio, subiiciam, quos commemorare operæ pretium puto; ordiar autem a re parva, scriptura codicum in loco aliquo contra meam coniecturam, quæ ad solam grammaticam orationis formam pertinet, minus caute a viro egregio defensa, ne eam coniecturam videar negligentia aut pertinacia retinuisse. Nam I, 31, quum sic scriptum esset in codicibus: *Ut sæpe homines ægri morbo gravi, quum æstu febrique iactantur, si aquam gelidam biberint, primo relevari videntur, deinde multo gravius — afflictantur, sic* cet., idem hic accidisse putavi, quod infinitis prope locis factum esse in hoc genere sententiarum temporalium condicionaliumque, quum diceretur, quid quamque rem sequi soleret, ostendi olim ad Cic. de fin. V § 41 p. 679 sqq. ed. 3 (cfr. Opusc. Ac. II p. 112 et p. 281, monitaque gramm. Latinæ edit. primæ adiuncta p. 65 ed. Germ.), ut pro *biberunt*, quod Cicero posuisset, substitueretur *biberint*. Halmius indicativum necessarium futurum fuisse iudicat, si soleret hoc fieri, ut homines aquam gelidam biberent; nunc agi de re, quæ semel aliquando fieri possit. In quo primum vir egregius non attendit, Ciceronem apertissime commemorare remedium ab ægris tentari solitum (*Ut sæpe — videntur*); deinde nihil ad rem pertinet, quam sæpe quid fieri cogitetur, modo simpliciter dicatur de eventu rem aliquam sequenti, non de experimento futuri temporis. Neque enim Latinum est: *Si quis fecerit, sentit*, sed aut: *si quis fecit* (facit), *sentit* aut: *si quis fecerit, sentiet*; tertia est forma mixta ex re ficta et sumpta et ex enuntiato generali (ut III, 15: *si — conferatur,*

hoc interest), quod genus ab hoc loco alienissimum est.[1]) Non dubito, quin Halmius in libro II de Divinat. § 145 recte scripturus sit, ut scio in codicibus bonis esse: *Gubernatores quum exsultantes loligines viderunt, tempestatem significari putant*; nunc editur *viderint*. (Video nunc in editione Teubneriana Klotzium recte scripsisse.)

II, 12 tenui eam, quam post alios secutus eram, coniecturam (coniectura enim est) *paruit, ivit. Hesterno die*, non quod certam putem, sed quod probabilem, oratione et sententia aptissimam, vestigiis codicum (*paruit qui ut hesterno die*) non satis congruentem. Nam quod Halmius, adscita paucorum codicum scriptura ex manifesta correctione orta (*paruit. Quid? Ut hesterno die* cet.), conatus est interpunctione loco subvenire eumque ad suam de primæ orationis rerumque a Cicerone commemoratarum tempore sententiam ita accommodare, ut omnis discrepantiæ species a Cicerone removeretur, non dubito, quin vir egregius admonitus facile intellecturus sit, quam infeliciter narrationem recte et eleganter per gradus rerum procedentem (ut notato tempore et rei agendæ initio, deinde scena quasi constituta, tum demum ipsa narratio adiungatur incipiens a demonstratione huius præparationis: *Hic ego*) perturbarit, quum in unam periodum multis modis incredibilem conflaret. Illud miror, qui eum fugerit, qui sic dicat: *Ut hesterno die, quum pæne interfectus essem, senatum in ædem Iovis convocavi, — quæsivi a Catilina* (etsi nemo sic ab *ut* orsurus erat, quum occasionem et primordia rei narrandæ significaret), eum non minus aperte, quam qui sic dicat: *Hesterno die, quum — pæne interfectus essem, senatum convocavi*, mortis periculum in hesternum diem conferre. Sententia enim per *quum* interposita, quoniam nullam habet ipsa temporis notam, utroque modo sub eam, quæ præcedit, cadit. Desinamus igitur ea, quæ integerrima sunt, lacerare litterarumque *qui ut* eam quæramus emendationem, quæ sententiam ab *Hesterno die* incipientem non attingat. Fuitne: *paruit atque ivit*, ut in repetita littera t (*itat*) mendi initium sit?[2])

---

[1]) Sua regula in secunda persona subiecti ficti dici coniunctivo modo: *si aquam biberis, levatio fit*, non Halmii causa dico.

[2]) II, 5 non ausus sum pro *ex* (*Gallicanis legionibus*) substituere *præ*, etsi durissimus ablativi usus est.

III, 7 retinui, qui in codicibus antiquioribus præter *ru* omnibus est, infinitivum alterius quoque verbi in his: *quum litteras a me prius aperiri quam ad senatum deferri placeret* (al. *referri*); Halmius *deferrem* posuit. Ea, quæ olim ad Ciceronis lib. IV de fin. § 20 p. 518 disputaveram de indicativo aut infinitivo post *potius quam* vix ferendo, exceptionem habent, (vid. Cic. de leg. agr. II § 6, [ad Famm. II, 16, 3], Cæs. B. G. VII, 78, [Liv. VII, 21, 1, XXXVII, 56, 10,] Sueton. Ner. 35, Tit. 9); de *prius quam* ipse ibi cautionem et exempla contraria posui, quibus et hoc addendum est et ad Attic. II, 20, 2 (Liv. IX, 14 extr.); magis dubium est, quod in or. pro Quint. 54 legitur: *ante fieri oportere quam — devenire*, etiam ob infinitivum activum.

III, 15 Halmius, codicibus *abcis* obsequens, scripsit: *P. Lentulus, quanquam, patefactis indiciis, confessionibus suis, iudicio senatus non modo prætoris ius, verum etiam civis amiserat, tamen magistratu se abdicavit*; in ceteris est *et confessionibus*. Uno ordine tria illa *indiciis, confessionibus suis, iudicio sen.* copulari cum verbo *amiserat* nequeunt, quod et alius generis duo priores ablativi sunt (*ved, durch*) atque tertius (*efter, nach*) et obstat participium primo additum (*patefactis*); multo minus *confessionibus suis* et *iudicio senatus* coniungi ex æquo possunt, non solum ob duram copulæ omissionem, sed quod *confessiones et indicia* uno genere continentur, non *confessiones et iudicium*; (rectissime contra diceretur *confessione sua et iudicio senatus*, ut significaretur, ipsum confessum esse, se ius civis amisisse); relinquitur, ut seorsum illud *confessionibus* accipiatur, ablativo instrumenti, ut fit non ita raro, cum ablativo alius generis (*iudicio senatus*) concurrente. Verum sic quoque prorsus perverse *confessiones* divelluntur ab *indiciis*. Itaque retinendam scripturam ex ceteris codicibus ductam putavi; quæ si tenetur, necessario *patefactus* scribendum est cum editionibus contra codices et propter *suis* et quod confessiones non patefiunt.

III, 18 codices *tuw* aliosque quosdam sequendos putavi, in quibus, ut in superioribus editionibus, sic scriptum est: *Nam ut illa omittam, visas — faces ardoremque cæli, ut fulminum iactus, ut terræ motus ceteraque, quæ tam multa* cet., potius quam, quos Halmius secutus est, *brs* multosque alios, qui extrema sic scripta habent: *ut terræ motus relinquam, ut*

omittam cetera, quæ tam multa cet. Nam et molesta est verborum copia, rediens præsertim ad idem, quod initio positum erat, *omittam*, et ineleganter et sine ulla causa in hac enumeratione: *ut illa omittam —, ut fulminum iactus, ut terræ motus*, tertium hoc membrum a prioribus divellitur.

III, 22. Quid sit vitii in utraque codicum scriptura (*iam vero illa Allobrogum sollicitatio, iam ab Lentulo* et: *iam vero illa Allobrogum sollicitatio sic ab Lentulo*), apparet: in utraque enim nominativus hic *illa Allobrogum sollicitatio* verbo caret; sed ei, quam olim proposui, coniecturæ, in quam etiam Ernestius inciderat, nihil a codicibus subsidii accessit; contra in eo genere codicum, cui plus tribuimus, vestigia interpolationis videntur deprehendi in geminato *iam*. Itaque Mommsenii coniecturam secutus sustuli verba *illa Allobrogum sollicitatio*, quæ ex § 14 ducta adscriptaque puto ad illa *tantæ res*. Quæ præterea Mommsenius mutavit, mutari nihil opus est.

III, 26. Quod Halmio ab alio persuasum est, hæc verba: *ad memoriam consulatus mei unoque tempore — duos exstitisse cives* sic intelligi posse, ut sententia infinita copuletur cum genitivo *consulatus mei* sitque pro altero genitivo ad memoriæ nomen adiuncto, sine ulla veri similitudine et contra Latini sermonis naturam fingitur, obversante aut Græci sermonis, in quo articulus infinitæ sententiæ præponitur, imagine aut Germanici, in quo, ut in nostro, idem alio modo efficitur (*daran, dass*). Itaque si nihil gravioris vitii subest, quod ante suspicatus sum, tollenda particula est, ut sententia infinita appositione adiungatur ad illud: *ad memoriam consulatus mei* (til Erindring om mit Consulat, at der [nemlig] paa een Tid —).[1]

IV, 10. Frustra Drumannus, quem Halmius sequitur, *iussu populi* defendit. Quum hoc disputetur, possintne coniurati senatusconsulto iniussu populi (hoc est, publico iudicio non damnati) interfici, nullo modo contra dici potest, C. Gracchum, qui vi et armis occisus est, *iussu populi* esse interfectum; aliud est enim longe *voluntate populi*, populo patiente et permittente: deinde hoc totum Ciceronis argumentationi vehementissime repugnaret. Nam sic argumentum concludit, si ipse auctor legis Semproniæ (quod hostis exstitisset) *iniussu*

---

[1] [Idem iam Beneckius suspicatus erat. Sic locus similitudinem aliquam habebit cum Liviano I, 55, 1.]

populi pœnas rei publicæ pependerit, multo minus in aliis eam legem obstare. Ex eo, quod Gracchus *iussu* populi interfectus esset, sane non efficiebatur, de aliis *iniussu* populi pœnas sumi posse.[1])

IV, 13 retinui, quod antea, probata Ernestii coniectura, edideram: *ne — aliquid severius statuisse videamini*. Nam quum in aliis codicibus (*bisw*) sit *nimis aliquid severe*, in aliis (*rtua* plurimisque præterea) *nimis aliquid severius*, hoc quomodo ex illo nasci potuerit, non intelligo; contra quum scriptum esset: *ne — aliquid severius*, fieri potuisse video, ut id declararetur *nimis severe*, in parte tamen codicum, addito *nimis*, retineretur *severius*.[2])

In oratione *pro Archia* codicis Gemblacensis collatio etsi grata esse debet, exiguum tamen momenti fecit ad contextus formam mutandam. In uno et altero loco coniecturæ subnatæ sunt speciosæ nec tamen quas in ipsa oratione ponere auderem. Velut § 4 pro suspecto illo *celeriter antecellere omnibus — contigit* nescio an simpliciter *cœpit* scribendum sit. [Sic iam Stuerenburgius.] § 9, ubi editur: *His igitur tabulis nullam lituram in nomine A. Licinii videtis*, quoniam codices habent *nomen*, scribendum videtur: *His igitur tabulis sine ulla litura nomen A. Licinii videtis*; rectius enim iudices nomen perspicue scriptum *videre* dicuntur quam nullam lituram. § 10 in his verbis: *multis — gratuito civitatem in Græcia homines impertiebant* aliquid vitii esse certum est et iam ab aliis intellectum quum e codicum vestigiis (Gembl. *gravat in* superscripto *uel gratuito*, Erf. *uel gratuito gravat*, Pithœan. *gratuito gravat*),

---

[1]) [Aliam coniecturam ad hanc peragraphum pertinentem, translatam postea in Adv. Crit. vol. II p. 208, hic omisi.]

[2]) Ex præf. ed. 6: IV, 13 *aut* add. Siesbye, *iure* A. Eberhard. Halmius illa: *quum avum suum . . . dixit* ita interpretari videtur: *indem er sagte, dass . . .*; sed non credo fieri posse, ut in hac orationis forma: *quum . . . dixit, quum . . . dixit* prius *quum* tempus significet, alterum modum, nec indicativus altero loco defendi posse videtur; si illud Cicero voluisset, sine dubio scripsisset: *quum . . . diceret* s. *adderet* s. *defenderet*; cfr. pro Mil. 12. Utrumque *quum* temporale sit necesse est; tum autem non apparet, quæ crudelitas insit in cæde M. Fulvii Flacci filiique eius sine ulla laude commemoranda, quare recte Eberhardus *iure* excidisse suspicatus est. Restabat *ἀσύνδετον* vix ferendum, quod addito *aut* post *dixit* sustuli.

tum quod nihil omnino ad rem pertinet, gratuitone an pretio civitas data sit. Itaque fuit, qui *non gravate* scriberet, nec alioquin apte (nam de opera libenter rogantibus præbita id dicitur) et negatione satis licenter addita. Mihi hæc visa sunt orta esse ex vocabulo in proximo versu ita per compendium scripto et depravato (*in gra*), ut coniectura varie expediretur. Itaque *gratuito* sustuli.[1])

Unum addam, in § 5 Halmium minus recte iis, quæ ego olim (Emendatt. p. 181. Opusc. Acad. II p. 281) de Lælii § 39 disputavi, ita usum esse, ut in his verbis: *ut domus, quæ huius adolescentiæ prima fuit, eadem esset familiarissima senectuti*, ex *familiarissima* in priore parte sententiæ audiri vellet *familiaris*. Nam in illa parte nulla est, quæ deesse non potest, adiectivi ex proximo petendi significatio (quæ adesset, si sic scriberetur: *quæ huius adolescentiæ aliquantum, eadem senectuti esset familiarissima*) contraque posito adiectivo (*prima*) et suo verbo (*fuit*) ea figura prorsus excluditur. Itaque mendum tolli debuit. [ut scriberetur *patuit* aut *favit*.][2])

In *Miloniana* quum extra eas particulas, quæ in codice palimpsesto Taurinensi supersunt, duo sint melioris familiæ codices plene collati, Erfurtensis et Tegernseensis, ego in horum

---

[1]) [In ed. 6 e codd. vest. (*in gra homines*) effeci: *Graii homines*, omisso quod illinc coniectando natum est, *gratuito*, deque usu adiectivi *Graius* in prosa oratione conferri iussi exempla Ciceroniana non minus septem, posita in Emm. Livv. p. 457.]

[2]) Ex præfatione ed. septimæ (Hauniæ 1885): „Restat, ut locum orationis *pro Arch.* § 5 certissimo mendo laborantem, qui me, quoties ad eum accessi, vexavit, quod nihil inveniebam, quod simul ad codicum vestigia et ad orationis formam apte accommodaretur, nunc postremum attingam, si quam ei opem afferre possim. Iis, quæ et ab aliis et a me ipso tentata sunt, quum in corruptis litteris *sed etiam* substantivum latere putaremus (*signum* vel *specimen*), præter mendi formam longe abhorrentem obstat *ut* coniunctio, pro qua postulabatur *quod*, et verbi subiecti imperfecti tempus *esset*. Utroque hoc indicio ducimur eo, ipsis etiam litterarum formis pæne invitantibus, ut perfecti temporis verbum subesse suspicemur, pertinens ad Lucullorum erga Archiam studii constantiam declarandam. Itaque proxime nos ad veritatem accessuros puto, si sic totum locum scripserimus: *Statim Luculli, quum prætextatus etiam tum Archias esset, eum domum suam receperunt. Sedit* (*Insedit?*) *ita amor* (codd. *Sed etiam hoc*) *non solum ingenii* cet.“

dissensu paulo plus tribui priori quam alteri, in quam magis propendere Baiteri iudicium videtur; (is enim hanc orationem in editione Turicensi recensuit). Mei iudicii causas reperiet, qui hos locos et has scripturas consideraverit: § 6 (*Sin* Erf., T et ceteri *Sed si*), § 10 (*verum* E cum Quintiliano, *verum etiam* T et alii), 12 et 26 (*aut summum* E, *ad summum* T et alii), 31 (*sæpe* E cum cod. palimpsesto, *iam sæpe* T), 33 extr. (qui locus in hac causa primarius est; E lacunæ indicium dupliciter facit, primum aperte, adscripto inter *debeo* et *P. Clodii* verbo *deest*, deinde quod paulo post ita scriptum habet: *solutam autem fore*; in T ut in ceteris occultandæ lacunæ causa scriptum est: *et solutam fore*), 38 (E *ad cognovisset*, T verbum omittit), 72 (pro *abrogavit* E *abrogabit* pervagato errore, inde T *abrogabat*). Itaque auctoritatem codicis Erfurtensis nunc quoque secutus sum in § 33 (*extulisse*), in paragrapho autem 39 (*quum — decretum Capuæ fecit*, ubi T cum vulgaribus habet *fecisset*) et auctoritatem et rationem necessariam. Perfecti enim indicativus modus particulæ *quum* subiectus significat, ipso decreto faciendo signum datum esse (Gr. Lat. § 358 not. 2 ed. Germ. tertiæ, Cic. N. D. I, 43, 121, pro Rosc. Am. § 39, [in Cat. II, 1, pro Deiot. 36,] Philipp. IX § 7); eo non intellecto coniunctivus plusquamperfecti substitutus est. Addo, quod non ita raro apud Baiterum solus Erfurtensis ordine verborum a ceteris discedere dicitur, si hi duo codices et Salisburgensis, deterioris generis, excipiantur, nihil fere ex ullo de verborum ordine annotatum esse. Quod Baiterus Coloniensi codici me plus tribuisse putat, quam oportuerit, non dubito, quin, si eius codicis scripturæ paulo plenius et sine errore commemoratæ essent (qui quam pæne infinitus sit in hoc genere maxime apud Gruterum, expertus scio), mecum Baiterus consensurus fuerit. Vel nunc præstantia eius apparet et alibi et § 11 (*non*, E T male *non modo*) et 51 (*ad se in Albanum* teste Gulielmo, homine non paulo diligentiore, quam Gruterus fuit; ceteri *ad Albanum*, quod Latinum non est pro eo, quod est: *in Albanum*; neque quisquam additurus erat *ad se*) et 54 (*mora et tergiversatio*). Sed ne § 49 quidem, quo loco eum interpolationis manifestæ convinci Baiterus putat, pænitet susceptæ ex eo, lineola addita ab Ernestio, scripturæ: *Quid afferebat causam festinationis?* Qui enim loci formam et artifi-

cium orationis diligenter consideraverit. intelliget, Ciceronem non statim interrogando negare, in hereditate festinationis causam fuisse, quoniam nondum significavit, eam causam ab adversariis fortasse proferri. sed, postquam universe. quæ fuisset causa. quæsierit, quasi suspicione occupantem interrogare (*Quod heres erat?*), deinde id, quod dici posse suspicatus sit, redarguere. Itaque artificium orationis assecutus erat, quisquis primus ex editoribus scripsit: *Quid afferebat festinationem? Quod heres erat?* Sed præstat codicem Coloniensem sequi.

His perpauca addam ordinem locorum sequens.

§ 17 usus sum necessaria correctione mendi pervagati pro *suorum sit* scribens *suorumst*; coniunctivus ferri nullo modo poterat in hac orationis forma: *eo atrocior erit, quod — sit*, et in ea re, in qua nulla alienæ sententiæ significatio esse posset.[1])

§ 33 in loco apud Quintilianum servato tenui. quod sane in exiguæ tantum fidei codicibus scribitur: *viro Milone, ne dicam consule*, pro quo Baiterus et in minore editione Halmius posuerunt, quod in melioribus est: *viro Milone, non dicam consule*, contra certissimum loquendi usum, de quo nescio qui Halmio acciderit, ut tanquam de re parum nota præciperet cum errore non levi; etsi video etiam Weissenbornium (Gr. L. § 190 not. 4) et Kruegerum subtiliter explicandum putasse. quid interesset inter ea, quæ prorsus eodem modo Latini dicunt. quo et Dani et Germani. Nam qui verborum gravitate se supersedere et minus. quam possit, dicere significat, is aut prædicit. se gravius non dicturum (*Milone non dico* aut *non dicam consule, sed viro*. ich sage nicht, ich will nicht sagen). aut, posito minore, subiicit, ita se dicere gravioris verbi vitandi aut maioris rei omittendæ causa (*viro Milone, ne dicam consule*). Exempla prioris generis decem Ciceroniana Handius posuit Tursell. IV p. 281, quibus præter Milonianæ § 34 et 35 ex una Philippica secunda tria addi possunt. § 9. 19, 66; posterioris quattuor Weissenbornius habet. ad Fam. IX, 15. 3, XII. 30, 3, Philipp. XIII § 12. pro Deiot. 2 præter unum Livii;

---

[1]) [§ 29 pro eo, quod editur: *quod hunc iam interfectum putarent*. in præf. ed. 6 suspicatus sum scribendum esse *qui* aut *quum*, ut appareret coniunctivi causa.]

addit Nizolius tria, N. D. I § 59, Læl. 82, Philipp. XII, 9, nec opinor in tali re plura conquirenda esse.[1])

§ 39 (*Milo P. Clodium in iudicium bis, ad vim nunquam vocavit*) miror, quod casu unius tantum accusationis a Milone Clodio intentatæ memoria superest, homines doctos nuper tantopere esse commotos, ut alius *de vi* scribi voluerit, alius *bis* ex *vis* ortum putarit, quod quis falso adscripserit, quum *de vi* significaret, alius denique *vis* pro genitivo a Cicerone positum iudicaret. Adeone in mentem non venisse, prorsus necessarium esse *bis*, quoniam, ut *in iudicium* et *ad vim*, sic *bis* et *nunquam* inter se responderent, ut altero sublato sententia periret?[2])

In oratione *pro Ligario* Coloniensem codicem aut alia auctoritate aut ratione adiutum aliquoties sequendum putavi, dissentiente Baitero. ut § 7 in his: *tum denique se salutem putavit dare* (Bait. ex Erf., Gembl., aliis *reddere*), *si eam nullis spoliatam ornamentis dedisset*; idem verbum bis poni, prorsus necessarium est. Sed Coloniensis illo modo collatus est, quo Grævius solebat, hoc est, neque plene et negligenter.

§ 17 iniuria in pronomine *quisquam* M. Hauptius et Mommsenius hæserunt. Neque enim id Cæsarem admiratum esse Cicero putat, quod Tubero de nullo alio sceleris appellatione usus esset (neminem enim alium accusarat), sed partim quod omnino nemo in alium quemquam Pompeianorum id convicium contulisset, partim quod, quum unus accusator in uno reo illo nomine uteretur, id ab eo fieret, qui in iisdem castris fuisset.

Deiotarianæ duos locos attingam. Primum enim § 23, ubi edebatur: *Non quæro, quam veri simile sit, aut non habuisse regem, quos mitteret, aut eos, quos misisset, non paruisse* cet.,

[1]) In proximo versu de melioribus Quintiliani codicibus (Turic., Flor.) me recte scripsisse, Spaldingii nota ostendet. [§ 37 in ed. 6 restitui: *hæc ipsam Appiam . . . cruentavit*, pro eo, quod edebatur, *istam*, quod pronomen alienum est; alterum aptissimum esse ostendunt addita hæc: *monumentum sui nominis*.]

[2]) Ex præf. ed. 7: *Pro Milone* § 68 nescio quomodo me antea fefellerit pronomen *iste* prorsus prave in Milone demonstrando poni, quod rectissime paulo ante ponitur (*ista suspicio*, hoc est *ista tua*), scribendumque esse *ne ipse*.

Halmius. Cardeno et Garatonio obsequens, *non* ante *habuisse* sustulit, ut negetur a Cicerone, habuisse Deiotarum, quos mitteret; nam ab accusatoribus hoc negari non potuisse (quæ sententia efficitur ex vulgata scriptura), quoniam ipsi eum misisse ad Cæcilium contenderent. Vereor, ut recte iudicatum sit. Neque enim de militibus Cæcilio illi missis nunc agi mihi videtur (— omnes enim copias suas in vincula coniicere rex non poterat, nec auxilia summissa Cicero illis verbis: *sed misit ad Cæcilium* significasset, neque, quum exiguas saltem copias habuisse regem ipse confiteretur, negare poterat, fuisse omnino, quos mitteret —), sed de nuntiis, qui cum Cæcilio de communibus rebus, auxiliis, condicionibus agerent, in qua re proprie dicitur *mittere ad aliquem*. Itaque quum accusatores dicerent, misisse Deiotarum ad Cæcilium, sed, quum ii, quos misisset, ire noluissent, omissam rem nec quicquam actum, hoc Cicero dicit, parum veri simile esse, regem non habuisse, quos mitteret, quum illi, quos primum ei rei delegisset, non paruissent.

§ 29 in hac codicum scriptura: *calamitosus Deiotarus, qui et ab eo, qui in iisdem castris fuerit, non modo* (codices aliquot: *et non modo*) *apud te, sed etiam a suis accusetur*, manifesta est interpolatio, quod illis *et ab eo* nihil respondet et quod calamitas in accusatoris persona postea aliter notatur (*a suis*). Quominus autem (in quam suspicionem antea incideram) excidisse putemus, quæ contraria referrentur illis *et ab eo*, et hoc ipsum *a suis* obstat et quod geminata hæc duplicis calamitatis significatio (*et — et, non modo — sed etiam*) et per se nimia est nec apte respondet præcedenti sententiæ de felicitate domus Saocondarii et Castoris, *quæ non impunitatem solum adepta sit, sed accusandi etiam licentiam*, in qua item duo sunt membra. Ea, quæ requiritur, sententiæ et orationis forma duplici via videtur effici posse, quarum alteram Halmius ingressus sic scripsit: *qui et ab eo, qui in iisdem castris fuerit, et a suis accusetur*. Sed parum recte commune illud factum, quod disparem in Castoris domo et in Deiotaro eventum habuit, in unam partem calamitatis includitur praveque, quum de uno accusatore agatur, sic tanquam de oppugnatione ancipiti dicitur *et ab eo — et a suis*, neque excogitari potest, cur quis illud *non modo apud te* addiderit, illata nova persona eius, apud

quem Deiotarus accusetur. Itaque altera insistendum est via, ut Deiotarus ob idem factum, quod in Castore impunitum fuerit, accusatus dicatur non modo apud eum, qui alteri ignoverit, sed etiam ab iis, a quibus minime debuerit: *calamitosus Deiotarus, qui, quod in iisdem castris fuerit, non modo apud te, sed etiam a suis accusetur.* Causa autem loci depravandi fuit *quod* post *qui* errore omissum (*Deiotarus, qui in iisdem* —), unde pravum ortum est supplementum (*qui ab eo, qui*). Vestigium aliquod exiguum veræ scripturæ superesse videtur in cod. Dresdensi Grævii, Fuldensi Halmii, duobus Monacensibus Soldani, in quibus est: *Deiotarus quod ab eodem* (*ab eo*) *qui in iisdem* cet.[1])

In uno et altero fortasse loco Halmius, etsi de universa re recte et vere, ut exspectari poterat, iudicavit, aliquid concessit opinioni illi præstantioris auctoritatis, quæ ex superioribus orationibus etiam in hac adhærebat codicibus quibusdam, quos mire interpolatos esse olim declaravi (Opusc. alt. p. 307 sqq.). In hoc genere pono in § 34 retentum: *clementissimum in victoria ducem vidimus* pro hoc: *clementissimum in victoria ducimus*; nam et *ducis* vocabulum et notio abundat et, quod rem conficit, non agitur, qualem Romani Cæsarem viderint, sed qualem illi liberi et in summa libertate nati iudicent; negat enim Cicero, qui talis illis videatur, eum homini in regno nato tyrannum videri posse. In eodem loco paulo post Halmius ex iisdem codicibus minus recte scripsit *invidimus* pro *invidemus*; agitur enim de quotidiano Cæsaris tropæorum conspectu, non de illo tempore, quo constituta sunt.

In *Philippicis* Halmius quum codicis Vaticani collatione uteretur nova diligentiusque facta, in qua etiam manuum primæ et alterius, partim antiquæ, partim recentioris, discrimina accurate notata essent, iure primariam hanc auctoritatem studiose sectatus est, vestigia etiam, quæ primam speciem mendosam

---

[1]) Ex præf. ed. 3: C. 10, 29 quod antea edidi: *quum — suasor fui*, contra codices retinere, quanquam in iis non parvæ turbæ sunt, non tamen sum ausus, quum præsertim indicativus perfecti vix recte hoc loco particulæ *quum* subiiceretur, neque enim res gesta hic accommodatur ad temporis notationem præcedentem, nec una eiusmodi res significari videtur, de qua per se recte *fui* dicatur. Itaque *suasor fuissem* restitui, etsi hoc quoque dubitationem habet.

præferebant, cum cura considerans et verum inde subinde eruens, idemque ego ita feci, ut hanc auctoritatem tot locis spectatam etiam in aliis locis præferrem ratiunculis speciem aliquam, sed necessitatis nihil habentibus. Sed tamen Halmius, ut fit in eiusmodi re atque studio, nonnullis locis mihi videtur longius progressus esse quum in iis scripturis recipiendis, quæ mihi neque defendi ullo modo posse et erroris (a quo Vaticanus minime immunis est) manifestæ esse videntur, tum in coniectura ex mendis, ut mihi videntur, casu ortis repetenda. Prioris generis in secunda oratione (— ut omittam in § 9 in minorem editionem receptam hanc scripturam: *omne crimen tuum est, quod — non male existimem, quod scribebam* et mirabiliter defensam, quasi alterumutrum ulla ex parte magis ex Ciceronis persona dictum intelligi possit, et quasi ullo modo per se dici potuerit: *crimen tuum est, quod scribebam* pro eo, quod est: *quod scripserim* aut: *ex eo est, quod scripsi*; sunt quædam artificiola relinquenda hominibus Halmii dissimillimis, qui Latini sermonis ignari tum sibi acuti videntur, quum sententiarum et orationis apertam perversitatem et repugnantiam non sentiunt —), sed, quod institueram dicere, prioris generis exempla in secunda oratione sunt in § 11 (*id domus tuæ est* pro *domi tuæ*, ortum fortasse ex *domui*, quomodo illa significatione non ita raro scriptum in antiquis codicibus reperitur), 45 (*ut se contra suum patrem defenderem* pro *ut te*, non solum repugnante eo, quod præcedit: *te mihi commendabat*, quæ commendatio non alio nisi ad illam defensionem pertinet, sed ipsa re, quoniam Curio pater a filio, quod is pro Antonio intercessisset, neque si filius in eius potestate neque si sui iuris esset, quicquam iudicio petere posset), 49 (*venis e Gallia* pro *venisti*, eodem errore, quo § 9 *impetras* pro *impetrasti* et 35 *liberabis* pro *liberavisti* et 78 *habuit* pro *habuisti* et 93 *debuis* pro *debuisti*, ut appareat propria quædam in hac terminatione errandi consuetudo), 53 (*causa belli persona tua constitisse* pro *in persona tua*, ad quam præpositionis omissionem adscribitur locus non minus mendosus ex orat. III, 19: *quum eo* [*interitu tuo*] *— libertas populi Romani dignitasque consisteret*, quanquam alius generis esset *libertatem consistere alicuius interitu*, alius *bellum consistere persona aliqua*), 56 (*Licinium Denticulam* pro *L. Lenticula*, quem *Denticulum* esse debuisse apparet), 61 (*via*

pro *viam*). Coniecturam e Vaticani scripturæ vestigiis parum recte ductam non possum non iudicare § 7. ubi quum antea ederetur (quod ego tenui): *tanquam mihi cum M. Crasso contentio esset, quocum multæ et magnæ fuerunt.* Halmius, quod in Vaticano est *etiammagnæ*, scripsit *multæ et tam magnæ*: Cicero, si demonstrativa particula contra consuetudinem Latinorum in tali confirmatione uti voluisset, saltem *tot et tam magnæ* scripsisset: ne nimis moveamur syllaba ex geminatione litterarum nata, admonere potest in superiore versu *tam* pro *tanquam* scriptum. § 14, quum in Vaticano ex vera scriptura (*consul usus sum*) natum esset *consultus ussum*, littera *t* male addita, Halmius fecit *consul tum usus sum*, particula prave addita ad eam temporis notam, quæ est in ipso nomine *consulis*. § 45 ex *confirmabat* in Vaticano factum est *confirmauiat*, contrario errore atque § 35 *liberabis* ex *liberavisti*, sed addito *i*: inde tamen Halmius faciendum putavit *confirmarit*, quod tempus neque ad superiora imperfecta neque ad totam descriptionem temporis illius, quum Cicero malis familiæ Curionis intervenit, accommodatum est.

Novi aliquid, de quo dicendum sit, in perpaucis locis a me nunc tentatum est.

Or. I § 31, ubi Cicero de Antonii oratione in æde Telluris apud senatum habita dicit, antea edebatur: *oblitus auspicia a te ipso augure populi Romani nuntiata*, accusativo non ex more Ciceronis posito, in hoc quidem significatu (ut *oblitus* sit *immemor, nihil de auspiciis cogitans*). In codicibus vulgaribus scribitur *auspicia te ipso augure pronuntiante*; in Vaticano autem *auspiciorum a te ipso pronuntiate* (secunda manus fecit *pronuntiante*), ex quo Faernus effecit *auspiciorum a te ipso aug. p. R. nuntiatorum*, quem Halmius secutus est. Ego, quum neque *auspicia* in deterioribus codicibus ex *auspiciorum* ortum putarem nec *pronuntiate* in ipso Vat. ex *p. Ro. nuntiatorum*, suspicatus sum, Ciceronem scripsisse *auspici* (hoc est *auspicii*) *a te ipso augure p. Ro. nuntiati*, in Vaticano autem ex *auspici a* (*auspicia*) factum antiqua interpolatione *auspiciorum a*, ex *p. Ro. nuntiata*, una littera mutata, *pronuntiate*. Neque quicquam obstare videtur, quominus singulari numero (*auspicii*) Ciceronem uti potuisse putemus in obnuntiatione Antonii significanda.

Or. II, 52 apparet, hæc verba: *quum te neque principes civitatis rogando neque — frequens senatus agendo de vendita atque addicta sententia movere potuit*, satis moleste adiungi superioribus *quum* particula (*quo tempore*), quia huiusmodi adiunctio de iis, quæ post consecuta sunt, parum apta est ad interrogationem, qua ostenditur, nihil iniqui postulatum esse, et quia sequitur sententia eiusmodi ab adverbio temporis incipiens, cui hæc multo melius præmitti protasis loco possint: *Quum te neque principes civitatis — neque — senatus — movere potuit, tum illud* cet., ut significetur, pedetentim et omnibus ante tentatis senatum tam severe de Antonio decrevisse. Itaque sic in tertia editione sententias interpungendo descripseram. Halmius longius progressus etiam in superiore per *quum* particulam adiunctione dubitavit (*Quid cupide a senatu, quid temere fiebat, quum tu — prohibuisti — neque tu tecum — agi passus est?*). Itaque totum locum sic fortasse interpungendum putavit: *Quid — fiebat? Quum tu — prohibuisti, neque tu — passus es, (quid autem agebatur — funditus velles,) quum tu neque —, tum illud* cet. Sed neque sic interiecta parenthesi continuari h. l. oratio poterat, nulla addita eius rei significatione (velut: *sed quum* cet.), et illam sententiam *neque tu — passus es* per se poni, non partem protasis esse, ipsum pronomen (*tu*) additum ostendit, et illo loco recte habet particula *quum* vincta oratio (*Quid cupide a senatu fiebat eo tempore, quo tu — universum ordinem decernere prohibuisti?*). Sed etiam in posteriore illa huius loci parte, ut quidem nunc scriptum est, redeundum fuit ad veterem interpunctionem: neque enim ferri perfectum indicativi tempus potest in hac orationis forma: *Quum te neque principes — neque senatus — movere potuit, tum* (propter illam ipsam causam) *illud — tibi vulnus inflictum est.* Itaque eam interpunctionem ita restitui, ut ipsam tamen de vera loci forma sententiam non mutarem; puto enim a Cicerone scriptum fuisse: — *velles? Quum te neque principes civitatis — neque frequens senatus — de — sententia movere potuisset, tum illud* cet. Sed huiusmodi suspicioni nullis codicum indiciis adiutæ in contextu verborum locum dare nolui.[1])

---

[1]) [Quæ de or. II § 55 hic scripseram, translata sunt in Adv. Crit. II p. 232.]

§ 84 Halmius Vaticanum codicem sequens scripsit: *ut videam, ubi rhetoris sit tanta merces, id est, ubi campus Leontinus appareat*, ego retinui. quod in ceteris est et in superioribus editionibus: *ubi rhetoris tanta merces, ubi campus Leontinus appareat.* Nam neque, *ubi sit merces*, recte quæritur, sed ubi ex fructu et utilitate appareat, et tam ignave quum illud *id est* ponitur, nulla eiusmodi significatione, qualem ad Cic. de Fin. II § 6 p. 143 sqq. declaravi, tum hæc: *campus Leontinus appareat* superadduntur illis *merces sit*, ut suspicio nasci possit, Ciceronem nihil aliud scripsisse nisi hoc: *ubi rhetoris tanta merces appareat*, campi Leontini nomen aliena manu adscriptum esse ex § 43 et 101. Si ea nimis audax suspicio est, *sit* inter *rhetoris* et *tanta* ex geminatione litterarum (*st*) addita vocali ortum dicam, deinde additum *id est.*

§ 85 extr. quum in Vaticani scriptura, quam Halmius secutus est (*Tu ergo unus, scelerate, inventus es, qui, quum auctor regni esses, eum, quem collegam habebas, dominum habere velles; idem tentares, quid populus Rom. ferre et pati posset*), durissimum asyndeton (*idem* pro *et idem*, quod minime excusatur iis locis, in quibus *idem* geminatur) accederet ad id incommodum, quod in omnium codicum scriptura nascitur ex tautologia sub specie causalis coniunctionis latenti (*quum auctor regni esses, eum — dominum habere velles*), sequendam putavi scripturam codicis Bernensis apud Halmium, ortam fortasse ex coniectura, sed vera: *qui, quum — esses eumque, quem collegam habebas, dominum habere velles, idem tentares, quid* cet. Ceteri, qui regnum cupiebant, non iidem (simul) populi patientiam tentarant.

§ 87 non potest abesse verbum in hac interrogatione: *Ideone L. Tarquinius exactus, Sp. Cassius, Sp. Mælius, M. Manlius necati, ut multis post sæculis — rex Romæ constitueretur?* Vellem igitur addidissem post *exactus*, ubi facillime excidere potuit (*exactus est*).

§ 91. ubi Cicero dicit de sublato ab Antonio in perpetuum de re publica dictaturæ nomine, mendum coarguere possum, corrigere ita, ut mihi satisfaciam, non possum. Nam in codice Vaticano scriptum ita est: *tantum te cepisse odium regni videbatur ut eiu omen nomen propter proximum dictatoris metum tolleres*; Muretus *eius omne nomen* et *proximi dictatoris* scribendum putavit idque Halmius secutus est. Præterquam quod

omne nomen tollere prave dicitur pro eo, quod est *funditus nomen tollere*, quum unum nomen nullas partes habeat (rectissime enim diceretur *omne Latinum nomen tollere*), quod gravius est, sententia tota prava est: neque enim Antonius regni nomen sustulerat, quod tolli opus non erat, sed dictaturæ, quæ nuper fuerat, neque propter proximi dictatoris metum id fecerat (qui poterat enim mortuus metui?), sed propter ea, quæ in posterum timeri poterant. In vulgarium codicum scriptura non minus prave omnis ab Antonio regni metus sublatus dicitur, quum de regno is nihil tulisset, et sublatus propter Cæsarem, qui rex fieri iam non poterat. (Odisse regnum propter Cæsarem Antonius poterat.) Apparet, Ciceronem hoc dixisse, Antonium odio regni eo progressum esse, ut id etiam nomen (dictaturæ), sub quo regnum latere posset, quodque ei proximum esset, tolleret; itaque sententia huiusmodi fere fuit: *ut propter eius* (regni) *metum etiam proximum dictatoris nomen tolleres*, vel brevius comprehensa et acutius: *ut etiam proximum dictatoris metum tolleres*, hoc est, ut caveres etiam, ne dictator posthac, regi proximus, nedum regnum ipsum, metui posset. Sed quibus verbis Cicero usus sit, exputare nequeo; tantum video, *proximum* non esse ad *dictatoris* nomen accommodandum.[1])

Satis verborum de exiguis rebus factum puto ad id, quod volui, consequendum.

Scr. Haun. a. d. III. Kal. Mart. a. MDCCCLVIII.

---

[1]) [Aliter de h. l. iudicavi Adv. Crit. III p. 153.]

Index Rerum Et Verborum.[1])

A.

[1] Paginæ indicantur prioris editionis hic in margine annotatæ, prioris voluminis nullo addito numero, alterius voluminis addita nota II; tantum ubi paginæ numero adiectus est asteriscus, significantur huius editionis paginæ, ad ea capita pertinentes, quæ hic demum sub finem voluminis accesserunt.

G.

H.

I.

K.

L.

M.

N.

O.

P.

Q.

T.

U et V.

Z.

Index Scriptorum.[1])

[1]) In Ciceronis locis solos minorum particularum, quas paragraphos vocant, numeros indicavimus, omissis capitum numeris.

Opusculorum ordo.

ADDENDA ET CORRIGENDA.

Pag. 12 v. 22 comma post abest deleatur, item p. 72 not. v. 1 post est, p. 140 not. 1 v. 4 post attigit, p. 311 not. v. 4 ab imo post sententia, p. 356 v. 8 ab imo post repugnanti, p. 490 v. imo post discrimine.

P. 15 v. 19 scr. *Lucretii*

P. 18 v. 23 scr. III, 279

P. 30 v. 16 scr. Calig. 56

P. 34 not. v. 2 ab imo scr. *Arreti*

P. 38 not. v. 1 scr. 65, 66

P. 43 v. 20 scr. Marc. 16

P. 48 v. 12 ab imo scr. I prooem. 26.

P. 65 not. v. 5 scr. quum, v. 6 tum

P. 68 v. 14 scr. XXXIX, 19, 4

P. 69 not. v. 1 scr. XV, 12

P. 85 not. v. 9 scr. nec tamen

P. 125 v. 21 sqq. De h. l. Madvigius postea aliter iudicavit.

P. 129 not. 1 scr. Numeri mutationem

P. 136 v. 9 scr. XV, 14

P. 152 v. 21 scr. 57, Iug. 107

P. 175 v. 4 interp. notione, tum

P. 180 not. v. 6 ab imo scr. XXXVII

P. 182 not. 3 v. 3 scr. *Καινινιτῶν*

P. 189 v. 3 ab imo scr. consilii

P. 193 not. 1 scr. IX, 43

P. 201 v. 3 ab imo scr. *ἀποίκοις*

P. 219 v. imo. De Casino cfr. p. 241 num. 23.

P. 220 v. 13 scr. XLI, 8 et 9

P. 234 v. 4 ab imo scr. Gracch. 10

P. 236 not. 3 scr. epit. 89

P. 240 v. 15 scr. VI, 21

P. 242 not. 3 v. 3 scr. XIV, 39

P. 243 v. 3 ab imo scr. XXVIII, 11

P. 245 v. 12—13 scr. XXXIX, 55

P. 245 not. v. 5 scr. nomen

P. 246 v. 7 scr. Civ. I, 24

P. 252 v. 5 scr. fuerint

P. 257 v. 10 scr. Simplice

P. 298 not. v. 1 scr. Occurrebat

P. 311 not. 3 v. 4 scr. delendum cum Mureto *in*

P. 335 v. 14 *quidam* iam Baptista invenerat.

P. 348 v. 4. Cfr. quæ de h. l. Madvigius in ed. Turic. p. 1451 exposuit.

P. 349 v. 20 interp. fuerit, et

P. 361 v. 20 sqq. *fuerint* scribendum esse iam O. M. Muellerus viderat.

P. 394 v. 1 alterumutrum s e tollatur.

P. 397 v. 17 sqq. De or. I in Catil. 8, 19 Madvigius postea aliter iudicavit.

P. 400 v. 14 sqq. Iam Ernestius *Vatinii* deleri voluerat.

P. 460 not. 1 v. 8 scrib. habent. 1842.]

P. 474 in marg. scr. 93 et 94

P. 480 not. v. 7 scr. I, 1, 89

P. 491 v. 17 scr. huc

P. 500 not. 1 v. 1 scr. VII [VI], 3

P. 521 v. 4—5. C. 25, 62 Madvigius in ed. Tur. scribendum coniecit: *vidisse te credo.*

P. 564 v. imo interp. quamquam, *Licinum Liciniumne*

P. 575 v. 14 scr. esse [cum Stephano] *habere.*

P. 579 v. 15 scr. 20, 44

P. 600 not. v. 4 ab imo scr. rei iudicialis

P. 609 v. 10 scr. illud ipsum, v. 12 scr. equitum

P. 611 not. 1 v. 5 scr. *equus*

P. 665 v. 7. Iam Garatonius et Zumptius *renuntiatur* deleri iusserant.

P. 716 v. 12 ab imo scr. *si ii, qui*

P. 717 v. 4 ab imo scr. *παῖδας*

P. 720 v. 4 ab imo interp. quæri, quando bene

P. 727 v. 2 scr. puto.)

P. 732 v. 19 sqq. Mendum iam Manutius esse viderat, in cuius commentario hæc leguntur: *Putare*] Hoc abundat, cum dixerit, *credere.*